





2
3
223










III 59

IOANNIS FERRANDI, ANICIENSIS E SOCIETATE IESV THEOLOGI

DISQVISITIO RELIQVIARIA:

SIVE

DE SVSPICIENDA, ET SVSPECTA

earumdem numero Reliquiarum, quæ in diuersis Ecclesiis seruantur, multitudine.

NVNC PRIMVM PRODIT.





LVGDVNI,

Sumptibus LAVRENTII ANISSON, & Soc.

M. DC. XLVII.

CVM PRIVILEGIO REGIS, & APPROB. DD.



SERENISSIMO PRINCIPI

ARMANDO BORBONIO

PRINCIPI DE CONTY,

SACRI MONASTERII,

ET TOTIVS ORDINIS

CLVNIACENSIS ABBATI

REVERENDISSIMO

Salutem, & Felicitatem.



INVTVLAS hasce scriptorum meorum primitias, SERENISSIME PRINCEPS, & quantulascunque susceptarum à tot eruditissimis viris pro tuendâ sacrorum Lipsanorum religione

¶ 2

Theodor. Studita epist. ad Patriarch. Hierosol.

disputationum reliquias, CELSITVDINI TVÆ *offero* absens corpore; *animo*, & scriptis præsens. *At ne fastidi, ne auersare, si placet.*

Non fastidies autem (vti equidem spero) *quia* tam citò consecratus, quàm natus, *studiorum*, *& vitæ ratione admouendus es Deo, qui, vt in veteri lege minoris momenti reliquias* aureâ *conditas* vrnâ in [a] anathema obliuionis *seruari iussit: ita & in nouâ diligenter ab Apostolis* colligi *voluit*, ne perirent.

S.Greg.Naz.orat.20. & Auct.vit.eiusd. S.Greg.
D.Paul.Hebr.c.9.v.4.
Iudith c.16.v.23.
Matth.c.15.v.37.
Marc.6.v.43.Ioan.6.v.12.13.
[a] *Id est, in* antidotum, & execrationem ingratissimæ obliuionis. *vid. interpr. in loc. citat. lib. Iudith.*

Non auersaberis verò (quæ tua benignitas est) & quia GALLIÆ *totius* DELICIÆ, *& quia* CHRISTIANISSIMI GENERIS *purissimus* SANGVIS, *& quia* IESV, *&* MARIÆ AMOR *es.*

TIBI *enim, vt* GALLIÆ DELICIIS *non possunt non esse in deliciis Sanctorum Reliquiæ cùm à* [b] *conquisitis, redemptis, & aggestis toto ex Orbe Christiano ipsorum pignoribus locuples* GALLIA, Gazophylacium Domini, & Cœlestis Patriarchij clauicularia, *meritò audiat, & à pugnacibus* [c] mortuorum cineribus, quàm à viuorum armis, & viribus *seipsâ potentior, integras persæpe* [d] *hostium acies in turpem fugam coniecerit, & luctuosum in modum deletas laureata triumpharit.*

[b] *Id explico fusius ad calcē Disquisit.* Not.1.

Diederic. lib. de illatione S.Bened.c.3.pag.223.
[c] Allusum ad dictum Ragenarij, de quo. *Not.2.*
[d] Normmãnorum scilicet, & aliarum gentium, vt est *in Not.3.*

Vt CHRISTIANISSIMI GENERIS *purissimus* SANGVIS, *non magis auersari potes Sanctorum exuuias, quàm teipsum; quòd*

ab

ab ipſomet [e] *Diuo Clodouæo ad* SERENISSIMVM PARENTEM TVVM *(de quo maximum Religionem inter , & Doctrinam duellum eſt , dum vtraque totum ſibi vendicat) eximiam tot Chriſtianiſſimorum* [f] *Regum , & Imperatorum , erga Sanctorum glebas pietatem in maiorum tuorum pectoribus olim collectam , & nunc in* TE *, per tot* [g] *illuſtres venarum ductus corriuatam venerabundi demiramur.*

Ad vltimum , vt JESV, & MARIÆ AMORes*, non potes non amare ſacra lipſana , niſi & ab vtroque amari , & vtrumque amare deſinas : cùm vtrique hactenus cordi fuerit , tam* ſuis [i]*, quàm* ſuorum *reliquiis collocupletare* GALLIAM*, quò manifeſtè conſtaret omnibus* GALLIÆ REGNVM, JESV, & MARIÆ *indiuiſum eſſe* JMPERIVM.

Quid quòd totum huiuſce noſtræ Diſquiſitionis argumentum Theologicum eſt , vt vel ex hoc vno in paucis nomine illa debeatur tibi , quem iampridem acclamatum humanæ ſapientiæ Principem Diuina *prehenſauit* Sapientia, *vt ſublimiùs ſapere videatur : Deinde ſuis imbuendum myſteriis* TE *in* [h] Claram *ingeniorum* Palæſtram *induxit , vt ab* [i] aurei *tui* generis *luce inclareſcat nobiliùs : poſtremò in* [k] regio Sorbonæ Stephanite *laureâ recèns donatum tanto* Galliæ literatæ *ſibi , tibíque gratulantis plauſu coronauit , vt*

[e] Non vnâ ob cauſâ, *Diui* titulo indigito Clodouæũ Francorũ Regem. *ex Not.* 4.

[f] explicatiùs id *Not.* 5. edocebit.

[g] Regiæ ſtirpes Merouingiorũ, Carolinorum & Capetiorũ in gentẽ Borboniam coaluêre. *Thegan. vit. Ludou. Pij Genealog. S. Arnulphi apud Pithœũ. Chron. Nangij Cœnal. lib.* 1. *de re Gall. perioch.* 15. *Zãpini de Orig. Hug. Capeti. p.* 25. *Texera de Geneal. Henr. IV. Sanmarthani ff. Geneal. dom. Franc. lib.* 1. *&* 2. *& tom.* 2. *Geneal. dom. Borboniæ. Rouill. hiſt. Melodun. p.* 391. *& ſeq. & reliqui, quos iſti laudant.*

[h] Ea eſt Claromontanũ Soc. IESV Collegium, fundatore Guill. à Prato Epiſc. Claromontenſi. *Orland. hiſt. Soc. lib.* 10. *Ribad. &c.*

[i] Quibus de cauſis Gens Borbonia ſit aureũ Genus, *explico Not.* 6.

[k] Hoc eſt, in agone literario Sorbonæ à Regibus Chriſtianiſſimis erectæ, vt refero *Not.* 7.

Cluniacenses maiorũ suorũ exemplo Serenissimũ Principem non ita pridem sibi Abbatẽ depoposcerunt. *Not.* 8.
[m] Quàm religiosissimè id præstiterit Illustrissimus Præsul, Ioan. Borbonius, do *Not.* 9. pluribus.
[n] Eximiũ hoc honoris genus Abbatibus Cluniacensibus à Summo Pontifice collatũ explico *Not.* 10.
Ecclesi. c. 39. v. 19.
[o] Societatem IESV in Franciâ, Lutetiæ Parisiorũ, & ad mõtem Martyrũ coaluisse primùm, tradunt *Orland. lib.* 1. *Hist. Soc. IESV. Ribad. Maffeius, & alij script. vit. SS. Ignat. Xauer.* &c.
[p] His significari volo Henricũ IV. & Magnũ, Ludouicum XIII. & Iustum, Ludouicũ XIV. & Adeodatũ, Galliis, Orbique Christiano exoriens sydus, omnes Christianissimos Reges, è gente Borboniâ; sub quorum fœlicibus auspiciis, gratiâ, & regiâ munificentiâ Societas hæc nostra domi, forisque mirificè aucta est. Quæ autem sint Borbonia sydera, ad quæ alludo, docet *Not.* 11.

TE perfectiùs Diuina sapere abs se perdoctum; cùm reddiderit vtriusque sapientiæ Principem doctrinâ *excellentissimum*, eminentissimum purpurâ, sanctitate *absolutissimum, à TE vicissim meritorum, & virtutum tuarum radiis coronetur.*

Iam si tutissimi patrocinij tui authoritatem mihi ambitiosiùs prehenso, [l] *CLVNIACVM tuum prudenter imitor, quod TE, IOANNIS BORBONII Aniciensis Episcopi Phœnicem rediuiuum habere voluit, orauit, exorauit Abbatem: vt in TE, tam*[m] *sibi* profuturum, *quàm* præfuturum *tanti* Principis *potestatem*, [n] Cardinalis *officio potiùs, quàm purpurâ maiestatem;* Pontificis *doctrinam, pietatem, munificentiam, religionem, virtutes ad summam omnes aspiceret redanimatas, triumphantes suspiceret, deprædicaret immortales.*

Si verò amplissimi tui nominis lucem, PRINCEPS OPTIME, si potentissimæ suffragium gratiæ Disquisitioni meæ studiosiùs apprecor, & obsequor Societatis nostræ votis, & genium sequor meum. Cùm enim illa primùm in [o] *Galliis, & in Liliis nata sit Francicis; vt floreret vberiùs, liliorum ingenium imitatura, tum sub* [p] *BORBONIIS adoleuerit SYDERIBVS, vt ab eorum luce splendidiùs emicaret, ac latiùs: Denique Christianissimo animata sit Spiritu, vt aliquantil-*

lum

lum [a] Regni Gallici Membrum effecta, ad labores pro Deo, & Ecclesiâ fortiter exhauriendos generosiùs hauriret robur: à nullo alio alumnuli sui industriolam probari vult, quàm à TE LILIGENO, BORBONIO, & CHRISTIANISSIMO PRINCIPE, cui me seruire cupit; neque ego alteri seruire volo, quàm tibi, cui me antè probauero.

Atque haud scio plúsne periculi Societatis vota, quàm mea illi obsequentis alacritas habeat. Periculum est in obsequio meo, ne si minus à TE probabitur hic labor meus, Societatis vota improbes: periculum est in optimæ parentis votis, ne si minùs ab irrito euentu fœlicia extiterint, obsequium damnes meum. Utut erit, ambo certè gloriâ periculum redimemus: cùm Societati gloriosum sit in votis prudentibus periculum subiisse imprudentiæ, ne deuotam Tibi obseruantiam læderet; gloriosum & mihi in difficili obsequio facilè ceruicem subiecisse contemptui, ne lynceam oculatissimi iudicij tui aciem (quæ nunquam fallit, aut fallitur) videar irreligioso contemptui vesanus habuisse.

Hinc à iudicij tui sagacitate, PRINCEPS SAPIENTISSIME, in spem erigor fore, vt Disquisitio hæc mea, cùm probabitur Tibi, probetur omnibus, quibus iudicij, & doctrinæ miraculum & stupor es; simul & à tuâ benignitate expecto, vt Ferreum hoc humillimi clientis munusculum, momentò euadat aureum, cùm tuæ pretium allaturæ manus illud acceperint. Imo amplius aliquid à tua

[a] Id longissimè antè à Ludouico Crasso Francorũ Rege de religiosissimâ Cluniacensiũ familiâ olim fuisse pronuntiatum ostendo & illustro *Not.* 12.

à tua virtute mihi audeo polliceri: quo enim omnia pollentem, ac potentem Deum propiùs imitêre, facturum te bonâ spe plenus confido, vt nihilum hoc laboris, & scriptorum meorum sit aliquid. Ex nihilo fecisse aliquid, diuinum est. Finem hîc loquendi facio, obsequendi numquam.

CELSITVDINIS TVÆ

Addictissimus in Christo seruus
IOANNES FERRANDVS
E SOCIETATE IESV.

LECTORI MEO.

 TYPOGRAPHORVM manibus, & prælo, HVMANISSIME LECTOR, in tuas euolat manus nostra hæc quantulacunque *super suspicienda, & suspecta earundem in indiuiduo sacrarum Reliquiarum multitudine Disquisitio*, quam peruelim ne antè vel primis delibes oculis, quam te pauca, si vacat, ac lubet legere, vel audire, necessariò præmonuerim.

Principiò vereor non mediocriter, ne te purioris Latinitatis illicio prolectatum, & Ciceronianis assuefactum leporibus offendat barbara, & insolens *Reliquiaria* vox, quam nostræ Disquisitioni præfixi. Scio veteri Latio inauditam hanc vocem; scio confestim à te Censoriâ notandam virgulâ, & simul vereor expungendam: nisi si veniat in mentem cogitare magis Religiosum hominem addecere barbaris, & inusitatis veteri Latio vocibus res Christianas congruenter appellare, quàm bene Latinis ineptè circumuestire, cùm præsertim non veteri Latio, sed Ecclesiæ, rerum piarum potiùs, quàm exquisitarum vocularum aucupi meus hic desudet labor. *Christianus* audire malo, quàm *Ciceronianus*, & verborum citiùs esse contemptor, quàm *verberum*. S. Hier. ad Eustoch. de custod. virgin.

Haud scio an offensionis minus afferre tibi debeat inæqualis styli scabrities, quam disparibus diuersorum Authorum dicendi, scribendíque formis exasperatum, imo & à nonnullorum barbarie incestatum videbis. At æqui, boníque, vt spero, consules, si consultò, & ad maiorem rerum dictarum, ac probandarum fidem id à me factitatum intelligas. Tessellatum opus videre te puta, & arridebit: quin enim animo in libris lenocinetur, quod oculos in pauimentis capit?

Verùm ea res non me tantùm habet sollicitum, quantùm tantillus metus veritum, ne ab ipsâ operis fronte, ac titulo primulùm inspecto imprudentiæ me reum agas, vel etiam

inauditum condemnes, qui videar me in periculosas grauissimarum offensionum Syrtes vltrò præcipitem agere; dum implexas, & diutinas, ne dicam, immortales tot Ecclesiarum, vrbium, & populorum, super iisdem numero Sanctorum exuuiis, contentiones oppidò sanè religiosas non tam dirimere, quàm implicare magis, magísque tentem, aut potiùs pergam. Pace tuâ, BENEVOLE, ERVDITE'QVE LECTOR, dixerim, nec implicare velim, nec tentem explicare; multò verò minùs dirimere suscipiam huiuscemodi controuersias nimiùm quantùm intricatas, contentus proferre in medium compendia, quàm fieri potest, breuissima, & tutissima, quibus perplexissimi earum nodi, vel solui possint, vel abrumpi.

Si tamen alicubi forsitan secundum aliquos ferre sententiam videbor, velim scias non esse voluntatis meæ, nec instituti super illis quidquam de meo, certâ definitione diiudicare; sed de aliorum mente, ac scriptis anticipata iampridem proferre iudicia, & Librarij in modum exscribendo acribus, & pereruditis legentium oculis, animísque accuratissimè iudicanda duntaxat exhibere. Parùm enim sani hominis foret, eius rei præceps, ac cæcum occupare iudicium, cuius cognoscendæ ius habeas nullum, neque vel leuissimam animo anteceptam informationem, *sine quâ* (vt sapienter monuit Tullius) *nec intelligi quidquam, nec disputari possit.*

Cicer. lib. 1. de natur. Deor.

At si fortè accuratiorem, atque adeò morosiorem in me diligentiam, ac studium desideres in discutienda veritate rerum, ac testimoniorum, quæ è variis non satis probatæ, ne dicam, improbatæ, imò nullius apud Hypercriticos, & oculatissimos (vt se credunt) Argos nescio quos, fidei, & authoritatis scriptoribus à me identidem adducuntur: velim intelligas non esse instituti mei rigidum, & immisericordem alienorum dictorum, scriptorúmve Censorem agere, sed exscriptorem: iisque tantùm me vti testimoniis ex anticipatâ populorum fide, & vnanimi, tacitóque Fidelium consensu, relictâ otiosis in suo negotio, & in otio negotiosis hominibus curâ seueriùs pro suo ingenio, vel *insanabili scribendi*, cauillandi, & aliena carpendi *cacoëthe*, in illorum omnium,

omnium, singulorúmque veritatem inquirendi, quam dum præ omnibus se consequutos suffeni existimant, & ridiculè iactabundi gloriantur, plerunque nubeculam pro Deâ, vmbram pro corpore, pro aureo pisce merum nihil, suâ dormitantium, aut potiùs somniantium aberratione solâ diuites, atque adeò cæco sui amore beatuli, tandem se miserandum in modum delusos experiuntur, ac noscunt; vel si nosse ipsi nec volunt, nec possunt, ab aliis misericorditer deflentur, ab aliis immisericorditer exsibilantur. Ego certè in illud vnum collimare hîc studeo, vt suspiciendam, suspectámque earundem in indiuiduo sacrarum Reliquiarum multitudinem, & Orthodoxorum facilem in eâ credendâ, & deuenerandâ fidem, simul & religiosam pietatem à Lipsanomachorum profanis petitionibus pro mea virili coner sartam tectámque præstare. Faueant vtinam Cælites, quibus laboro.

Theocrit. Eidyll. 25.

Ad extremum ne te pluribus in limine teneam, HVMANISSIME LECTOR, iisdem, & Salonium verbis Saluianus Nostras, affatum te volo. *Superest, vt quia ego functus sum partibus meis, & tu fungaris tuis, id est ores Dominum Deum nostrum, & orando id impetres, vt libelli ad Ecclesiæ Christi honorem conscripti tantùm apud Deum scriptori suo prosint, quantum eos prodesse ipse omnibus cupit; nec iniustum puto est desiderium, quo tantum sibi aliquis præstari postulat pro salute, quantum ipse optat pro cunctis pro charitate.* Atque hæc in paucis volui, ne esses nescius. I, modò, & opellam hanc nostram fauendo lege, & legendo faue.

Saluian. epist. nuncupat. ad Salon.

Vincentius Carrafa Societatis IESV Præpositus Generalis.

CVm Disquisitiones Reliquiarias *P. Ioannis Ferrandi* nostræ Societatis sacerdotis, tres eiusdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandentur, si ita iis, ad quos pertinet videbitur. In cuius rei testimonium has literas manu nostrâ subscriptas, sigillóque nostro munitas dedimus. Romæ, 4. Septembris 1646.

VINCENTIVS CARRAFA.

APPROBATIO.

NOs infrascripti Doctores Theologi Parisienses, Librum cui titulus est: *P. Ioannes Ferrandus* Soc. IESV de Reliquiis, approbauimus: in cuius fidem syngraphas nostras apposuimus. Datum Lugduni, die 27 Iulij 1647.

Fr. CLAVDIVS COCHET, Ordinis Prædicatorum.
Fr. MICHAEL MICARD, Franciscanus.

Summa Priuilegij Christianißimi Regis.

CAutum est auctoritate Regis, ne quis in regno suo, aliisve locis suæ ditionis subiectis intra decem proximos annos, Librum, qui sic inscribitur, *Ioannes Ferrandus Societatis IESV de Reliquiis*, absque Laurentij Anison Bibliopolæ Lugdunensis permissu, imprimat, aut diuendat, à die publicationis horum exemplarium; qui secus fecerit mulctâ indictâ, prout ampliùs in diplomate regio continetur, mulctabitur. Datum Parisiis, 14. Augusti 1647.



DISQVISITIONIS TOTIVS SYNOPSIS.

PRÆFATIO.

LIBER PRIMVS

DE CAVSIS SVSPICIENDÆ, ET suspectæ multitudinis earumdem in indiuiduo Reliquiarum.

Cap. I. *Infinita Dei potentia, & in Fideles benignitas.* Causa prima. pag. 6

Art. I. *Earumdem Reliquiarum à diuinâ vi secundum entitatem, & virtutem multiplicatio, & replicatio.* 7

Sect. I. *An in terris sit Christi præputium?* 13

Sect. II. *Qua ratione Christi præputium tot in locis esse possit?* 17

Art. II. *Earundem Reliquiarum à diuinâ vi secundum virtutem ipsarum ectypis affusam multiplicatio.* 20

Sect. I. *Sepulchralia Christi lintea, tum in se, tum in suis ectypis pluribus in locis seruata.* 21

Sect. II. *Sudaria Christi appressa vultui, & eiusdem imagines non manufactæ in se, & in suis ectypis variis in locis seruata.* 25

Sect. III. *Claui Dominici in suis prototypis, & ectypis diuersis in locis seruati.* 31

Sect. IV. *Tunica inconsutilis Christi, velum, quo Christus in Cruce pendens fuit velatus, diuersis in locis in se, suísque ectypis seruata.* 35

Sect. V. *Spinea Christi corona, eiúsque spinæ, in se, suísque ectypis, variis in locis asseruata.* 41

Sect. VI. *Cœnatica Christi mappa, aliæque per saturam eiusdem Reliquiæ in se, suísque ectypis, diuersis in locis custoditæ.* 49

Sect. VII. *B. Virginis imagines tam non manufactæ, quàm à D. Luca pictæ, in se, suísque ectypis, pluribus in locis custoditæ.* 57

Cap. II. *Diuidua sanctarum Reliquiarum natura.* Causa secunda. 63

Art. I. *Adorandæ Christi reliquiæ à sui diuisibilitate variis in locis asseruatæ.* 64

Sect. I. *Sanguis Christi an in terrâ? & quomodo tot in locis?* ibid.

Sect. II. *Vena vmbilicalis, lacrymæ, capilli, &c. variis in locis seruata.* 70

Sect. III. *SS. Crux, columna, titulus Crucis lancea, spongia, &c. diuersis in templis asseruata.* 75

Art. II. *Sacræ Dei Genitricis Reliquiæ à sui diuisibilitate variis in locis custoditæ.* 84

Sect. Vnica. *Lac, & capilli Beatæ*

Virginis in variis locis. 87
Art.III. *Sacra Diuorum lipſana variis in locis à ſui diuiſibilitate aſſeruata.* 91
Cap.III. *Summa Catholicorum erga ſanctas Reliquias fides, ac ſtudium.* Cauſa tertia. 96
Art.I. *Piæ pro adipiſcendis, & adeptis SS. Reliquiis Chriſtianorum contentiones.* 97
Art.II. *Frequentes ſanctorum memoriæ à Chriſtianis excitatæ.* 102
Sect.I. *Prima memoriarum ſpecies, templa.* 103
Sect.II. *Secunda memoriarum ſpecies, altaria.* 107
Sect.III. *Tertia memoriarum ſpecies, tumuli.* 109
Sect.IV. *Quarta memoriarum ſpecies, confeſſiones.* 116
Art.III. *Sanctuariorum multitudo.* 121
Sect.I. *Sanctuaria è viuis Diuorum corporibus excerpta.* 122
Sect.II. *Sanctuaria è mortuis Diuorum exuuiis accurata per Brandea.* 125
Sect.III. *Sanctuaria varij generis comparata.* 133
§. I. *E Chriſti, B. Virginis, & Apoſtolorum exuuiis, reliquiiſve.* 133
§. II. *E Diuorum lipſanis.* 137
Cap.IV. *Innocens, & pius Chriſtianorum vulgi error.* Cauſa quarta. 141
Art.I. *Pij erroris origo, Homonymia.* 142
Art.II. *Pij erroris origo, ſynecdoche.* 152
Art.III. *Pij erroris origo, Reliquiarum ſimilitudo.* 157
Sect.I. *Sanguis & lacrymæ Chriſti, rurſus quomodo tantâ copiâ? & tot in locis?* 158
Sect.II. *De Chriſti Cruce, clauis, ſudariis, veſtibus, ſpinis, lanceâ, ſpongiâ, & reliquis huiuſmodi lipſanis iterum.* 166
Sect.III. *De Beatæ Virginis Deiparæ lacte iteratò.* 173
Sect.IV. *De capillis Chriſti, & B. Virginis Deiparæ rurſus.* 176
Cap.V. *Nomina cœlituum ignotorum exuuiis interdum imponi ſolita.* Cauſa quinta. 183
Art.I. *An? à quibus? & quomodo certa nomina ignotis, & incertis Diuorum reliquiis imponi poſſint?* 186
Art.II. *A nominibus impoſitis ignotorum cœlituum exuuiis earundem multitudo.* 191
Cap.VI. *Deperdita veterum tabularum, & titulorum monumenta, & ſuppoſitio.* Cauſa ſexta. 195
Art.I. *Earundem reliquiarum, à tabulis deperditis, multitudo.* 196
Art.II. *Earundem reliquiarum, à titulorum exitio, & interitu, multitudo.* 201
Art.III. *Earundem reliquiarum, à falſarum tabularum, & titulorum ſuppoſitione, multitudo.* 206
Cap.VII. *Frequens Reliquiarum tranſlatio.* Cauſa ſeptima. 210
Cap.VIII. *Sacrarum Reliquiarum furta.* Cauſa octaua. 220
Art.I. *Pia SS. Reliquiarum furta.* 221
Art.II. *Impia ſanctarum Reliquiarum furta.* 226
Art.III. *An ſanctorum Reliquiæ, iuſto bello ablatæ, prioribus Dominis reſtitui debeant.* 231
Art.IV. *An ſanctorum Româ delatæ Reliquiæ, furto ſublatæ, certæ, incertæve habendæ ſint.* 239
Cap.IX. *Clericorum culpa.* Cauſa nona. 245
Art.I. *Clericorum incuria.* ibid.
Art.II. *Sacrilega quorundam clericorum auaritia.* 250
Cap.X. *Impia ſycophantarũ improbitas.*

bitas. Causa decima. 255
Art. I. *Adulterinæ SS. Reliquiæ pro veris venditatæ.* ibid.
Art. II. *SS. Reliquiæ seu veræ, seu falsæ diuenditæ.* 261
Cap. XI. *Infidelium malignitas.* Causa vndecima. 270
Art. I. *Gentilium, & Hæreticorum malitia.* ibid.
Art. II. *Hæreticorum calumniæ.* 273
Cap. XII. *De identitate, partitione, ac piâ sacrarum reliquiarum diribitione.* Causa duodecima. 278
Art. I. *Vtrum sacrorum lipsanorum identitas probari debeat.* ibid.
Sect. I. *An veterum sacrarum reliquiarum identitas probari debeat.* 279
Sect. II. *An, & quomodo sacrarum veterum reliquiarum identitas probari possit.* 282
Art. II. *Recténe sanctorum reliquiæ plures in partes à Catholicis diuidantur.* 285
Art. III. *Quem ob finem voluerit Deus Sanctorum exuuias in varias orbis Christiani plagas distrahi, seruari, coli?* 294
Sect. I. *Dei opt. max. & Sanctorum gloria.* 295
§. I. *A sacrarum reliquiarum per orbem Christianum distributione quam eximia Dei gloria?* 297
§. II. *A sacrarum reliquiarum per Orbem Christianum distributione, quàm insignis Sanctorum honos?* 303
Sect. II. *Mortalium vtilitas.* 309
§. I. *Ex sacrorum corporum diuisione ac per Orbem distributione in humana corpora vtilitates.* 310
§. II. *A venerabilium reliquiarum diuisione, & per Orbem Christianum diribitione in animos commoda.* 317
§. III. *A sacris reliquiis per Orbem distributis, in moribundos, & mortuos emolumenta.* 324
§. IV. *Sanctæ reliquiæ per Orbem dispersæ, Ecclesiarum, & Christianorum exercituum robur.* 333
Sect. III. *Sanctorum lipsana per Orbem distributa, vrbium, Regnorum, & terrarum tutela.* 342
Sect. IV. *Diuorum reliquiæ per varias Ecclesias diuisæ, Dæmonum crux, & confusio.* 351

LIBER SECVNDVS.

DE VERIS RELIQVIIS IN TANTA earundem multitudine secernendis, & adorandis.

PARS PRIOR.

QVî veræ Reliquiæ in earundem multitudine dignosci possint? pag. 364
Caput I. *Humana præsidia.* 365
Art. I. *Sanctarum Reliquiarum affectiones.* 366
Art. II. *Tabularum, & titulorum auctoritas.* 373
Art. III. *Proborum virorum testificationes, & Ecclesiarum antiqua traditio.* 377
Art. IV. *Preces, ieiunia, & reliquæ corporis afflictationes.* 382
Art. V. *Regum, & Pontificum rescripta, & visitationum Episcopalium commentarij.* 385
Art. VI. *Picturæ veteres, & sacra signa templorum parietibus appicta, affixa,*

affixa, suspensa, simul & tituli sepulchrales. 390
Art. VII. *Facti ad Sanctorum Reliquias concursus sacri, & prophani.* 400
Caput II. *Diuina præsidia.* 412
Art. I. *Mirabiles SS. reliquiis affusæ dotes.* 413
Art. II. *Oracula cœlitus missa.* 422
Art. III. *Singularia naturæ Deo famulantis obsequia.* 428
Art. IV. *Mirificæ rerum salutarium scaturigines.* 433
Art. V. *Edita omnis generis miracula.* 441
Art. VI. *Pius à SS. reliquiis animo iniectus horror, atque religionis, & pietatis sensus.* 449
Art. VII. *Varia pro verarum, falsarúmve reliquiarum discretione, diuina per saturam adiumenta.* 454
Caput III. *Præsidia ex humanis, & diuinis mixta.* 460
Art. I. *Sacrarum reliquiarum in mediis ignibus integritas illibata.* ibid.
Art. II. *Sacrarum reliquiarum salutifera intinctio.* 468
Art. III. *Iusiurandum ad Sanctorum lipsana vsurpatum.* 475
Art. IV. *Donaria ad Sanctorum exuuias appensa, oblatáve.* 480
Art. V. *Libelli super beneficiis ad Sanctorum lipsana acceptis dati, lecti, recitati.* 488
Art. VI. *Peregrinationes ad sacras Diuorum reliquias susceptæ.* 492
Art. VII. *Processiones ad Sanctorum reliquias institutæ.* 498
Art. VIII. *Collectæ ad Sanctorum reliquias factæ.* 503
Caput IV. *Quomodo ab Ectypis prototypa secerni valeant?* 510
Caput V. *Episcoporum est sanctas liquias recognoscere, & quo pacto?* 512

PARS POSTERIOR.

An tot eiusdem generis Reliquiæ sint adorandæ? 516
Caput I. *An in tantâ earundem numero Reliquiarum multitudine singulis adhibendus sit cultus?* 517
Caput II. *Qualis in tantâ earundem reliquiarum copiâ, singulis adhibendus sit cultus?* 521
Art. vnicus. *Ratio, vsúsque Sanctorum reliquias tam incertas, quàm certas adorandi.* 525
Notæ *In Epistolam Dedicatoriam.* 532
Index *Disquisitionis.* 559
Index *Notarum in Epistolam Dedicatoriam.*



DISQVISITIO RELIQVIARIA.

SIVE

DE SVSPICIENDA, ET SVSPECTA EARVMDEM

numero Reliquiarum, quæ in diuersis Ecclesiis seruantur, multitudine.

PRÆFATIO.



PRIMO disputationis, ac dictionis nostræ aditu de me curiosiùs anquirat forsitan nescio quis, Eccui scribam veterem hanc, an nouam disquisitionem? Laconicè dicam, Omnibus. Enimverò, vt iidem, ac D. Paulum, me obæratum credo, sic totidem verbis ingenuè cum illo profiteor. *Sapientibus, & insipientibus debitor sum*. At bona cum SS. Patrum, & doctissimorum Interpretum venia, *Sapientes* in præsentia intelligo eos omnes, qui sacris orthodoxæ veritatis, atque Catholicæ literaturæ sapienter initiati mysteriis, vnam Ecclesiam conflant Apostolicam, & Romanam: *Insipientes* autem interpretor illos, qui profanis hæreticæ prauitatis, & ignorantiæ præstigiis insipienter excantati, Ecclesias faciunt, *sed suas* (vt cum Tertulliano loquar) *tam posteras, quàm adulteras, quarum si censum requiras, faciliùs Apostaticum inuenias, quàm Apostolicum: faciunt enim fauos, & vespæ.*

D. Paul. ad Rom. 1. 14.

Tertull. lib. 4. contr. Marcion. c. 5.

His omnibus ſcribo, his omnibus laboro. Illis quidem, vt ſacroſanctas Diuorum Reliquias modo, moréque Catholico hoc magis, ac magis deuenerari pergant, quò manifeſtiùs earum multitudinem Catholicè ſuſpiciendam perſpexerint; perſpicient verò, atque ſuſpicient, ſi tandem illarum vim, Pontificum approbatam reſcriptis, Eccleſiæ ſanctionibus confirmatam, cæleſtium monitis, diuiníſque prodigiis cognouerint vindicatam. Iſtis autem, vt earumdem venerabilium Reliquiarum copiam inſcienter ſibi ſuſpectam habere, aliquando dediſcant. Dediſcent verò, ſi velint diſcere, vnde, & quomodo illam potiùs ſuſpicere debeant, quàm de ipſa præter Eccleſiæ fidem, ac ſenſa ſiniſtri aliquid ignoranter ſuſpicari. Patientem duntaxat aurem animúmque mihi, vt accommodent, opto rogóque, tùm ſpero fore, vt eam Catholicè agnitam deinceps credant, creditam ament, amatam religiosâ, vt addecet, demiratione, cultúque proſequantur. Atque hic inſtituti & laboris mei eſt ſcopus.

De reliquo hanc noſtram Diſquiſitionem appella, vt voles. *Veterem* nominabis? non reſponſo; quia iampridem in circulis, tùm à Catholicis, tùm ab hæreticis magna cum animorum, & laterum contentione iactata fuit. *Nouam* vocitabis? admitto: quòd à nemine (quod ſciam) hactenus ex profeſſo tractatam, vix ſtrictim ad ſummum ab aliquibus delibatam, à quamplurimis exoptatam diſquiſitionem, nouo conatu, nouâ operâ, nouus homo agitandam ſuſceperim, procuderim, & iam nunc mittam in lucem. Verùm, ô me improuidum, minúſve cautum hominem! qui nouellum hunc ingenioli noſtri fœtum: vix primùm excuſſo è germine ſalientem exploratoribus eruditorum hominum oculis auſim obiicere, nihil admodum veritus, ne ſi fortè illorum iudicium, & publicam lucem minùs ſuſtinere poſſit, non inglorius modò iaceat, ſed etiam cenſoriâ ipſorum irâ, & virgulâ feriatur: quod de Aquilarum prole dixit nonnemo.

S. Ambroſ. lib. 5. hexaëmer. cap. 18. Claudian. præf. de 3. Hon. conſul.

Poteſt tamen (quod Plinius Secundus non verè minùs, quàm lepidè dixit) *vt in his difficultatibus libro iſti nouitas lenocinetur*, næuóſque Diſquiſitionis noſtræ flos quidam, & gratia nouitatis legentium oculis ſenſim ſine ſenſu ſubducat, vel etiam commendet. *Ita enim compoſiti ſumus*, autore Seneca,

Plin. lib. 2. ep. 39. Senec. lib. 7. quæſt. natur. cap. 1.

ca, *vt nos quotidiana, etiamsi admiratione digna sunt, transeant: contrà, minimarum quoque rerum, si insolitæ prodierunt, spectaculum dulce fiat. Hic itaque cœtus astrorum, quibus immensi corporis pulchritudo distinguitur, populum non conuocat. At cùm aliquid ex more mutatum est, omnium vultus in cælo est. Sol spectatorem, nisi cùm deficit, non habet. Nemo obseruat Lunam, nisi laborantem.* Mirum! in Luna labor, in Sole defectio, in vtroque maculæ perinde oculis, & animis existunt gratissimæ, quibus sunt nouæ. Quin & lucubrationi nostræ sperem à sui nouitate aliquid affusum iri gratiæ, ac venustatis, quam alioquin decerperent, & obtererent næui? attamen, vtvt sit, illam ego censoriæ doctissimorum quorumque virorum animaduersioni cogor subiicere, meæ prodigus magis, quàm tenax famæ.

Quid facias? seruiendum est multorum votis, concedendum est aliquid amicorum hortatibus, dandum aliquid publicæ vtilitati. Quanquam, vt verum fatear, proprias venerabilium Reliquiarum affectiones, nescio quo pacto sensim intereà contraxisse videri poterat hæc nostra Reliquiaria Disquisitio; dum de sacris Diuorum lipsanis scriberetur à me, non tam, vt *rarior*, quàm vt *augustior*, pro Reliquiarum more, ac modo euaderet. Etenim obscuris musæoli nostri fauissis recondi, subduci obtutibus vulgi, paucorum manibus amicè religiosis amabat attrectari. Verùm in tui gratiam, Lector beneuole, hanc ego Disquisitionem æternis penè damnatam tenebris in lucem emitto, mei vnius propriam, publici facio iuris; & meis è manibus non sine aliqua nonnullorum prece dicam extortam, an exoratam? do tandem in tuas, hoc est, in doctorum hominum manus.

At videsis amabo te, ne minùs amicè, atque, (si dictum feres) religiosè illam habere ne graueris, quàm venerandas, de quibus agit, Reliquias. Amicè illam excipe, vt rem tuam; religiosis oculis lege, vt piam; lotis continge manibus, vt sacrosanctam; exosculare, vt animis salutarem. Denique (LECTOR BENEVOLE) hoc velim vnum, vt scias, *Odi profanum vulgus, & arceo*, atque adeò tanquam Christianarum *Musarum sacerdos*, edico ex veteri formula. *Faueto linguis*, si te, si me, si Deum amas. *Fateor enim me* (vt cum D. loquar Augustino) *ex eorum numero esse conari, qui proficiendo scribunt, &* *Horat. lib. Carm. Od. 1.* *S. August. ep. 17. ad Marcell.*

 scribendo

ſcribendo proficiunt. Vnde ſi aliquid, vel incautiùs, vel indoctiùs à me poſitum eſt, quod non ſolùm ab aliis, qui videre id poſſunt, meritò reprehendatur. Verumetiam à meipſo; quia & ego ſaltem poſteà videre debeo, ſi proficio: nec mirandum eſt, nec dolendum, ſed potiùs ignoſcendum, atque gratulandum; non quia erratum eſt, ſed quia improbatum.

In ſummâ. Diſquiſitionem hanc noſtram facio bipartitam, Priori parte, ſeu libro, cauſas inueſtigo è quibus ſuſpicienda, ne dicam ſuſpecta, earumdem numero Reliquiarum multitudo proficiſcatur. Poſteriore de ipſarum diſcretione, cultúque diſputo. Hæc, vt pro mea tenuitate confecero, erunt affecta omnia, vtinam & perfecta; vtinam vniuerſis vtilia; Vtinam grata cœlitibus; vtinam Deo, cui ſeruire mens eſt, rata ſint & accepta.



LIBER



LIBER PRIMVS

DE CAVSIS SVSPICIENDÆ ET SVSPECTÆ MVLTITVDINIS earumdem numero Reliquiarum.



QVi bene magnam eiusdẽ generis sacrarum Reliquiarum copiã, atque, vt expressiùs cum Philosophis, Theologisque loquar, multiplicitatem in Ecclesia Dei existere, obfirmatè perneget, næ is impudenter, ac validè mentiatur, quàm qui in cælo errare sydera, meteora procudi in aëre, oceano innare pisces, metalla, plantas, animantes in terra procreari, hanc denique rerum vniuersitatem, quanta quanta est, elementis constare inficias eat.

Antè verò, quàm vlteriùs prouehor, velim ne sis nescius, istiusmodi diuersorum locorum, super eisdem numero Reliquiis, religiosas contentiones inter Gentiles longè antè subortas fuisse, quàm Christiana in hanc lucem prodiret Religio, siquidem Dioni Cassio, & Dionysio Halicarnasseo fides est. Prioris hæc verba sunt. *Duæ vrbes sunt Cappadociæ, eiusdem nominis, non procul à se distantes & eadem habentes. Nam cùm vtrinque omnia similia fabulantur, & ostentãt, tum vtraque vrbs gladium, quem ipsissimum esse Iphigeniæ credunt, se habere gloriatur.* Posterior verò testis est, Græcos credidisse capta Troia secum furto *Palladium fatale* abstulisse, cùm tamen solum exemplar ad indiscretam veri similitudinem subduxissent, verum autem ab Aenea cum Penatibus Diis in Italiam transuectum Romanos possedisse, & à Virginibus Vestalibus cum igne æterno, maximo studio, ac religione illum conseruatum fuisse memorat: Quibus Æneam Gazæum, Platonicum è Christianis Philosophum, placet adiungere comitem. Is de animorum immortalitate, & corporum resurrectione disputans cum Axitheo, *Audis*, inquit, *Oedipum*, vt *Colonis iacens, in Syro sepultus esse Atheniensibus sit visus*, tantò potiori iure, quantò sanctiori religione Christianos inter pro iisdem Diuorum exuuiis certatum est olim, & adhuc sub iudice lis est.

Dio Cassius lib. 35. histor. Dionys. Halicarnass. lib. 1. & 2. Antiq. Rom.

Æneam Gaz. dialog. Theophrastus.

Verùm non vno modo dumtaxat eædem Reliquiæ dici, ac esse possunt: enimuerò vel secundùm externam speciem, & configurationem, vel secundùm mirandam edendorum miraculorum virtutem, vel secundùm numericam, vt vocant, entitatem, vel denique secundùm illorum omnium complexionem, *eadem sacræ Reliquiæ* dici, concipi, & esse possunt. Hoc ad clariorem rei, qua de agitur, intelligentiam, & perfectam notionem, velim antè obserues, quàm ad disquirendam huiusce suspiciendæ citiùs, quàm suspectæ, atque (vt Ecclesiæ Catholicæ hostes credere, ac loqui amant) *vt Fictitiæ, Ridiculæ, Impiæ*, penitúsque *Impossibilis* multitudinis originem, velut ad *ignotos Nili fontes* inuestigandos, accedamus.

Claudian. paneg. de 3. Honor. consul.

Longiuscula præ posteriori erit huiusce disquisitionis prior tractatio: at ne monstrum puta, si longiùs excurrat, quin potiùs tecum ipse, si placet reputa, monstrum non esse crus aut brachium, manu aut capite productius, imò vt rerum fert natura, longius esse, vel breuius, illis perfectio est, non defectio. His positis, ad designatæ disquisitionis expletionem fauentibus superis tandem aggrediamur.

CAPVT PRIMVM.

Infinita Dei potentia, & in Fideles benignitas.

CAVSA PRIMA.

AD Deum Optimum Maximum, non tanquam ad ignorantiæ asylum, vt quidam malè feriati, ac sibimet nimis scioli, non satis fortè prudenter, ac piè loqui solent: sed velut ad rerum mirabilium effectorem confugio. Cur enim id mihi non erit integrum, qui clarè peruideam principem causam tantæ, támque suspiciendæ earumdem numero Reliquiarum affluentiæ (non omniũ quidem, at certè aliquot) nullam aliam concipi, adducíue posse, quàm omnium potentis pollentísque Numinis interminatam virtutem, & in Fideles suos eximiam benignitatem. Duplici autem ratione (quantum cogitatione consequi valeo) infinitam suam potentiam hac in re, quàm maximè exerit, ac prodit Deus.

Prior est, quâ eiusdem generis Reliquias tam secundùm entitatem, quàm secundùm virtutem Diuinitùs affusam ita multiplicat, &, vt in scholis loqui vsuvenit, admirabiliter replicat, & quæ vnæ sunt, vnæ quodammodo non sint, vel potiùs, vt sua natiua vnitate singulares sint, & sui vnitate singulari miro modo multiplices. Posterior ratio est, quâ easdem venerabiles Reliquias non quidem secundùm entitatem, sed dumtaxat secundùm virtutem diuinitùs infusam multiplicet, aut, si mauis, multiplicare videatur. Singulas seorsim expendamus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Earumdem Reliquiarum à diuina vi secundùm entitatem, & virtutem multiplicatio & replicatio.

NOlo hîc actum agere, hoc est, nequicquam probare pluribus, quàm consentanea sit diuinæ potestati huiuscemodi sacrorum lipsanorum mirabilitas, & quàm certa, & sequax ad eam existat natura, cùm Deus vult, ac iubet: quandoquidem tot Catholicorum, siue Philosophorum, siue Theologorum centuriæ iam pridem in hoc argumento magna cum pietatis, ac doctrinæ commendatione versatæ sint. Vnum mihi sat erit in præsentia dicere, supremum Numen suam dubio procul explicuisse potentiam in iis nominatim Reliquiis multiplicandis, seu replicandis, quæ reuera non nisi vnæ secundùm entitatem, & natura sua singulares existere poterant, vt sunt v. g. præputium, sanguis, aliáque id genus, quæ cùm ad corporis Christi perfectionem faciant, vel quæ cum ipso, vel ab ipso traxerint originem, nec multiplices esse, nec diu illibatæ seu integræ seruari poterant, nisi diuina vis mirabilem in modum accessisset. Idem in aliis permultis singularibus Christi, Diuorúmque Reliquiis videre est. Atque vt ab indubitatis, & veterum Patrum, communíque Theologorum, & orbis Christiani consensu confirmatis ducamus initium.

Princeps omnium in mentem, ac stylum venit gloriosissimum Christi Seruatoris trophæum (viuificam Crucem loquor) cuius particulis totum penè orbem Christianum locupletatum esse certo certius est; quidquid contrà nostri æui hæretici nequicquam obganniant, eámque veritatem ipsorum in Galliis Antesignanus Caluinus, *tam stultum, & inconueniens mendacium esse* sacrilega citiùs, quàm præfidenti, proiectáque audacia iactitet *vt ab ipsis Gentilibus & superstitiosis notari possit.* Nimirum similes amant labra lactucas. Demus vesano capiti, & homini ventosissimo, *cùm crucem integram vnus homo gestare potuerit, nunc eius ferendis particulis, si omnes colligerentur in vnum, ne trecentos quidem homines sufficere, imò ne integram nauim:* vel vt alij nugantur, ne decem quidem *naues Batauicas.* Sic Batauicè philosophantur. His tamen se parciorem præstitit Erasmi famosissimi personatus Ogygius, cùm crucem Dominicam *priuatim, ac publicè tot locis ostendi dictitat, vt si fragmenta conferantur in vnum, nauis oneraria iustum onus videri possint, & vnam tamen totam crucem suam baiulauit Dominus.* Demus & Apostatæ Luthero *integram domum construi posse ex particulis sanctæ crucis, quæ hinc, & inde ostenduntur, si in vnum colligerentur.* Quid tum? an Deo vnum

Caluin Admonit. reliquiar.

Beza serm. 27. de Pass. Deum. Auct. Apiarij part. 4. c. 3. Erasm. colloq. peregrin. ergo. Luther. Conc. de exalt. S. Crucis.

vnum, idémque viuificæ Crucis lignum non sit? omninò, si reformatam deformiter istorum Apostatarum fidem, ac verba excantati audiamus.

Verùm mendacij, meræque calumniæ impudentissimos hæresiarchas euincunt quamplurima sanè argumenta. Euincit SS. Patrum omni exceptione maior authoritas, è quibus S. Cyrillus Ierosolymorum Episcopus sic fatur. *Hic crucifixus est pro peccatis nostris verè, & si negare volueris, locus hic apparens te arguit. Beatus hic mons Golgotha, in quo nunc propter eum, qui crucifixus est, applaudimur, & ligno Crucis vniuersus terrarum orbis per partes repletus est*, quod aliis deinceps catechesibus iterum, tertióque sanctè confirmat. Distinctiùs multò, ac pluribus idem Paulinus noster Seuerum monet his verbis. *Crux in materia insensata vim viuam tenens, ita ex illo tempore innumeris pene quotidie hominum votis lignum suum commodat, vt detrimenta non sentiat, & quasi intacta permaneat, quotidie diuidua sumentibus, & semper tota venerantibus.*

S. Cyrill. Ierosol. catech. 4.

Idem catech. 10. & 13.

S. Paulin. ep. 11.

Quare S. Chrysostomum olim non immeritò sciscitatum legimus. *Ipsum lignum, in quo positum sanctum Domini corpus, ac crucifixum est, quarénam habere totus orbis ita contendit, vt qui paruum quiddam ex illo habeat, hoc auro includant tam viri, quàm mulieres & ceruicibus suis aptent? hinc valde honorati, magnifici, muniti, ac protecti, licèt condemnationis fuerit lignum.* Religiosam istiusmodi tantilla salutaris Crucis segmina adipiscendi cupiditatem, totiúsque orbis contentionem meridiano sole clariùs probant S. Auiti Viennæ (vbi hæc scribo) præsulis longè sanctissimi, atque doctissimi Eucharisticæ ad Papam, id est, Episcopum Ierosolymitanum Epistolæ verba. *Obligatus dignationi vestræ debito largitatis, per ipsum dependo gratiarum vota, per quem ad me munera peruenerunt non quantitatis pretiis, sed salutis præmiis æstimanda. Ditastis námque sanctificationis opibus pauperiem orbis extremi, & obscuritatem solis occidui participato nobiscum fulgidi ortus lumine contigistis. Tersit à prouinciis nostris torpentis religionis rubiginem claritas doni: quæ boni semper currentis irriguo fidem nostram contemplatione munerata est, cùm patefactis à pietate vestra penetralibus cælestium thesaurorum, quidquid credere Catholici iubemur, inspeximus. Orate, quod superest, vt dignis talia miseritis: commendate nos mysteriis, quæ nobis committere duxistis. Ædificetur his deuotio nostra, regio defendatur: vt indulto nobis pignore salutari, quos terrestris Ierosolymæ consortio non censuistis indignos, supernæ, ac cælestis habitaculo reddatis idoneos.* Sic ille. Quibus ex verbis colligere est non modò præfatam fidelium tanti in tantilla Crucis particula thesauri possidendi ambitionem (quam decima octaua præ se fert epistola) & ab illo feliciter adepto religiosam animi voluptatem; verum etiam eiusdem Dominici, viuificíque ligni in continua & reparabili sui diuisione integritatem, quam boni semper currentis irriguum, perquàm lepidè, ac eleganter vocat. Adonis prædecessori suo concinentis par consensio est. Eodem sensu pietatis S. Paulinus nostras, salutiferæ Crucis particulam sibi primùm à Melania

S. Chrysost. homil. quòd Christus sit Deus.

S. Auit. Vien episc. ep. 23.

Idem ep. 18. Gretf. lib. 1. de Cru. c. 79.

S. Paulin. loc. cit.

ab Ierusalem munere sancti inde Episcopi Ioannis allatam ; deinde sorori suæ Bassulæ à Therasia coniuge transmissam ad Seuerū cum litteris mittens inquit. *Accipite magnum in modico munus, & in segmento penè atomo hastulæ breuis, sumite munimentum præsentis, & pignus æternæ salutis: non angustetur fides vestra carnalibus oculis parua cernentibus, sed interna acie totam in hoc minimo vim Crucis videat.* Ex Rigordo narrat Spondanus Balduinum Imperatorem Constantinopolitanum probè scientem quanta Religione Christianissimi Francorum Reges, atque imprimis Philippus Augustus, qui tùm temporis rerum potiebatur, vniuersíque eorum populi, sacras Christi Seruatoris, Sanctorúmque Reliquias prosequerentur, munus longè pretiosissimum iuxtà, ac gratissimum, Augusto misisse *frustum ligni sanctæ Crucis; longitudinis vnius pedis; de capillis Christi pueri; de linteo, quo fuit inuolutus in præsepio: de indumento purpureo: spinam vnam coronæ, & reliqua.* Eodem penè tempore Martinus Abbas Cistercienſis ad Monasterium suum; Angelus Balduini Imperatoris sacrario Præfectus in Angliam; Venetias Henricus Venetorum Dux; alij in alias occidui solis prouincias insignes Dominicæ Crucis portiones detulisse, vel transmisisse memorantur. Ansellus in Ecclesia Parisiensi quondam nutritus, & eruditus, tùm S. Sepulchri Ierosolymis cantor, & presbyter, litteris ad Gualonem Episcopum Parisiensem simul, & Cardinalem datis, Crucem de ligno S. Crucis compositam se transmittere in hæc verba testatur. *de donis, quæ dedit mihi Deus*, &c. Importunum foret ire per singula: nefas tamen mihi est silentio premere eximiam, regiámque S. Ludouici erga triumphale Crucis trophæum religionem, quòd cùm à Ioannis Ierosolymorum Regis liberis, pretio viginti quinque millium librarum primùm oppigneratum: deinde à Balduino haud paulò maiori pretio Rex Christianissimus iuxtà, ac sapientissimus redemisset, anno demùm 1241. Ipsa feria sexta maioris hebdomadæ, indicta solemni processione, triduanique ieiunij inedia exoluta, Princeps longè humillimus caput, & pedes nudus, linea veste albatus, discinctúsque quò humilitatis, & tolerantiæ magistro existeret similior simul, & Heracliani facinoris perquàm opportunè memor, sacrum & salutiferum illud nostræ redemptionis pignus suis ipsemet humeris in paratum ad id sacellum, vnà cum aliis Christi Seruatoris exuuiis intulit triumphabundus. Quo inæstimabili thesauro, vti summè nobilitata, ornata, & collocupletata fuit Gallia, ita ab eius iacturâ nimiùm quantùm decorata, denudata, & (vt Varronianâ voce vtar) depauperata Palæstina defloruit, concidítque. Ad summam, Infinitum esset non recentiorum auctorum modò laudare testificationes, sed etiam referre enucleatiùs, quot vrbes, quot Ecclesiæ, quot templa, quot cœnobia, quot priuatæ personæ venerandis S. Crucis particulis glorientur.

Spondan. tom. 1. contin. Annal. Eccl. ad ann. 1205. n. 1.

Frizon. lib. 2. Gall. Purpur. pag. 120. Du Breuil theatr. Antiquit. Parisiens. lib. 1 pag. 30.

Nangis in Vit. S. Ludou. & alij Franc. hist. scriptores.

Adon. Martyrol. 3. Maij. Sigebert. chron. ad ann. 872. Grets. lib. 1. de S. Cru. c. 78. & alibi.

Euincit à D. Paulino in rebus diuinis oculatissimo prolata ratio, quam ipsiusmet verbis edere, non mediocris erit ad fidem faciendam momenti. *Istam*, inquit, *Imputribilem virtutem, & indelebilem soliditatem de*

S. Paulin. loc. cit.

illius profectò carnis sanguine bibit, quæ passa mortem non sensit corruptionem.

Euincit Dei omnia potentis virtus, vt etiam Erasmianus ille Ogygius vidit, *Cui nouum dici posse* videtur id miraculi, mirum nequaquam, *cùm Dominus, qui hæc auget, sit omnipotens*, ineluctabilem illam rationem eleuare nec potest, nec audet hæreticus Menedemus, ne forsan Atheus audiat; attamen vereri se dictitat, *ne multa talia fingantur ad quæstum.* Hoc nimirum est hominis acumen? hæc in SS. Cyrillum, Chrysostomum, & Paulinum vesani capitis reuerentia.

Erasm. loco suprà cit.

Euincit farina ex hydria, oleum è lecytho apud viduam Sarephtanam, sicut pisces, panis, vinum à Christo in Iudæa. Euincit statua vxoris Loth, quæ per sua dispendia seipsam diuinitus reparat, & reformat, vt è vatibus Christianis, Prudentius & Tertullianus egregiè cecinerunt. Ille quidem in hunc modum

Genes. c. 19. v. 26.
Prudent. Hamartig.

Liquitur illa quidem salsis sudoribus vda,
Sed nulla ex fluido plenæ dispendia formæ
Sentit deliquio, quantúmque armenta saporem
Attenuant saxum, tantum labentibus humor
Sufficit, attritámque cutem per damna reformat.
Hoc meruit titulo peccatrix fœmina sisti.

Hic verò, vt quidem reor, pro suo ingenio neruosiùs idem restauratæ per sui damna statuæ miraculum ita expressit.

Tertull. de Sodoma.

Malè tùm quoque legis
Fœmina non patiens, diuina ad murmura cæli,
Audaces oculos nequicquam sola retorsit
Non habitura loqui, quod viderit, & simul illic
In fragilem mutata salem, stetit ipsa sepulchrum,
Ipsaque imago sibi, formam sine corpore seruans
Durat adhuc, etenim nuda statione sub æthram
Nec pluuiis dilapsa situ, nec diruta ventis.
Quin etiam si quis mutilauerit aduena formam
Protinus ex sese suggestu vulnera complet.
Dicitur & viuens alio iam corpore sexus
Munificos solito dispungere sanguine menses.

At vide, quot sæcula hæc statua salis cælestibus perpluta nimbis copiosis niuium velleribus circumfusa, resoluta in menstruum sanguinem, & frequentissimis, ne dicam, penè continuis lambentium armentorum vulneribus, atque iacturis extenuata & attrita vsque ad Tertulliani, & Prudentij ætatem sibi semper similis, quia seipsa miraculo reparabilis, steterit, ac perdurarit. Euincunt & sexcenta id genus alia diuersis in locis, diuersísque temporibus, toto passim orbe à sanctissimis quibusque viris, mirabili augmento identidem multiplicata, & replicata, vt annales sacri loquuntur. Vnum tacere nec debeo, nec possum eo maximè nomine, quòd illud etiamnum extare lego apud Ludouicum de Angelis ex Augustiniana Eremitarum familia scriptore, cuius hæc verba

Ludou. ab Angelo lib. 6. de vit. S. August. c. 4.

verba ſunt. *Extat*, inquit, *virga lignea propter contactum corporis Sancti Auguſtini (etſi alij alias reddunt cauſas.) incorruptibilis, & in paruas ſecta particulas, ab antiquo tempore nunquam diminuta, & pro magno pignore apud Eremitas, vbi ſepultura B. Auguſtini, aſſeruata.* Sic ille de viuaci illa virgula, quam in Sardinia apud Calaritanos maximo eſſe in pretio, ac veneratione memorat, confirmátque verſibus Tertulliani, quos proximè retulimus, inconſumptibilem illius virgæ ligneæ integritatem,& reparabilem (vt ita loquar)diminutionem, & conſumptionem.Huic aliquo modo affinem reputo pyrum illam arborem exſtitiſſe, ſub qua ſedebat olim Ioanna percelebris apud Aurelianenſes virago, & Heroina toti orbi perinde, ac Galliæ noſtræ ſpectatiſſima, cùm, vt Regem Carolum VII. Francorum Regem Chriſtianiſſimum adiret, primò cæleſti voce monita eſt. *Mirum eſt, quòd illius loci accolæ affirmant eam arborem, neque cariem, neque vetuſtatem ſentire, neque fulmine tangi, neque pluuia, grandine, aut niue intingi.* Hæc Ioannes Ludouicus Micquellus in ſua Aurelianenſis vrbis obſidione. Quin igitur idem in reparabili viuificæ Crucis ligno diuinitùs vſuueniat? Volente, iubente, ac pollente Deo,ad ſui nominis gloriam,ad Chriſti crucifixi commendationem, ad fidei noſtræ argumentum, & ad fidelium ſuorum æquè præſentiſſimum, & præſtantiſſimum ſolamen. *Micquellus in Aurel. obſid. pag. 45.*

Cæterùm nihil eſt,quòd nos moueat D.Chryſoſtomi opinatio aſſerentis,*Chriſtum Crucem ſuam in cælum* trophæi in morem *extuliſſe*: nam (vt acutè noſter Gretſerus aduertit)hoc vt ſemel vir magnus dixerit,alibi tamen palinodiam cecinit,tùm citato proximè loco,tùm eo maximè, vbi, quo pacto venerabile Crucis lignum ab Helena fuerit inuentum, commemorat.Itaque id à piiſſimo Patriarcha dictum puta per anticipationem eius rei,quæ in die iudicij fieri debet tam certò, quàm ſi iam fuiſſet confecta. Quemadmodum Chriſtus nos primùm docuit, tùm SS. Patrum Senatus, denique Catholici interpretes penè omnes tradiderunt quos breuitatis ergò laudare volens, ſciénſque prætermitto. Silere tamen non poſſum quoſdam apud Suarez noſtrûm credere,Crucem, Chriſti ſanguine conſecratam, perpetuò in cælis conſeruatum & incorruptione donatum iri, vti & beatorum corpora; propterea quòd peculiari ratione redemptionis humanæ inſtrumentum extiterit, aráque fuerit, in qua Chriſtus ſe Patri æterno victimam immolauit, ſed hoc alij viderint. Ad extremum,quæ foret prudentia noſtra verbulum vnum ſemel tropicè à D. Chryſoſtomo profuſum inculcatæ ſæpe ſæpiùs ab ipſo veritati anteferre ? Fixum ergo ratúmque ſit, venerandam Chriſti Seruatoris Crucem non ſolùm adhuc in terris eſſe; verùm etiam reparabili damno multiplicari in dies omnipotentia Creatoris. *S. Chryſoſt. hom. de Cruc. & Latrone, & Orat. 1. de venerat. S. Crucis. Item lib. quòd Chriſtus ſit Deus, & Hom. 84. in Ioan. Gretſ. lib. 1. de S. Cruc. c. 92. Matth. c. 24. v. 30. Suar. in. 3. part. quæſt. 59. art. 6. diſp. 57. ſect. 2.*

Offert ſe ſecundo loco rupes illa montis Oliuarum, in qua Chriſti cælos inſcendentis veſtigia impreſſa etiamnum mirabiliter perdurant. Conſtat enim perexiguam illius cautis portionem necdum exedi potuiſſe, quantumvis certatim à Fidelibus eraſa fuerit, & religionis cauſa frequentiſſimè direpta, atque adeò toto paſſim orbe Chriſtiano, ſuo in

in puluere dispersa videatur. Ne sine teste id à me dictum, fictúmue credas, Seuerum Sulpitium auctorem in Galliis nostris non fide minùs, quàm antiquitate spectabilem, si lubet, audiamus. *Illud mirum, inquit, quòd locus ille, in quo postremùm institerant diuina vestigia, cùm in cælum Dominus nube sublatus est, continuari pauimento cum reliqua stratorum parte non potuit: siquidem quæcumque applicabantur, insolens humana recipere, terra respueret, excussis in ora apponentium sæpe marmoribus, quin etiam calcati Deo pulueris adeò perenne documentum est, vt vestigia impressa cernantur. Est, cùm quotidie confluentium fides certatim domino calcata diripiat, damnum tamen arena non sentiat & eamdem speciem velut impressis signata vestigiis terra custodit.* Idem & aliquid ampliùs legere poteris apud S. Paulinum huiusce mirabilitatis testem omni exceptione maiorem, ne Bedam, aliósque recentiores scriptores super reparabili hoc Oliuetanæ cautis detrimento testimonium ferentes adducam. Qua verò ratione illa venerandæ Crucis, & rupis memoratæ multiplicatio, & reparatio fieri possit, eruditè simul & restrictè docuit in hunc modum Gretserus noster. *Potuit illa fieri, vel creatione nouarum partium in locum abscissarum subeuntium, vel sine creatione, aëris adiacentis materia, in substantiam Crucis, & rupis conuersa: quo pacto multi dicunt panes & pisces, quibus Christus tot millia pauit, multiplicatos esse, vel certè partibus crucis, & rupis potentialibus, virtute diuina ad actum reductis: cùm enim continuum diuidi possit sine fine, atque adeò partes infinitas contineat, facilè intelligi potest, quomodo crucis magnitudo, & Christi vestigia imminuta non sunt, vt testantur S. Cyrillus, Paulinus, Sulpitius: licèt plurimæ particulæ inde desumerentur, & in varias orbis terræ prouincias religionis ergò, deportarentur: Potuit enim Deus semper alias, atque alias ex potentia continui eductas in locum aliarum substituere. Hæc si non capiunt hæretici, causam dixerim, quia non sapiunt: si saperent, caperent.* Hactenus ille. Quid ergo mirum si tot in locis sacra Oliuetanæ rupis fragmenta asseruata monstrentur?

S. Sulpit. Seuer. lib. 2. hist. sacræ.

S. Paulin. ep. cit. & lib. 5. de vita S. Martini. Beda lib. de locis SS. c. 7. & lib. 5. hist. Gentis Angl. c. 18. Gretf. lib. 1. cit. cap. 77.

Luc. Marin. lib. 5. de reb. Hisp. & alij.

Occurrit tertio loco menti meæ adorandum Christi infantis præputium. Deus bone! quàm multæ nationes, vrbes, & templa diuinæ illius carunculæ perexigua portione gloriantur? In Italia Lateranum, & Calcata; in Galliis Anicium; Vesontio, Carolium: In Belgio Antuerpia; in Germania Hildeshemium; & , vt quidem audio, in Lotharingia Nancæium, aliisve nonnullis locis, vt Caluinum, dum opusculum de Reliquiis suum, mendaciis non paucis, calumniis, nugis, blasphemiisque frequentissimis fœtum typis mandaret, se monitum scribit: aliis inquam nonnullis locis populi certatim sibi adorandam diuinæ illius carunculæ particulam nituntur vindicare. At quî hoc fieri possit? anquirit nonnemo. Nam ecce tibi duas remoras, quæ properanti occurrunt stylo. Prior est, an Christi præputium etiamnum in terris sit? cùm ad integritatem corporis resurgentis ea caruncula facere videatur. Posterior est, quî fieri posset, vt tot diuersis in locis vna eademque carnis portiuncula seruetur? Duplicem hunc nodum soluere citiùs,

Inno. Pap. III. lib. 4. de Miss. sacrif. Tolet. in c. 2. Luc. Odo Gissey lib. 1. hist. Deip. Anicien. Chiflet Crisi Hist. de lint. Sepulchr. Christi cap. 30. Bellef. tom. 1. Cosm. Coster. medit. 14. vitæ Deip. Caluin. Admon. de Reliq.

citiùs, quàm abrumpere tentemus, licèt Titus Bostrorum Episcopus *illos, qui de circumcisi præputio quæstionem mouent, anxiéque, & curiosè, quid de eo factum sit, disputant, velnti circa, certa, planéque incerta occupari existimauit:* At nos piè, ac religiosè, non curiosè, de illo inquirimus. *Titus Bostr. in cap. 2. Luc.*

SECTIO PRIMA.

An in terris sit Christi præputium?

NEgent è Patribus antiquis Theophylactus, & Titus Bostrensis Episcopus, qui Christum à mortuis vsquequaque perfectum, eaque in paucis assumptæ carunculæ particula instructum resurrexisse clarissimè asseuerant: Nimiùm quantùm libenter sectarij pedibus eunt in illorum sententiam, vt Catholicorum eleuent fidem, & antiquam erga diuinum illud pignus pietatem funditus elidant, si possint. Verùm alia omnino Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæque sunt sensa, vnus tamen non est Orthodoxorum modus, & ratio huiuscemodi soluendi. *Theoph. in cap. 2. Luc. Tit. Bostr. Ibid.*

Imprimis nolo cum Verpis quibusdam potiùs, quàm Christianis asserendo delirare, omnia beatorum corpora in cælo fore circumcisa, seu præputio mutila. Existimant enimverò viri (si superis placet) piissimi, se Christo bellè gratificari, si, ad modum Christi, omnes Cælites in cælo propudiosa illa Iudæorum nota mentiantur inustos. *O Samij Lucumonis acumẽ*; vt cum Ausonio exclamẽ. Fauent certè Iudaïzantiũ, & cum Iudæis delirantium aberrationi veriùs, quàm sententiæ illi omnes, qui apud Collium asserunt, *rem esse Christo splendoris, gloriæ, ac maiestatis plenam nunc esse præputij expertem: Imò spontaneam illam sacræ carunculæ iacturam* eidem Christo, vt mediatori, & humanæ salutis vindici, non modò consentaneam existere, sed etiam optimo iure deberi, ne videlicet ea pars diuini corporis, in cælis, illo fulgore careat, quem Christus infans ab accepta in Circumcisione plaga promeritus est. Non enim magis aduersatur corporis Christi ad vitam reuocati perfectionem aliquantus modicæ membranæ defectus, quàm lateris, manuum, pedúmque deficiens in speciem hiatus, quæ *vulnerum apertura* (vt loquitur Doctor Angelicus) *quamvis sit cum aliqua solutione continuitatis, totum tamen hoc recompensatur per maiorem decorem gloriæ, vt corpus non sit minus integrum, sed magis perfectum.* Cur ergo non eodem modo integrum sit de præputij defectu in præsentia philosophari? Sic illi. *Medin. In 3. part. S. Th. q. 54. art. 4. Auson. ep. 4. ad Theon. Ibidem Scalig. Collius lib. 5. de sang. Christi. cap. 1. Bonau. 4 sent. dist. 12. S. Thom. 3. p. quæst. 54. art. 4. ad 2.*

At non vident viri (si diis placet) oculatissimi, & Assertoris nostri gloriæ studiosissimi, licèt Christus siue idem in indiuiduo præputium rursum assumpserit; siue, illo in terris ad fidelium pietatem augendam,

relicto, *aliud diuina ope efformatum* (vt censet Collius) eius loco suffecerit, ipsum non modò accepti vulneris vestigia & cicatricem retinuisse: verùm etiam ea promerito gloriæ splendore collustrasse; siquidem id necessarium alicui videri potest (quod alij fortè saniùs existimant) esse penitùs superuacaneum, quòd longè alia sit ratio vulnerum in passione, & in circumcisione inflictorum, & alia cicatricum seruandarum necessitas, vt Theologis omnibus compertum est. Hactenus de huiuscemodi Verparum opinatione satis: malo dicere de saniorum sententia, præputium à Christo in terris relictum esse, quo autem pacto id constet, hoc opus, hic labor est.

S. Bonau. in 4. sent. cit. dist. 12. dub. 2. Coll. loc. cit. disp. 1. cap. 5. Biel. lect. 23. In Miss. canon.

An ex opinione Doctoris Seraphici asseruero cum Collio idem sentiente, præputium ad humanæ naturæ perfectionem non vsque eò pertinere, vt illa carnis portiuncula carere non possit in cælo Christus, meliore redonatus vita? qui, dum miseriis obsitam hanc vitam viueret, illa mutilus fuit, eòque maximè tempore, quo diuinissimam Eucharistiam primùm confecit, vnde consequens est (vt loquitur Biel inter Theologos non postremus.) *Iam si ex suppositione præputium sit in terris, panis in ipsum non conuertitur: quia non est actu pars corporis Christi*; Concessit in eamdem sententiam Salmeron noster, suâque sensa in hunc modum concepit. *Licet perfectum corpus, Christus resurgens assumpserit, non tamen opus est, vt illud primum quoad omnes alias particulas resumpserit*, &c. Ad cuius sententiæ confirmationem non parum conferet grauissimorum Theologorum, & sacrorum Interpretum opinatio super ablata Adamo costa, quam inutilem, & superfluam, vt priuatæ personæ, fuisse volunt; necessariam, vt capiti humanæ naturæ, & omnium hominum seminario, & parenti, asseuerant.

Salmer. tom. 1. Comm. In Euang. tract. 36. p. 321. col. 1. D. Thom. 1. part. q. 92. art. 3. ad 2. Ibid. Interpr. Gen. 2. 21.

Acceptior fortè pluribus fuerit Suarezij opinatio, qui licèt censeat *Particulam illam præputij formaliter (vt sic dicam) esse de integritate corporis, tamen materialiter, id est, vt constans ex illa indiuidua parte materiæ, qua constat præputium in circumcisione abscissum ad veram resurrectionem simpliciter necessarium esse* pernegat. Satis enim supérque est, vt plures partes corporis à morte ad vitam excitati constent ex eadem materia, *quæ aliquando fuerat in corpore Christi, & per continuam nutritionem resoluta. Et verò etiam illamet particula tempore infantiæ abscissa non constabat ex tota materia necessaria, vt restitueretur in ea quantitate, quam corpus perfectæ magnitudinis requirit. Oportebit ergo aliquid addere materiæ, id scilicet, quod in vitæ progressu acquisitum esset per nutritionem.* Hæc, & alia summus Theologus.

Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 47. sect. 1. Vinc. Regius Euang. dilucid. cap. 9. Theor. 5. Pelbart. tom. 3. Rosar. Theol. uerbo Resurr. 1. sect. 2.

Quid si addidero, præputij carunculam non magis esse necessariam ad Christi resurgentis perfectionem, & integritatem, imò fortè minùs, quàm totam illam carnem, quæ in diuinissimo ipsius corpore etiamnum intacto, & illæso fuerat. Hæc autem non videtur à Christo resurgente secundùm omnes particulas, fuisse resumpta, Imò potiùs vulnerum acceptorum loca, vt erant hiulca, & carne, quam ferri acies abruperat, vacua ex parte aliqua remansisse, & ad diem iudicij reman-

D. Th. 3. p. q. 54 art. 4. in corp. & ad 2. Suar. loc. cit. sect. 1. & 2.

sura

ſura (vt S. Hippolytus innuit) videri poteſt non multùm à veritate alienum. Quò ſpectauit Seruatoris noſtri poſt anaſtaſim ſuam Apoſtolos compellantis apud Chryſologum perelegans oratio. *Digiti veſtri intrent veſtigia clauorum, manus veſtræ alta vulneris exquirant: aperite manuum foramina, ſulcate latus, renouate vulnera; quia negare non poſſum diſcipulis ad fidem, quod inimicis in pœnam ſæuientibus non negaui. Palpate, palpate, & vſque ad oſſa inquiſitores ardui peruenite, vt vel oſſa carnis aſtruant veritatem, & me eſſe ipſum vel vulnera ſeruata teſtentur.* Agedum enim ſi totius carnis particulæ reſurgenti corpori Seruatoris fuerunt omnino reſtitutæ, quî potuerunt Apoſtolicis digitis, *vſque ad oſſa inquiſitores ardui peruenire, vt vel oſſa carnis aſtruerent veritatem?* Niſi ſi velis ſingulari miraculo ad vulnerum ſacrorum contactum carnem reſtitutam (vti Adamo ablatam cum carne coſtam) ceſſiſſe digitis, vt vſque ad oſſa peruaderent: quod vix concedant, qui miracula ſine neceſſitate non eſſe multiplicanda cenſent. Rectè igitur cum Angelico Doctore dixerim iterùm *quòd illa apertura vulnerum* (addo & ego) illa præputij iactura, *quamuis ſit cum quadam ſolutione continuitatis: totum tamen hoc recompenſatur per maiorem decorem gloriæ, vt corpus non ſit minus integrum, ſed magis perfectum.*

S. Hippol. lib. de conſ. mundi, p. 359. edit. Græcol. Pariſ.
S. Chryſol. ſerm. 81.
Cornel. à Lapide in cap. 2. Gen. v. 21. & cet. Interp.
Gen. loc. cit.
D. Thom. ſup. cit.

At aurem vellicas, iubéſque me vulgatiſſimi illius Theologorum, ſecundùm Ioannem Damaſcenum (vt vulgò fertur) axiomatis eſſe memorem. *Verbum, quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit.* Iam quî poſſit illud conſtare, ſi in mea ego conſtiterim ſententia? perbenè tu quidem, mi vir, at ego pariter meminiſſe te peruelim quàm multas Chriſtus ſubſtantiales ſui corporis partes continuata ſerie dimiſerit, quas calor natiuus ſenſim continenter depaſcebatur & quas à diuturniore inedia fatiſcentes, alimentorum acceſſione ſubinde fulciri, at reſtaurari par erat? *cùm* enim *ieiunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſteà eſuriit*, vt loquitur Matthæus. Recordare quàm ingentem copiam ſanguinis, *quodam veluti profluuio* (vt Clementis VI. Pontificis verbis vtar) Chriſtus viuens, moriénſque dimiſerit? memento quàm multùm aliorum trium humorum toto vitæ decurſu, abiecerit? quæ tamen omnia ſibi in vnionis hypoſtaticæ ſocietatem adſciuerat, vtpote quæ ad veritatem naturæ, ad corporis ſui integritatem, & perfectionem forent, vt quàm maximè neceſſaria; non quidem ſecundùm vniuerſas, & ſingulas ipſorum particulas, ſed ſecundum præcipuas quáſque partes, quas vt ſemel aſſumpſit, ita dimiſit nunquam. Alias verò tanquam minùs neceſſarias, & quodammodo ſuperuacaneas, & identidem, vt opportunitas ferebat, ipſe abiecit, & nunquam deinceps reſumpſit. Pari ergo ratione potuit Chriſtus exiguam illam diuiniſſimæ carnis ſuæ particulam in terris relinquere, vtpote quæ ad ſui corporis è morte ad vitam reuocati integritatem non magis neceſſaria erat, quàm cùm vitam mortalem viueret, quâ, vt ſine vlla diuiniſſimi corporis ſui deceſſione atque iactura tùm caruit, ita & nunc eadem carunculæ partiuncula ſine imperfectione carere poteſt. Quamquam cum Eminentiſſimo Cardinali

Gamaſch. In 3. part. q. 5. c. 1.
Putean. ibidem dub. 2.
Matth. cap. 4. 2.

De Lugo tom. de Incarn. Domin. disp. 14. sect. 4. n. 62. Cardinali de Lugo non illibenter credo, corpus Christi à mortuis ad vitam excitatum, & gloria promerita circumfusum iam illa sui parte existere quàm integerrimum, non tamen debuisse illam eamdem omnino materiæ partem recuperare, quæ fuerat abscissa; propterea quod illa præputij particula, qualis in infantulo tùm erat, non potuisset cum aliis partibus, quas tempore necis suæ adeptus fuerat Christus, tam iusta proportione committi, vt cum ipsis integram illam partem componeret. Ergo ad debitam magnitudinem illa carunculæ particula augenda fuisset alterius accessione materiæ: si verò fuisset augenda, iam ea (provt humano sensu res æstimari potest) non eadem extitisset, quæ olim fuerat circumcisa, sed prorsus alia ob insignem materiæ adscitæ & admotæ accessionem continuò, simúlque factam; quæ accessio non leuiter incommodat morali eiusdem corporis identitati, vt loqui amant Philosophi. Quid ergo opus erat, eamdem materiæ particulam corpori glorioso, & vndequaque perfecto nequicquam restituere? nisi fortè velis id corporis gloriosi exigere resurrectionem, at id pernegat Lugo, hoc enim illa solùm postulat vt idem corpus quod mortuum fuerat, moraliter resurgat, *cui identitati morali non obstat*, inquit, *quòd augeatur ex noua materia quo ad aliquas partes qua olim fuerant separatæ, & quæ licèt restituerentur cum eadem omnino, quæ abscissa fuerat, adhuc non essent eadem moraliter, propter notabile augmentum, quod debuissent accipere.* Atque hinc est pia tot locorum, quæ superiùs commemoraui super tam pretioso lipsano controuersia, quam meum non est componere, hoc vnum certè me silente, loquitur Eminentissimus *Tolet. in cap. 25. Luc. v. 21.* Cardinalis Toletus, hoc Apostolica rescripta, hoc annuæ in Kalend. Ianuarias concessæ à summis Pontificibus indulgentiæ, hoc miracula diuinitus edita deprædicant, præputiũ à Christo in terris relictũ etiamnum superesse, idque (vt ego quidem credo) integrum, incorruptum, nullàque prorsus tabe delibatum, vt quod de toto Christi corpore fa- *Psalm. 15. 10.* tidicè cecinit Regius Psaltes, hoc de præputio iure pronuntiari possit, *non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Obtineat illud Italia, possideat Germania, ostentet Belgium, Lotharingia sibi vindicet, illo Galliæ nostræ ditatæ glorientur: quò pluribus in locis ea diuinissimæ carunculæ portiuncula fuerit asseruata, hoc amplius, & munificentius in mortales Christi amoris, & charitatis à primâ infantiâ præmicantis extabit pignus, & perpetuum, dum stabit orbis, monumentum. At quomodo id esse possit, disquiramus.

SECTIO SECVNDA.

Qua ratione Christi præputium tot in locis esse possit.

NOn minùs intricata est hæc difficultas, quàm quæ proximè affecta est, eam tamen expedire, ac extricare operæ pretium est, quòd is præcipuus sit susceptæ à nobis disputationis scopus.

Huic soluendo nodo triplex in mentem venit ratio, satis, vt quidem reor, facilis, & expedita. Prima, si dicamus Christi præputium tot in diuersis locis asseruari per inusitatæ multiplicationis mirabilitatem, quam æquè Deo omnia potenti, pollentíque facilem esse, ratio, & fides edocét, atque olei, panis, vini, piscium, Oliuetanæ rupis, & Crucis ipsius (vti iam disseruimus) supra naturæ vires effectam diuinitùs multiplicationem: quid enim obstet interminatæ virtuti, ac potestati, quin è perexigua illa diuinæ carnis particula, quam pro continua sui natura, infinitis potentiâ partibus (vt cum Philosophis loquar) ita constare scimus, vt exhauriri possit numquam, alias ex aliis partes educere, & multiplicare voluerit, & valuerit, atque adeò in varias orbis Christiani prouincias religionis ergò partiri pro sua in fideles ardentissima charitate? Pleni sunt sacrorum Annalium codices innumeris eiusdem generis multiplicationum prodigiis, quæ Deus Optimus Maximus suis gratificaturus identidem patrare dignatus est in sexcentis aliis rebus creatis: quidni, & in totius Ecclesiæ sponsæ sibi longè suauissimæ gratiam voluerit Christus in sua illa diuinæ carunculæ portiuncula idem multiplicationis inusitatæ, ac penitus insolentis miraculum perpetrare?

Secunda ratio, qua Seruatoris nostri præputium tot in diuersis locis asseruari potest, est mirabilis eiusdem replicatio. Auctorem habeo meæ sententiæ virum optimè de sacra Theologia meritum, Gabrielem Biel, cuius ipsissima verba dare, operæ, ac necessitatis pretium duco. Vult igitur *ita de præputio Christi, sicut & de eius sanguine* philosophandum. *Diceret enim aliquis Christi præputium esse replicatum ad diuersa vbi, & illam partem præputij esse in cœlo coniunctam corpori Christi, & in altaris sacramento; non sic in eo, in quo in terris detinetur loco:* vt verò suam illustret sententiam exemplum in simili adducit: *Replicetur*, inquit, *aliquis ad diuersa vbi, nullam videtur implicare contradictionem, quòd anima ibi informet corpus, & in alio vbi deserat corpus, ac super diuinam potentiam solum corpus non anima fuerit replicata ad diuersa vbi, vt alibi in expositione canonis, lectione quadragesima sexta habetur, & sicut hoc habet veritatem de toto, ita de partibus corporis, ita & de sanguine.* Sic ille, ex quibus vides idem numero Christi præputium nec abesse in cælis ab eiusdem augustissimo corpore, nec abesse à terris, sed longè diuersa ratione. In cælis enim, vt & in venerabili Eucharistiæ Sacramento,

Biel in supplem. 4. sent. distinct. 44. quæst. 1. dub. 6. sub. fin.

animâ Christi informatum viuit; in aliis verò terræ locis, in quibus asseruatur, iacet inanime. Non me latet, hanc Bielis sententiam non multum facere ad Suaris nostri, & secundum ipsum Collij sequacis stomachum, *non quod existimem*, inquit, *implicare contradictionem, sed quia nulla est causa tanti miraculi, nec probabile fundamentum, vt illud credatur.* At pace tanti viri dixerim, ecquæ maior, grauiórque est *causa tanti miraculi*, in multiplicatione venerabilis ligni S. Crucis, quàm in replicatione Dominicæ huiusce carunculæ? quam pro illa statuenda causam protulerit Suarez, eamdem ego pro præputij replicatione stabilienda pari iure adducam: sed illam non recuset admittere, nisi si velit SS. Cyrillo Chrysostomo, Paulino iniuriâ, gratísque responsare. Bielis ergo in sententiam super præputij Dominici replicatione volens concedat necesse est. *Probabile* verò *fundamentum*, quod requirit, sat esse firmum videtur, benignitas, & omnipotentia Dei, quâ mortalibus & maximè fidelibus, atque adeò Ecclesiæ vniuersæ voluit tam eximio munere, ac beneficio gratificari: libenter de illo audiam, quæ grauior causa? quodve firmius fundamentum subesse potuerit eximiæ illi replicationi corporum aliquot, dum viuerent, diuorum, quibus vi, operâque diuinitatis mirabiliter datum est, vt simul, & semel in locis diuersis, longéque dissitis consisterent? *De S. Ambrosio* inquit Bozius, *scriptum reliquerunt, cùm sacra faceret ad altare, quasi somno correptum diù substitisse; deinde ad se cùm rediisset, palam dixisse se interfuisse funeri publico Sancti Martini Episcopi Turonensis defuncti; interfuisse autem cunctis eum Turoni videntibus & agnoscentibus. S. Paulus quidem refert se raptum vsque ad tertium cælum, & quod adiicit se nescire, an in corpore, vel extra corpus, id nonnulli interpretatur sic accidisse vt eius corpus in terris remanserit, idémque in cælum fuerit euectum.* Hæc ille, & plura alia de Sancto Antonio Vlyssipponensi, & D. Laurentio Iustiniano Patriarcha Veneto, & de nostro Beato Francisco Xauerio Indiarum Apostolo Tursellinus, diuersis in locis, ac longo interuallo discretis simul, & semel memorant interfuisse. Eadem diuina vi Christi Seruatoris præputium replicatum fuisse quid vetat dicere, & sentire cum Biele non infimæ notæ Theologo?

Suar. in 3. p. disp. 47. sect. 1. & 2. Coll. l. 5. de sang. Christi. c. 2.

Boz. lib. 15. de sign. Eccl. signo 60.

Tursell. lib. 5. vit. S. Fr. Xauer. c. 2.

Tertia suppetit eiusdem rei ratio illis multo facilior, quæ fortè magis, ac propiùs ad veritatem accedit. Hæret tamen stylus, veretúrque illam committere literis, tùm quòd neminem Theologorum (quod sciam) hactenus auctorem, & patronum habuit, tùm quia à me solo profecta, metus est ne pluribus nulla sit: bonâ tamen cum eruditorum hominum veniâ dicam, existimare me tot diuini præputij particulas verè, ac propriè aliud esse nihil, quàm portiunculas quasdam à vena vmbilicali Christi infantis accisas, atque huc, illúcque ad fidelium consolationem dispersas. Quis enim, nisi multiplicationem, vel replicationem lubens admittat, credere prudenter velit, ac possit è perexigua præputij (quale infantuli octo dierum fuisse par est) portione tot particulas exscindi potuisse, vt tam diuersis, dissitisque in locis esse, seruari,

&

& coli poſſit? Nec mirum eſt illas vmbilicalis venæ portiones, vulgò dici, *præputium*, ſiue iſtiuſmodi appellationem piæ & innocenti fidelis plebeculæ ignorantiæ, ſiue religioſo eiuſdem errori à diuinæ carunculæ, atque adeo ipſius abſciſſionis ſimilitudine orto, ſiue diuturnæ rerum obliuioni velis adſcribere. Etenim nimiùm quantùm procliue eſt imperitis confundere nomina, & peræquè præputium appellitare, quod ab vmbilicali præciſum eſt vena, quàm quod ab infantuli glandula fuerit circumciſum.

Cæterum vtvt ſit (quod vnus certiſſimè nouit Deus) Virgini Deiparæ, & ſecundam ipſam D. Ioanni Euangeliſtæ, Chriſti, noſtríque amantiſſimis, tanti támque ſingularis theſauri debemus gratiam, quòd illa virgineis ſuis manibus (vt vero ſimile credunt aliqui) exciſum è Chriſti infantuli glandula præputium penes ſe habuerit; non, vti iam fieri à Verpis ſolet, arena, terrâve ſepelierit; tùm B. Ioanni filio ſuo adoptiuo cuſtodiendum tradiderit, denique ipſe diſceſſurus è vita ſuis concrediderit ſucceſſoribus Eccleſiæ relinquendum: vt ſibi diuino editum fuiſſe oraculo D. Brigitta literis conſignatum ad poſteros tranſmiſit. Vnum tamen te monitum velim, ſacroſanctum illud Chriſti præputium, quod ſingulari fauore diuinitatis Eccleſiæ relictum eſt, non eſſe vnitum Verbo, (quicquid contrà ſenſerint aliqui) ſed eodem temporis momento, quo à Deipara virgine, vel à Ioſepho perexigua illa diuinæ carunculæ particula præciſa fuit, glorioſa illa vnione confeſtim excidiſſe, quod tùm corporis Chriſti pars eſſe deſineret, nec deinceps futura eſſet per omnem, quanta quanta eſt, æternitatem. At videris, ne propterea pretioſiſſimum illud pignus religioſo latriæ, non abſolutæ quidem, ſed relatiuæ cultu, minus adorandum putes, tum quia olim vnitum tandiu fuit hypoſtaticè Verbo, quandiu corpori Chriſti indiuiſum adhæſit, tùm quia eo vtitur Eccleſia ad infantuli Seruatoris circumciſionem, præcoces, eheu nimium! dolores, & innocentis ſanguinis effuſionem repræſentandam. Verùm de his ſatis, & pluſquam ſatis.

Nouar. lib. 4. ſched. c. 25. n. 133.

S. Brigitt. lib. reuel.

Sign. Reliq. c. 7.

Ad vltimum, coronidis, & corollarij loco vide num ad laudatam Dei Optimi Maximi potentiã, & in Fideles ſuos effuſam benignitatem referre velis copioſam Diuini ſanguinis, Virginei lactis, aliarúmque id genus ſacrarum Reliquiarum vim, qua tot Baſilicæ locupletatæ feruntur. Quin enim tibi ſit integrum, nihil me iudice obſtat, niſi fortè malis ad alias cauſas confugere, quæ naturæ, ac humano iudicio magis congruunt (quod faciendum eſt ſemper, quandiu quantúmque rerum natura feret) ne tot miracula ſine teſte, ſine neceſſitate inducamus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Earundem Reliquiarum à diuina vi ſecundum virtutem ipſarum ectypis affuſam multiplicatio.

NE tam inuſitata, & ab hominum rudium, vel malè ad credendum affectorum intelligentiâ nimis remota miracula toties ederet Deus; maluit, vt ſe noſtræ attemperaret imbecillitati, ad minora patranda deſcendere, & aliquam pati (abſit verbo inuidia) apud mortales adepti ab infinita ſua poteſtate nominis, ac reuerentiæ deceſſionem, quò ſuauiùs, vel caducam fidem noſtram erigeret, vel lapſabundam fulciret, vel confirmaret ſtantem. Paternus hic animus eſt, quia diuinus. Ergo ne cogeretur ad fidelium ſuſtentandam pietatem, eaſdem ſacras reliquias ſemper ſecundum entitatem efficere in ſua vnitate ſingulari multiplices, non eſt grauatus alijs rebus eam virtutem ad efficienda miracula diuinitùs impertiri, qua præter externam ſpeciem & conformationem eædem numero cum primi generis veris, atque germanis, eſſe Reliquiæ à fidelibus crederentur piè, ac religiosè colerentur.

Diuinæ illius benignitatis anſa fuit, ſingularis Chriſtianorum erga Diuorum lipſana religio, ſtudiumque ardentiſſimum, quod, quantumque fuerit, inferius erit pluribus dicendi locus. Ab illa inexplebili ſacrarum Reliquiarium ambitione factum eſt, vt cùm ipſamet prototypa nanciſci non poſſent, ſaltem ectypa, ſiue effigies ex illis expreſſas penes ſe habere, prototypis admouere, ab ipſorum contactu mirabili virtute imbuere, atque adeò maxima religione proſequi ſemper ſtuduerint eò ſane impenſiùs, quò frequentiùs, veneranda illa. Ectypa diuinitùs ſibi affuſam virtutem ad effecta mirabilia ſuper naturæ vires patranda exererent. Aliter enim Catholici ab hæreticis ſapiunt. Nam de his rectè Thom. Vvaldenſis inſit: *Cùm in ſacris Reliquiis carnaliter ſapiant, hoc ſolum perpendunt; quod extat per naturam, nihil quæ ſunt per gratiam*, Catholici verò contrà non tam perpendunt, quod extat per naturam, quàm quæ illis inſunt per gratiam; quia norunt venerandas Reliquias *ex accedenti dono habere ſanctitatem*, vt monet Theofridus Abbas de illarum mirifica virtute differens, quam virtutem non à natura, ſed à Creatoris liberalitate ſibi communicatam habent, & plerumque, vt idem notat, non amittunt eamdem *quia ex immortalitate non fit tranſitus ad mortalitatem*, licet ſecretò diuinæ mentis conſilio identidem fiat, vt Diuorum lipſana mirificam ſuam virtutẽ exercere intermittant; prodant verò cùm è gloria Dei eſt, & fidelium vtilitate. Quapropter non ſolùm beatorum

Thom. Vvald. lib. de Sacramental. tit. 23. de Reliq. templis inferendis.

Theofr. Abb. ſerm. de SS. Reliq.

exuuiæ per seipsas, sed etiam per sua ectypa mirabiles effectus per gratiam operantur, quo fit, vt à Catholicis non minori, quàm prototypa religione colantur, & pari sollicitudine asseruentur. Huius generis sunt Ectypa cordis, eximij Ecclesiæ doctoris, Augustini, de quibus Ludouicus ab Angelis è Patrum Augustinianorum ordine Theologus meminit. Testis enim est viros pios, qui basilicam in qua cor S. Augustini seruabatur, venerationis ergò peregrè adibant, consueuisse Cordis illius sacrosancti ectypa è ferro conflata, eiusdemque contactu consecrata domum reportare. E quorum numero fuisse refert Augustinum à IESV, ordinis Eremitarum S. Augustini tùm Visitatorem Generalem, deinde Bracharensium Præsulem, & Hispaniarũm Primatem, qui dum Germaniæ monasteria lustraret, Monachij inter reliqua sacra lipsana cor ferreum, aurea virgula circundatum inuenit, cui hæc inerat inscriptio *Cor Augustini*. Illo igitur donari se voluit, secumque in Lusitaniam deportaturus, ipsum pergamena confixit charta simul, & paucis hisce inscripsit verbis: *Cor contactum vero cordi sancti Augustini, quod ferreum propter nimiam eius constantiam: aureum, propter inflammatam charitatem.* Atque ex hoc pio ingeniosæ fidei inuento, tam copiosa earumdem venerabilium Reliquiarum vis videri potest plerumque emersisse, vt in sacrosanctis sindonibus, sudariis, clauis, tunicis, aliisque id genus Christi Seruatoris exuuiis, de quibus sigillatim disserere, non erit iniucundum.

Lud. ab Angel. lib. 6. de vit. S. August. c. 5.

SECTIO PRIMA.

Sepulchralia Christi lintea tum in se, tum in suis ectypis pluribus in locis seruata.

CVm profanarum suarum nugarum gnarissimus propola Caluinus, *sex septémve locis* ὀθόνια sepulcralia, siue Sindones Christi vita functi *mendaciter ostendere Papistas* tum ore, tum stylo iactabat (memorem enim debet esse mendacem) meminisse debuerat, quod deinceps suos symmistas amanter monuit noster Gretserus, & quod ipsemet Hæresiarcha sexcéties à Catholicis audiuerat: *Huiuscemodi lipsana & sacra pignora ex imitatione aucta, & ex prototypo sæpius expressa occasionem dedisse posteris, vt sibi persuaderent se ipsum exemplar possidere, cùm non nisi imaginem ex primo sudario, vel sindone effigiatam haberent, qui error omni culpa caret, cùm & in primis illis & in his, quæ ad imitationem eorum adumbrata sunt, vnus Deus, Redemptor noster honoretur.* Hæc vir sagax, & pius, quid ergo tantopere in Catholicos inuehi eósque mendacij perquàm mendaciter insimulare opus erat, *si sex, septémve locis, Christi Sindones dicantur*, & credantur seruari?

Caluin. loco cit.

Gretser. lib. 1. de S. Cruce, cap. 97.

Obseruare imprimis debuerat Caluinus, vel saltem meminisse

(nisi hominem suum aduersus venerabiles Seruatoris Christi, in paucis exuuias odium plusquam Vigilantianum reddidisset immemorem) obseruare, inquam, aut certè meminisse debuerat non vnam fuisse Christi sindonem, sed ad minimum duas, aut tres, si quidem S. Ioanni Euangelistæ locupleti, & oculato testi fidem habere voluisset noui Euangelij faber, & concinnator nouus. Cùm enim de Chisto, tam vitâ functo, quàm ad vitam reuocato disserit Euangelista, semper plurali numero, singulari nunquam, *lintea* seu *linteamina* memorat, de sudario, *quod erat super caput* eius non item. Vno quidem loco *Acceperunt*, inquit, *corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire.* Quem locum Nonnus paraphrasticè reddens in hæc verba cecinit.

Λεπταλέαις ὀθόνῃσιν ἐμιτρώσαντο θανόντος
Σῶμα, πολυπλέκτῳ ἑλίκων εὐώδεϊ δέσμῳ
Ὡς ἔθος Ἑβραίοις ἐπιτύμβια θεσμὰ φυλάσσειν
Tenuibus linteis circundederunt mortui
Corpus multiplici circumuolutionum fragrante vinculo,
Vt mos Hebræis est sepulchrales ritus seruare. Alio autem loco de sua & Petri ad Christi sepulchrum visendum profectione disserens infit, *Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum. Et cùm se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum.* Cui more suo fideliter Nonnus accinit, eiúsque extrema verba paraphrasi Poëtica sic reddit;

ὑπὲρ δαπέδοιο δὲ γυμνοῦ
Σύζυγας ἀλλήλοις λινέους ἐνόησε χιτῶνας
Καὶ κεφαλῆς ζωστῆρα παλίλλυτον ἀμμαλικαίτης
Σουδάριον ὅπερ εἶπε Σύρων ἐπιδήμιος αὐδή,
Οὐ ταφίαις ὀθόναις παρακείμενον, ἀμφιλαφῆ δὲ
Μουνάδον αὐτοέλικτον, ὁμόπλοκον εἰν ἑνὶ χώρῳ. Latio donata sic reddas: *Su-solum autem nudum* S. Petrus *coniunctas inter se lineas vidit tunicas Et capitis cingulum resolutum nexu comæ, Sudarium, quod dixit Syrorum popularis vox Non adiacens sepulchralibus linteis, sed duplicatum, Separatim per se inuolutum, complicatum in vno loco.*

Si ergo plures fuêre Christi compositi sindones (quas saltem duas fuisse nemo neget) quid tam insolens eas duobus locis reperiri?

O quàm vehementiùs fuisset stomachatus, ne dicam efferatus Caluinus, si aliis quàmplurimis in locis huiusmodi sepulchralia Seruatoris defuncti lintea seruari, ostendi, coli, fama & auditione tantillo susurrillo inaudiuisset. Nam præter celebratissima duo, quæ hisce oculis vidisse, his contrectasse manibus, his osculis basiasse in diuinis beneficiis repono, Taurinense vnum, Vesontionense alterum (de quibus Mallonius Bingonius, Palæotus, Chiffletius, aliique ex professo tractarunt) & quæ

Beza serm. 5. de Resurr.

præfricta

præfricta fronte, vt solet, Beza non diuina virtute ἀχειροποίητα, sed arte & humana manu expicta mentitur, alia fuisse vero simillimum reddidere S. Ioannis testis oculati verba distinctissima, Balduinus Imp. Vrbis nouæ, D. Ludouico Francorum Regi Christianissimo inter alia se dono dedisse *partem Sudarij, quo inuolutum fuit corpus Christi in sepulchro, diplomate* suo commemorat. Aniciensés eiusdem portionem vnam, Carnotenses alteram, tertiam Caturcenses, Compendienses quartam, quintam denique Floriacenses aureo inclusam brachio (cuius dextera more benedicentis extenta, cum hac epigraphe, *dextera Domini*, Floriacensibus pro insigni est) religiosè in vna duntaxat Gallia deuenerantes se possidere credunt, & mordicus tuentur.

S. Ioan. c. 19. v. 40. & cap. 20. v. 7. Du Breul. Theatr. Antiq. Paris. Odo Gisse lib. 1. hist. Deip. Anic. cap. 18. Rouillard. 1. parte de reb. Carnot. cap. 8.

Hinc si Germaniam lustrare placet, in Monasterio S. Cornelij mille passibus Aquisgrano distante, videre erit *sindonem mundam, qua Ioseph inuoluit corpus Domini, & partem sudarij, quod fuerat super caput eius* (vt loquitur Petrus à Beck) Ludouici Pij Imperatoris religiosissimum munus. Adeamus Hispanias: Ecclesia Toletana & Ouetana partem Sindonis exhibebit, quam sibi datam & transmissam à Christianissimo iuxta ac Sanctissimo Francorum Rege Ludouico nono, vel ex ipsius donantis rescripto confirmat. In Lusitania Turdetani & Vlyssipponenses, in cœnobio Virg. Deiparæ de Euxobregas extra muros amplissimæ, primariæque ciuitatis, Christi Sindonem eiusdem insignem imagine ostentant, & feria quinta hebdomadis sanctæ ostendunt. Si vela Italiam versus obuertere, ac facere lubet, in vna vrbe nobilissimas basilicas, S. Mariæ Maioris vnam, & Lateranensem alteram, sepulcralia Redemptoris nostri ὀθόνια sibi vindicare accipiemus.

Chiffl. Crisi hist. de lint. sepulcr. c. 27. Saussaye Martyrol. Gall. 14. Sept. Anonym. Floriac. lib. 4. de Mirac. S. Bened. cap. 27. apud Ioan. à Bosco. Pet. à Beck in Aquisgran. Ioan. Marian. lib. 13. hist. Hispan. cap. 8. Chiffl. loc. cit. Luc. Marin. lib. 5. de gest. Hisp.

Aberret insigniter & (vt aliquid Caluino & Bezæ demus) *mendaciter* iactitet, qui tot Sindones credat, & dicat esse prototypa: ego certè plerasque inter ectypa numero. At quænam illæ? Hic Sigalion, & Harpocrates sum; aut, si fari quid cogar, extemplo cum Virgiliano Palæmone inclamem:

Non nostrum inter vos tantas componere lites;

addámque cum Thyrsi Calpurniano:

Este pares, & ob hoc concordes viuite, nam vos
Vna fides, pietas, & amor sociauit.

Attil. Serran. lib de 7. verb. Eccl. Virg. Egl. 3. Calpurn. Egl. 2.

Vnum tamen intereà eloquar, quòd diligenter obseruatum, accommodatè ad rem nostram velim; horum scilicet omnium venerabilium linteorum, quæ pro veris, & prototypis sindonibus piè variis in locis asseruantur, alia esse imagine Christi pro more veteri insignita, alia minimè. Dixi (pro more veteri) quòd meminerim legere me hæc Leontij Neapolitani apud Cyprum Episcopi, olim in secunda Nicæna Synodo perorantis verba, *Christum, eiusque passiones passim in Ecclesiis, domibus, in foro, in picturis, in sindonibus, in promptuariis, vestibus, omnibus denique in locis, hanc figuram ponimus, quò continuò contemplantibus nobis hæc in mentem veniant, & ne obliuiscamur Domini Dei nostri.* Pium hunc maiorum nostrorum morem si sensibus in imis reposuissent nostri Lipsanomachi,

Synod. 2. Nicæn.

machi, nunquam vſque eò tot Chriſti Seruatoris Sindones, vel potiùs ſindonum ectypa ſeruari, oſtendi, & coli ab orthodoxis vitio vertere fuiſſent auſi. Et verò Mallonius è Taurinenſi, Chiffletius è Veſontionenſi quamplurima olim excerpta fuiſſe ectypa diſertè aſſeuerant, quæ diuerſis in locis magna in veneratione haberi non dubito. Aliæ verò Sindones fuerunt puræ, candidæ, ac ſine Redemptoris effigie, ad ipſius tamen menſuram, quàm fieri potuit proximè, conformatæ: Vnde facillimum factu fuit, vt præter primarias, ac veras Sindones, aliæ tam puræ, quàm expictæ poſt longiorem temporis intercapedinem, ab excuſabili poſterorum ignorantia, & innocenti errore (vt ſuo diſſeremus loco) pro veris, & ipſiſſimis prototypis habitæ in variis locis ſeruatæ, & cultæ ſint; vbi maximè rerum ſupra naturæ vires editarum mirabilitas acceſſit: quod ſingularum Eccleſiarum tabulæ, quod Eccleſiæ vniuerſalis annales, quod ſcriptores fide digniſſimi vſquequaque loquuntur ſatis.

Caluin. lib. ſupr. cit.

Hinc collige, quàm inaniter & importunè in ſuam vmbram Andabatarum in morem totis lacertorum toris digladietur Caluinus, cùm ſcribit, *Ipſo aſpectu huiuſcemodi imaginũ, obſeruari poſſe eas manu, & arte humana effictas. Quamobrem cominus, & luce palam non ſolent Papiſtæ effigiata hæc lintea oſtendere, ne fraus, & impoſtura deprehendatur: imo, ſi quo forſan incendio linteum conflagrauit, mox pictoris opera factum, & pictũ pro priore illo vaniſſimè venditant.* O! mi Andabata, quid tantopere contendis? quid tam inaniter ſudas? vis aliquas huiuſcemodi ſindonum eſſe pictas? ectypas, non prototypas? hoc vltrò damus, ne diutiùs ſudes, dum nimis ſtrenuè rem datam ſudas. At dic amabo (ſic enim te cum Gretſero rogare non dubito,) *Si lintea illa oſtendi non ſolent cominus, vt tute ais, quomodo ſcis fraudem ſtatim deprehenſum iri, ſi palam, & propiùs ſpectanda proponantur, & vbinam ipſe cominus hæc ſacra pignora aſpexiſti? ſi cominus, & luce palam non ſolent oſtendi, cur non edidiſti nomen loci?* vbi ea celari mos ſit? Camberium & Taurinum appellare non auſus es, ne illarum vrbium parietes contra te vocales euaderent. Veſontium ſiluiſti, meritò veritus ne ſi ipſum compellaſſes, illa rupes, in qua quotannis de mediâ luce, ac facibus prælucentibus, vndequaque confluentibus populis ſpectanda proponuntur hæc ſacra lintea, ab tam impudentis mendacij horrore in fruſta diſſiliens in tuos hominis mendaciſſimi oculos, capútque confertim inuolaret. Ego certè mentitum te eſſe in caput tuum, quàm inueteratos illos malorum Suſannæ criminatores, validiùs, criminoſiùs, & execrabiliùs, tanquam Daniel proclamo, qui *cominus, luce palam, meridiano ſole, facibus magna vi prælucentibus*, ſepulchralia illa Chriſti Seruatoris linteamina innumerabili Catholicorum multitudini exhibita, Veſontione ſæpiùs, Taurini aliquoties meis hiſce ambobus oculis vſurpaui. Eodem planè ritu ſolemni, aliis omnibus in locis, vbi ſimilia linteorum ſacrorum pignora ſeu prototypa, ſeu ectypa ſeruantur, populo Chriſtiano ſpectanda, & adoranda proponi ſolere haudquaquam

Gretſ. lib. 1. de S. Cruc. c. 97.

Ritum perantiquum oſtẽſionis S. Sindonis refert Chifflet. Criſis hiſt. c. 9.

quam dubito; ne fortè (quod dixit Leontius) *obliuiscamur domini Dei nostri*, quem suus in homines amor mortalem fecit.

SECTIO SECVNDA.

Sudaria Christi appressa vultui, & imagines eiusdem non manufactæ, in se & in suis ectypis varijs in locis seruata.

QVod de sepulchralibus Christi Redemptoris linteis, siue sindonibus hactenus disseruimus, de eiusdem sudariis dictum puta.

Licet non me prætereat voces *sindonis*, atque *sudarij* ab auctoribus promiscuè sumi; placet tamen in præsentia sudarium à sindone distinguere, & illud linteamen, seu velum duntaxat intelligere, quod aliquando Christi Seruatoris ori appressum quoquo modo fuit. Dixi (*quoquo modo*) propterea quòd nec vna tãtùm ratione, fine ac vice sudaria vultui Christi admota sunt: primùm quidem dum vitam viueret, tum vbi ex infami trabe demissus, & ad sepulturam compositus fuit, vtrobique semper, ex vsu sudarij quàm maximè proprio, & apud veteres tralatitio (vnde *orarium* S. Hieron.) *Neronem enim Cæsarem, adaperto capite, & ante faciem obtenso sudario, equum inscendisse quatuor tantum comitantibus*, refert Tranquillus. Iam ergo non semel sudaria Theandrico Christi vultui applicita fuisse video, nec vnum, aut alterum duntaxat ob finem.

Gretf. lib. 2. de Cruc. cap. 27. Chiffl. lib. cit. cap. 5.

S. Hieron. ep. 2.

Sueton. in Neron. cap. 48. vid. eiusd. schol.

Principio quidem, nil dico quàm sæpè Deipara Virgo infanti Christo suis ipsa maternis manibus sudaria manantem sacro ex ore sudorem (à quo & sudarij nomen, vt aliquibus placet obtinuit) piè tersura admouerit; quòd illud faciliùs cogitatu quàm lectu sit: Christum citiùs dixerim sibimet ipsi sudarium ori applicuisse, præeuntibus Nicephoro, atque D. Ioanne Damasceno, testibus omni exceptione maioribus: *Historiæ proditum est*, inquit iste, *cum Abagarus Edessæ Rex eo nomine pictorem misisset, vt Domini imaginem exprimeret, neque id pictor ob splendorem ex ipsius vultu manantem consequi potuisset, Dominum ipsum diuinæ suæ ac viuificæ faciei admouisse pallium, imaginémque suam ei expressisse, sicque illud ad Abagarum, vt ipsius cupiditati satis faceret, misisse.* Nec te moueat, quod ἱμάτιον dixerit Damascenus, clarius enim Nicephorus *lineum textum* appellavit, vt sudarium, quod ex lino fieri consueuerat, significantiùs exprimeret. Viden' singularem Christi benignitatem, vrbanitatem, & suæ cum piissimi Regis voluntate conformitatem, cum infinitæ suæ potentiæ periclitatione omnibus sæculis suspicienda coniunctam? At Christus vna solùm hac vice vsus non est, si quidem aliquos audire placet: Sudarium enim (ex Gretsero nostro citato, inquit Chiffletius proximè laudatus) *quo Christus Dominus*

Pollux lib. 7. c. 16.

Ar. Montan. in dictio Syrochald.

Niceph. lib. 2. hist. Eccl. c. 7.

S. Io. Damasc. lib. 4. orth. fid. cap. 17.

nus in monte Oliueti sudorem sanguineum detersit, in summa veneratione habetur in monte sancto Bauariæ: & meritò, mi Christe, visus es Veronicæ, & Iosepho proludere, dum ad extrema certamina, ac funera parabaris.

Christo Seruatori nostro Veronicam inter Ierosolymitanas mulieres, *quæ plangebant, & lamentabantur eum*, properantem ad crucem, longè sanctissimam fœminam sudarium misericorditer sub infami ligno fatiscenti, sudantique porrexisse, tradidit Adrichomius. Cùm enim commiseratione in Christum mota, velum, quod pro more gentis nubendo capiti vtebatur, eius vultui sudore, ac cruore mananti appressisset, ipsius imagine diuinitùs impressum retulit, siue in suæ charitatis mercedem, siue in diuinæ vt ita dicam gratitudinis monimentum.

De diuini oris imagine sudario Veronicæ mirabiliter impressa pluribus Gretserus noster disseruit; vtpote quæ inter imagines non manufactas secundas tenet: idemque Germanorum, præsertim simpliciorum erga effigies ad autographon illius exemplar, coloribus expressas, pietatem non spernendam memorat in hæc verba: *In postica parte altaris summi imago Veronicæ depingi solet; qui igitur altare circumeunt (plerunque enim ita ædificari consueuerat, vt sit circumeundi locus) signo Crucis imagini impresso, mox eodem signaculo frontem suam notant, & hoc more tam vsitato, vt huiusmodi imagines ex assiduo attritu intra paucos annos atterantur; ita vt renouatione opus habeant. In antiquis Missalibus quarundam diœceseon Germaniæ propria de Veronicæ imagine Missa existit, nominatim in Augustano.* Sic ille. Agedum qua veneratione ipsum diuini vultus prototypon non manufactum prosequerentur illi, qui tantum honoris vel ipsis ectypis deferre consueuerunt?

Ad extremum Deipara ad sobolem sibi longè carissimam piè, ac pro sua virili, quàm potuit honestissimè, componendum Iosepho funeris curatori tradidisse fertur. *Mortuum videns filium*, inquit Metaphrastes, *eo motu animi vsa est, vt oportuit, quin etiam in eo de Cruce deponendo maternis manibus inseruiuit, & clauos, qui extrahebantur, sinu suo excepit, & membra illius amplexa est, partim quidem vlnis astringens, partim suis lacrymis plagas emundans, deinde tota toti corpori circumfusa. Ecce tibi ab omni sæculo præfinitum mysterium ad finem vsque venit, ô Domine, placida voce dixit, & Iosepho in manus tradens sudarium ait: tibi autem deinceps curæ erit, vt sepulturæ tradens hoc eum honestè componas, myrrha condias, & ei iusta facias.* Hactenus Metaphrastes. Vtut sit, ne obstinatissimus quisque inficias eat Christi demortui vultum sudario fuisse obnuptum, vt mos ferebat, Nonno & Augustino testantibus, vt non malè quis suspicari possit Christianos idem in morem induxisse. Græcis sacerdotibus mortuis facies velabatur *aëre*, hoc est, tenuiori breuiorique velamine, quo in tremendo Missæ sacrificio τὰ ἅγια, panis scilicet, & vinum conseruanda tegebantur. Apud Latinos S. Cassius Narniensis vrbis Episcopus *moriturus* (inquit

Nonn. in cap. cit. Ioan. & in c. 19. S. Aug. lib. 3. de consens. Euäg. cap. 23.

Euchlog. Græc. Liturg. S. Chrys.

D.

D. Greg. Pont. Max.) *assistentibus ipse suis manibus linteum dedit, quod ex more morientium sibi contra faciem tenderetur, quo tenso spiritum emisit; sicque sancta illa anima ad gaudia æterna perueniens, & carnis corruptione soluta est.* Pertinuit ad nostras vsque Gallias religiosa illa consuetudo, & in funere Caroli magni Imp. Christianissimi exactè obseruata fuit. Vestitum enim *est corpus eius* (verba sunt Monachi Engolismensis) *vestimentis Imperialibus, & sudario sub diademate facies eius operta est.* Quod funebria illa velamenta æquè mortis, ac noctis symbola sint, vt multis iampridem eruditè probarũt vtriusque antiquitatis profanæ, ac sacræ perscrutatores solertissimi Baronius, Gretserus, Serarius & Chiffletius, quò spectasse veterem illum morem, quo Cruci suffigendis caput obnubebatur, pro certo mihi est. Quid enim aliud erant infelices illi cruciarij, quàm *infelicissimæ, & turpissimæ mortis victimæ?* Memoria repete, si placet, Amanum facie tecta in altissimam, & pessimam Crucem datum: recogita conceptam illam suspendiosos damnandi formulam *caput obnubito, infelici arbori suspendito,* & mecum, vt spero, senties. At de his hactenus. *S. Greg. hom. 37. in Euãg.* *Monach Engolism. Anonym. apud Pithoeum p. 80.* *Baron. tom. 2. Annal. Eccles. ad ann. 337. n. 19. & 20.* *Chifflet cit. cap. 8.* *Grets. lib. 1. de S. Cruce cap. 21.* *Serar. in cit. loc. Esth.* *Esth. c. 7.*

Iam ad nostra sudaria Christi Seruatoris vultui post mortem appressa, eorúmque ectypa veniamus. Mirum est, quàm acriter Caluinus iaculator audax, & alter inter Christianos Enceladus, quâ potest manu, mendaciorum suorum tela contorqueat, sed ea felicitate, vt de ipso illud Dauidicum prænuntiatũ iures, *sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum.* Audiamus coaxantem: *Sex* inquit, *septemve locis mendaciter ostendunt Papistæ sudarium, quo caput Christi Domini in sepulchro repertum est.* Agedum, *sexve* tantùm, *septémve locis* ostenditur? Expectabam, dum centum diceres, adeo mentiri tibi assuetum est, ac procliue. Quid de Veronicæ? quid de Abagari Sudariis dicturus? quot illa in locis asseruentur? ede. Silet nimirum vir modestissimus, nobis fortè ad suas nugas responsuris auscultaturus. *Horat. lib. 3. Car.* *Psal. 63. v. 8.* *Caluin. Admon. cit.*

Principiò quid tam insolens dictu? quidve creditu adeò difficile est? *sex, septem, decemve diuersis locis* Sudaria Christi insignita imagine custodiri & coli? Si vnum Veronicæ velum triplicatum fuit, quemadmodum noster opinatus est Salmeron, quid absoni erit diuisum in totidem partes totidem in locis reperiri? delata fuerint in tria diuersa loca, tria memorata superiùs Christi Sudaria, iam sex diuersis in locis habebuntur: quid hic incommodi? Christianorum insuper pietas, & aduersus diuinos vultus religio, è prototypis ectypa effictasque ad viuum imagines fieri accurarit? quid iam causæ erit, vt hæresiarcha impudentissimus vsque eò iudicet & reclamet absurdum, *sex, septemve in locis* Christi Sudaria asseruari, monstrari, adorari? Iamverò triplicatum Veronicæ Sudarium, notat Baronius, Ierosolymis, Romæ, & in Giensi ciuitate Hispaniæ seruari. Viderint alij, an prototypa ectypave duci & dici debeant, quæ Vesontione, Cadurci in Aquitania, Monasterioli in diœcesi Laudunensi monstrantur. Certè, si Chiffletio placet auscultare, Vesontionense, illud ipsum erit Sudarium, quo Christi compo- *Salmer. tom. 10. tract. 38.* *Baron. tom. 1. Annal. Eccl. ad ann. 34.* *Dorland. li. 6. Chrõ. Carth. c. 28.* *Chiffl. cit. c. 6. & 34.*

siti, iam iámque tumulandi facies velata fuit; Cadurcense ad Archetypum Romanum expictum erit ectypon, vti & Monasteriolense quod Vrbani IV. Pont. Max. sacrum rescriptum ad sororem transmissum apertissimè loquitur, ac euincit. Adde & Petrocoriense, quod Nicolaus Gillius apud Monachos Bernardinos haberi memorat. At quo pacto Chiffletius cum Moguntinensibus conueniat? quibus constans fama est S. Bihildem accepisse à Kunegunde, principe fœmina, *Sudarium, quo Christi Domini caput, & facies in sepulchro tecta fuissent*, vt noster Serarius ex MS. veteri narrat? Quomodo & cum Cœnobitis Monasterij Corneliani mille passibus Aquisgrano dissiti? *qui Sindonem mundam, qua Ioseph inuoluit corpus Domini, & partem Sudarij, quod fuerat super caput eius*, vt loquitur Petrus à Beek, sibi à Ludouico Francorum Rege donatum gloriantur? Quid memorem tot sacri Sudarij particulas varijs in locis monstrari, de quibus sequenti capite nonnihil delibabimus. Ego certè nihil à ratione alienum video, quidquid contrà sectarij omnes obganniant, quidquid infirmæ fidei homines occlament, nihil inquam video à ratione alienum credere, dicere, scribere, Christi Sudarium, vel potius Sudaria diuersissimis in locis monstrari, imò & pro prototypis haberi ectypa, quando præter externam speciem, & lineamentorum conformationem, mirabilium edendorum effectuum affusa diuinitus virtus illis accesserit. Pius enim ille error, si quis est, cùm à summa vtrorumque similitudine, tam secundum externam configurationem, quàm secundum mirificam vim proficiscatur, innocens est, aut (vt verius dicam) prudentibus, sanisque viris nullus omnino est. At non pauca, vel ad solum ectyporum contactum patrata fuisse miracula veteres singulorum locorum, vbi illa seruantur, tabulæ multis testantur: vnde mirum non est, si epigrapha, cùm idem sint virtute cum suis antographis, quod entitate non sunt, summa cum religione à fidelibus asseruentur, monstrentur, & magno honore, cultuque afficiantur.

Nic. Gilles. Chron. ad 1399.

Serar. in Mogunt.

BeeK in Aquisgr.

Mitto pluribus dicere de Sudarijs, & imaginibus Christi Domini non manu factis, quæ præter memorata, vt olim varijs in locis, sic & hac nostra ætate dicuntur asseruari, tam ab edendorum miraculorum diuinitus affusa virtute suspicienda, quàm à perfectissima singularum imaginum inter se ipsas similitudine caducæ fidei mortalibus immeritò suspecta. Leuarunt me illo labore Baronius, & Gretserus integro hac vna de re volumine, ac denique secundum illos pereruditus Chiffletius, quocum ad summam dixero: *De quibus omnibus, si aliquis adhuc dubitet, cogitet ille facientem (inquit Hugo à sancto Victore) & definet esse mirabile quidquid erit; & si mirabile esse non desierit, tamen impossibile non erit. Nam si factor omnipotens cogitatur, non erit impossibile, quidquid erit.*

Chiffl. lib. cit. c. 35.
Hugo à S. Vict. lib. 2. de Sacram. p. 4. c. 11.

Cùm ergo apprimè nouisset Christus suos asseclas videndi cælestis suæ pulchritudinis; orísque diuini, è quo *fulgor & maiestas diuinitatis occultæ*, Hieronymo teste, longè latéque *relucebat*, formam futuros

aliquando

aliquando cupientiſſimos, vt eorum vota occuparet, faceretque illis pluſquam ſatis, voluit ipſemet ea ſe forma figurare, quæ deleri poſſet nunquam, atque adeò vniuerſam humani ingenij, artis, manus, ac penicilli ſolertiam, curámque longiſſimè ſuperaret. Hoc iacto fundamento placet ex laudatis authoribus pauca excerpta huc traducere.

S. Hier. lib. 1. comment. in Matth. cap. 9

Imprimis nihil moror Caſaubonum Chriſti effigies, manus, & artis humanæ penitus neſcias, imprimis Edeſſenorum, ac Veronicæ ſudaria Saluatoris noſtri impreſſa ori nequicquam oppugnantem, vtpotè qui *tam validis* (quemadmodum lepidè noſter Gretſerus loquitur) *machinis eas oppugnat, quàm olim ciuitatem ipſam Edeſſenorum oppugnauit Choſroës*, quam expugnare nunquam potuit. Has autem imagines inter, Edeſſena primas tulit in orbe Chriſtiano, & quidem optimo ſanè iure, tùm quia omnium princeps ea fuit, quam Sudario Chriſtus vultui ſuo applicito mirabiliter impreſſit; ne ipſius diuina lineamenta humano Ananiæ pictoris penicillo, & manu quodammodo polluta deformarentur potiùs, quàm exprimerentur: tùm quia plurium ſcriptorum, quà veterum, quà recentiorum teſtificatione, ac laude celebratam fuiſſe memorat Gretſerus, tres ſupra viginti ex antiquis recenſens, ac laudans ſcriptores, ſimul & Molanum meritò reprehendens, qui hanc cum imagine non manu facta Veronicæ confundere, & vnam eamdémque fuiſſe aſſerere non dubitauit. Nec leuiori caſtigatione, atque cenſurâ illos eſſe dignos autumo, qui Edeſſenam illam imaginem non ab Anania, ſed à diuo Thaddæo delatam ad Abagarum fuiſſe crediderunt: toto enim aberrarunt cælo. Etenim Edeſſena paulò antè ſaltem, quàm Chriſtus paſſionem ſuam auſpicaretur ad Regulum illum tranſmiſſa fuit; illa verò, quam ab Apoſtolo Thaddæo delatam ad eundem mentiuntur, diuinitùs eſt impreſſa ſudario, quo ſudorem ſanguineum è ſacro ſuo vultu ſtillantem, imò potiùs vbertim manantem in Oliuarum horto abſterſit Chriſtus (ſi quidem Porphyrogenitum Imperatorem Conſtantinum audire placet) vt eſt apud Cedrenum: vel certè dicendum eſſet duas à Chriſto Saluatore ad Abagarum fuiſſe tranſmiſſas, itáque ſecundas teneret hæc imago non manu facta, quam diuus Thaddæus Edeſſam tulit: verùm quia non admodum probari video iſtius hominis ſententiam nihil hac in parte certi auſim aſſerere. *Cæterùm bellis ingruentibus* (infit Baronius) *ipſa Conſtantinopolitana ciuitate*, in quam traducta fuerat, *ſæpe capta, & ab hoſtibus direpta, atque à Catholicâ primùm communione ſæpe diſciſſa, Dei prouidentia factum eſt, vt eadem imago veneranda fuerit Romam perlata, vbi hactenus colitur in titulo ſancti Sylueſtri.* Sic ille.

Caſaub. exercit. 130 adu. Baron. v. 31.

Gretſ. Syntagm. de imag. non manuf. cap. 8.

Idem. ibid. cap. 5.

Molan. lib. 4. hiſt. de SS. imag. cap. 2.

Cedren. Compend. hiſt. in Tiberio.

Baron. ad an. 944.

Secunda Chriſti effigies ἀχειροποίητο, ſeu non manu deſcripta, dicitur fuiſſe illa, quam in tegulâ, miraculo, & ſuprà quàm poſſis conſequi intelligentia, perfectè expreſſam teſtatur ſecundum Porphyrogenitum Imperatorem Zonaras, & multò clariùs Glycas. Cùm enim Hieropolim Ananias attigiſſet, atque in cumulo tegularum recens factarum ſibi à Chriſto traditam imaginem clam depoſuiſſet, in teſta di-

Zonar. Annal. in Rom. Lampeno.

Glyc. pag. 4.

uinitùs impreſſa, & indice flammarum orbe monſtrata, comparuit imago Saluatoris.

Gretſ. cit. cap. 8. 12. & 13.

Synod. 2. Nic. act. 5.

Cedren. in Iuſtino 2.

Tertia creditur eſſe Camulianenſis, quam ab Edeſſena diſtinctam eſſe probat Gretſerus: eius mentionem non modo Græcorum Menæum & Menologium, ſed etiam ſecundæ Synodi Nicenæ patres conſcripti, ac denique Cedrenus luculenter fecerunt.

Quartam, ſi voles, Heraclianam habes apud Glycam, & Cedrenum: Heraclius enim contra Phocam acie decertaturus, *Cum magnâ & armata claſſe Conſtantinopolim appulit, ſecum ferens Saluatoris imaginem nullo manus miniſterio factam.* Dixi (*ſi voles*) quod certò minimè conſtet huiuſcemodi imaginem nullâ humanâ manu, induſtriâque deſcriptam fuiſſe Archetypon, eamque Camulianenſem, an potius ex Camulianenſis, vel Edeſſenæ Archetypo tam bellè, atque apprimè delineatam, vt prototypa potuerit haberi. Enimvero tam ex Camulianenſi, quàm Edeſſena, prototypis imaginibus, alias plures coloribus expreſſas extitiſſe, non malè Gretſerus cenſuit: certè Nicephorus author eſt, *Perſarum Regem manu, ingeniôque promptum pictorem miſiſſe, & per hunc feruenti fidei deſiderio ſimul, & ipſius Chriſti, & quæ per eum diuino modo genuit, Matris quàm celerrimè imaginem depictam accepiſſe,* ex prototypo ſcilicet Edeſſeno: vti & Epiſcopum Samoſatenſem vnam, alteramque è Neſtorianorum depromptam Eccleſia penicillo adumbratas retuliſſe, liquet ex Conſtantini Porphyrogeniti oratione. Quid ſi, & Camulianenſis imago Ectypon fuit? viderint alij.

Niceph, lib. 2. cap. 7.

Gretſ. loc. cit. cap. 6.

Act. Vit. S. Paul. in Latro.

Quintam ἀχειροποίητον ex Edeſſena geminatam refert author vitæ ſancti Pauli in Latro aſcetæ ſanctiſſimi, circa annum 944. ad quem cùm nuntius literas Conſtantinopoli detuliſſet, *datiſque, ac receptis iam literis ad reditum accingeretur, vnum ab eo Sanctus petiit, vt non manu factæ Chriſti imagini (quam mantile ſanctum appellare mos eſt) lineum æquale velum applicaret, idque ſibi mittere ne grauaretur. Factum eſt quod poſtulabat, miſsúmque velum ex animi ſententiâ, quod cùm expandiſſet, Chriſti effigiem in eo ad amuſſim expreſſam, & figuræ figuram exactiſſimam vidit, aliis autem nihil tale viſebatur.*

Raderus 1. par. Viridar.

Superioribus ſextam annumero illam, quæ temporibus Tiberij Imperatoris in tela bombycina mirabiliter expreſſa ex archetypo Edeſſeno reperta eſt, vti fusè Raderus noſter ex Græcorum Menæo retulit: ex quo reliquis omiſſis hanc longioris hiſtorię laciniā inſtituto noſtro opportuniſſimam hîc aſſuo. *Aperta capſula* (qua imago Chriſti ἀχειροποίητος incluſa fuerat à religioſiſſima matrona, quæ ad faciēdam ſibi malè affectæ medicinā, veniam à ſacrarij cuſtodibus obtinuerat ipſam in larariū domeſticum transferendi) *aperta, inquam, hierotheca ſanctam Domini effigiem ſine manu expreſſam à flāmis mirabiliter circumlambentibus illæſam, intactāque reperêre ſacerdotes. Quin & telam illam ſericam à Patricia impoſitam imagini tollentes, eadem prorſus, & gemina illi archetypæ, ô ſtupendum miraculum! Domini forma ſine vllius ope inſignem inuenerunt, laudatôque ſuper hoc beneficio numinis, exoſculātes imaginem fæminæ laboranti*

ranti imposuerunt, quæ subitò sibi penitus restituta consurrexit, Deóque debitas laudes cum toto sacerdotum, & populi cœtu persoluit. Hæc ibi.

Hîc iam nostræ ætatis Copronymi rediuiui contra multiplices illas Christi effigies non manu factas, stylo, & ore debacchentur, quid tandem euincent, nisi vt magis, magisque de ridiculo habeantur? Scilicet mirabiles diuini vultus imagines pluribus in locis asseruari, ac coli absonum, & à veritate prorsus alienum videri debeat, cùm & ipsæmet plures reipsa extiterint, & multò numerosiora deinceps excerpta ex illis ectypa potuerint à fidelibus accurari, quæ ἀχειροποίητα, seu non manufacta fortè ab ignara, & pia plebecula, vt fit, nuncupata fuêre quòd ad archetypon, veramque ipsius similitudinem efformata, forent illi simillima. Earum verò veritatem, sanctitatem, & religiosum à Christianis exhibitum cultum, nimiùm quantùm manifestè, atque indubitanter probant, confirmantque victoriæ ipsarum prototyporum, ectyporúmve præsidio, ac tutela mirabiliter reportatæ; instituti in earumdem honorem festi dies; peregrinationes ad illas susceptæ; aliaque miracula non pauca diuinarum huiuscemodi imaginum ope supra naturæ facultatem patrata, quæ apud Gretserum Lectori piè curioso percurrenda relinquo.

Per transennam hisce Christi Seruatoris Iconibus eam, velut lembum onerariæ, alligo, quam Diuus Lucas ad viui, spirantisque Christi similitudinem apprimè depinxisse, Metaphrastes testatur: illius hæc oratio est. *Hoc inter cætera gratissimum est, quòd ipsum quoque assumptum typum humanitatis Christi, ac signum eius, quæ illum peperit, Lucas primus omnium cerâ, & lineamentis pingens, vt ad vsque tempora in imagine honorarentur, tradidit, tanquam non satis esse existimans mente, & spiritu cum his esse, quos desiderabat; nisi etiam per imaginem, & typum versaretur cum eis, quod feruentissimi amoris indicium est.* Sic Metaphrastes. Atque de his non manufactis Christi imaginibus disputatum satis.

Metaphr. in vit. S. Lucæ.

SECTIO TERTIA.

Claui Dominici in suis prototypis & ectypis, diuersis in locis seruati.

EAmdémne feremus de clauis, quibus Redemptor noster Cruci suffixus fuit, sententiam, & de sindonibus, & sudariis, imaginibusque, non humana manu factis? Eamdem prorsus quicquid contra Orthodoxos oblatrent Cynicorum maximi, Caluinus & Beza, qui tot diuersis in locis clauos pro Dominicis affirmant venditari, *vt si quis numerum inire vellet, grandem sit inuenturus summam.* Omninò sic est, magna

Caluin. lib. sæpe cit. Beza serm. 27. de Pass. Christi.

magna eſt, fateor, clauorum Dominicorum ſecundum externam ſpeciem, & conformationem copia; ſecundum entitatem numericam, non ita.

Certum eſt enim primò quatuor ad ſummum clauis diuiniſſimum Chriſti Seruatoris corpus à Iudæis Cruci affixum pependiſſe, vt S. Brigitta, ſummus Pôtifex Innocentius, S. Gregorius Turonenſis, & Nonnus manifeſtiſſimè, ſubobſcurè D. Cyprianus, tradiderunt. Quid referam innumeram recentiorum ſcriptorum turbam, qui in hoc argumento ſumma cum eruditionis laude verſati ſunt? habentur præ omnium manibus Lindani, Toleti, Molani, Lorini, Collij, Gretſeri, Lipſij, aliorumque id genus doctiſſimorum virorum lucubrationes, quas conſulere quiuis poterit. Hos autem clauos Beatiſſimæ Dei Genitrici primùm acceptos referre debemus, quòd Seruatore noſtro è cruce depoſito, eos haud aliter, quàm Gemmas pretioſiſſimas, & humanæ ſalutis chariſſima pignora virgineo ſuo excepit ſinu, vti Simeon Metaphraſtes in hunc modum poſteritati conteſtatum reliquit. *Quinetiam in eo à cruce deponendo maternis manibus inſeruiit, & clauos, qui extrahebantur, ſuo ſinu accepit.* Tùm in antro, in quo ſepulchrum Chriſti exciſum fuerat, vnà cum adorãdo eius corpore mœrens recondidit. Vſu enim frequentiſſimo apud Hebræos receptiſſimum Rabbini ſcripſerunt extitiſſe, vnà cum damnatorum cadaueribus, ipſa etiam inſtrumenta, quibus mors illata fuerat, vt puta cruces, clauos, lanceas, lapides, & his conſimilia pro vario mortis, quâ fuerant affecti genere, contumulandi, vti Eminentiſſimus Cardinalis Baronius accuratè obſeruauit. Quatuor verò clauos admittere non inelegans à Collio inuenta, ſeu prolata ratio facilè perſuadet. Quot enim milites Chriſto Cruci ſuffigendo nauarunt operam, *Tot claui, quibus innocens Agnus cruci ſuffigendus erat, videntur admittendi; vt & inſtrumentum artifici, & diuerſis crucifixionis Dominicæ cauſis efficientibus varij pariter, numeróque æquales effectus reſponderent: milites autem Chriſti membra transfigentes quatuor extitêre, vt locuples auctor, & teſtis eſt diuus Ioannes Euangeliſta, cap. 19. vbi: milites ergo, inquit, cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem, & tunicam. Si enim vnicuique militi Chriſti crucifixionem perpetranti data eſt per æqualitatem diſtincta pars veſtium Chriſti, profectò ambigi non poteſt, quatuor pari modo clauos propria transfoſſionis corporalis Chriſti inſtrumenta extitiſſe. Nam æquale præmium æqualem laborem exigit in iis, inter quos præmium diuiditur.* Hæc pluribus aliáque. Cæterùm Dominicos tandem clauos vbi aſſecuta eſt ſapientiſſima Imperatrix Helena, *De vno Clauo*, inquit ſanctus Ambroſius, *frænos fieri præcepit, de altero diadema intexuit: vnum ad decorem, alterum ad deuotionem, vtroque vſus eſt Conſtantinus, & fidem tranſmiſit ad poſteros Reges.* Sapienter autem Helena tertium in Imperatoris Galeam *artificioſè includendum curauit, quò capiti filij ſui conſuleret, & hoſtium tela depellerentur*, vt loquitur Theodoretus; Multò veriùs (meo quidem iudicio) philoſophatus

S. Brigit. lib. 1. reuel. c. 19. & lib. 4. c. 70. Innoc. 3. ſerm. 1. de vno Mart. Greg. Turon. lib. de glor. MM. c. 6. Nonn. in c. 19. S. Ioan. Cypr. ſerm. de Paſſ. Tolet. in c. 19. Io. cit. annot. 14. Linda. lib. 14. panopl. c. 47. Molan. lib. de pict. SS. c. 24. & 75. Coll. lib. 3. de ſang. Chriſti. diſp. 13. cap. 1. Gretſ. lib. 1. de S. Cruc. c. 20. Lipſ. in not. ad lib. 1. de Cruc. cap. 9. Lorin. in Pſ. 21. v. 17. Metaphr. apud. Suar. tom. 4. die 15. Aug. Baron. tom. 1. Annal. Eccl. ad ann. 33. Gretſ. lib. 1. de S. Cruc. c. 62. Coll. lib. 3. de ſang. Chriſti. diſp. 13. cap. 2. S. Ambroſ. orat. in fun. Theod.

Theodor. lib. 1. hiſt. Eccl. cap. 18.

philoſophatus quàm Zonaras, & Gregorius Turonenſis à me laudatus, qui tertium hunc clauum in capite ſtatuæ Conſtantini defixum ſcribunt. Quartum denique in mare Adriaticum ad ſedandas ſæuientis pelagi procellas ab Helena proiectum refert Gregorius, quamuis noſter Gretſerus fortè non obeſâ, & ineruditâ nare ſubolfecerit, clauum, quo de agimus, *non tam demerſum fuiſſe in mare, quàm immerſum, vix enim credibile eſt, Helenam tanto theſauro, & ſolatio tam ſe, quàm alios penitus priuare voluiſſe.*

Zonar. 3. part. Annal.

Gretſ. lib. 1. de Cru. cap. 93.

Certum quoque ſecundò eſt, variis in locis toto paſſim orbe Christiano plures, & (vt id demus liberaliter Caluino) *quatuordecim* Dominicos clauos cuſtodiri, monſtrari, coli. Quid ita? *Id fortaſsè accidit* (cum Baronio loquor, ac cenſeo) *vt ex aliquo Chriſti clauorum modica ſingulis acceſſerit portio*, (ſic ex prototypis facta ectypa) *vt proinde quiſque vnus, idemque è clauis Dominicis haberetur.* Ea enim fuit maiorum noſtrorum erga Sanctorum ac Chriſti maximè Lipſana pietas, atque cupido, vt cùm ipſiſſimos clauos, quibus Chriſtus Dominus ſuffixus fuerat Cruci, aſſequi non poſſent, ad eorum ſaltem ſpeciem, & menſuram alios ſibi curarent procudi, hoc vno in paucis contenti, atque ſibi beatuli, quòd ectypi veros clauos dumtaxat contigiſſent, & ab eis non modò ſpeciem aliquam ſanctitatis, ſed etiam ad edenda diuinitùs miracula virtutem adeò ſimilem contraxiſſent, vt in eoſdem ipſos Seruatoris clauos commutati viderentur. Collio tantopere deſipuit hæc Baronij ſententia, & ratio, vt *multis de cauſis improbandam, imò velut figmento non abſimilem condemnandam* affirmare non dubitarit. Papæ! quàm ſe rigidum vir cæteroquin eruditus, ac pius exhibuit hac in parte cenſorem! At viderit ipſe, quo robore ſint ſuarũ rationum firmamenta; viderit an meritò ſimile figmento ſit eos Clauos pro veris Chriſti habere, qui reipſa meliore ſui parte, ſi non maiore Chriſti ſunt Claui, hoc ipſo quòd aliqua verorum ipſius clauorum portio, quamuis modica, illis commiſſa fuerit vel inſerta. Viderit *an perpetuum antiqui æui ſanctorum Patrum*, ſuper hac opinione *ſilentium manifeſtè loquatur futilem eſſe, ac euitandam huiuſmodi opinionem*, quâ tot pluſquam ſtentoreæ voces, quot ab illis Dominicorum clauorum ectypis edita ſunt miracula, non tam approbare quàm è Cœlis collaudare non nemini videri poſſunt. Viderit ad vltimum, quàm bellè ſibi conſtet, qui ſub finem ſuæ diſputationis inter alias ſuſpiciendæ & nimiò plus fortè ſuſpectæ venerabilium Chriſti clauorum multiplicitatis cauſas, hanc ipſam, quam viſus fuerat impugnare, in hæc verba conceptiſſima, profert in medium: *ſiue tandem alij ad veros Domini clauos repræſentandos eff rmati ſunt iuſto quodam fidelium huius temporis deſiderio, quo hæc ipſa humanæ Redemptionis inſtrumenta apud ſe retinendi flagrabant. Nam cùm propriis ac veris Chriſti clauis potiri non poſſent, ad illorum ſimilitudinem alios curauerunt effici, vt hac ſaltem depicta veri claui ſpecie, illorum pietas paſceretur, qua efformatos clauos, vti expreſſum quoddam paſſionis Chriſti veſtigium, venerabantur.* Quid aliud à Baronio,

Calu. lib. vt admon. Coll. loc. cit. c. 4.

Baron. tom. 3. Annal. ad ann. 326. n. 54. Coll. ibid. cit. loc.

Gretſ. lib. cit. c. 20. Iac. Boz. lib. 1. de Cruc. triũph. c. 15.

Coll. lib. 3. de ſang. Chriſti diſp. 13. cap. 4.

ronio, Gretſero, Boſio, dixit Collius, dum dixit minus? Aliquam enim è veris Chriſti Seruatoris Cruci ſuffixi clauis particulā aliis recèns conflatis committere, vel inſerere ſolitos olim fideles, dicere prætermiſit, veritus (vti quidem reor) ne ea opinio *quemlibet*, inquit, *trahere poſſet in ſuſpicionem apertam, propriàne an aliena ſit clauorum Chriſti materies, quam ſolemni ritu & ceremonia omnes ad vnum venerati ſunt hactenus.* O metum! vt vt ſit,

Lipſ. loc. ſupr. cit. Cratepol. in SS. Germ. catal. verb. S. Matthias Sauſſ. Martyr. Gall. 24. Febr.

Liceat iam Treuiris clauum, quo dexter (vt aiunt) Chriſti crucifixi pes fuit terebratus, religiosè oſtentare, dummodo & Galliæ noſtræ integrum ſit gloriari, ſe duobus ad minimum clauis, quibus vita noſtra, Dominus ſuffixus è viuificâ cruce pependit, ingentis inſtar theſauri locupletatam potiri. Eorum vnus ad D. Dionyſij inter ſacra cimelia cuſtoditur, quem Carolus Caluus Imperator in regiâ illâ Baſilicâ depoſitum, à ſuis Francis, & à ſubſequuturis Regibus voluit coli. Hic dum aliquando ſub Abbate Odone religiosè, vt fit, exoſculandus præberetur confluentium fidelium multitudini, neſcio quo pacto, è ſua lipſanotheca dilapſus inter confertam vulgi turbam euanuit. *Illuſtriſſimus autem, & pius iuuenis Rex Ludouicus* (verba reddo Nangij) *tandem præ doloris magnitudine exclamaſſe dicitur,* (Sic ipſum ea iactura pupugerat) *ſe maluiſſe optimam Regni ſui ciuitatem hiatu terræ funditùs periiſſe.* Pariſios tantæ iacturæ rumor, dolorque continuò peruaſit: ciues pro eo recuperando ſupplices ad Deum accedere, accidere Diuorum aris, ſolui vbertim in lacrymas. *Timebant enim quàm plurimi de ſapientibus* (inquit Nangius) *ne fortè infortunium, quod in capite Regis contigerat, toti Regno aliquod graue incommodum, vel etiam generale excidium, quod auertat Omnipotens, præſignaret.* Tanti venerandum hoc Palladium erat. Tandem poſt multas preces, lacrymas, vota, quidam conſcientiâ ductus, quòd in tanta Regis & vrbis Regiæ conſternatione aliquot iam dies tacitum & abditum apud ſe haberet clauum Dominicum, ſacra patienti Chriſto die, clam in diui Dionyſij æde repoſuit, ſibique animi tranquillitatem, Regi lætitiam, bonis omnibus vitam, regno reddidit vno momento ſecuritatem. Altero Seruatoris clauo in frænum ab Helena conformato Mediolanum, ex Caluino, imò & Carpentoractum potitur, ſibique diuinitùs datum mirum quantùm gloriatur, vt veterem illam Zachariæ denuntiationem aliquando expletam oculis vſurpet ſuis: *In die illa erit, quod ſuper frenum equi eſt, ſanctum Domino.* Quemadmodum Theodoretus, Ambroſius, Cyrillus, aliique ex aliis interptetari olim amauerunt.

Nangis de geſt. S. Lud.

Theod. lib. 1. Eccl. hiſt. cap. 18 S. Ambroſ. or. in fun. Theod. Cyrill. &c. apud Gretſ. l. 1. de cruc. cap. 93. Zach. cap. 14. v. 20.

Alias duas rationes eiuſdem multitudinis clauorum, qui alibi fortè dicuntur aſſeruari, Eminentiſſimus Cardinalis Baronius, & noſter pereruditus Gretſerus ſubminiſtrarunt. Vnam hoc loco ſubiicio. Cùm tabella ſeu titulus Seruatoris è cruce pendentis capiti ſuperimpoſitus ſimul, & ligna, è quibus Crux compacta erat, clauis affixa fuerint, facili æquè, ac tolerabili errore, Chriſtiani ipſos adepti potuerunt ſibi in animum inducere iſtiuſmodi clauos, illos ipſiſſimos eſſe,

quibus

quibus Seruator noster infami ligno suffixus fuit. *Pilatus* enim, teste D. Cypriano (vt creditur) veteri saltem scriptore *in capite ligni clauis affixam cum nomine Regis Iudæorum confixit.* Quod vero simillimum videtur ex illis S. Ioannis Euangelistæ verbis, *scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super Crucem; erat autem scriptum, Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum.* Licet enim D. Ioannes de Clauis nihil penitus meminerit, probabile tamen ea coniectura redditur, tùm ex Bedæ existimatione, qui agens de materia Crucis, *Buxus*, inquit, *non fuit in cruce, nisi tabula de illo ligno super frontem Christi fuit, in qua conscripserunt Iudæi titulum.* Tùm ex tabella, quæ Romæ religiosè asseruata populo, vti & Tolosæ spectanda exhibetur; nam cùm illa alicuius esset ponderis, siue è Buxo, siue è quercu, siue ex alia quavis arbore conflata fuerit, debuit summæ Cruci clauis affigi, & ne deorsum breui laberetur, non vno fortè clauo appingi. Nonnus egregius S. Ioannis Paraphrastes bellè adstipulatur, cum sic canit πιλατὸν θηητὸν ἐπέγραφε μάρτυει γόμφῳ γράμμα. *Pilatus spectabilem inscripsit teste clauo inscriptionem*, quibus denique Gretserus, & Lipsius consentientes tabulam illam feralem, Christo tamen erhonorificam, viuifico Crucis ligno clauis offixam fuisse tradiderunt. Huc accedit aliquorum non vsque eò inepta coniectura, qui, Collio laudato teste, censuerunt quàm multos supra quatuor illos fuisse adhibitos à militibus clauos, qui cùm ligni duritiem ac nodos peruadere penetrando non possent, illicò obtunderentur, ad sustinendam Dominici corporis molem, inepti, & inutiles redditi, rursus è vulnere Christi patientis impacto eruti abiicerentur longissimè: fieri potuit, vt diuino imbuti cruore, vel à D. Virgine, vel à B. Ioanne, vel à piis mulieribus, vel à Centurione, aliisque piis huiusce lanienæ spectatoribus, tanquam thesaurus collecti studiosissimè fuerint asseruati. Atque hinc fortassis occasio data fuerit pio errori, quo tot diuersis locis claui Dominici crederentur asseruari. Alteram eiusdem erroris innocentissimi causam alibi dabo opportuniori loco.

S. Cyprian. serm. de Sina & Sion. *Ioann. cap. 19. v. 19.* *Beda in Collectan.* *Nonn. in c. 19. Ioann.* *Gretſ. sæpe cit. & Lipſ. infr. prox. citt.* *Collius loc. supr. cit.* *Lipſ. in not. ad lib. 2. de Cruc. cap. 11.* *Infra cap. 4. art. 3. sect. 2.*

SECTIO QVARTA.

Tunica inconsultis Christi; Velum quo Christus in Cruce pendens fuit velatus, diuersis in locis in se suisque ectypis seruata.

MEmorabilis est, & veneratione digna hæc tunica, siue ob Christum, cui fuerat elaborata, siue ob Virginem Deiparam, quæ illi, vt *mulier* illa *fortis operata est consilio manuum suarum.* Non alia fuit

Prou. cap. vlt.

Euthym. in cap. 27. Matt. *Io. Bapt. Mãtuan. lib. 3. Parth.* *Baron. tom. 1. Annal. ad ann. 34. n. 113.*

opinio Euthymij, religiosissimique poëtæ Ioan. Bap. Mantuani, quem sic canentem audio:

Cùm primum dulces infans proferre loquelas
Cœpit, & aduersis vestigia figere plantis,
Mater ei tunicas habiles ordita, nouumque
Vestis opus, niueo puerum velauit amictu,
Suspiciensque polos, inquit, date Numina vesti
Incrementa mea, pueri cum corpore semper
Crescat, & ad sanctos vltrò se accommodet artus
Non gladium, tineamve ferat, non trita senectæ
Cedat, & hæc nostri durent monumenta laboris.

Esdr. lib. 3. c. 4. v. 17.

Sic nimirum Beatissima Dei genitrix de fœminarum Israëliticarum & Ægyptiarum, quibus cum λινεργὸς aliquandiu vixerat, negotiosa, & laudabili consuetudine, suauissimo suo pupulo tunicam solers operaria texuerat, quam hisce pauculis verbis B. Ioannes describens, *Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta, per totum*, mirificè commendauit, & quam Regius vates oculis plusquam lynceis longè antè peruiderat, vt idem Euangelista testatur.

Ioan. cap. 19. v. 23. *Psal. 21. v. 19.*

Hanc autem à suis impudentissimis calumniis illæsam ferre non potuit pro suo more Caluinus, dum Catholicis mendaciter imponens: *In hoc*, inquit, *sceleratiores sunt Papistæ, quàm carnifices Domini, cùm hi inconsutilem vestem discindere horruerint; Illi verò iam in duas non quidem partes, sed integras vestes dissecuerint?*

Caluin. Admon. pro Reliq.

Nimirum hæc proiecti in omnem audaciam hæresiarchæ criminatio, & calumina est, neque enim virgineâ Deiparæ manu laboratam Christi tunicam diuisimus, nec dissecuimus, nec geminauimus, sed ad summum, alteram, aut plures, si volet, ad veræ, ac primæ illius tunicæ similitudinem, formam, atque mensuram piâ fidelium imitatione tam belle expressam fuisse dicimus, vt accedente miraculorum virtute non alia, sed eadem; non ectypa, sed prototypa, veraque Christi Seruatoris tunica videri possit, & religiosè, vti factum est hactenus, ab omnibus adorari.

Sigeber. in Chron. ad ann. 593. *Aimoin. lib. 3. de gest. Franc. c. 78.*

Atque hoc modo non vno in loco illam olim seruatam, & nunc asseruari literis proditum est. Sigebertum sequutus Aimoinus in hunc modum enarrat, *inuentam esse, profitente quodam Simone, Iacobo Patre progenito, qui per duas hebdomadas pœnis affectus, tandem professus est ipsam tunicam in ciuitate Zaphat procul à Ierosolymis in arca marmorea positam esse. Quam Gregorius Antiochenus, & Thomas Ierosolymitanus, Ioannes quoque Constantinopolitanus Episcopus, cum aliis multis Pontificibus, triduano completo ieiunio cum deuotione maxima transtulerunt, ac in loco quo Crux Dominica veneratur, posuerunt cum ipsa in qua priùs fuerat, arca marmorea: quæ tanta leuitatis, dum efferretur, fuisse visa est, vt nullum onus portantes senserint.* Hæc ille. Suâ verò ætate Gregorius Turonensis refert hanc tunicam *in ciuitate quadam Galatiæ conseruatam, simul & cistam, in qua recondebatur à Christianis singulari pietate,*

Greg. Turon. lib. 11. hist. Franc. c. 11.

pietate, ac veneratione affectam fuisse, nec sanè, vt ait, immeritò, quæ hoc vestimentum retinet, quod Dominicum corpus vel contingere meruit, vel velare. Iam verò alteram seruari Argentolicæ oppido ditionis Parisiensis; alteram Treuiris, reliquas alibi plures, vel ipso Caluino teste, certum est: verùm non propterea, vt ipse mentitur, *duplicamus, vel diuidimus*; sed vnam duntaxat ex illis ciuitatibus primæuam, veram, & germanam tunicam, penès se habere dicimus, alias verò ad similitudinem illius primæuæ, ac prototypæ solùm expressas, effictásque possidere, ac deuenerari. Ecquis piam fidelium erga hasce tunicas credulitatem, & cultum per omnium ora traducere, ac superstitionis insimulare, nisi Lucianus alter audeat? potissimuùm si ad contactum primæ illius tunicæ aliis diuinitùs impertita fuerit miraculorum patrandorum facultas: Præiuit nobis in hac fide piissima illa hæmorrhoissa, quæ, vt cum Ambrosio loquar, *verecunda, religiosa, fide promptior, pudore constantior* (*hoc enim pudoris & fidei est, agnoscere infirmitatem, non desperare veniam*) *dicebat intra se: si tetigero tantùm fimbriam vestimenti eius, salua ero.* Tandem diu eluctata, & *verecunda*, tunicæ Christi *fimbriam tetigit, fidelis accessit, religiosa credidit, sapiens sanatam se esse cognouit.* Nouerat enim Diuino fidei lumine insigniter illustrata tantam Christo sanctitatem & potestatem inesse, vt illaberetur in vestem, quæ licet in se morbos abigendi facultatem penitus haberet nullam, tamen, *vsque in fimbriam eius operatio diuina procederet*, vt loquitur Hilarius, aliíque secundùm ipsum censent interpretes. Inauditum aliquid, & maius dicam: nobis ipsimet milites in hac fide facem prætulisse visi sunt, Euthymio si lubet auscultare, dum sortes misêre, *vt quis* è Christi tunica, *quid tolleret*; quod certè idcirco præstiterunt, quia mirificam inconsutili illi tunicæ virtutem ad omnia morborum genera depellenda infusam certò in animum induxissent. O eximiam virtutis Dominicæ demirationem! Pudeat Christianos militibus, qui Christum egerunt in Crucem, de fide concedere, eíque tunicæ minus deferre venerationis quâ Christum olim amictum fuisse credunt, quàm eos, quibus necdum Iustitiæ sol illuxerat. Verùm ad alia progrediamur.

Cratepol. in catalog. SS. Germ. verb. Matthias.

S. Ambros. in Luc. lib. 6.

Matth. 9. 21.

S. Chrysost. homil. 23. in Matth.
S. Hilar.
D. Thom. & Dion. Carth. in eund.
Optat. Milenit. lib. 5. Parmen.
Euthym. in Matth.
Marc. 15. 24.

Occursat animo velum, quo Christi in cruce pendentis partes, quas natura tectas voluit, fuerunt obuelatæ. Quâ in re non vna fuit olim, atque etiamnum est scriptorum sententia.

Neganti fauent non pauca. Primum, eorum temporum apud veteres consuetudo, vt iampridem Gretserus, Lipsius, Bosius, aliíque viri benè literati annotarunt. Vnde erudita potius, quàm verosimilis est illa maximi somniorum interpretis Artemidori opinatio. *Crucifigi*, inquit, *bonum est pauperi, quia sublimis est crucifixus: noxium verò diuiti quia nudi crucifiguntur.*

Secundum, efferata rabies, & odium plusquàm Vatinianum, quo abrepti Iudæi, nullum non crudelitatis, & ignominiæ genus aduer-

Gretser. lib. 1. de Cruc. cap. 22.
Lips. lib. 2. de Cru. cap. 7.
Bosius lib. de Cru. trium.
Artemid. lib. 2. onirocr. cap. 58.

sùs Christum, hoc est, Messiam suum, mundíque Seruatorem exercuêre. At quem latet non exiguum esse ignominiæ genus, per ludibrium indecorè denudari, quandoquidem, si casu id solum contigerit, viro honesto sit longè grauissimum? Veniat in mentem vnus Noëmus, qui *cùm insuetus esset vino*, inquit Cyrillus, *protinus inebriatur, atque somno deditus inopinatam verendorum nuditatem patitur*, non (vt maledicentissimo stylo, & digno viperarum Sectariorum capite, scripsit Caluinus) *turpem, ac pudendum in modum sui oblitus nudum se in terram deiicit, vt pateat omnium ludibrio*. Sic impudenter mentitur homo Apostata, qui pro sua in sanctissimos viros maledicentia, *sancto Patriarchæ, insigni frugalitatis, ac temperantiæ exemplari* (vti Noëmum ipsemet nominat) non *inopinatam*, cum D. Cyrillo & Theodoreto, sed spontaneam affingit nuditatem quâ per deridiculum omnibus se daret, quòd enim *nudatus fuerit, nihil noui pertulit*, infit Theodoretus; *etenim etiamnunc quidam dormientes nudantur, somno sensum eripiente; Cùm autem somno accedit etiam ebrietas, multò magis cognoscendi adimit facultatem*. Quam nuditatem tametsi inuoluntariam, & inopinatam, & consequutam ex illa Chami filij sui (si tamen filij, à naturæ legibus alienissimi) impudentissimam irrisionem vsque eò Noëmus tulit ægerrimè, vt postquam *edormiit, hanc crapulam*, (verbis vtor Plautinis) *quam potauerat præter animi quam libuit sententiam*, cognouítque à Semo & Iaphet rem, vti facta fuerat, Chamum diris deuouet, eíque vilissimæ seruitutis maledictionem in pœnam imprecatur, simul Propheticâ voce nepoti suo Chanaan, & sub ipsius nomine Chananæis vaticinando denuntiat in hæc verba: *Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis*. Quæ cùm ita sint, Ecquis credat Iudæorum carnifices, id ignominiæ genus in Christo, malæ Crucis tùm candidato prætermittere voluisse, vt ipsorum in eum odio facerent satis, suámque explerent crudelitatem?

Cyrill. lib. 4. in Gen.
Caluin. in cit. Gen. loc.
Theodor. q. 56. in Gen.
Plaut. in Rud.
S. Chrysost. homil. 24. in Gen.
Perer. Delrio, &c. interp. in cit. loc. Gen.
Salian. tom. 1. Annal. ad an. 1671. v. 5 & seq.

Psal. 43. 17.

Tertium, vaticinia Prophetarum, quale est illud Dauidis: *Tota die verecundia mea contra me est & confusio faciei meæ cooperuit me. Quæ autem confusio*, rogitat mellitus Doctor, *nisi Crux? quòd nudus pependit in ea*, Agnus innocentissimus Christus? Alienis enim obtutibus nudi apparere confundimur, quàm qui maximè, nobis hac in parte vtroque protoparente nostro, Adamo, & Eua, præeuntibus, qui (vt loquuntur sacræ paginæ) *cùm cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi periZomata*; & (quod magis est) diuinos Conditoris, ac Creatoris sui oculos, ne quidem ferre potuerunt nudi, *nec iam illam nuditatem* (inquit S. Augustinus, non immeritò) *audebant ostendere talibus oculis, quæ displicebat & suis*. Idcirco quæritante Deo, *Adam vbi es?* hac excusatione se tegere, tuerique ausus est: *timui, quòd nudus essem, & abscondi me*. Ad mentem potiùs, quàm ad verba interrogantis respondit, vt vides, & latebrarum causam, pudorem ex nuditate subitò profectum protulit, cu-

Gen. 4. 7.

ius

ius pudoris posteros reliquit hæredes. Ad summam vtriusque nuditatem, atque ex nuditate verecundiam miseratus Deus; *fecit Adam, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Accedit & alterum eiusdem Prophetæ Regij vaticinium, quo se Christus in Cruce nudum fore præsagiit: *diuiserunt sibi vestimenta mea*, infit, *& super vestem meam miserunt sortem*, carnifices nimirum, seu milites, qui ipsum egerunt in Crucem. Debuit enim Seruator noster antè vestes exuere quàm Cruci suffigeretur, vt milites eius vestimenta sibi diuidere, & super eam sortem mittere valerent.

Quartum est, absoluta figurarum expletio. Cuiusmodi fuit Adami nuditas, de qua sic philosophatur Ambrosius: *Refert considerare qualis Christus ascendat. Nudum video: talis ascendit, quales nos auctore Deo natura formauit: talis in paradiso homo primus habitauerat; talis ad Paradisum homo secundus intrauit.* Eadem habet Athanasius, & secundum eum Bonauentura, Ludolphus, aliique complures. Aliud nihil nuditatem Noëmi à vino consopiti præfigurasse, quàm Christi, à vino amoris sui, in Cruce dormientis mortis somnum, omnimodam nuditatem omnes illi censuerunt, qui sanctissimum Patriarcham, Christi figuram extitisse opinati sunt cum Cypriano, & Augustino, Ruperto, Isidoro, & aliis permultis. Hinc facilè adducor, vt credam, inter *arcana mysteria*, quæ Noëmum in sua illa innocenti ebrietate, ac somno cognouisse Chronicon Alexandrinum memorat, hanc Christi in Cruce pendentis nuditatem non vltimam fuisse. Sileo Isaiam nudum ex Diuino imperio obambulantem, quem, non Prophetico duntaxat habitu deposito, sed vestibus omnibus exutum se in conspectum populi dedisse asseruit Hieronymus, eiúsque sequaces, cui tamen subligacula Pintus & Arias Montanus reliquerunt, vt pudori, & honestati consulerent.

In affirmantem sententiam iuerunt bene multi. Primùm Græci omnes, & è Latinis, qui more Græcanico Christum Cruci affixum numquam nudum, sed vestitum repræsentant: vti apud Louanienses in templo principe, & Narbonenses nostros videre est, Molano referente, & apud Lucenses, teste Franciottio. Adde duas Seruatoris crucifixi imagines, quas ex variis Italiæ archetypis expressas, pium Friderici Borromæi Cardinalis Eminentissimi munus Marco Velsero missum, noster Gretserus exhibet, in quarum altera Christus visitur, *brachia nudus, toto reliquo corpore vsque ad talos tunicâ vestitus:* in altera D. Petrus ad magistri amantissimi similitudinem tunicâ indutus totum planè corpus in Cruce pendet. Quæ consuetudo fluxisse videtur, ex historia, quam refert Gregorius Turonensis, quem consule. S. Btigitta, non vno loco testatum reliquit Christum iussum (vt erat *obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis*) adorandum Angelis & hominibus corpus, paupertinis quidem vestibus exuisse, at linteolo sibi oblato ilia præcinxisse, ne quid non tectum esset, quod pudor, & verecundia apertum esse prohibet. Verùm Deipara apud D. Anselmum

Ibid. v. 21.

Ambros. lib. 10. in Luc.
Athan. serm. de Cruc. & Pass.
Bonau. lib. Medit. vit. Christi c. 78.
Ludolph. 2. p. vit Christ.
Cyprian. ep. ad Cæcil.
Aug. lib. 10. de ciu. Dei. c. 2. & lib. 12. cont. Faust.
Rupert. lib. 4. in Gen. c. 16.
Chron. Alexand.
Isai. c. 26. v. 2.
Hieron. in Is. cit. Dion. Carth. Haymo.
Pint. & Ar. Mont. &c. interpp. in cit. Isaiæ loc.
Molan. lib. 4. de SS. Imag. cap. 4.
Franciotti nel hist. delle miracol. Imag pag. 172.
Grets. tom. 3. de S. Cruc. lib. 1. c. vlt.
Greg. Turon. lib. 1. de glor. MM. c. 22.
D. Paul. ad Philip. 2. 8.
S. Brig. lib. 1. reuel. c. 10. & lib. 4. c. 20.
Mallon. in c. 17. lib. de admir. I.C. Stigm. Paleoti.

selmum testatur se, *velamen capitis sui circumligasse lumbis Christi.* Et verò minimè decebat ipsum, qui esset *Pontifex futurorum bonorum*, intecto penitus corpore aram Crucis inscendere, & in ea nostræ salutis causa se victimam dedere, ne Pontifici Aaronico videretur inferior, cui *feminalia linea* fieri iussum fuerat, *vt operiret carnem turpitudinis suæ, à renibus vsque ad femora.* Hanc ob causam inoleuisse arbitror in Ecclesia Latina eam consuetudinem, vt Christus è Cruce pendens linteolo lumbos præcinctus repræsentetur, quod ad pietatem, & pudorem multò magis facit, quàm omnimoda nuditas. Nihil enim obstat, quin Christum in Cruce nudum dicamus pependisse, præsertim quòd reliquo corpore vestibus spoliatus exhibeatur, hac vnâ parte tectâ. Ad extremum piæ huic sententiæ, atque consuetudini fauent sacra illa quæ pluribus in locis asseruantur Lumbaria, quibus Christus cætera nudus creditur fuisse præcinctus. Memini me olim dicere huiusmodi linteolum sanguine diuino respersum Anicij monstrari; Idem Aquisgrani asseruari, & ostendi, idque septimo quoque duntaxat anno; & extra ordinem, cùm Cæsar diademate coronandus Aquisgranum venit: Testis est Gretserus noster, insupérque addit portionem eiusdem sacri lintei custodiri, & coli in monte sancto Bauariæ.

Anselm. Dial. de Pass. Christi.

Grets. tom. 1. lib. 1. de S. Cruc. c. 22.

Hæc cùm ita sint, asserendum censeo, vel vnum, idque in tres pluresue sinus complicatum fuisse linteum, vel, si mauis, vnum ex illis esse verè prototypum, alia ectypa. At quod illud sit? non ausim definire: vel, quod existimauit Gretserus, *forsan esse linteum, quo facies Christi velata fuit, dum crucifigeretur: nam crucifigendis vultum obnuptum fuisse*, iam satis supérque constat ex luctuosissima Amani tragœdia, *forsan est linteum, quo Ioseph ab Arimathia eiúsque adiutores, partes tegendas texerunt, cùm Christum è Cruce deponerent, & ad sepulturam adornarent, variisque aromatibus vngerent. Neque enim verisimile est, hos honestatis amantissimos sacratissimum Christi corpus planè nudum reliquisse, cùm illud vnctionis gratiâ tractarent.* Quocirca si præter virgineum Deiparæ velum, quo Seruator crucifigendus, tanquam lumbari vel subligaculo præcinctus fuit, alterum è Cruce deposito ipsi à Iosepho iniectum fuit, nemo vnus mirabitur pluribus in locis ea sacra velamina, seu integra, seu diuisa in partes, siue antitypa, siue ectypa seruari, monstrari, & religiosè à fidelibus coli. At de illis abundè, ac fortè plus satis.

Grets. loc. cit.

Esth. 7. 8.

SECTIO

SECTIO QVINTA.

Spinea Christi corona, eiusque spinæ in se, suisque ectypis variis in locis asseruatæ.

O Quot cædibus Manichæi Iudæos, Romanosve arcessere multò potiori iure debuerunt, quàm agricolas, quos tot homicidiorum reos agebant, quot spinis frugiperdis agros expurgarent! Illa enim hominum carcinomata, veriùs quàm homines, *Agrum* (inquit S. Augustinus Manichæorum vesaniam deridiculum faciens) *spinis purgare nefas habent. Vnde agriculturam, quæ omnium artium est innocentissima, tanquam plurium homicidiorum ream dementes accusant.* Enimverò Iudæi, Romanive spinas è terra radicitus auulsas in coronæ modum circumposuêre, quibus diuinum Christi, Regis, ac Seruatoris nostri Optimi Maximi caput ingeniosè crudeles, redimirent.

S. Aug. lib. de hæres.

Iudæos, Romanosve, dixi, quòd non admodum liquidò constet, idne cruentæ immanitatis inuentum Iudæos, Romanosve habuerit auctores, atque opifices: certè *milites suscipientes Iesum in Prætorium, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem, & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius.* In quæ verba respectans Tertullianus, quæ sua fuerit super hoc infando facinore sententia, pauculis istis vocibus clarissimè significauit: *illam impietatis contumeliosæ coronam populus non consciuit, Romanorum militum commentum fuit, ex vsu rei secularis.* Verùm tralatitia Reges coronandi consuetudo non ita fuit *ex vsu seculari* Romanorum, quin ad Iudæos etiam pertinuerit, vt ex sacrarum paginarũ codicibus dicere, ac studiosè obseruare iampridem occupauerunt interpretes omnes, omnes. Vtcunque autem se res habuerit: Christus tanti suum hoc spineum diadema fecit, vt paratus in crucem insilire, hoc est, thronum regium inscendere, chlamyde coccineâ spoliari se non illibenter passus sit, spineâ coronâ nunquam. *Isaac cùm ligno reseruatus* (verba sunt Septimij Christum cum Isaaco componentis) *ariete oblato in vepre cornibus hærente: & Christus suis temporibus lignum humeris suis portauit, inhærens cornibus Crucis, corona spinea in capite eius circumdata.* Haud aliter sensit Origenes, & cum eo Clemens Alexandrinus.

S. Matth. cap. 27. v. 27. & seq.

Tertull. lib. de coron. milit.

4. Reg. cap. 11. v. 12.

Idem lib. contra Iudæos, cap. 13.

Orig. tract. 35. in Matth.

Permirum semper visum est mihi, cur Romanorum milites Christum deridiculum dare cupidi, spineam præ omnibus coronam ipsi depropêrauerint, cùm tot corollarum irrisionis, ac ludibrij ergò contexendarum rationes, ac genera forent ipsis ad manum. De fœneis coronis, quibus pueri alios ad ludibrium redimire ludibundi consueuerant, S. Chrysostomus meminit, & ad putidos assentatores facetè accommodat

Clem. Alex. lib. 2. pædag. cap. 8.

S. Chrysost. hom. 17. in epist. ad Rom.

in hunc modũ: *Quemadmodum pueri ludentes ex fœno coronas inuicem imponunt: coronatum autem sæpenumero eius res ignarum post tergum irrident: ita sanè & nunc, qui te in faciem prædicant, apud seipsos clanculum subsannant; atque ita quid aliud fit, quàm quod & nobis inuicem fœnum coronantes imponimus. Et vtinam nihil aliud, quàm fœnum.* Idem aurei oris Patriarcha chartaceas aliàs coronas memorat à pueris per iocum, lusionemque vsurpatas eundem planè in finem: *Pueri per lusum solent*, inquit, *chartaceâ alterius capiti coronâ impositâ, coronatum, plerunque vel nescium post terga irridere. Sic tuarum factitant laudum præcones, qui tibi paleis dorso iniectis laudando illudunt. Vtinam his solis paleis finiretur illusio, laureáque illa haudquaquam noxia foret, nec perderet benefacta.* Papyraceum nobis diadema Philo repræsentat, quo personatum Agrippam, Iudæorum reipsa Regem, per summum ludibrium redimiuit Alexandrina pubes. Histrionici huiusce Regis fabulam sic ille literis consignatam posteritati reliquit; *Erat quidam insanus nomine Carabas, non ex illo conspicuo furiosorum genere, sed leuiore correptus insaniâ. Is interdiu, noctûque nudus oberrabat per compita, nec æstum, nec frigus deuitans, puerorum, & adolescentium ludibrium: hunc miserum ad Gymnasium propulsum in superiore loco statuunt, vt spectari posset ab omnibus, moxque capiti diadema imponunt papyraceum, pro paludamento, corpori stoream induunt, pro sceptro frustum arundinis humo sublatum quidam ei dedit in manum. Sic ornatum regiis insignibus, & in regem transformatum, more histrionico, adolescentes perticas in humeris gestantes stipabant pro satellitio: tum alij salutatum accedebant; alij sibi reddi iura petebant: alij consulebant eum de Republica. Post hæc acclamatum est à circumstantibus, magnâ voce Marim appellantibus quod nomen Syris significat, Dominum. Notant enim Agrippam, Syrum genere, & regnare in bona portione Syriæ.* Hæc & alia Philo. Alias eiusdem generis coronas ad ludibrium plexas videre poteris apud pereruditum & rei coronariæ studiosissimum scrutatorem Paschalium. Quibus omnibus vti poterant Romani milites peræquè, ac coronâ spineâ, vt Christo scelestissimi parricidæ ludificarentur pro arbitrio, & immanitate sua. Verùm Deus pro infinitæ suæ sapientiæ consilio, illorum sacrilegâ immanitate in nostram salutem versâ, spineo illo diademate Regem nostrum, ac seruatorem Christum redimiri permisit, vt horrendum humanorum criminum vepretum illo non tam tegi posset, quàm expiari. Complures eiusdem generis rationes, à SS. Patribus, interpretibus, ac Theologis ingeniosè simul & piè excogitatas, & in literas missas, sciens, volensque prætereo, ne videar falcem in messem mittere alienam.

Idem hom. de inanis gloriæ cupidit.

Philo in Flacco.

Cyrill. Alex. lib. 12. in Ioan. c. 15. S. Cyrill. Hieros. catech. 13. S. Athan. serm. de Cruce. Isidor. Pelus. lib. 1. ep. 95. Clem. Alex. cit. loc. Ruffin. in exposit. symb. S. Ambr. lib. 10. in cap. 23. Luc. S. Bern. serm. 6. de para. & de Pass.

Iam ergo non vno dumtaxat in loco *spineam* Christi *coronam* asseruari, & religioso, vt addecet, cultu affici certum est. Lutetiæ Parisiorum imprimis, vbi S. Ludouicus, venerabilium Reliquiarum cupidissimus Rex in sacello à se regiâ munificentiâ, & pietate constructo religiosè depositam & coluit ipse, atque à suis Gallis coli voluit quàm studiosissimè.

ſtudioſiſſimè. Auſcultemus, ſi placet, Guilielmo de Nangis poſt Gaufridum de Bello-loco, de hac re ſic ſcribenti: *Anno ab incarnatione Domini M. CC. XXXIX. per ſolemnes, & certos nuntios de partibus Conſtantinopolitanis fecit Ludouicus coronam ſacratiſſimam, quâ Chriſtus filius Dei pro noſtris enormitatibus in paſſione ſua coronari voluit apportari. Et à nemore Vicenarum quintâ feriâ poſt aſſumptionem beatiſſimæ Mariæ Virginis, ipſam Rex & fratres ſui cum maximo Cleri, plebiſque tripudio, nudis pedibus vſque ad Eccleſiam ſacratiſſimæ Mariæ Virginis, matris Domini Pariſios attulerunt.* At quid hiſtorico iſto, aliiſve opus, cùm ipſummet Balduinum à quo S. Ludouicus, Rex Chriſtianiſſimus coronam ſpineam dono datā & Venetis oppigneratam redemit, audire præſtet in ſuis ſacris apicibus in hæc verba loquentem: *Baldoinus Dei gratiâ fideliſſimus in Chriſto Imperator à Deo coronatus, Romaniæ moderator, & ſemper Auguſtus, Vniuerſis Chriſti fidelibus tam præſentibus, quàm futuris ad quos literæ præſentes peruenerint, in Domino ſalutem. Notum fieri volumus vniuerſis, quòd cariſſimo amico, & conſanguineo noſtro Ludouico Regi Franciæ illuſtriſſimo ſacroſanctam ſpineam coronam Domini, & magnam portionem viuificæ Crucis Chriſti vnà cum alijs pretioſis, & ſanctis Reliquiis, quæ propriis vocabulis inferiùs ſunt expreſſæ, quas olim in Conſtantinopoli vrbe venerabiliter collocatas, & tandem pro vrgenti neceſſitate Imperij Conſtantinopolitani diuerſis creditoribus, & diuerſis temporibus pignori obligatas, idem Dominus Rex de noſtra voluntate redemit magnâ pecuniæ quantitate: & eas fecit Pariſios de beneplacito noſtro transferri eidem Domino Regi, ſpontaneo, & gratuito dono plenè dedimus, abſolutè conceſſimus, & ex toto quittauimus, & quittamus: quas vtique venerandas Reliquias propriis nominibus duximus exprimendas: Videlicet prædictas ſacro-ſanctam ſpineam coronam Domini, & ſanctam Crucem. Item de ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti; pannos infantiæ Saluatoris, quibus fuit in cunabulis inuolutus,* & reliqua, quæ hîc ſuperuacaneum eſſet fuſiùs exſcribere.

Guil de Nāg. lib. de vit. S. Ludou. & ante ipſum Gaufrid. de Bello-loco lib. de vit. eiuſd. S. Ludou. cap. 25. Ranucc. Picus le glorie di ſan Luigi part. 1. cap. 15. Du Breuil theatr. Antiq. Pariſ. lib. 1. pag. 103.

In eiuſdem ſpineæ Regis Regum coronæ gratiam, & honorem laudatus nec ſatis vnquam laudandus Chriſtianiſſimus Rex S. Ludouicus ſacellum, æquè mirabile, ac regium opus, exædificari Pariſiis iuſſit, quod *Anno Domini* 1248. 7. *Kal. Maij*, (vt præfert illi affixus titulus) *dedicatum fuit à venerabili patre Odone Tuſculanenſi Epiſcopo, Apoſtolicæ ſedis legato, in honorem ſacroſanctæ Coronæ ſpineæ Domini, & viuificæ Crucis.* Ibidem quotannis ſacrum Miſſæ ſacrificium in eiuſdem venerabilis Coronæ honorem celebrari, feſtam diem cum Octaua religioſè agitari, accendi duodecim cereos, & circa illam, cæteraſque reliquias iuges excubias agi mandauit. Neque verò Pariſiis illa erga ſacrum ſpineum Chriſti diadema religio ſeſe continuit, ſed alias quoque peruagata eſt regiones; Eccleſia Lugdunenſis in ſuo Eccleſiaſticorum rituum codice nobis exhibet Euchariſticum de eadem ſacrificium, in quo ſacris operaturus ſacerdos in hunc modum precatur: *Præſta quæſumus, omnipotens Deus, vt qui in memoriam paſſionis Domini noſtri Ieſu*

Idem pag. 104. 105.

Molan. in Martyrolog. Vſuardi. Gretſ. tom. 1. lib. 1. de Cruc. cap. 69. Du Breuil cit.

Christi coronam eius spineam veneramur in terris, ab ipso gloriâ, & honore coronari mereamur in cælis, qui tecum viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Iacob. Bosius lib. 1. de Cruce triumph. cap. 14. Rigord. de gest. Philippi Reg. Franc. Du pleix. Paul. Æmil. in Philipp. Suger. de vit. Lud. Crassi, Nangis lib. de vit. eiusd. Franciotti hist. delle miracol. imag. &c. pag. 165. Luc. Marin. lib. 5. de gest. Hispan.

Fastidiosum esset alias Galliarum Ecclesias stylo percurrere, quò par erga spineam Christi coronam pertinuit veneratio: pauca hæc delibasse sufficiat.

Philippus Rex Christianissimus præliũ initurus, Ecclesiam ter beati Dionysij religionis ergò peregrè adiuit, & *acceptâ benedictione*, inquit Rigordus, *claui & spineæ coronæ recessit*; consequenti dein anno Ludouicus, regia ipsius proles, ad contactum eiusdem claui, & spineæ coronæ eius corpori in Crucis formam pro more veteri admotæ, ad pristinam rediit sanitatem. Ludouicus Crassus Francorum Rex pientissimus *pretiosissimum Hyacinthum Atanæ Regis Rutenorum filiæ, quod de sua in manu nostra reddens* (inquit Sugerius) *vt coronæ spineæ Domini insigeretur, accepit*: sic nimirum Diuinum illud spinetum non tam emorituras rosas, quàm gemmas ferre debuit immortales. Parte spinei eiusdem diadematis apud se auspicatò inuentâ locupletatam se ciuitas Lucensis in Hetruria, Ouietum in Hispania, Franciotto & Marinæo testibus, religiosè gloriantur. Præter alias huius coronæ partes, quas variis in locis Christiani orbis custodiri, monstrari, colique verisimillimum est, Anglia olim orthodoxa eiusdem portionem, quam Ethelitannus Rex ab Othone magno Imperatore dono acceperat, & iustè possedit, & piè deuenerata est, vt meminit Genebrardus.

Genebr. lib. 4. chronol.

Caluin. admon. sæp. cit. S. Paulin. ep. 34.

Hæc cùm ita sint, ecquis impudentiam, & conclamatæ conscientiæ proiectissimam audaciam non tam suspiciat quàm detestetur in Caluino scribente: *Veteres ignorant quid cum Dominica corona actum sit, & quò deuenerit.* E veterum igitur albo expungatur D. Paulinus, cuius hæc verba sunt: *si præsepe nati, si fluuius baptizati, si hortus orantis magistri, si atrium iudicati, si columna destricti, si spinæ coronati, si lignum suspecti, si saxum sepulti, si locus resuscitati, euectique memoriæ diuinæ quondam præsentia celebratur, & veterem veritatem præsenti fide comprobant in rebus exanimis viua documenta.* Sic ille, nouus homo veteri homini, si diis placet, Caluino. Eidem nouus fuerit homo, & nouitius scriptor Gregorius Turonensis, qui Dominicæ coronæ spinas, *licet viderentur aruisse foliis*, suâ tamen ætate, *quotidie reuirescere diuinâ virtute* solitas contestatur. Omnino Caluinus præ Gaufrido de Belloloco, Guillielmo Nangiaco, Rigordo, Sugerio, & Aimoino vetus fuerit scriptor, illisque (vt reliquos omnes sileam) canâ fide, veritate, conscientia, & autoritate vt longissimè antistet, author sim vsque eò sui immemor Caluinus ------*longâ sedens*

S. Greg. Turon. lib. 1. de glor. Mart. cap. 7. Aimoin. inferius citandus. Senec. Troad. act. 2. sc. 2.

Æuum senectâ degere, & Pilij senis
Transcendere annos,

videbatur sibi, cùm *veteres ignorasse*, quid cum corona Dominica actum esset, scribendo mentiebatur.

Ex tot autem Domini spineis coronamentis, aut, si mauelis, ex tot

Dominici

Dominici diadematis portionibus religiosè pluribus in templis, locisve asseruatis, & cultis assequi coniecturâ expeditum est cuilibet vel spineam Christi coronam non tam in simplicis diadematis quàm in galeri formam, modúmque plexam fuisse, vt totum Regis nostri verticem circum posita tegeret, ac coronaret. Vel certè ex illo Dominicæ coronæ multiplicatæ numero vnam reipsa verum, germanum, ac genuinum extitisse spineum Christi coronamentum, reliquas duntaxat esse pura ectypa, hoc est, ad prototypæ coronæ speciem efformata: Non enim multiplici spineâ coronâ sacrosanctum Christi verticem redimitum fuisse meminerunt vspiam Euangelistæ, quidquid contra censuerit Arboreus, neque è tot portionibus vnum eiusdem spineum sertum constare potuit, vt diuinum Seruatoris Iesu caput reliquo corpori aptissimâ, suprà quàm dici ac fingi potest, proportione commissum, circumplecti, eique compingendo (vt Iudæorum rabies ferebat) inuidè simul & arctè apprimi posset. Accedit, quòd ea fuerit (quemadmodum aliàs me dicere memini) Christianorum laudabilis sanè ambitio, vt cùm ipsamet sacrarum reliquiarum prototypa nancisci non possent, saltem ectypa, quæ ad indiscretam illarum similitudinem proximè accederent, sibi accurarent studiosissimè, atque adeo prototypis admota eâdem penè prosequerentur veneratione. Hinc fieri potuit, vt Fideles alias haud absimiles spineas coronas ad primigenium Christi patientis coronamentum piè applicitas penès se habere fategerint, paríque affecerint cultu eò libentiùs, quò ipsas maiori ad edenda miracula facultate imbutas, famâ, experientiâve cognouissent. Ad vltimum quid vetat credere, aliquot eiuscemodi coronarum ad Martyres citiùs, quàm ad Christum attinere, pióque ac innocenti errore factum esse, vt pro corona Dominica seruarentur olim, atque seruentur etiamnum, veteri nihil contrà repugnante memoriâ, & tabularum auctoritate? Quàm fuerint tenaces huius auitæ suæ immanitatis recentiores Iudæi, Britto de Christiano innocente in Crucem ab ipsis dato sic cecinit:

S. Vincent. Ferr. serm. in diem Parasc. Lansperg. theorem. 19. Salmerō tom. 9. tract. 30. p. 321. Arbor. in cap. 27. Matth. Iansen. in cap. 14. Concord. Supr. cap. 1. art. 2. Grets. lib. 1. de S. Cruc. cap. 95.

-----expositum nudant spinisque coronant.
Per vicos, per agros sic spinea serta ferentem
Fustigant, colaphiis feriunt, cadúntque flagellis.
Denique tractatum malè tollunt in Cruce, cuius
Hasta latus, plantas claui, palmásque cruentant.

Britto lib. 1. Philipp.

Hæc religiosior, quàm peritior vates. Illorum rabiem æmulati Gentiles in summum Christi dedecus, vel potius gloriam horrentibus spinis Martyrum capita coronarunt, vt vel ante consummationem victores de tyrannis, ac Dæmonibus triumpharent. Exempla dandi erit alibi opportunior locus.

Infer. cap. 4. art. 3. sect. 2.

Ad spinas verò quod attinet, Caluinus sibi semper similis, octodecim diuersissimis locis sibi apprimè notis eas asseruari scribit: *ex quo,* inquit, *euidenter apparent fraudes & imposturæ Papistarum.* Agedum, mi homo, quid fraudes? quid imposturas Papistis tam præfrictâ fron-

Caluin. loc. cit.

te affingis, quòd è corona Christi octodecim dumtaxat locis custodiri sentes affirment? Quid à veritate, ac fide adeò abhorrens tibi videtur vepres è Dominico exceptas coronamento quod viri triginta, & amplius annorum caput cinxerat, tot, vt ais, diuersis locis seruari? verùm age; quô è spinarum genere Christi coronam vis constitisse? vin' ex eo, quod *spinam sanctam* vulgus vocitat, cuius in monte Olíueti copiosus est prouentus, & in qua ternæ plerumque spinæ simul iunctæ cernuntur? vin' è Rhamno, quam *plenam sentibus, & hericio similem* Hieronymus asserit, confirmat Augustinus, Regium illud sertum fuisse plexum? vin' è iuncis maximis compositum, quod plerique dictitant? quod voles, dabo volens; neque enim instituti mei est id enucleatiùs anquirere, quod alij iampridem occupatum luculenter præstiterunt. At, velis, nolis, fateare necesse est (si homo es, tibique constas) non tantum octodecim diuersis locis asseruari posse decerptas è Christi diademate spinas, sed etiam septuaginta duobus, pro sentium, quibus inhorrescebat & punctiuncularum quibus Christi conuulneratum est caput non mediocri numero (si quosdam audire perplacet) vel etiam centenis. Qui verò tibi cum Arboreo volet reponere diuinum nostrum Salomonem duplici diademate à matre sua, vel potiùs nouercâ, synagoga fuisse coronatum, vnâ quidem in Pilati Prætorio ex spinis, ex iuncis alterâ compactâ in Caluariæ monte, quò tuæ calumniatoris, ac nugiuendæ maximi abibunt imposturæ? Qui cum Gretsero maluerit respondere, *multos pietatis studio ductos, spinas, ex quibus traditione acceperant coronam Domini fuisse confectam, legisse, & reuerentiæ causa asseruasse, vnde acciderit, vt labentibus annis, pro spinis contactu Christi sanctificatis pio vtique ac innocenti errore, haberentur, nullo religionis detrimento, sed potiùs magno incremento*; haud dubiè in ventos, fumum, & nihilum commentitiæ tuæ recident fraudes. Qui non solùm cum D. Gregorio Turonensi superius à nobis laudato, verùm etiam cum Iacobo Bosio, Mallonio, aliisve scriptoribus fide dignissimis affirmatè, veréque asseruerit, ad numerosissimas illas Dominicæ coronæ sentes, quæ sexcentis in locis monstrantur, effecta supra naturæ vires mirabilia fuisse patrata: scio, scio, clamore plusquam stentoreo *fraudes, & imposturas Papistarum*, magis, magisque inclamabis. At licet histrionico *rumpantur ilia Codro*, Annali experientiâ longè cectissimum est, Bosio teste oculato, quotannis die Parasceues sacro, spinam è Christi coronamento decerptam, & Melitæ summa cum religione asseruatam pristinum rigorem, vigorémque induere. *In Ecclesia Cathedrali agri Tiphernatis*, inquit Mallonius, *spectatæ longitudinis spina seruatur, cui adhæret vnus è capillis Christi Domini sanguine illi agglutinatus, quæ in die Parasceues, quâ horâ Christus spinis coronatus fuit, reuiuiscere, sanguinémque, quasi tunc è Christi capite extraheretur, singulis annis colliquefieri maximâ populi pietate cernitur.* Pleraque eiusdem generis miracula ad venerabilium huiusmodi spinarum conspectum, & contactum edi solita, relinquo aliis fusiùs recensenda, vtì & singularum

Grets. lib. cit. cap. 12.

Greis. & Bosius cit.
S. Hieron. in cap. 3. Abac.
S. Aug. In ps. 57.
Delrio Lection. 9. de Pass. Dom.
Pintus lib. 4. de Christ. Crucifixo tit. 4. loc. 1. & seq. &c.
S. Vincent. Ferr. &c. sup. cit.

Bosius loco supra cit. & in Hist. Melitēsi 2. part. lib. 7.
Mallon. in c. 12. Paleoti de SS. Christi Sind. &c.

ſingularum Eccleſiarum contexendum catalogum, in quibus Dominicæ coronæ ſentes cuſtodiri, monſtrari, & coli memorantur. Ecquis ſigillatim referendas ſuſcipiat ? non tamen per tranſennam prætεribo dicere non paucas è ſacris illis vepribus diuino Chriſti Seruatoris ſanguine purpuratas variis in templis aſſeruari, & piis appeti oſculis. Quatuor Venetiis eodem cruore imbutas, infectuſque monſtrari & coli idem proximè citatus Mallonius atteſtatur: Aliæ plerumque à me viſæ nulla Dominici cruoris purpurâ ſunt infectæ. Anicij videre eſt ſpinam è cryſtallo ſpectabilem, ſpectatæque magnitudinis, puram, & natiuo colore conſpicuam, quam D. Ludouicus ad Canonicos Diuæ Virginis dono tranſmiſit aliquot antè annis, quàm in Orientem traiiceret aduerſa Sarracenis arma laturus, vt ex regio eiuſdem diplomate, cui vnicum lilium pro ſigillo appreſſum eſt, intelligere licet: illius hæc verba ſunt: *Ludouicus Dei gratia Franciæ rex, Dilectis ſuis Decano, & Capitulo Anicienſi ſalutem, & dilectionem. Præſentium tenore vobis ſignificamus, quòd die, qua ſuſcepimus ſacroſanctam coronam ſpineam, quæ reuerendo capiti* IESV *Chriſti Domini noſtri fuit impoſita tempore paſſionis, de Conſtantinopoli nobis allatam, Nos dilecto, & fideli noſtro B.* (id eſt Bernardo de Ventadour) *Epiſcopo veſtro, de eadem ſancta corona conceſſimus ſpinam vnam, ob reuerentiam B. Virginis, & honorem veſtræ Eccleſiæ conferendam. Actum Senone anno Domini* 1239. Supparem huic Dominicæ coronæ ſpinam in templo Equitum Melitenſium Toloſæ reuerenter aſſeruari, & honorari audio ex literis, quas illinc R.P. Pouſſines noſter, mihi à ſua caritate, reip. literariæ à ſuis ſcriptis iam in lucem editis cariſſimus ad me anno ſuperiore dedit, quibus literis ſignificabat eam ſe oculis curioſiùs perluſtraſſe, atque adeò indiligenter obſeruaſſe ſacram illam veprem eſſe colore ſubuiridem, at tantillâ varietate interſtinctam, craſſitudine acui maximæ, tenuiculôve veruculo perſimilem, quatuor oblongam digitos, perfectè erotundatam, & ad iunci marini acumen quàm proximè accedere, quod plurimum confert ad illorum corroborandam ſententiam, quibus viſum eſt regium Seruatoris Chriſti diadema & iuncis marinis fuiſſe contextum, vtpote qui ſentibus oblongis, acutis, & durioribus terreſtres antecellant. At de ſexcentis aliis ſimilibus ſpinis, quibus diſperſæ toto orbe Chriſtiano Eccleſiæ collocupletatæ gloriantur, pluribus meminiſſe ſuperſedeo.

Idem ibid.

Odo Giſſey lib.3. hiſt. Deip. Anic. cap.13.

Vid. Greſ. Boſium, &c. ſup. cit.

Cæterùm quæcunque ſint illæ ſentes, quæ à Fidelibus religioſè coluntur, probantibus, vel certè minimè repugnantibus Epiſcopis, & myſtagogis, ſiue ipſæ reuera decerptæ fuerint è ſpineo Chriſti Seruatoris diademate, ſiue ad illud duntaxat fuerint piè admotæ, & ad earumdem contactum edendorum miraculorum facultatem diuinitùs contraxerint; maximi ſemper faciendæ ſunt, neque fraudi, aut impoſturæ tribuendum eſt, ſi tot diuerſis in locis credantur aſſeruari, ibidémque monſtrentur, colantur, & piis oſculis atterantur. Meminerint Salomonem cœlitùs afflatum coronam auream ſpinis Indicis, ac liliis intertextam, atque hac inſcriptam epigraphe: *Amoris victoria,* ſibi iuſſiſſe

conflari

conflari; cuius coronæ insolentiam Regina Saba (cui *Makedæ* nomen Rabbini pro suo mentiendi ingenio, moréque affinxerunt) summopere demirata regem impensè rogitauit, quid sibi tandem contortuplicatum illud liliorum, & spinarum intertextum præ se ferret? Cui sapientissimus Princeps respondit, per *Lilia* virginem niueâ puritate præstantissimam repræsentari, quæ suâ è gente progenita Regem regum aliquando esset paritura, qui tanto suos amore deperiret, vt perire mallet ne perirent sui. Per *spinas* autem exhiberi dixi spineum diadema quo ipsum ab ingratissimis iuxtà, ac sceleстissimis clientibus redimitum iri cognouerat, eámque ob causam ex eo tempore hac suâ coronâ, præsago & prodromo cultu, Messiæ simul & diuini *Amoris victoriam* coronandam, deuenerari. Verùm piæ huiusce fabulæ sit penes auctorem fides: Quidquid sit nihil impedit, quò minùs id, quod maximè condecet, sanctè, ritéque Christiani omnes facere possint, atque adeò Salomonicæ pietatis æmuli in corona spinea, eiúsque spinis, quæ in se suísque antitypis à Catholicis diuersis in templis adorantur, Regis, ac Seruatoris nostri IESV Christi de morte, peccato, Dæmone triumphantis, simul & Diuini erga mortale genus *Amoris victoriam* suspiciant, & grata cum animi recordatione venerentur. Patere, quisquis es, vt in IESV mei gloriam, dialogisticum, peccatorem inter & Christum vepribus coronatum, epigramma olim à nobis lusum hîc transcribamus:

Andr. Fauyn. lib. 16. hist. Natarr. ex Cedren.

P. *Cur tibi, Christe, caput spinis terebrantibus horret?*
C. *Spina, tibi spina est; sed mihi spina, rosa est.*
P. *At cur spina mihi, tibi cur rosa, spina videtur?*
C. *Spina, malo spina est, & rosa, spina bono est.*
P. *At tibi sanguineo frons fracta rubescit ab ostro?*
C. *Frons mihi fracta niuet, quæ tibi nulla rubet.*
P. *Error is vnde mihi?* C. *non erras, namque rubescit*
Frons mihi, frons effrons quòd tibi non rubeat.
P. *Spinæ, vtinam! mi Christe, tuæ mea tempora cingant,*
Quæque malo spina est, sit rosa, spina bono.
Frons vtinam! in silicem durata rubescere discat,
Candor & inde meus sit, rubor vnde tuus.

Votum hoc peccatoris Christiani compleuit reipsa insignis pietas Godefridi Bullonij, qui assertâ in libertatem terrâ sanctâ, expugnatísque Hierosolymis, religioni habuit in ea vrbe, in qua Rex Regum vepreto fuerat coronatus, coronam auro, gemmísque interpunctam nouus Rex circumferre; quare diademate spineo redimitus in Regiam vrbem inuectus est, posterísque Regibus exemplo præluxit, vt ne quidem statuas, & sigilla sua alio coronamento, quàm veprium similitudine horrido caput reuincta effingi, pingíque paterentur. Præstitit idem Beata Catharina Senensis quæ oblatâ sibi à IESV optione, quam vellet eligendi coronam, auream, spineámve? Hanc illi prætulit, & continuò sibi induit, atque appressit. In eius gratiam & hoc carmen aliàs mali poëtæ panximus:

Guill. Tyrius lib. 9. de bello sacro c. 9.

Sur. in vita S. Cath. Sen.

Inſpice, & in Catharis ſpinoſos vertice cinctus
Suſpice, nec laceras deſpice vepre comas.
Inſpice, nam noua res; & ſuſpice, nam truculenta
In ſpeciem: ſed ne deſpice, namque pia eſt.
Inſpice, ſerta Deus donauit; ſuſpice Virgo
Delegit; ſed ne deſpice, fixit amor.
Inſpice, ſpina oculo eſt: at ſuſpice, fit roſa fronti
Virginea, nedum deſpice, gemma animo eſt.
Spina parem Chriſto, roſa Martyri, gemma tonanti
Efficit: ô qualem Prothea finxit amor!

Vtinam faceret Deus, vt vniuerſos Fideles eadem teneret cura, & fides, ac Clementem Alexandrinum, & cum ipſo medullitus ſentirent, *Alienum à ratione eſſe, vt qui audiuerimus Dominum ſpinis fuiſſe coronatum, ipſi venerabili Domini paſſioni per ludum inſultantes, habeamus capita floribus redimita. Domini enim corona nos propheticè ſignificabat, qui fuimus aliquando infrugiferi, qui circa illum poſiti fuimus per Eccleſiam, cuius ipſe eſt caput.* Pudeat *Sub ſpinoſo capite membra* teſte Bernardo, eſſe delicata.

Clem. Alex. lib. 2. pædag. cap. 8. cit.

S. Bernard.

SECTIO SEXTA.

Cœnatica Chriſti mappa, aliæque per Saturam eiuſdem Reliquiæ, in ſe, ſuiſque ectypis, diuerſis in locis cuſtoditæ.

PRiore loco de Mappa inſtrata menſæ, in qua Chriſtus religioſo cum Apoſtolis accubitu legalem vltimùm, dein Euchariſticam primùm celebrauit cœnam, eàque pluribus, ac diuerſis Orbis Chriſtiani baſilicis aſſeruata dicturus, aliqua priùs abs te obſeruari imprimis velim.

Primùm, ea menſarum tegmina, quæ infimâ nunc latinitate, *mappas*, dicimus; olim primariâ, (vt eruditorum quorundam ſententia eſt) *mantilia*, ſeu rectiùs *mantelia* vocitabantur: (Nam *mantela* veterum eſt *manualis tela*, qua manus terguntur) tametſi non is fuerit primus mantilium vſus, ſi quidem Iſidorum audire placet: *Mantilia*, inquit, *nunc pro operiendis menſis ſunt, quæ, vt nomen ipſum indicat, olim tergendis manibus præbebantur.* In hunc autem vſum poſtea venêre mappæ, quas ſinguli conuiuæ accubituri ſecum deferre conſueuerant vt ex hoc lepido in Hermogenem furem Martialis epigrammate colliges: ſi prius obſeruaris eas vulgò à Noſtratibus *ſeruiettes* nuncupari.

Hermogenes tantus mapparum, Pontice, fur eſt
Quantus nummorum, vix puto, Maſſa fuit.
Tu licet obſerues dextram, teneaſque ſiniſtram
Inuenies mappam quâ ratione trahat.

Salmaſ. in not. ad Trebell. p. 289. & in Vopiſ. p. 357.
Pollux inuoca χειρόμακτρα.
Athen. lib. 9. Dipn.
Xenoph. lib. 1. Cyrop.
Varro lib. 5. de ling. latin.
Martial. lib. 12. epigr. 29.
Rader. in loc. cit.

vt post duos versus subdit:

Nuper cum Myrino peteretur missio læso,
Subduxit mappas quattuor Hermogenes.
Attulerat mappam nemo, dum furta timentur,
Mantile è mensa surripit Hermogenes.

Denique memoratis eiusdem Hermogenis, supra Harpyas rapacissimi hominis furtis, argutè sic claudit epigramma:

Ad cœnam Hermogenes mappam non attulit vnquam,
A cœna semper rettulit Hermogenes.

Ex quibus mapparum & mantilium vsus subinde mutatus clarissimè elucet. Idem Martialis, Ouidius, Virgilius, aliique de tonsis, villosisque mantilibus sæpenumero meminerunt, adi sis illorum interpretes, dum licebit per otium.

Plin. lib. 7. hist. cap. 11.

Secundum, quod obseruandum occurrit, est apud vniuersas penè nationes, quas aliqua munditiei, nitoris, & vrbanitatis cura tenuit, in moribus recepta, & tralatitia consuetudo, mensam lineo mantili, seu mappâ conuestire, Dixi (apud vniuersas penè nationes) quòd meminerim legisse me Sinas, gentem cæteroquin munditiei, nitoris, & vrbanitatis longè studiosissimam, nullo penitus mantili solitos mensas contegere. Trigautius noster (qui tertiùm quâ terra, quâ mari Sinicum iter emensus est, & ab vniuersa ferè Europa cum admiratione, ac voluptate spectatus, prodigio similis fuit) agens de quodam bituminis genere, quod apud Sinas æquali in pretio, & vsu est; *Hanc*, inquit *ob causam Sinæ minùs, quàm reliqui populi, apud quos est huius bituminis* (quod Lusitani *Ciaronem*, Sinæ *Cie* vocitant) *vsus* vulgatissimus, *mappis inter edendum mensas non insternunt. Nam splendentes, ac velut crystallinæ mensæ, si quid ex eduliorum adipe de splendore perdiderint, exiguâ purioris inspersione leuiter affrictâ instaurantur: læuis enim illa, duráque superficies, cuiusvis rei permixtionem excludit.* Romanis olim in vsu fuisse mappis, seu mantelibus mensas operire complures tradidêre scriptores: vnius affero dumtaxat testificationem, præter alias, quas iam breuiter, strictimque attigi. Is est Lampridius, apud quem Alexandro Seuero, Imperatori sui nominis; *conuiuium neque opiparum, neque nimis parcum, sed nitoris summi fuit: ita vt pura mantilia mitterentur, sæpius cocco clauata, aurata verò nunquam, quum hæc Heliogabalus iam recepisset, & antè (vt quidam prædicant) Adrianus habuisset.* Hæc sint instar omnium.

Trigaut. lib. 1. expedit. Chriast. apud Sinas. cap. 7.

Lamprid. in Alex. de pictis mantelibus Heliogabali, Spart. in Heliog. Trebell. de Gallieno.

Tertium obseruatu, vt & inquisitu dignum est, cur communi consensu, & quasi conspiratione initâ, vniuersæ ferè nationes pura mantilia mittere vulgò consueuerint? Hanc ego illius conuiuialis, & tricliniariæ consuetudinis rationem non vltimam, nec inidoneam afferri posse in medium reor: quòd mensam in rebus sacris semper numerarint, proindeque illam lineâ, purâque mappâ, tanquam apposito, & congruenti velamine, censuerint obuelandam. De paganis, & fictitiorum numinum cultoribus id longè certissimum est; ad quod respexisse

Maronem

Maronem non vnus existimauit, cùm Euandrum sic conuiuio exceptos Troianos cohortantem induxit: *Virgil. lib. 8. Æneid.*

Quare agite, ô iuuenes, tantarum in munere laudum
Cingite fronde comas, & pocula porgite dextris,
Communemque vocate Deum, & data vina volentes.
Dixerat: Herculea bicolor cùm populus vmbra,
Velauitque comas, foliisque innexa pependit:
Vt sacer impleuit dextram scyphus. Ocyus omnes
In mensam læti libant, Diuosque precantur.

Quem postremum versum illustrans Seruius: *Apud antiquos*, inquit, *inter vasorum supellectilem, etiam mensam cum aris mos est consecrari, quo die templum consecrabatur. Vnde bene ait: In mensam læti libant, quam constabat cum ara maxima dedicatam, vt alibi: Mensæque Deorum*, quòd ipsis solemni ritu essent consecratæ. *Seru. in cit. Virg. loc.* Indos pariter consueuisse aram in modum mensæ constituere, pluribusque circum accubantibus illam ferculis onerare, è qua quilibet conuiuantium sibi pro libidine, appetentiâque diriperet, Philostratus testis est. *Philostrat. lib. 2. de vit. Apollon. cap. 12.* Quo autem ritu ab Ethnicis consecrarentur mensæ: Arnobius Gentilibus impium huiuscemodi ritum exprobrans, *sacras*, inquit, *facitis mensas salinorum apposìtu, & simulacris Deorum*, quos proptera ἐπιτραπεζίους, *mensales* vocitabant, è quorum numero Dionysius Halicarnasseus Iunonem, Herculem Martialis, & Statius, alij alios, quos otiosi esset pluribus recensere. *Dionys. Halicarn. lib. 1. hist. Rom. Martial. lib. 9. ep. 43. Stat. lib. 3. & 4. Syluar.*

Veros autem Dei cultores multò sanior ratio, & religiosior fides induxit ad mensam, haud aliter quàm rem sacram, ac venerabilem lineis, purisque mantilibus conuestiendam. Accubituris enim arbitror in mentem venisse orbis terrarum olim à rerum conditore Deo creati recordationem: meminerant opifex Numen terram (cuius pereximium symbolum, Plutarcho teste, orbiculatæ sunt mensæ, vti olim & nunc fieri solitæ) opifex, inquam, Numen structoris & seruitij quodammodo vice functum, terram mirabili herbarum, florum, plantarúmque varietate, veluti mensam picturato mantili, mappâue, instratam, atque adeò omni eduliorum genere, ad delicias vsque maximas, instructam apposuisse mortalibus vtendam potiùs, quàm consumendam. *Plutarch. lib. 7. quæst. Sympos. 4.* Non alia fuit Philonis opinatio, cùm quæsiturum abs se causam, cur diuinorum operum in molitione mundi vltimum fuerit homo? ingeniosè occupans respondet in hunc modum: *Quemadmodum conuiuatores non prius ad cœnam vocant, quàm instructo bene conuiuio, & qui edunt ludos, aut athletarum spectacula, priusquam spectatores vocati conueniant in theatra vel stadia, parant copiam concertatorum, earúmque rerum, quæ ad oculos, aurésve oblectandas pertinent: Ita etiam totius Imperator, tanquam conuiuator, ludorúmve præfectus, vocaturus hominem ad conuiuium simul, & spectaculum, quicquid ad vtrumque pertinebat, præparauit: vt ille in mundum ingressus mox inueniret, & conuiuium, & theatrum sacratissimum; alterum refertum copiis, quas terra, fluuij, mare, aër sup-* *Philo lib. de opific. mundi.*

peditant ad vsum simul, & voluptatem; alterum spectaculis, quorum tum essentia, tùm qualitates stupendæ sint. Hæc & reliqua Philo, quem secuutus & assequutus Ambrosius, eadem ratione Horontiano consulenti satisfecit in hæc verba: *Qui conuiuium adornat, vt ille Euangelicus diues, vtique omnia prius præparat, tauros, & saginata occidit, & tunc amicos ad cœnam inuitat. Priùs ergo quæ leuiora sunt, parantur, & tunc rogatur honoratior. Vnde & Dominus homini ante animalium cæterorum præparauit epulas, tunc ipsum quasi amicum ad suum vocauit conuiuium; & verè amicum, quasi caritatis diuinæ participem & hæredem gloriæ. Præcedentia ergo ministeria sunt, amicusque postremus rogatur.* Hactenus D. Ambrosius.

S. Ambros. epist. 38. ad Heront. Matth. cap. 22. v. 4. & seq.

L

His præmissis, ac positis mirandum non est, si veteres Iudæi veri Numinis notitiâ imbuti laudabilem illam consuetudinem, mensam lineis mantilibus, mappisve sternendi mordicùs tenuerint, cõtinenterque seruarint tùm maximè, cùm ex lata diuinitùs lege, ac per Moysem promulgata, Paschalis Agni comedendi tempus quotannis appeteret. Id enim conuiuij genus lege sanctissimum, religione venerandum, accepti beneficij memoriâ religiosum, solemnissimum celebritate, ritu eximium, significatu augustissimum ab ipsis perquam studiosè agitabatur. *Tunc* enim, vt ait Philo Iudæus, *vniuerso populo concelebrante lætas epulas, quisque se gerebat pro sacerdote, dum pro se quisque mactaret hostiam suis manibus mensâ, vt altari vsus.* Quapropter illius vsque eò se obseruantissimum Christus exhibuit, vt legalem vltimùm celebraturus cœnam, Eucharisticam primùm instituturus, ad id, triclinium, aut potiùs *cœnaculum grande, stratum* consultò delegerit, vt gemini Euangelistæ nominatim annotarunt, *stratum*, seu ἕτοιμον, vt habet Marcus, hoc est, apparatum, siue *tapetiis, & lectis*, Salmerone, atque Iansenio, interpretibus, instructum; siue, (vt ego quidem explico congruenter ad institutum meum) mensa mantili, tapetiis sigmate, lectisque discubitoriis pro more conuestitis probè ornatum, cœnaculum vulgatus interpres benè latinè reddidit. Sic nimirum ea mensa (quæ hactenus licet tanquam res sacra, reipsa tamen profana lineis instrata fuerat mantilibus, primum euasit altare per Eucharistiam, & incruentum Missæ sacrificium à Christo, sacerdote secundum ordinem Melchisedec institutum, celebratum, oblatum, consummatum.

Marc. 14. v. 15. Luc. cap. 22. v. 12. Philo lib. de vita Mosis. Salmer. tom. 9. tract. 3. Iansen. Concord. cap. 129.

Hinc factum reor, vt altaria, *Mensæ*, illorumque tegmina, *mappæ*, siue mantilia vocarentur. Diuus Paulus ab ipsismet Ecclesiæ cunabulis (vt tùm recentissima erat Eucharistiæ, Missæque à Christo institutæ memoria, & quotidiana vsurpatio) hanc *Mensæ* vocem pro altari amauit vsurpare. Nam ad Corinthios eiuratâ Gentilitate ad fidem Christianam traductos scribens inquit: *Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum*, hoc est, fieri nequit, vt incruentam Eucharistiæ victimam in altari vni, verôque Numini consecrato immolatam, simul & cruentas pecudum hostias ad Dæmonum aras mactatas participetis. Haud aliter interpretatus est Augustinus, & secundum ipsum illi

D. Paul. 1. Cor. cap. 10. v. 21. S. August. lib. 1. cont. aduers. leg. & proph. cap. 19.

illi omnes, qui citata Sancti Apoſtoli verba orthodoxis commentariis illuſtrarunt, qui incruentum Miſſæ ſacrificium ex eo maximè probant, quòd *menſæ* nomen, more, modôque Hebræorum, pro altari à Diuo Paulo, ſacræ linguæ, Iudaicíque ritus ſcientiſſimo, fuerit vſurpatum. Eâ ſignificatione apud Salomonem *Sapientia immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam:* apud Iſaiam Iudæi à veri Numinis cultu ſacrilegè deſciſcentes *poſuêre Fortunæ menſam, & libarunt ſuper eam:* apud Malachiam iidem, nomen Domini polluiſſe dicuntur in eo, quod dicerent: *Menſa Domini contaminata eſt, & quod ſuperponitur contemptibile eſt cum igne, qui illud deuorat.* Quo loco apertiſſimè liquet ſanctiſſimum vatem de altari holocauſtorum meminiſſe, quod altare pro more gentis vocari *menſa* conſueuerat. Illos igitur D. Paulus imitatus, & beatum Apoſtolum ſequuti Chriſtiani frequentiſſimè *menſam*, & *altare* indiſcriminatim vſurpare non dubitarunt. In huiuſce rei confirmationem vnum aut alterum è ſexcentis produco veterum ſcriptorum teſtimonium. *Quoniam & hoc altare, cui aſſiſtimus,* infit S. Gregorius Nyſſenus, *lapis natura communis eſt, poſtquam autem Dei cultui conſecratus eſt, Eulogiámque accepit,* ἐστὶ τράπεζα ἁγία, *eſt ſacra menſa, altare incorruptibile non amplius ab omnibus, ſed à ſolis ſacerdotibus, & quidem venerantibus contactum.* Quid clarius? quid expreſſius deſideres? Pulcheria Imperatrix pientiſſima, referente Sozomeno, *ex auro, & lapidibus pretioſis, quod admirabile, & omnium pulcherrimum ſpectaculum fuit, ſacram in Eccleſia menſam donauit.* ἱερὰν ἀνέθετο τὴν τράπεζαν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ Hinc & Græcorum ἀντιμένσια, dictæ quadræ marmoreæ, quæ ſacrarum menſarum obtinebant locum: de quibus Balſamon, aliíque meminerunt.

Aræ verò tegumenta, mappas, & mantilia (alij *pallas, pallia, velamina, vela, veſtes, operimenta, lintea*, alij aliis nominibus appellarunt) in ſupellectile ſacra numerari, dicíque, nemo non nouit. Noſtrates eodem, & profanarum menſarum operimenta, altarium veſtes, nomine vocitant, nimirum *nappes*, & veteri, ac plebeiâ voce *toüailles* (vnde *toballias*, infimæ, barbáræque Latinitatis aucupes nuncupare non dubitarunt) quò ſacrorum mantilium, ſine mapparum nomenclaturam æquè, ac vſum à cœnatoriis profecta fuiſſe conſtanter ſignificent. Ideò altarium mappæ è puriſſimo lino byſſôque candidiſſimâ vulgò conſtare ſolent ex decreto Concilij Rhemenſis, quod apud Burchardum eſt huiuſmodi: *Altaria in quibus corpus Dominicum conſecratur: ſanguiſque eius hauritur, cum omni veneratione honoranda ſunt, & mundiſſimis linteis, & palliis diligentiſſimè cooperienda.* In Concilio Coyacenſi, quod noſter Scortia laudauit, in hunc modum ſancitum lego: *Altare ſit honeſtè indutum, deſuper lineum indumentum mundum, & deſuper corporale lineum mundum, & integrum.* Ea verò inſtitutio primùm ad Euſebium Papam referenda (ſi Durantum, eóſque, quos citat, audire placet) cuius hæc ſanctio eſt: *Ne quis ſacrificium altaris in ſerico panno, aut tincto celebret, ſed in linteo*

Prou. 9. 2.
Iſaiæ 65. 15.
Malach. 1. 12.
S. Greg. Nyſſ. hom. de. Bapt. & alter Greg. Nazian. ora. in laud. S. Baſil. & or. in Maxim. German. Patr. Conſtãt. Theor. rer. Eccleſ. Suidas Cedren. &c.
Sozom. lib. 9. *hiſt. cap.* 1.
Idem Imp. Iuſtinianus præſtitit *apud Cedren. in Iuſtin.*
Balſam. ad Concil. 6. *Canon.* 31.
Conſule Buleger. lib. 1. *de veſte Pontif.*
Creſol. lib. 3. *myſtag. cap.* 21. *ſect.* 2.
Cerdæ Aduerſ. ſacr. cap. 51.
Durant. de rit. lib. 1. *cap.* 12.
Buchard. lib. 3. *cap.* 97.
Scort. lib. 2. *de Miſſ. ſacrif. cap.* 14.
Euſeb. cap. 51. *ſuor. decret.*
Durant. ſup. cit. N. 3.

ab Episcopo consecrato; quod tamen non semper adeò religiosè fuit obseruatum, quin Constantinus, vt ait Chronicon Alexandrinum, cùm multa aurea donaria, & Cimelia, tùm λιθόκολλα χρυσουφῆ ἁπλώματα, *gemmatas, & auro textas pallas*, seu mappas, *sancti altaris Ecclesiæ obtulerit*. Rationem autem huiusce sanctionis Pontifex perbonam attulit, *sicut corpus Domini in sindone mundana linea sepultum fuit*: illam summopere cum plurimis aliis amplector, atque deueneror; liceat tamen mihi piè, atque Eucharistiæ institutioni, tempori, loco congruentiùs credere, fieri potuisse vt ab Apostolica traditione ea profluxerit consuetudo, vt ad cœnaticæ Christi mappæ similitudinem, in linteis ex purissimo lino textis duntaxat facerent sacerdotes. Solo linteamine agnouit altaria conuestita Optatus Mileuitanus, cuius hæc est aduersùs Arianos altarium euersores piperata oratio: *Quid, si sic coniurastis, vt quæ à nobis in nomine Dei in ipso mysterio tacta sunt, immunda viderentur, Quis Fidelium nescit in peragendis mysteriis ipsa ligna linteamine cooperiri? Inter ipsa sacra velamen tangi potuit, non lignum; aut si tactu possit penetrare velamen, ergo penetrantur & ligna.* Sic ille pluribus. Idem manifestissimè Proculi, Ariani hominis, (ni Harpyam veriùs dixeris) nefandissimum sacrilegium simul & pœna demonstrant. Is enim à Geiserico, vt promptissimus suæ impietatis emissarius, ad diuina sul déque vertenda in prouinciam Zengitanam emissus *rapaci manu*, inquit victor Vticensis, *cuncta depopulabatur, atque de Pallis altaris, proh nefas! camisias sibi, & femoralia faciebat. Qui tamen Proculus huius rei executor, frustatim sibi comedens linguam, in breui turpissimâ consumptus est morte.* Accuratè *camisias* memorat Victor, quòd hæ solerent esse lineæ; vnde *lineam* simpliciter pro camisia, seu indusio, sumi aliquando apud scriptores noster la-Cerda occupauit obseruare. Sed de his satis, & plusquam satis.

Chron. Alexand.

Optat. Mileu. lib. 6.

Vict. Vtic. lib. 1. Vand. persecut.

La Cerd. Aduers. Sacr. cap. 64. N. 14. ex Isid. Auson. & dict. S. Cypr.

Excurri tamen longiusculè de industria, tùm vt sacrificorum mantilium vsum perantiquum per transennam illustrarem, tùm vt lipsanomachorum sannis occurrerem, eorúmque nugas eliderem pro virili. Enimuerò nos deridiculum habent, qui cœnaticam Christi vltimùm accumbentis *mappam* etiamnum post tot sæculorum curricula superesse credamus, ac pluribus in locis asseruatam exhibitámque veneramur. Sic est, omnino sic est, extat etiam hoc nostro æuo sacrosanctum cœnæ legalis, & Eucharisticæ mantile, vtriusque cœnæ mysteriis venerandum, & à diuino Christi contactu sacrosanctum. Hæc illa mappa est, cui orbis Conditor, Deus homo, tanquam *Magister, ac Rex conuiuij*, duodecim Apostolorum coronâ circumfusus accubuit, incubuitque. Δωδεκάθεον Augusti crederes, ni potiùs hanc præ illa, vt puerilem derideres. Hæc illa est mappa Dominica, quæ pluribus in locis custodita, & in sua singulari vnitate quodammodo multiplex, atque in sua multiplicitate singularis, & vna est. Etenim Vienna, *Ciuitas sancta* hoc se thesauro (*bona si sua norit*) fortunatissimam gloriatur. Ioannes à Bosco, & Ioannes le Lieure, vterque Viennensium

antiquitatum

antiquitatum indagatores, testes sunt Eucharisticam Christi mappam à Zacharia, eiusdem è septuaginta discipulo, velut diuinum quoddam Palladium, Viennam fuisse transuectam. Verba illius sunt: *Mortuo Crescente, vel, vt aliqui scribunt, Apostolico iussu in Galatiam profecto, ipsmet B. Apostolus Paulus Hispania rediens Zachariam itidem Christi discipulum subrogauit. Qui cùm Dominicæ interfuisset cœnæ*, an vt conuiua? haud credo: an vt seruitium? aut spectator? non ausim nec velim dicere, ne dicam, affirmare: vt vt sit, *mappam ipsius sacrosanctæ refectionis*, inquit idem, *super quam panem, & vinum in suum corpus, & sanguinem ipse summus sacerdos Christus transsubstantiauerat, Viennensibus, nouis Christianis solatij gratiâ contulit.* Deinde post aliqua subiicit: *Porrò sacratissimam illam mappam apud Cœnobium S. Petri Viennensis posteritas religiosissimè custodiuit, ac piorum studio virorum, Caluinistarum rabidæ audaciæ, terræ infodiendo suffurata est. Nunc verò è terra eruta, veteri incipit cultu resplendescere, atque priscâ deuotione, vt par est, venerari.* sic ille. Accepi, cùm in hac *sacra, & senatoria* vrbe degerem, olim in moribus, vsûque annuo fuisse, venerandum illud mantile expansum, populo illuc religionis ergò peregrè aduentanti de superiore loco commonstrare. Obsoleuit iampridem pius is mos verentibus olim Monachis, nunc Canonicis, nec immeritò, ne Eucharistica illa mappa partim à terræ, cui infossa fuerat, situ; partim à temporum diuturnitate admodum vitiata, vsûque corrupta, funditùs ipsis depereat: exhibetur tamen pellucido inclusa crystallo spectabilis.

Io. à Bosco Antiquit. Vienn. cap. 2. le Lieure in Antiq. Vienn. c. 7. & ex illo Iacob. Senert. Chronol. hist. diuers. Diœc. Eccles. in Archiep. Vienn. pag. 195.

Non minùs Anicium, quàm Vienna, sacrosancto eiusmodi mantili locuples sibi, quàm quod maximè gratulatur non integro illo quidem, at satis amplâ eius portione, mediam circiter dixeris. Hanc ego adolescens quotannis Fidelium exhibitam oculis feriâ quintâ sanctioris hebdomadæ hisce oculis sæpe sæpius vsurpaui, argenteísque, quibus illaqueata est laminis, vitrôve, quo introspicitur, pia oscula libaui pro veteri Maiorum consuetudine, ac religione. Balduinus Imperij Constantinopolitani moderator suo illo diplomate quo sacra lipsana, se annuente, à Diuo Ludouico æquè venerabilium Reliquiarum studiosissimo aucupe, ac Christianissimo Francorum Rege, multo ære piè, sanctéque redempta, vltróque religiosissimo Principi à se concessa fuisse testatur; inter cetera numerat *sanctam telam tabulæ insertam; magnam partem de lapide sepulchri Domini.* Quæ verba du Breuil Gallicè vertens *telam* reddidit, *toüaille, vel nappe*, & quidem rectè, quòd vox Gallica, *toüaille*, à Latiali, *tela*, sicut à mappa, *nappe*, corruptis, vt plurimum fit, vocabulis videantur deriuata: adde, quòd mappæ omnes, siue Circenses, siue tricliniares, è sola tela confici vulgò consueuerunt. Quid? quòd Collegium nostrum Vlyssipponése eâdem Dominicâ mappâ, tanquam cœlesti quodam ancili, beatulum se credit, vt refert Viringus è Societate nostra scriptor, additque *mappam, in qua Christus primùm fecit (vt piè creditur) Beatæ Mariæ manu elaboratam fuisse,*

Odo Giss. lib. 1. hist. Anic. Deip. c. 18.

Du Breuil libro 1. Theat. Antiq. Paris. pag. 103. & 104.

Io. Vvath. Viring. tract. de

3. cœna c. 38. pag. 203. *se, & acu pictam insertis liliis.* Sint & aliæ ciuitates, atque Basilicæ, quæ Eucharistico huiusmodi mantili, siue integro, siue in partes diuiso se locupletatas iactitent; do libentissimè, quod volunt. At quo id fieri possit modo, vt tot diuersissimis in locis eadem in indiuiduo mappa seruari possit? disquiritur.

Censeo non vnâ duntaxat ratione factum fuisse, vt vnum, idémque mantile pluribus in Basilicis custodiri existimetur. An, quia, cùm sacrum illud mantile diuidua esset natura, in varias orbis partes pro segmentorum, partiúmve multitudine transuehi potuit, vt inde fideles innocenti errore, ac perfacili fide, adducti totum habere se iactitarent, cuius aliquam tantùm possiderent portionem, quemadmodum inferiùs dicturi sumus? An quia ob summam veterum Christianorum erga sanctissimum Eucharistiæ sacramentum pietatem (quæ Diuo Luca teste fuit quàm ardentissima,) quamplurimas alias mappas ad formam primarij mantilis, in quo Christus cœleste sui Corporis, & Sanguinis conuiuium instituerat, conficere quondam mos fuit? quæ mappæ vel à contactu illius primi mantilis Eucharistici, si vel tantillum ipsi poterat affricari, vel sine vllo penitus eius attactu, Fidelium fidei, pietati, ac votis benigna Dei omnia potentis, pollentísque liberalitate, ac potentiâ obsecundante, cùm mira supra naturæ vires effecta ederent, perinde, ac si earum singulæ forent primarium Eucharisticæ mensæ mantile, occasionem dedêre posteris existimandi, & credẽdi, se sacrificam Christi conuiuantis mappam obtinere. An denique, quòd non vna fuerit mappa, sicut nec vna mensa, cui Christus inuitatus accubuit. Replica, si placet, animo, quoties Christus Dominus siue nouis nuptis; siue corculis suis Lazaro, Marthæ, Magdalenæ, ac reliquis discipulis; siue inuitantibus, imò nec inuitantibus aliquando publicanis; siue rogantibus, ne dicam, nonnunquam insidiantibus Pharisæis (quâ erat in omnes humanitate)

S. Aug. li. 50. Homil. hom. 23. *non carne, sed mente* (vt loquitur Augustinus) conuiua peramanter accubuerit: vndè verosimillimum est credere factum fuisse, vt infantis etiamnum, sensímque adolescentis Ecclesiæ fideles, aliquam è tot mappis feliciter nacti vltronea fide sibi persuaserint, se primarium Eucharisticæ mensæ, ac Cœnæ mantile à maioribus per tot seculorum curricula transmissum possidere, quam persuasionem quis noxiam, reámque iudicet, si posteris defuerint veterum instrumentorum auctoritates, quibus pium suum dediscere, ac deponere possint errorem?

Idem affirmari probabilitate magnâ potest pro tuenda earundem in indiuiduo Reliquiarum, quæ ad Christum attinere dicuntur, multitudine; cuiusmodi est crater, in quo primùm Seruator noster vinum in Sanguinem suum conuertit, Apostolísque libandum dedit. Hunc Iacobus Seuertius in Insula Barbaræ (ea proximè à Lugduno abest) asseruari memorat ex perantiquis autographorum monumentis: illius hæc verba sunt: *Istud monasterium Carolus magnus Imperator glorio-*

Iac. Seuert. Chron. hist. *sus summo dilexit amore, qui præposuit illi Abbatem Benedictum II. carnis cognatione sibi propinquum. Misit illuc tabulas eburneas miro opere*

sculptas

ſculptas, atque politas: necnon libros quatuor Euangeliſtarum, eorúmque expoſitiones, & ſcyphum lapidis ſmaragdi, qui cœnæ Domini interfuit, ſiue, vt paulò poſt clariùs explicat, *quem Dominus Ieſus propriâ manu ſignauit, ac benedixit, quando cœnam cum diſcipulis ſuis fecit.* Hæc ſcriptor pius. Eodem ſcypho ſe diuitē venditat apud Aruernos ciuitas,cui, *Brionde la gaillarde*,vt audio,nomen eſt. DiſcumEuchariſticum Trecæ, Roma, Genuæ, Arelas, cuſtodiunt, exiguam pateram, è qua Chriſto infanti Deipara propinabat, Anicium, vti & vnam ex hydriis, in quibus aquam in vina conuertit Dominus: è quibus alias Rauenna, Cluniacum, Piſæ, Andegauum. Ouietum oſtentant. Quam multis in locis faſciæ cuninæ, ac infantiles panni, quibus Chriſtus è virgine matris aluo, velut ex arbore baiula maturum pomum, cadens exceptus, & inuolutus fuit, dicuntur aſſeruari? Ad vltimum (ne longior ſim in Chriſti lipſanis ſigillatim recenſendis) quotquot illorum aliqua in diuerſis Eccleſiis eadem numero cuſtodiri, monſtrari, & coli feret fama, eodem planè modo de illis, & de cœnatoria Chriſti mappa, eſto iudicium.

Lugd. Archiep. in Ledrado §. 1. Caluin. in admon. de Reliq. Calu. loc. cit. Odo Giſſey lib. 1. ſup. cit.

Luc. Marin. lib. 5. de reb. Hiſp.

SECTIO SEPTIMA.

B. Virginis Mariæ Imagines, tam non manufactæ, quàm à D. Luca pictæ, in ſe, ſuiſque ectypis, pluribus in locis cuſtoditæ.

DVas, vt vides, Marianarum iconum claſſes conſtituo; vnam illarum, quæ nullâ humanæ manus induſtriâ fuerunt delineatæ: alteram earum, quas D. Lucæ, pictoris eximij manus ad veram viuentis, ſpirantiſque Deiparæ ſimilitudinem coloribus expreſſit, de quibus ſigillatim diſſerendum eſt nobis.

Principiò ſicut Deus in imaginibus Chriſti non manufactis inexhauſtam omnia potentis virtutis ſuæ vim prodere voluit; ita & in beatæ Virginis Mariæ iconibus nullâ hominis manu deſcriptis ſe manifeſtauit pictorem Deum. Scio, ſcio, noſtri temporis Iconoclaſtæ haud dubiè hîc occlamabunt; Nugæ, nugæ. Demittite tantillum vocem, ô boni! ne irraucescatis, & ſi lubet euoluite Theophanem antiquum ſcriptorem, Cedrenum, Matthæum Vveſtmonaſterienſem, Baronium, & Gretſerum, apud quos *Heraclius Imperator anno Imperij ſui decimo collectâ armatorum multitudine aduerſus Coſdroam mouit, ferens ſecum imaginem ſanctæ Dei genitricis, quæ apud Byzantium eſt, non hominis manu, ſed diuino miraculo pictam. Heraclius iconis Dei genitricis fultus auxilio, omnes aduerſarios ſuos in bello peremit, aut turpiter in fugam coëgit.* Hanc ipſam Stephanum Metropolitam Cyzicenum detuliſſe hiſtoria

Theoph. ann. 16. Heracl. imp. ex Georg. Piſida. Cedren. eod. anno. Matth. Vveſtmon. ann. 620. Baron. ad

ann. 610. Miscellanea memorat, vt Mariæ, & Christi non manufactis imaginibus, velut gemino tectus clypeo, Imperator hostem à tot deuictis, subactisque prouinciis nimiùm quantùm insolescentem aggrederetur, funderet, fugarétque.

Gretf. Syntagm. de imag. non manufact. c. 35.
Hist. miscell. lib. 18.
Drus. in Turcogr.

Verùm quia Catholicis scriptoribus fidem adhibere renuis, Iconomache, saltem Patriarchicam, quam in sua Turcogræcia Drusius, è vestro grege non vltimus, iuris publici fecit, perlegere ne graueris. Apud ipsum ergo Malaxus Peloponesius de Dionysio, Patriarchatu exuto agens sic scribit: *Cum omnibus rebus, quas habebat, discessit Constantinopoli, & in monasterium sanctissimæ* ἀχειροποιήτȣ, non manufactæ, *Deiparæ Conissæ, propè Cabalam sitam intrauit.* Vides Dei Genitricis effigiem nullâ hominis delineatam manu, etiam post captam à Turcis Constantinopolim, Græcis in pretio fuisse, condito in eius honorem Monasterio.

Neque illam vnam ἀχειροποίητον Deiparæ effigiem extitisse puta: nam apud Siculos vna in Valle viridi ad Ætnam sitâ; Tauromeni altera (vti scriptum, testatumque reliquit Octauianus Constantinus) summâ in veneratione habentur. Vndenam verò huiusmodi nomen adeptæ sint sacræ illæ B. Virginis tabellæ, non admodum difficile est assequi coniecturâ. Quid enim obstat, quin ipsa Deipara alicui linteo venerabilem suum vultum Dei operante virtute appresserit, impresseritque? Nouimus à carissimo eius filio id factitatum, vt religiosæ Regis Abagari pietati gratificaretur, quemadmodum ex Constantino Porphyrogenito Imperatore Constantinopolitano, qui de hac ipsa imagine Constantinopolim transuectâ nobilem orationem scripsit, superiùs sat multis disseruimus. Potuit ergo Christus in gratiam Genitricis suæ idem miraculum edere, vt non vnius tantùm Imperatoris, Principisve Christiani, sed totius Ecclesiæ tam iustum, quàm religiosum desiderium expleret, eius orbitatem consolaretur, atque adeò in imagine diuinâ vi, manûque depictâ Deiparam, & cœli, solíque Reginam quodammodo præsentem ipsi sisteret, ac deuenerandā exhiberet.

Octau. Constant. in idea oper. de SS. Siciliæ.
Gretf. loc. cit.
Euagr. lib. 4. hist. Eccl. cap. 26.

Erunt, qui malint credere sacras illas B. Virginis iconas ἀχειροποιήτȣς, seu non manufactas ideo fuisse nuncupatas, quòd Angelicâ potiùs industriâ, quàm humano penicillo, & opellâ sint depictæ. Non respondeo: quinimò si inde memoratam nomenclaturam placet petere; profectò in album non manufactarum Deiparæ imaginum alias vt referas, auctor sum, quæ imagines variis in templis, prouinciisve asseruantur, & coluntur summo cum pietatis sensu. Huius generis esse ferunt Iconem Beatæ Virginis ab Angelo salutatæ, seu *Annuntiatæ* (vt vocant) quæ apud Florentinos maximo habetur in pretio, & veneratione: illam pariter, quæ in templo *S. Mariæ in porticu* Romæ visitur nullâ temporis iniuriâ violata, nullis Vrbis incendiis ambusta, nullis tot hostium direptionibus exportata, illam, inquam, Angelorum manibus mirabiliter efformatam pia Catholicorum credit religio: has, aliásque id genus non paucas Dei genitricis effigies in eandem non manufactarum

Mich. Seruita in Chron. Ordin. seruit.
Spinell. tract. de fest. ac templ. B. Mar.

imaginum claſſem coniici poſſe non abnuo, indéque reor eueniſſe, vt huiuſcemodi ſacras icones ſiue in ſuis autographis, ſiue in ſuis ectypis, pluribus in locis cuſtodiri, monſtrari, colique vulgò iactetur, eóque credatur faciliùs, quò propiùs illæ ad ſe indiſcretâ ſimilitudine accedunt, & ad ipſas miracula diuinitùs edita quondam fuiſſe, atque etiamnum patrari certioribus conſtat argumentis. Hactenus de iſtis iconibus Deiparæ non manufactis pro inſtituta breuitate ſatis.

Alteram claſſem Marianarum imaginum conflatam volo ex ſacris illis ſimulachris, quæ pereruditâ Diui Lucæ manu ad veram Beatæ Mariæ Virginis etiamnum viuentis, videntiſque ſimilitudinem expreſſa memorantur, ſiue illa coloribus piiſſimus pictor delinearit, ſiue plaſtes eximius cerâ fuderit (quod Gretſero noſtro non ſapit) ſiue cerâ, & coloribus ſimul expreſſerit plaſtes, idemque pictor diuinus, quod Græcorum Menæum, & Theophanes Cerameus conteſtantur, in quorum ſentétiam pedibus non illibéter eo, quòd mihi veroſimillimum videatur vtrâque arte Diuum Lucam plurimùm potuiſſe. Quid enim plaſtice incommodat picturæ, aut pictura plaſticæ? cùm mutuas, vt fit, operas ſibi plerumque commodent, ac fœnerentur. Vtvt tamen res ſe habuerit, locupletiſſimis quà veterum, quà recentiorum ſcriptorum teſtificationibus liquet D. Lucam pro ſua pietate, & reuerentia in Dei Genitricem, atque adeò pro ſingulari ad pingendum fingendumque induſtriâ non paucas Deiparæ imagines coloribus, cerâve confeciſſe, quidquid contra Illyricus, Hoſpinianus, Centuriatores Magdeburgenſes, aliique eiuſdem farinæ homines buccinarint, odio (vt eſt Iconomachorum, & Antimarianorum ingenium) erga ſacras imagines, & Deiparam hæreſeon interemptricem maximo, & penitus Auernali. Verùm impia ineptè, ac fabuloſiſſimè cornicantibus heterodoxis ſilentium ſatis ſuperque impoſuêre Caniſius & Gretſerus è noſtris, aliique complures doctrinâ peræquè ac pietate præſtantes viri, vt minimè neceſſarium, neque operæ pretium ſit in refellendis longius hìc immorari: ſatius fuerit ſtrictim recenſere, quàm numeroſæ fuerint huiuſcemodi imagines Marianæ, quas D. Lucas à ſe laboratas reliquit.

Peregregiè mentitus Hoſpinianus ſcripſit *Pontificios aſſerere à Luca quatuor imagines Deiparæ Virginis Romæ depictas eſſe.* Quorſum illos Pontificios homo antiquæ, ſi diis placet, fidei, & religionis reticuit? Sed demus hoc reformato Fabulino: rectè veniâ indigniſſimum ſe præbet hoc ipſo, quòd ſecundam *Troade à Luca pictam* dictorum, & proximè à ſe ſcriptorum penitus immemor affirmet. Quàm verè vulgo iactatum illi occinas, *mendacem memorem eſſe debere.* Si Troade picta eſt, quomodo Romæ? Ceterùm multò plures, quàm quatuor, etiam Romæ, à Luca elaboratas Dei genitricis imagines Pontificij aſſerunt: negant plerique Iconoclaſtæ Mariani vel vnam ſolam.

Celeberrima, & Græcorum vſque eò laudata præconiis eſt illa, quam Eudocia Auguſta peregrè Hieroſolymâ profecta Conſtantinopolim ad Pulcheriam dono tranſmiſit, quæ tanquam cœleſte adepta Palladium

Gretſ. ſynt. cit. cap. 18. *Menæum Græc. 18. Octob.* *Theoph.* Ce*ram. hom. de imag. reſtitut.* *Metaphr. in vit. S. Luc.* *Niceph. lib. 2. hiſt. c. 43. & lib. 14. c. 15. & lib. 15. cap. 14.* *Theod. lect. lib. 1.* Colle*ctan.* Glycas, Cu*ropal. & aliſ. Illyr. apud* Caniſium *mox citand.* *Hoſpin. tract. de templ. orig.* *Centur. Magdeb. cent. 5. cap. 6.* Caniſ. *li. 5. de Maria Deip. cap. 22.* *Gretſ. loc. cit. cap. 19. & lib. 2. de SS. peregrin. cap. 3.* *Locrius lib. 5. Mar. Aug. cap. 3.* *Bozius lib. 9. de ſign. Eccl. cap. 8.* Gonon. *Chro. Deip. ad ann. 35.*

Niceph.lib.15. cap. 2. Nicet. Choniat. lib. 1. de reb. Isaaci Angeli. Grets. in Codin.lib. 3. cap. 5. & 7. & lib. 2. de SS. peregr. cap. 4.

sacræ tabellæ deponendæ, seruandæ, colendæ pulcherrimum excitauit templum, seu monasterium τ ὁδηγῶν, à quo monasterio Deipara *Hodegetria* seu *viæ dux*, ipsiúsque imago *Virginis Hodegetriæ* effigies nuncupatæ sunt. De hoc principe B. Mariæ simulachro bene multis disseerit noster Gretserus, tùm citato iampridem à me syntagmate de sacris peregrinationibus, tùm erudito, quem in Codinum scripsit, & edidit in lucem commentario. Viderint alij nùm ab hac *Hodegetriæ virginis* Ierosolymitana primùm, deinde Constantinopolitana B. Mariæ imago extiterit diuersa, quam Nicephorus à Pulcheria Imperatrice pientissima transmissam Antiochiâ refert: si diuersam voles, negante Gretsero, en tibi alteram Dei Genitricis iconem à D. Luca coloribus expressam, adstipulante Canisio, quæ an illæ sint, quas duas beatum Lucam pinxisse Menæum Græcorum loquitur, haud scio: Illam certè scio in Poloniam à Ladislao Opoliæ Duce, Byzantio traductam Clermontensis colliculi verticem insedisse, si quidem Bzouio fides est, in Polonia de rebus Polonicis scribenti.

Canis. supr. citat.

Bzou. Eccl. Annal. ad ann. 1385.

E Thracia Melitam passis velis, Zephyrisque obsecundantibus adeamus. Cùm Diuus Paulus relicta Ierosolymâ Romam catenâ oneratus pro Christo ad Cæsarem, quem appellarat, mitteretur, facto naufragio haud procul Melitâ, tres continenter menses in ea insula hyemando substitit, cùmque fidelissimum, & indiuiduum viæ ac laborum comitem Lucam secum haberet, subiit pictoris animum cupido eam insulam, quam naufragi tenuerant, tùm primùm ad Christianam fidem à Paulo, & à se mutuâ traductam operâ sacris Dei Genitricis imaginibus ad viuentis similitudinem affabrè depictis (vt tunc erat Fidelium ardentissimum studium Deiparam præsentem, absentémve contueri) religiosâ liberalitate locupletare. Tres igitur eius iconas illi Ecclesiæ, vt ferunt, à se perquàm diligenter elaboratas elargitus est, quas etiamnum in suis templis asseruatas religiosa insula non mediocri pietate veneratur.

Conon. Chrō. loc. cit.

Melitâ iam Romam versùs orationem, stylúmque conuertamus. Hyperbolem ad minimum sapit, quod vir peræquè pius, ac eruditus Fridericus Fornerus Episcopus Hebronensis de Romanis Deiparæ imaginibus totidem verbis exaratum reliquit: *Ibi*, scilicet in conductitia illa domo, in qua sanctissimus gentium Doctor Paulus *mansit toto biennio*, *Ibi*, inquit, *virginales imagines, quotquot in vrbe, & alibi, vt plurimùm inueniuntur D. Lucas* indiuiduus Pauli comes *singulari Virginis amore inflammatus delineauit, & coloribus illustrauit*. At pace docti Præsulis dixerim, nec omnes, quæ *in Vrbe, nec quæ alibi, vt plurimùm inueniuntur* beatus pictor coloribus expressit: optimè tamen, & ex historicorum fide idem affirmat, vnam è tabellis à se laboratis D. Lucam *digito annulum gestantem innumeris vt olim, ita & modò miraculis excultam, hospitio veteri gratæ memoriæ ergò reliquisse*: & hæc est quæ sanctæ Mariæ in via lata titulo insignitur. Idem censuit, scripsitque recens de Societate nostra Massutius, qui insuper addit eadem in domo Diuum Lucam

Fride. Forner. lib. 5. palmæ Triumph. mirac. cap. 16.

Idem lib. 3. cap. 10.

Massut. lib.

Lucam *fortè celebrem aliam depinxiſſe imaginem, quæ in templo ſanctæ Mariæ Maioris aſſeruatur, & conſtat ex certa Romanorum traditione opus eſſe ſancti Lucæ.* Hæc ille, quicum Fornerius, & longè ante ipſum Mariani ſcriptores benè multi communi, vnâque ſententiâ idipſum cenſuerunt. Elaborauerit ibidem ſanctus Lucas effigies beatæ Virginis, quæ in baſilicis Diuæ Mariæ in Ara cæli, vt vocant, ſupra montem Capitolinum, *Del popolo*, ad radicem collis hortulorum, in Exquiliis ad campum Martium, & trans-Tiberim viſuntur: certè venerandam illam Deiparæ iconem, quæ ad beatæ Mariæ Nouæ colitur, cùm è Trode in vrbem tranſuectam, tùm Diui Lucæ penicillo ſudatam Marianarum rerum ſcriptores volunt.

12. vit. S. Pauli c. 1. Gonon. loc. cit.

Lauretanæ Virginis matris (Papæ! vt hæ voces Antimarianis Iconoclaſtis bilem mouent, ſtomachúmque funditus euertunt) Lauretanæ, inquam, Virginis matris effigiem à Diuo Luca elaboratam qui non audiuerit toto in orbe Chriſtiano reor eſſe neminem; paucos, qui eius deſcriptionem ſtylo à Turſellino delineatam non legerint, vix eſſe vllos qui ad eiuſdem expreſſam exemplar non viderint.

Diuo pariter Lucæ adſcribuntur illæ Dei Genitricis imagines quæ apud Neapolitanos, Venetos, Cameracenſes & Bononienſes ſummâ in veneratione ſunt. Hanc verò poſtremam Conſtantinopoli, quo tempore Orientis Imperium Emanuel Comnenus, Occidentis Fridericus cognomine Ænobarbus obtinebat, ad montem Guardiæ, in agro Bononienſi, tranſlatum fuiſſe Bzouius, Sigonius, Aſcanius Perſius, Fornerius, Spinellus, & alij complures deprædicant. Ecce tibi quàm multas imagines Diuus Lucas, ſiue Ieroſolymis, ſiue Antiochiæ, ſiue Troade, ſiue Melite, ſiue in vrbe ipſa ad veram Dei genitricis Mariæ viuentis mortuæque ſimilitudinem penicillo, cerâve expreſſas reliquit. Quapropter monente Caniſio, *prudentes, ac pios nihil offendit ſimiles imagines Virginis pluribus in locis conſpici, & eidem auctori Lucæ à multis adſcribi: quia ſi ſapiunt, non tam de auctore, ſiue pictore, quàm de perſona per imaginem repræſentata ſibi curandum eſſe ſciunt; atque, vt ſæpè alias, ita hîc etiam in fide maiorum libenter acquieſcunt. Certam enim de his rebus, nec docet, nec exigit Eccleſia fidem. Communi autem, & receptæ bonorum opinioni contradicere, aut nimiùm eſt arrogantis, aut præpoſterè ſapientis, vel alioqui vanè, & inſulsè curioſi.* Hactenus prudenter, verè, atque Catholicè vir pius, & Iconomachorum malleus valentiſſimus.

Turſell. lib. 1 hiſto. Laur et cap. 3. & 4. Petr. Steph. lib. de SS. locis Neapolit. Sigon. lib. 2. de Venet. vrbis ſitu reg. 6. & vlt. Caniſ. ſuprà cit. lib. 1. c. 16. Bzou. to. 10. Annal. Eccl. Sigon. lib. 2. d. Epiſc. Bonon. in Gerardo. Aſcan. Perſ. hiſtor. Imag. montis Guardiæ. Fornec. li. 85. cap. 18. Gonon. ad an. 1433. Chron. Spinellus cit. Locr. Chron. anaceph. Mariæ Augu. ad ann. 1450. Caniſ. &c.

Nunc quis ſuſcipiat dicere, quot, & quàm numeroſæ ad prototyporum illarum beatæ Virginis imaginum, quas ſanctus Lucas coloribus expreſſit, abſolutiſſima exemplaria tabellæ deſcriptæ fuerint? Apud Hiſpanos celebri famâ iactatur ſanctum Leandrum Hiſpalenſem Epiſcopum à Diuo Gregorio magno, Pontifice maximo, pro eo, quo illum honore, atque amore ſingulari proſequebatur, donatum fuiſſe Dei genitricis effigie, quam ad Romanum Diui Lucæ autographon eruditâ manu ac penicillo affabre pingi iuſſerat, longè ſimillimâ. Hanc Guadalupi etiamnum aſſeruari, coli, & frequentibus ornari miraculis ferunt,

ſacerrimum omnino antiquæ pietatis, & religioſi aduersùs Deiparam ſtudij, cultûſque monimentum. Gallias verò noſtras duæ perantiquæ Dei genitricis imagines illuſtrant ſummoperè: vna quidem, quam ſanctus Dionyſius Areopagita (ſi Andreæ Fauino Nauarreæ hiſtoriæ conditori clariſſimo credimus) pro ſua in beatam Virginem veneratione in Gallias inuexit. Hanc autem haud ſatis ſcio, an archetypon à Diuo Luca profectum citiùs dixero, quàm ectypon alterius cuiuſpiam periti pictoris expreſſum penicillo: Vt archetypon credam ſuadent, cùm beati Apoſtoli noſtri, nimiùm quantum cupidi Deiparæ videndæ, viſæque demiratoris maximi religio; tùm arcta cum Diuo Luca, ceteríſque principibus Chriſti diſcipulis, quos funus Mariæ fato functæ miraculo aduectos Hieroſolymam coëgerat, familiaritas; denique primorum Chriſtianorum perquàm pia cupiditas oculis, ſaltem in imagine, velut in ſpeculo, vſurpandæ diuinæ illius Majeſtatis, quam in Virgineo Mariæ ore inſediſſe veterum, & ipſiuſmet Areopagitæ Dionyſij oculata teſtificatio perſuadet: quin ergo piiſſimus Areopagita iconicam huiuſmodi tabellam Virginis beatiſſimæ à Diuo Luca in mutui amoris monimentum (vt fit) conſequi potuerit in Gallias digreſſurus? Coniecturam hanc noſtram depromo, vt veroſimilem; tu quiſquis es, æqui, boníque conſules, & mecum, ſi voles, piè credes.

Andr. Fauin. hiſt. Nauarr. Poyræus tripl. coron. B. Virg. tract. 1. c. 12. N. 44.

Doinyſ. Carthuſ. lib. 3. elucid. cap. 3. S. Dio. Areop. lib. de diu. nom. cap. 4. & ep. ad Paul. Caniſ. lib. 2. de Deip. Virg. cap. 1. Arias lib. 2. de B. M. imit. c. 2. Locr. lib. cit. 5. cap. 5. & 6. & c. 1. Paludan. ſerm. de concept. B. V. 1. & 2. Bern. de Buſto 2. part. Marial. ſerm. 4. part. 2. Poyr. ſupr. cit. N. 57. Caniſ. lib. 1. de B. V. c. 13.

Altera Mariana effigies, ſed ectypa dicitur ea eſſe, quæ ad primæuæ, ac Dionyſianæ illius imaginis exemplar, & ſimilitudinem depicta fuit, & quam in *Dominæ à campis*, vt dicunt, parietibus affixam etiamnũ Pariſiis videre eſt. Poyræus è Societate noſtra Marianus ſcriptor non ignobilis teſtatum reliquit Ligniaci in Canonicorũ Collegio alteram eiuſdẽ Virginis matris iconẽ cuſtodiri, quam ex D. Lucæ archetypo graphicè delineatam ferunt. Venetiis apud Tatianum, ſuperiori ſeculo pictorem celeberrimũ, exemplar ex D. Lucæ archetypo excerptum aſſeruari Caniſius refert. Auenionenſe Collegium Societatis noſtræ haud diſſimili Dei genitricis imagine ſe collocupletatũ religioſè gloriatur, nec immeritò; tum quia donum eſt beati Franciſci Borgiæ, Præpoſiti Generalis tertij, qui pro ſua in Deiparam eximia pietate, ſimul & in ſuos charitate ſingulari, quàm plurimas huius generis Marianas imagines in varias Societatis prouincias, Collegiáque toto orbe diſperſa tranſmittere ſtuduit, vt illis tabellis venerandum, Ordinis noſtri parentis Opt. Maxim. depictum, expreſſúmque coloribus vultum religioſis intueremnr oculis, piis oſculis appeteremus, & animo humillimo veneraremur, tùm quia vt à maioribus noſtris accepi, ad illius conſpectum, & contactum nonnunquam Deus mira ſupra naturæ vires prodigia edere dignatus eſt.

Cùm ergo ſexcentæ huiuſmodi beatæ Virginis icones, ectypæ ex pictoris Euangeliſtæ prototypo deſcriptæ variis in locis, ac pluribus abhinc ſæculis cuſtodiantur, atque adeò pia Chriſtianæ plebeculæ (vt ad credendum cerea eſt) fide, innocentive errore, tanquam ipſiſſima Diui Lucæ autographa religioſè habeantur; fieri potuit, vt eædem diuerſiſſimis in locis, ac templis imagines Deiparæ non modò credantur aſſeruari

nari, sed etiam summo in pretio sint, & laudabili afficiantur veneratione. Sed quid hoc fidei orthodoxæ? quid Christianæ pietati? quid Catholicorum dogmatum veritati, nisi forte admodùm remotè, materialiter, & per accidens (vt Theologicæ loquuntur exedræ) incommodare, vel obesse potest? cùm religiosus ille cultus ad Deiparam ipsam, vt integerrimam Dei genitricem formaliter, & vltimatò referatur, quacumque tandem manu, ac penicillo iconicæ huiuscemodi tabellæ fuerint elaboratæ; præsertim si veterum tabularum, titulorúmve monimenta, è quibus Reliquiarum veritatem elicere, piúmque suum, & innocentem errorem Fideles dediscere potuissent, penitus intercidissent; si diutina traditione pro veris, & germanis habitæ, simul & cultæ fuerint; si claruerint miraculis. Quid multa? si ad earundem veritatem comprobandam humana, diuináque adiumenta (vt suo disseremus loco) accesserint.

CAPVT SECVNDVM.

Diuidua Sanctarum Reliquiarum natura: Causa secunda.

HAnc secundam multiplicatorum lipsanorum rationem rudioribus intellectu faciliorem, heterodoxis acceptiorem auditu futuram spero; quâ enim illi sunt obtusâ mentis acie, vel pertinaciâ, vel ignorantiâ, id faciliùs intelligentiâ consequentur, quod propiùs in sensus cadit: Istis verò (quâ sunt in rebus fidei amplectendis peruicaciâ) multò acceptior erit ratio, cui contrà obluctari, ne perfractâ quidem audaciâ, & obfirmatâ animi pertinaciâ possint. Cùm autem ea sit complurium Reliquiarum natura, vt in varias particulas diuidi commodè valeant, temerariæ, vel potius vesanæ impietatis foret pernegare, eadem sacra Lipsana, si non secundùm se tota, saltem secundùm sui partes posse diuersissimis in locis reperiri; atque hæc reliquiarum diuisibilitas tantam earundem copiam, quàm quæ maximè, peperit, vt quidem reor. Id verò in promptu erit obseruare propiùs spectanti seu Christi, seu Deiparæ, seu Diuorum venerabiles exuuias, quæ variis in locis religiosè seruantur; aliquot earum sigillatim lustremus.

ARTICVLVS

ARTICVLVS PRIMVS.

Adorandæ Christi reliquiæ à sui diuisibilitate varijs in locis asseruatæ.

PErmultas sui Reliquias Seruator noster in terris superesse voluit, vt diuersis toto orbe Christiano dispersæ locis, instar Palladij esse possent; cæcutiunt ad tantæ, támque exploratæ veritatis lucem hæreticæ noctuæ, *quia videntes non vident, & audientes non audiunt,* Matth.13.13. *neque intelligunt* adorandas Christi Redemptoris exuuias ex eo, quod natura diuidua sint, in multiplices particulas diuidi posse, totidémque in loca distribui pto fidelium populorum pietate. Huius generis sunt sanguis, vena vmbilicalis, capilli, lacrymæ, corona spinea, aliáque non pauca, de quibus tùm separatim, tùm per saturam agendum erit, vt perspicuitati, breuitatíque consulatur.

SECTIO PRIMA.

Sanguis Christi an in terra? & quomodo tot in locis?

CVm duplex Christi sanguis concipi, ac dici possit, verus vnus, alter prodigiosus; in præsentia mihi de vero duntaxat differere certum est: Eum autem verum appello, qui Corporis Christi venas aliquando compleuit, eiusque Deitati hypostaticè vnitus: de hoc an in terris etiamnum sit, & quomodo tot diuersis, vt ferunt, in locis, disquiro?

In aditu huiusce nostræ disquisitionis obserues, velim, non institui à me disputationem de Eucharistico Christi sanguine, quem in terris esse ac infinitis propemodum in locis asseruari rediuiuus duntaxat Berengarius, vel potiùs (quia hic palinodiam canens resipuit) rediuiuus aliquis Caluinus præfractè neget. Sanguinem igitur illum loquor, quem è Christi corpore lapideus culter, aut ferrum, vel flagella, sentésve elicuerunt. Quod ad primum attinet:

Quid super hac re sentiam, non meis, sed Pontificis, hoc est, oraculo simillimis verbis pronuntiare placet: *Veritati fidei*, (verba sunt Pij II. Pontif. Maxim.) *nullatenus repugnat affirmare Redemptorem nostrum de sanguine præfato, ob ipsius passionis memoriam, aliquam partem in terris*

Pius II. Pont. in Bulla ad

in terris reliquisse. Idem oraculum ante octingentos annos ediderat Leo III. Pont. Max.(vt Bellarminus, & Baronius, Cardinales non doctrinâ minùs, quàm dignitate Cardinalitia Eminentissimi prodiderunt) idem Sixtus IV. & Iulius II. itidem Pontifices maximi, in gratiam Sindonis Camberiensis, velut ex Oraculi adyto responderunt: Iuerunt in eandem sententiam penè integræ Theologorũ legiones, quorum aliquot Suarez, & Vasquez retulerunt, quibus adde, si placet, Cardinalem de Lugo, Puteanum, Gamachæum, Valentiam, Ragusam, Collium, aliósque recentiores non paucos. Id ipsum professus est conceptissimis verbis Euthymius, Monachus Zigabenus in sua Ismaëlitarum, futiliúmque Saracenicæ sectæ, dogmatum confutatione, dum sic scripsit. *Non vmbram Christi, sed ipsum Christum crucifixum esse secundum carnem declarat sanguis, qui de sanctissimo ipsius corpore defluxit qui adhuc apud Christianos conseruatur, & scaturiens morbis medetur; qui quòd sit Christi multis miraculis planum fit, & contestatum.* Vt autem sacer sanguis ad solatium fidelium conseruari posset, qui Christo morituro adfuerunt discipuli, in eam curam quàm studiosissimè incubuerunt, ne quid diuini illius cruoris deperiret, vti nobis literis consignatum Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus in hunc modum reliquit, explicans, quid *sacer crater* in adorando Missæ Sacrificio significet: *Poculum,* inquit, *est vice vasis, quod excepit sanguinem emissum ab immaculato latere puncto, & vnguentũ ex manibus & pedibus Christi defluxum.* Hinc collige, quàm verè diuinissimus Seruatoris nostri sanguis in terris etiamnum esse possit, quandoquidem post tot secula à Christo in cruce exanimato conseruatus à Christianis colebatur religiosissimè. Nunquid abbreuiata est manus Domini, vt adorandum suum cruorem integrum, & illibatum ad hæc nostra vsque tempora nequiuerit seruare? quidquid impiè contrà scripserint Osiander, Bauanus, aliique eiusdem farinæ nebulones, quos Collius refutat. At quid ego mortales in huiusce rei testes aduocem, cùm habeamus immortales? Audiamus, quibus Beatissima Dei Genitrix verbis D. Brigittam alloquatur: *Cùm tempus vocationis meæ instaret de hoc mundo, ego ipsam præputij sacri membranam commendaui S. Ioanni, custodi meo, cum sanguine illo benedicto, qui remansit in vulneribus eius, quando deposuimus de cruce*, & reliqua. Et iam liceat dubitare? Iam liceat, (quod mirêre non mediocriter) Cardinali à Turrecremata scribere oppositam sententiam absque erroris nota defendi non posse? Liceat denique Athanasio (si tamen Athanasio, nisi fortè personato, interpolatori potius ineptissimo, vt perspicax vidit Bellarminus) Liceat inquam Athanasio (vt vt est) scribere, *non esse aliter æstimandum à verè Catholicis præter id, quod scribitur à nobis, quasi ex carne, & sanguine Christi aliquid possit in mundo inueniri; nisi illud quod in ara altaris per manum Sacerdotum quotidie spiritualiter efficitur*, Papæ! quæ Salmoneus ipse in Tarpeias arces bruta fulmina iaculatur?

At totam illam diuini cruoris vim, quæ Christo morituro inerat ab ipso resumptam quamprimùm ad vitam rediit, non infimæ notæ affir-

ad Abb. S. Mariæ, Xanton. diœc. Fr. Dermicius Thadæi Nitel. Franc. Relig. à pag. 443. ad 457. Bellarm. lib. script. Eccl. ad ann. 340. in Athan. Baron. tom. 3. Annal. ad ann. 804. n. 2. Platin. in Leon. 3. Suar. in 3. p. disp. 47. sect. 3. Vasq. ibid. disp. 36. c. 8. Lugo de myst. Incarn. disp. 14. sect. 6. Putean. ibid. quæst. 5. dub. 2. Gamach. ibid. c. 1. Valent. ibid. punct. 1. Raguf. ibid. disp. 60. §. 2. Coll. lib. 2. de sang. I. C. disp. 1. c. 7. Euthym. dogm. panopl. part. 2. tit. 24. tom. 2. Bibl. Patr. Græc. p. 296. c. Germ. Arch. Constant. in myst. Theor. rer. Eccl. tom. 2. Bibl. Patr. Græc. p. 150. E. Osiander in Confess. adu. Morlin. Coll. lib. 5. de sang. Christi disp. 5 c. 1. & 2.

S. Brigitt. lib. 6 reuel. Niceph. lib. 1. cap. 30. Turrecr. Card. in cap. Innuit, dist. de Consecr. Coll. lib. 5. supr. cit. disp. 6. c. 1 & seq. & disp. 8. c. 1. D. Thom. quodl. 5. q. 3. art. 5. Caiet. in 3. p q. 5. art. 2. quæst. 54. Sylu. in rosa aurea. tr. 3. q. 31. Pelbart. tr. 3. rosar. Theolog. Suar. in 3. p. disp. 47. sect. 3. dub. 1. De Lugo supr. cit. n. 82. Gamach. &c. cit.

mant Theologi. Per me licet. At quid vetat, annuentibus summis Pontificibus, vel cum Caietano dicere sanguinem nutrimentalem à Christo, quà viuente, quà moriente fusum, adhuc in terris asseruari? vel cum aliis addere, nec totum vitalem sanguinem, quem per totius suæ vitæ decursum habuit secundùm omnes suas partes à Christo resurgente fuisse resumptum, sed eas dumtaxat cruoris portiones, quę corpori eius gloriâ recens donato satis erant, ne quid imperfectionis in corpore perfectissimo effingatur: sicut nec assumpsit Christus in resurrectione omnes partes materiæ, quæ per continuam nutritionem eius diuinissimo corpori accesserant, ne in monstrosissimam molem excresceret; atque ita non parum sacri cruoris in terra fuerit à Seruatore derelictum. Quid vetat asserere Christum beatâ immortalitate donatum eam vitam nunc viuere, vt ad eam sustentandam, & conseruandam, atque adeò ad reparandos vitales & animales spiritus, qui labore, rebusque contrariis hîc sensim mortalibus diffluunt, exhauriuntur, depereũt, tantâ sanguinis copiâ illi minimè opus sit? Quid vetat addere Seruatorem *Iesum* in eo felicitatis loco iam nunc versari, vbi vulgatissimo illi Philosophorum, & Medicorum axiomati, *Anima in sanguine est*, præcisè loquendo nullus possit, aut debeat necessariò esse locus. Quid ad sũmam vetat profiteri tam expeditum, ac facile Christo existere partem diuinissimi sui sanguinis eodem & in Eucharistia miraculo replicatam (vt Theologicâ vtar voce) in terris conseruare, & à Fidelibus ipsi diuinum cultum adhiberi? Atque ita fiet, vt idem ille sanguis, qui sacrosanctis Dominici corporis venis in cœlo clauditur, in templis quoque nostrìs lipsanotheca inclusus crystallina, eodem tempore verè, ac reipsa religiosè habeatur, & adoretur.

Suar. loc. supra cit.

Quinimo quid vetat, c m aliquibus opina i non omnes sanguinis Dominici particulas resumptas, sed ex alia quapiam materie accitas & suffectas fuisse, vt Christus aliquâ saltem profusi cruoris portione in terris relictâ Christianorum erga se amori gratificaretur, factámque sui Seruatoris iacturam Christianus orbis non tam resarcire, quàm solari quoquo modo posset, dum diuinissimum illum thesaurum studiosè asseruat, & religiosè latriæ cultu adorabundus prosequitur, siue, vt etiamnum hypostaticè vnitum Verbo (vt existimauit Valentia) siue ab illo secretum, funditusque auulsum (quæ verior optimè sentientium opinio est.) Adorat, inquam, tùm quia sacerrimus ille cruor ex Suare, olim Verbo, & integerrimæ Christi Seruatoris carni vnitus fuit; tùm quia assumptus est *ab Ecclesia*, inquit Puteanus, *ad repræsentandam Christi passionem illo eodem modo, quo adorantur imagines*, scilicet adoratione relatiuâ, non absolutâ (vt vulgò Theologi loquuntur.)

Valent. in 3. p. disp. 1. q. 3. punct. 1. & dub. 3. in fin. Leo Matthei tr. de sang. Christi in trid. effuso cap. 16. 17. 19. Coll. lib. cit. disp. 9. c. 2. & 3. & disp. 8. cap. 6. & 7. Putean. loc.

Addo sudorem illum sanguineum, quo Christus *factus in agonia* in Oliuarum monte totus immaduit; *Factus* enim est *sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Vel (vt Græca vox sonat, quam D. Lucas vsurpauit) sicut *grummi sanguinis* defluentis in terram. θρόμβοι autem appellantur grummi, seu concretæ sanguinis partes, quod

sanè

ſanè dignum eſt non mediocri admiratione, non tam quòd è corpore Chriſti cum morte quodammodo luctantis ſanguineus ille cruor diffluxerit: id enim accidere potuit tùm à feruore ardentiſſimæ *Ieſu charitatis*, quæ *foras mittit timorem*, tùm à ſummo eiuſdem ad patiendum diriſſima quæque ſtudio, quo totus homo contra timoris vires incendi, & inſurgere ſolet: nec tam, quòd ſacer ille ſanguis in grumos condenſaretur; quin enim à circumſtantis aëris, concubiæque noctis frigore per antiperiſtaſin agente, ſimul & à partibus terreis, ac fibratis in grumos coagulatus addenſari poſſet? quàm quòd Chriſti ſudantis cruor in hunc modum concretus æquè facilè, ac ſi penitus foret ſolutus, & liquidus, longè, latéque decurreret in terram.

ſup. Pelbart. ſup. cit.
1. Ioan. cap. 4. v. 18.

Hæc ſi ita ſint, ecquid iam erit abſoni? quid à ratione abhorrentis diuiduas diuiniſſimi cruoris particulas, ſiue in grummos addenſatas, ſiue pulueri permixtas, ſiue natiuo fluore liquidas pluribus, diuerſiſſimis in locis aſſeruari, monſtrari, adorari? Seruentur igitur pretioſi ſanguinis reliquiæ Pariſiis (Balduini Imp. Conſtantinopolitani donum,) Romæ in Lateranenſi Baſilica, Mantuæ, Trecis, ad D. Magdalenæ apud Salyos in oppido S. Maximini: apud Xantonas in Abbatia S. Mariæ Rupellæ, Billomi (id apud Aruernos ciuitas pia, & Societatis Ieſu in Gallias aduentantis inter primas hoſpes humaniſſima) Billomi, inquam, in theca cryſtallina pars aliqua Dominici ſanguinis colore etiamnum viuido, natiuo (vti fuit in Chriſti venis) fluore, atque adeò penitùs in hanc vſque diem immutatâ quantitate mirabilis, multis abhinc ſeculis aſſeruata religioſè adoratur. Vt minimè mirum ſit Clementem V. Pont. Max. ſacris ſuis apicibus Henricum Claromontenſem Epiſcopum rogaſſe, vt particulam diuini illius ſanguinis ad ſe tranſmitti curaret ſtudioſiſſimè aliiſve in locis permultis. Miſerit olim Hieroſolymitanus Patriarcha ad Henricum III. Angliæ Regem cruoris diuini portiunculam. Cæſar Franciotti teſtis ſit Lucæ, liberâ apud Hetruſcos ciuitate, ampullam liquido Chriſti cruore diuitem aſſeruari: viſantur ſpinæ, claui, crux, ſudaria ſanguineis infecta guttis. Velamen Aniciense, quo aliqua ſui parte Chriſtus in cruce contectus fuit, cruore appareat purpuratus: quò pluribus in locis diuiduæ huiuſmodi diuini cruoris particulæ aſſeruabuntur, hoc plura, & illuſtriora Seruatoris Chriſti erga genus humanum amoris monumenta extabunt.

Du Breuil. l. 1. Antiq. Annal. Franc.
auct. Anonym. apud Pith. p. 17.
Sauſſ. Mart. Gall 24. Maij.
Sylu. ſupr. cit.
Chiffl. lib. cit. c. 36.
Matth. Paris, Platina Chifflet. &c.
Franciotti ſupr. cit. pag 163. & 166.
Odo Giſſey lib. 1. hiſt. Deip. Anic. c. 18.

Suſpecta hæc omnia Caluinianus grex habeat, quæ ſuſpicit orthodoxus: Ille ſi collectas in vnum pretioſiſſimi ſanguinis guttas animo reputet, *oceanum* fortè cachinnabundus exclamet, ac ſubſannet. Hic *non cruoris, ſed amoris oceanum* & occlamet & amet. At vnde hic ſeu *cruoris, ſeu amoris Dominici oceanus oriatur*: mi homo, auſculta.

Agedum, de te audire peruelim an exiſtimes diuiniſſimum illum ſanguinem à Chriſto Seruatore adeò parcè profuſum vt in plures Eccleſias tranſmitti, & communicari non potuerit, quæ ſumma tua eſt fides? Contrà non ignobiles Theologi ſentiunt, quorum, vti & Bie-

Biel. lect. 53. in Canon. Miss. p. 111.

lis veriſſima fuit opinio, *Cætera quidem omnia Deum feciſſe in pondere, numero, & menſura: non ſic in ſui effuſione ſanguinis, in qua nec pondus, nec numerum, nec menſuram ſeruauit ſed totum dedit, totum effudit, vt copioſa eſſet apud eũ redemptio.* Quì enim fieri poterat, vt parcè ſanguinem ſuũ profunderet humani generis Seruator Chriſtus, qui(vt eiuſdẽ Theologi ſtylo & piiſſimis loquar verbis) *paſſus ſit legionem vulnerum, ſcilicet ſex millia, ſexcenta & octoginta ſex &c. Neque tantùm ſemel effuſus eſt ſanguis, ſed vicibus multis. Vnde præter effuſionem eius in circumciſione, ſex vicibus legitur effuſus in paſſione: Prima in oratione facta in horto poſt cœnam vltimam, vbi factus Ieſus in agonia prolixiùs orauit, & factus ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Secundò in flagellatione, de qua dicitur, & tradidit Ieſum flagellis cæſum, vt crucifigeretur. Tertiò in coronatione, de hac habetur Ioannis 19. Et milites plectentes coronam de ſpinis impoſuerunt capiti eius, de quo, Anſelmus in ſermone, coronatus incedit. Sed ipſa eius corona cruciatus eſt illi, & mille puncturis pretioſum eius caput diuulnerat. Quartò in manuum perforatione. Quinto in pedum affixione, de his Lucas ibi &c. Sextò in lateris apertione de qua idem Ioannes: Et vnus militum latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis, & aqua.* Hactenus Biel. Non vna fuit cum Biele aliorum ſcriptorũ ſuper Dominici ſanguinis profuſionibus ſententia, nec in illis recenſendis eadem inita ratio: Dum alij plures, pauciores alij animo effinxerunt ſuo. Fuit, qui referente Collio duodecim diuini cruoris effuſiones, atque diuortia particulatim numerando enarrarit, de quibus ſigillatim expenſis, ecquæ aliarum omnium profuſionum extiterit vberrima, nec huiuſce loci, nec propoſitæ, ac definitæ mihi breuitatis eſt pluribus diſputare: quo in argumento cùm penſiculatè ſimul, & enucleatè verſatus fuerit paulò antè à nobis laudatus Collius, curioſo & perdocto lectori conſulendum relinquo, Placet tamen cum illo per tranſennam hìc referre, quot ſanguinis guttas Chriſtus profuderit; licet reuerâ in re admodum obſcura, & incerta nihil certi poſſe definiri videam, cùm nec humanus ſenſus, nec Theologorum ſenſa, nec Cóciliorũ ſanctiones, nec auctoritates Patrum, imò nec probabilis quæpiam ratio in tantis tenebris tantillum lucis poſſint nobis affundere. Nihilo tamen minùs nihil verebor dicere ſecundum Ioannem Landſpergium Carthuſianum, & Alanum de Rupe (quem authorem hic laudat) guttas omnes ſacri cruoris, qui à Chriſto Seruatore in pretium humanæ ſalutis profluenter effuſus eſt, ſi ad calculos reducatur, ad 547500. perueniſſe. Verùm fides ſit penès vtrumque auctorem, qui ex miſſo diuinitùs oraculo, ac reuelatione neſcio quâ, piè ita, vt credebant, ſcripſerunt. Nihil autem obſtat, quin Chriſtus religioſis quibuſdam animis pro ſua pietate, & ſingulari quadam gratiâ, certum hunc profuſi à ſe ſanguinis guttarum numerum potuerit aperire, quò maiores, & ardentiores in mortalium mentibus ſui accenderet amores. Hæc vt ita ſe habuerint, certiùs & breuiùs multò Clemens Sextus Pont. Max. cuncta complexus: *non ſolùm*, ait, *effuſam fuiſſe modicam ſanguinis guttam, quæ tamen per vnionem*

Coll. lib. 3. de ſang. Chriſti. cap. vnic. diſp. 1. & 2. tota, & ſeq.

Coll. lib. cit. diſp. 15. cap. vlt.

Clem. VI. extrau. vnigenitus de pœn. & remiſſ. peccat.

vnionem ad Verbum suffecisset pro Redemptione humani generis, sed etiam Christum, quoddam veluti sanguinis profluuium effudisse. Et hæc tibi vni perexigua cruoris profusi copia videatur? & si permagna fuit; nega deinceps, si potes, diuiduas tam copiosi sanguinis particulas variis in locis posse seruari? Ceterùm non erit inutile, neque iniucundum, neque ab instituta disputatione alienum huc conferre, atque exscribere exquisitum ac singulare hieroglyphicon, quod Iacobus Bozius rei antiquariæ non indiligens perscrutator typis, literísque in lucem dedit. *Bosius lib. 5. de Cruc. triumph. cap. 9.* Hieroglyphicas inter tabulas, quæ Cardinalis Bembi olim iuris fuerunt, nunc autem penès serenissimumMantuæ Ducem existunt, vetustissimam ex Ægyto allatam memorat, in qua *cernitur*, inquit, *sancta crux ad eam prorsus formam efficta, quâ nunc sancta Ecclesia vti solet, super altari quodam in vasis fastigio collocata, ex quo fontis cuiusdam instar copiosus humor defluit, ad sanguinem, & aquam forsitan alludens, quæ ex Domini nostri Iesu Christi latere profluxit, cùm in sanctæ crucis altari lanceâ apertum, atque perfossum est. Qui quidem humor duobus catinis excipitur, in quibus duo cernuntur aspersoria, his penè similia, quibus Sacerdotes in Ecclesiis aquam sanctam in populos aspergere solent, quasi innuere videantur, ex aqua nimirum & sanguine, qui ex Christi latere profluxit, omnia sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Sacramenta & sacramentalia originem traxisse, quæ omnia per sanctæ Crucis signum exercentur, & sine eo exerceri non possunt.* Deinde post aliqua rursus inquit: *In Hieroglyphica figura antedicta crux conspicitur super vas, siue fontem collocata. Quod quidem vas, (si tamen hoc dicere fas est) Christum Dominum crucifixum videtur præsignasse, qui verus est fons vitæ, & salutis, de quo ait propheta: Quoniam apud te est fons vitæ. Fons est Christus, inquit Diuus Ambrosius, à quo aquæ manant & superfluunt requirentibus, quibus vniuersa carnis flagitia diluuntur, & omnia restinguuntur incendia.* Et alibi subdit: *fons est omnium vitæ Christus.* *S. Ambros. in exposit. Psal. 45. & lib. de Isaac. c. 8.* *Ex hoc igitur sacratissimo, & diuino fonte, cùm latus eius in cruce lanceâ perfossum est, aqua & sanguis manauit: aqua quidem pro culparum nostrarum ablutione, sanguis autem pro nostra redemptione.* Hæc & alia pluribus vir sapientissimus: quibus conficiat nonnemo mirum non esse, si ex tam vberi amoris, ac vitæ fonte tanta sanguinis copia dimanare potuerit, vt pluribus in locis diuisus custodiri possit, & adorari, quemadmodum duo Ægyptij genibus nixi in ea tabella præ se ferunt.

SECTIO SECVNDA.

Vena vmbilicalis, lacrymæ, capilli, &c. variis in locis seruata.

Io. à Poza dilucid. Deip. lib. 3. tract. 9. c. 3.

SCio accuratum, & eruditè curiosulum nostri æui, ac sodalitij scriptorem Marianum afferre in medium opinionem nonnullorum, quibus, vt probabile, vel potius, vt nouum, & insolens, ac penitus incertum, placuit negare Christo, & Mariæ vmbilicales venas. At nihil me istiusmodi permouet opinatio. Figamus hîc tantillum gradum, ac stylum, & paulò accuratiùs expendamus quàm sit rationi magis consentaneum Christo embryoni & infantulo venam vmbilicalem tribuere, quàm negare; nisi si fortè multiplicari velis miracula sine necessitate, quod Theologorum schola vix, ac ne vix quidem ferat.

Agedum ergò, quid Verbo æterno pro nobis humanum Corpus sibi sponte induenti indecorum esse potest, venam illam appingere, per quam virgineo genitricis suæ ventri, tanquam per radicem natali solo plantula, inhæserit Embryo? & per quam, veluti per canalem, seu tubulum naturalem deinceps purissimum Mariæ sanguinem hauriens sensim creuerit in infantem? Neque enim huiusmodi maternæ aluo adhærescendi ratio à peccato est, sed à natura procreatrice, cuius in homine fingendo, formando, nutriendóque constitutas, imo & in statu innocentiæ seruandas leges vltrò filius Dei accepit, cùm Embryo fieri voluit, vt euaderet homo. Ecquam autem maximè ob causam, amabo te, longè antè, quàm humanâ se carne vestiret, passus est ab Isaïa in hunc modum vaticinante se florem appellitari? *Egredietur Virga de radice*
Isai. 11. 1. *Iesse, & flos de radice eius ascendet?* Cur deinde Deiparæ clausus vtero à beata Elizabeth, *benedictus fructus ventris* Mariani voluit deprędicari? nisi, vt pro more florum, ac fructuum per venam vmbilicalem se à Virgine matre in vtero alendum aliquando embryonem, infantulúmque prænuntiaret? Dixi pro more *florum, ac fructuum,* quoniam nemo vnus ignorat ex radice per venas arboris, ac virgæ, siue cauliculi parentis vitam, florem, & fructum, viuere, ali, excrescere, colorari, ac maturescere; quam radicem, vbi corruperis, extemplò florem, ac fructum flaccere, abrupto succi, quem sugebat, affluxu marcere, exhaustôque vitali spiritu diffluere, demùm exarescere funditus. Haud aliter Christus embryo, & è radice Iessææ virgulæ flos delibatissimus per venam vmbilicalem, tamdiu vitam, succum, vigorem, & virorem traxit, donec maturesceret in infantem, ac erudiretur in fructum mortalibus salutarem, atque è baiulæ arboris, virgæve vtero tandem maturus caderet, prodirétque in hanc lucem Deus homo. Radix autem huiusce diuini floris,

& fructus

& fructus, non alia ſanè fuit quàm gemina illa venula è fœcundo Mariæ corde in vterum corriuata, ex qua Chriſti embryonis vmbilicus conflatus fuit; venulas verò illas à Philoſophis, & Medicis radices nuncupari, non eſt, quòd eloquar, docente, dicéntéque Ariſtotele in hæc verba: *Ex corde venas illas duas natura deſcripſit, de quibus venulæ dependent in vterum, ex quibus, qui vmbilicus vocatur, conſtat. Vmbilicus enim vena in aliis ſimplex, in aliis multiplex eſt: quam venam putamen cuticulare ambit, quod vmbilicus vocatur; quoniam venarum imbecillitas tutelam, & operimentum deſideret: venæ autem quaſi radices, contingunt ad vterum, per quas alimentum haurit fœtus.* Sic maximus naturæ ac philoſophiæ genius. *Ariſtotel. lib. 2. de gener. animal. c. 4.*

De his radicibus venis, primùm cœleſtis noſtra plantula, Chriſtus in vtero ſanctiſſimæ Virginis Mariæ, vt *flos aſcendit*, quemadmodum Euangelicus vates prænuntiarat. *Etenim* (vti rectè philoſophatur Tertullianus) *quis hic fructus vteri, qui non ex vtero germinauit, qui non in vtero radicem egit, qui non eius eſt, cuius eſt vterus? & qui vtique fructus vteri? Chriſtus. Deinde formatur embryo per eaſdem venas radices*, alimentum ſenſim hauriens victitare cœpit, *quod enim manducat mater, manducat infans* vt loquitur Auguſtinus) non modò, *per humiditatem mamillæ & lactis ſuccum*, poſtquam in lucem editus eſt, ſed etiam per ſanguinem, qui per vmbilicum embryoni intra matris viſcera latitanti continenter affunditur, vt alatur, & creſcat. Denique per nouem ſpatia menſium floſculus Ieſſææ virgæ *eruditus in fructum* (vt Tertulliani voce vtar) & iam maturus ex aluo materna cecidit natus homo. Huc fortè reſpexerit Andreas Hieroſolymitanus, cùm ſic ſcriberet: *Benedictus fructus ille, qui ex incorrupto Virginalis vteri ſurculo, veluti perfectus mirabiliter matureſcens, enatus eſt botrus*, abruptâ ſcilicet venâ *radice*, quâ cordis, & vteri matris ſanctiſſimæ, iuxtà ac integerrimæ *ſurculo* Chriſtus infantulus adhærebat, nutriebatur, creſcebat. *Tertull lib. de carn. Chriſti cap. 21.* *S. Auguſt. in Pſal. 33.* *Andr. Hieroſol. hom. in Salut. Angel.*

Mihi in hanc ſuper vena vmbilicali Chriſti infantis ſententiam, cum eruditiſſimo præſule Ioſepho de la Zerda pedibus eunti, præiuêre verè, ac doctè ſentientes Tertullianus, & omni exceptione maior Hilarius Pictauienſis, ne Medicorum legiones huc aduocem. *Audi Chriſtum, & audi Dominum Patri Deo colloquentem* (inquit Africanus ſcriptor) *quia tu es, qui auulſiſti me ab vtero matris meæ, ſuper te proiectus ſum ex vulua. Ecce aliud; & ab vtero matris meæ Deus meus es tu. Nunc ad ſenſus ipſos decertemus. Auulſiſti, inquit, ex vtero; quid auellitur, niſi quod inhæret, quod infixum, quod innexum eſt ei, à quo auellitur? Si non adhæſit vtero, quomodo auulſus eſt? ſi adhæſit, qui auulſus eſt, quomodo adhæſiſſet, niſi dum ex vtero eſt per illum neruum vmbilicarem, quaſi folliculi ſui traducem, adnexus origini vuluæ? Etiam extraneum extraneo conglutinatur, ita concarnatur, & conuiſceratur cum eo, vt cùm auellitur, rapiat ſecum ex corpore aliquid, à quo auellitur, quaſi ſequelam abruptæ vnitatis.* Tertulliano in aliquibus aliis minùs ſanè, in hoc ſaniſſimè ſentienti fauere verbis hiſce videtur Hilarius: *Inerrabilis à Deo vnigenitus Deus in corpuſculi* *Ioſph. de la Zerda lib. de Maria effig. & reuel. Trin. Acad. 3. ſect. 6. n. 48.*

pusculi humani formam sanctæ Virginis vtero insertus accrescit, dum scilicet Mariæ genitricis sanguinem virginea in aluo sugeret, quò accrescere pedetentim posset, & nutriri.

Odo Gissey lib. 1. hist. Deip. Anic. c. 17. Petr. à Natal. lib. 2. c. 8.

His positis vmbilicalem Christi infantis venam Anicij, ô te felicem hoc diuino pignore vrbem! maximâ religione seruari, coli, & longo supplicantium agmine vicatim circumferri quotannis solitam, qui Marianam illam ciuitatem inhabitat, videt, & qui pietatis ergò adit, edocetur; præsertim verò, si venerabilium Lipsanorum Lipsanothecam spectare fas fuit, hosce duos versiculos, pro illius æui simplicitate (ne dicam ignorantiâ) rudes, atque inconditos, veritatis tamen historicæ testes lipsanothecæ literatæ inscriptos legere potuit:

Circumcisa caro Christi, sandalia clara,
Ac vmbilici viget hîc præcisio cara.

Vbi vides clarè præputium à vena vmbilicali secerni, interiectâ virgineorum sandaliorum, quæ ibidem custodiuntur, mentione. Quoniam autem gloriosiùs fortè, quàm par esset, à tam pretioso diuini amoris in se pignore se iactare, ac circumspicere potuisset Anicium, si sibi vni Virgo Diuinũ hoc munus procurasset; aliã huiusce pretiosæ, diuinæq; carũculæ particulam Conchensi apud Ruthenos Francicos Abbatiæ pernobili à Carolo magno collatam; aliam Lucæ liberrimæ, & nobilissimæ apud Hetruscos ciuitati donatam Christus, & Deipara voluerunt, vt veterum tabularum testantur monumenta. Alias eiusdem venæ vmbilicalis particulas, vt suprà me dicere memini, sub præputij nomine minutatim concisas custodiri, & adorari alibi, vero simillimum duco.

Odo Giffey loc. cit. Franciotto hist. cit. tract. del Volto sancto pag. 166.

Lacrymas à Christo, quà infante, quà viro persæpe fusas, & à Beatissima in paucis Deipara collectas, seruatas, cultas, & variis locis, nostræque præsertim Galliæ maternâ liberalitate donatas fuisse minimè dubito, fauente mihi hac in parte Ioan. Bapt. Signio, cuius hæc verba sunt: *Lacrymæ verò in monasterio Vindocinensi ostenduntur*, adde, si placet, Massiliæ ciuitate apud Salyos celeberrimâ. Cachinnos hîc mihi audire videor nostrorum lipsanomachorum, qui in risum ad lacrymas vsque, vt assolet, effusi nos per deridiculum exsibilant, qui lacrymas Seruatoris (quibus nihil arescit citiùs) colligi, & tandiu seruari potuisse credamus. Hîc ego cum Augustino meritò exclamem: *Videte acumen; sed vitreum: quantum lucet vanitate? sed frangitur veritate*, O boni! Lacrymas olim ex oculis cadentes phialis excipi ab Ethnicis, tùm iis bibulam ossium exustorum fauillam perfundi, denique sedulò conseruari consueuisse, testantibus Tibullo, Ouidio, Sitio, Statio, Virgilio, sexcentísque aliis scriptoribus paganis, lubentiâ ipsâ lubentiùs credetis; si Christi Seruatoris Lacrymas, tot diuini amoris vniones, collectas, seruatas, cultas dixerimus, non modò nulla penitùs habebitur dicentibus fides, sed etiam tanquam moriones sannis, risûque afficietis. Hæc scilicet magna est, ac deformiter reformata fides: Ego verò cadentes, calentésque à Christi præsertim infantuli oculis Lacrymarum gemmulas à B. Genitrice vitreâ, pro sua

Io. Bapt. Sign. Reliq. cap. 2. Bellefor. tom. 1. Cosmog. Guesn. Magd. Aduen. c. 19. n. 3. 4. Quint. lib. xj. Instit. orat. c. 3. Senec. in Thyest. S. August. serm. 11. de verb. Apost. Chifflet. opusculo de lacrymis prisco ritu fusis.

paupertate, exceptas phialâ, & à Chriſtianis, Achate, Alabaſtrite, auróque, vt opes tulere, conſeruatas religiosè credo. Quàm ſollicitè Martha, & Maria Magdalene profuſas in fratris ſui Lazari funere à Chriſto lacrymas, próque inferiis collectas penès ſe aſſeruarint, tute ipſe, ſi placet, recogita, &, ſi pius es, exoſculare. Sileo conſultò lacrymas, quas in ara Crucis iam iam moriturus Seruator extremas dedit. O quàm vellem ſcripſiſſent Euangeliſtæ, quâ curâ, quo ſtudio, quâ pietate Deipara cum D. Ioanne collegerint illas lacrymas, quas natantes in morte, & preſſi pro more oculi Redemptoris emiſerunt, genæque ne effuſæ areſcerent, ſeruauerunt præ reuerentia dicam? an pro miraculo? Ab illis certè duobus quidquid variis in locis lacrymarum Dominicarum habetur, ſeruatur, & colitur profectum fuiſſe admodum facile creditu eſt. Quamquam aliam harum lacrymarum, ſi qua inſigni copia ſeruentur, rationem alibi dabo, quam noſtris lipſanomachis acceptiorem fore ſpes eſt non parua, ni velint in diuidua earundem lacrymarum natura conquieſcere.

Gueſn. cit. c. 19. Chiffl. opuſc. cit.

Virg. lib. 9. Æneid.

Ad Chriſti capillos, quod attinet, non arbitror eorum pluribus in templis ſeruatorum vim, quanta quanta ſit, ſectariis fide maiorem eſſe poſſe, quandoquidem & haberi faciliùs, & ſeruari commodiùs, & diuturniorem ætatem ferre poſſunt, quàm ſanguis & lacrymæ, de quibus hactenus ſatis pro inſtituta breuitate dictum.

Spondan. tom. 1 contin. Annal. Eccl. ad ann. 1205. N. 1.

Concedant enimuerò, velint nolint, Seruatorem noſtrum adducto fuiſſe capillamento, tùm quia Nazarethanus, & Galilæus erat, tùm quia Nazaræus, ſeu Nazarenus: vt Nazarethanus quidem, quòd Nonnus ἀκερσεκόμους Galilæos, *intonſos &, longa cæſarie inſignes,* τανυπλοκόμους ſæpiùs vocitet: vt Nazaræus verò, quòd intonsâ, & promiſsâ comâ Nazaræos incedere lex diuina iuberet, licet Chriſtum profeſſione, ac voto Nazaræum numquam fuiſſe ſat ſciam: fuit certè imitatione, cognomine, capillamento. Audi Nicephorum, quibus eius Cæſariem deſcribat verbis: *Capitis*, inquit, *capillos tulit prolixiores: nouacula enim in caput eius non aſcendit, neque manus aliqua humana, præterquam matris in tenera duntaxat eius ætate*, Nicephoro accinens D. Anſelmus Chriſtum ait habuiſſe *capillos fulgentiores, ab humeris ventilantes,* Cauſas huiuſce rei diſquirant alij, ſatis ſupérque mihi pro inſtituto eſt noſſe comam demiſſam ceruicibus, Chriſtum, *ſpecioſum forma præ filiis hominum, hoc humanæ pulchritudinis decus* (vt Syneſius egregiè cecinit) quàm quem maximè decuiſſe. Quapropter eo libenter in ſententiam eruditiſſimi Pręſulis Abulenſis in hunc modum de Chriſto patiente ſcribentis: *Non paruus Chriſti dolor fuit, quem in capillorum, atque barbæ pertulit auulſione. Ad horum quippe euulſum continuorum diuiſio ſequitur, in qua dolor præcipue conſiſtit, potiſſimè in Chriſto, qui tenerrimæ complexionis fuit.* Hæc vir perſpicaciſſimus, ego inſuper tanti doloris cauſam fuiſſe non immeritò crediderim, quod impiiſſimi carnifices impuris, illotis, ac feralibus ſuis manibus Cæſariem ſuam attrectarent, quam (vt audiſti) nulla humana (ſi à Virginea Deiparæ diſceſſeris)

Matth. c. 2. v. vlt.

Nonn. lib. 1. in cap. 1. Ioã. & c. 4. & 7.

Num. cap. 6. v. 5.

Niceph. lib. 1. hiſt. eccl. cap. vlt.

Anſelm. ſæpe cit.

Pſalm. 44.

Syneſ. hymn. 1.

Toſtat. paradox. 3. cap. 4.

contigisset manus; cruore inficerent, quam innocentissimi Ioan. Bapt. tinxisset dextera; turpiter denique & immisericorditer discerperent, super quam *nouacula ascendisset* numquam. Iam quis referat, quàm sollicitè, B. Magdalena, sanctissimus Ioannes, & præ omnibus Virgo parens laceros, discerptos, filiíque sui cruore madentes capillos collegerint? Quis memoret, num è prisco Iudæorum more Christum pollincturi promissam ipsius cæsariem hactenus ferro intactam acciderint, cuius reliquias tùm alias in orbis Christiani plagas, tùm maximè in Galliam nostram, imo multis nominibus suam, aliquando partirentur, vti & Augustam Trecarum harum se parte aliqua impertitam audio gloriari. Dixi (*prisco Iudæorum more*) quia, vt ex Rabbinis Iacobo, & Mose Ægyptio refert Baronius, *Apud Iudæos viros virorum, & feminas feminarum curare consueuisse cadauera in hunc modum: oculos imprimis & ora claudere defuncto, ac stringere fascia; tondere capillos, corpus lauare, vnguentis vngere, hisque delibutum cadauer obuoluere linteis, sicque curatum ponere in sepulchro.* Quæ omnia in Christi pollinctura diligenter obseruata fuisse memorant Euangelistæ, vnam si exceperis capillorum tonsuram, qua de agimus & clausuram oculorum quæ duo prætermissa quis credat? Nam (quod subdit Cardinalis Eminentissimus) abstinere solitos pollinctores ab incidendis damnatorum capillis, quòd maledictioni essent obnoxij; nullum habet locum in Christi Corpore, quod benedictionū fons est, nec in Pollinctores ipsos cadere potuit tam blasphema & infanda cogitatio, quibus Christus homo, & Deus erat, quibúsque nihil magis erat in votis quàm diuinas eius reliquias quàm possent plurimas asseruare, in factæ iacturæ compensationem, solamen doloris, æternúmque amoris monimentum.

Saussay. cit. Martyrol. Gall. 5. Maij Baron. tom. 1. Annal. ad ann. 34. N. 130. Baron. loc. cit. N. 131.

At inquies, passúsne sit Christus in terris iacêre, quod ad corporis sui, quà viui, quà rediuiui speciem, & complementum confert quàm maximè? Esto, capillos Deitati suæ hypostaticè non vniuerit (quæ multorum tamen contrà sentientium opinio est) vel vniuerit tantùm ad tempus (quod malunt alij) certè illos resurgendo abiicere nullo planè modo debuit, ne quid gloriosa rediuiui corporis pulchritudo caperet detrimenti? vt docet Augustinus. Scilicet intolerabile sit corpori glorioso detrimentum, pauculis aliquot carere capillis, vel iis ad summam non vsque eò promissis: quod nulli tributum fuisset dedecori, vel detrimento, si *nouacula ascendisset super caput* Christi, & circum caput attonsam cæsariem de more reliquorum Iudæorum (vt est apud Iosephum ex Cyrilli Poëtæ sententia) gestare voluisset quandiu mortalem hanc vitam vixit. Ad extremum esto, non sint attonsi Christo iam iam componendo capilli, vel si fuerunt accisi, eos resurgendo resumpserit: quid tum? an nulli propterea in terris? nequaquam; imò quàm multi pectine deducti capilli è diuino Christi vertice defluxêre: siue illos Virgo Mater à pupulo suo pexo decuteret, siue ipse vir sibi propexo; quos omnes B. Virgo singulari studio collectos (vt credo) studiosissimè conseruauit. Maneat ergo fixum, ac ratum non debere

Putean. in 3. p. quæst. 5. dub. 2. Gamach. ibid. cap. 1. Richard. in 4. dist. 44 art. 1. quæst. 3. Pelbart. tom. 3. rosar. Theol. S. August. lib. 22. de ciu. Dei. & in Enchir. Ioseph. lib. 1. cōtra Appion.

sectarios nostros tantoperè super pauculis capillis à Christo in terra relictis (vt Plautinâ vtar voce) *paratragœdiare*, cùm ea sit crinium natura, vt diuidi facillimè in plurimas partes possint, si prolixiores extiterint, & à sua siccitate diuturniùs conseruari, ne aliud externum præsidium nequicquam accersamus.

Dicant, quibus per otium licebit, cunarum Christi partem in D. Mariæ Maioris; partem in B. Petri Vaticani; partem in S. Ioannis Lateranensis Romæ; partem in D. Amati Duaci, aliísque pluribus in templis alibi conseruari. Dicant natalitias eiusdem fasciolas, quibus Virgo mater pupuli sui corpusculum inuoluerat, Constantinopoli Romam transuectas in D. Mariæ Maioris basilica, Oueti apud Astures, sicut & Duaci apud Belgas & sexcentis aliis in locis monstrari, non integras illas quidem, sed partitè diuisas, vti apud rerum Marianarum scriptores legere est.

Attil. lib. de sept. Vrbis Eccles. Locr. lib. 5. Mariæ Aug. cap. 45. Niceph. lib. 15. cap. 14. & lib. 14. cap. 2. Locrius & Attil. loc. cit. Luc. Marin. lib. 3. de reb. Hisp.

SECTIO TERTIA.

SS. Crux, columna, titulus Crucis, lancea, spongia, &c. diuersis in templis asseruata.

QVoniam *inimici Crucis, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt*, cœlestem diuinámque viuificæ Crucis multiplicationem & inconsumptibilem à sui diuisione reparationem, de qua superiùs à nobis actum est, vel animo consequi nequeunt, vel nolunt; faciliùs fortè capient, quî fiat, vt venerabile illud lignum à diuidua sui natura particulatim dissectum tot in diuersis locis, verè, sincerè, ac piè conseruatum, fidelibus adorandum adhibeatur? Quid enim tantum incommodi, ne dicam absurdi, vel (vt illi crocitant) *figmenti* in ea re subesse possit? vt perantiquis Ecclesiarum monumentis, locupletibus scriptorum testificationibus, & constanti maiorum traditioni fides sit abroganda.

D. Paul. ad Philip. cap. 3. v. 19.

Enimuerò Theodoretus, Ruffinus, Sozomenus authores sunt post inuentam ab Helena Imperatrice pientissima, Dominicam Crucem, maximam ipsius portionem ab ea Ierosolymis relictam, & argenteâ in capsâ reconditam, reliquam verò ad filium Constantinum transmissam fuisse, *quam vbi is recepit, ratus ciuitatem, in qua illa seruaretur, omnino saluam, & incolumem fore, in suam ipsius inclusit statuam quæ Constantinopoli in foro, quod à Constantino nomen traxit, supra columnam ingentem ex lapide porphyrite confectam collocata est*: Verùm meritò prudentissimus Annalium Ecclesiasticorum conditor Baronius censuit illam salutaris stipitis portionem haud magnam esse potuisse, vnde

Theod. lib. 1. hist. Eccl. cap. 18. Ruffin. lib. 1. c. 8. Sozom. lib. 2. cap. 4. Socrat. lib. 1. c. 13. Baron. tom. 3. Annal. ad ann. 326.

 reliquam

reliquam eiusdem Imperatoris iussu Romam delatam, in Basilica S. Crucis in Ierusalem ab ipso constructa collocatam fuisse. Addit insuper Beda venerabilis in templo S. Sophiæ Constantinopoli quasdam viuifici ligni particulas, nimirum partem transuersarij stipitis, & directæ trabis portionem in duo frusta concisam, fuisse custoditas. En igitur S. Crucis trophæum particulatim diuisum pluribus in locis habitum & cultum. Atque hoc pro diuiduâ Crucis naturâ breuiter perstrinxisse sit satis.

Beda tom. 3. lib. de locis SS. cap. 20.

Placet de columna, ad quam Christus, tanquam Agnus deuotus ad victimam, deligatus fuit, ac flagris horrendum in modum proscissus, plura intermiscere. Demus Caluino nequaquam è sacris Codicibus constare Seruatorem nostrum ad columnam manus ambas, vt commodiùs à militibus cædi posset, fuisse vinctum. Quid tùm? an ideo id minùs verum, cui peruetus Ecclesiæ traditio, SS. Patrum testimonia, Romanorum simul, & Iudæorum reos flagellandi tralatitia consuetudo fidem adstruunt? Verùm insano capiti valere iusso, venerandam huiusmodi columnam Ioannes Columnensis, Presbyter Cardinalis titulo S. Praxedis è Syria (quò ab Honorio Papa III. legatus à latere fuerat ablegatus) Romam redux omni armorum & spoliorum genere gloriosiorem triumphum, trophæúmve deuexisse, & ad Exquilias, in Diuæ tutelaris templo, suóque (vt vocant) titulo deposuisse vulgò dicitur, & non pauci iampridem retulerunt. Dignus omninò, cui vel à nominis similitudine gloriosa hæc Dominicæ columnæ transuectio deberetur. Steterat diu huiusmodi columna, Christi tolerantiæ trophæum oppidò sanè singulare Hierosolymis, donec tandem Romam, vt dixi, transuecta est, eáque integra non tantùm portio (vt quidam falsò autumarunt) quòd ipsorum oculis basis, aut epystilij formam præferre videatur, volunt enim non pauci eam columnam, ad quam Christus est flagellatus, in varia diuisam fuisse fragmina quorum hæc columnula vnum sit, at illi maximè hallucinati, à vero longissimè tum aberrarunt cùm, vnam eandemque columnam extitisse in animum induxerunt suum. Duas enimuerò, & à se diuersissimas illas fuisse, vt credam, non leuibus adducor argumentis:

Caluin. lib. sæpe cit.

Primum est, quòd videam contrà quàm sentiat Gretserus noster Ariam Montanum, Iacobum Bosium, & aliquos alios non adeò fortè ineptè censuisse generis humani assertorem Christum bis ad columnas loris fuisse verberatum. Priore quidem loco, antequam Pilatus eum morti adiudicaret, quando scilicet perspectâ Christi innocentiâ ipsum dimittere tentauit, sed flagellatum, quod indicasse videtur Matthæus his verbis: *Tunc dimisit illis Barrabbam Iesum autem flagellatum tradidit, vt crucifigeretur.* Ergo iam semel Pilatus Christum flagellis antè cædi iusserat, quàm Cruci suffigendum militibus traderet eo fortè consilio, vt ab innocentis hominis tam immaniter habiti conspectu, atque vt apud Euangelistam loquitur Pilatus, *emendati*, Iudæi humano aliquo sensu erga ipsum mouerentur, quò Prudentium

Gretſ. lib. 2. de S. Cruc. cap. 9. Ar. Montã. in cap. 27. Matth. Iac. Bos. lib. 1. de Cruc. triũph. c. 13. Mallon. in cap. 5. Paleoti de SS. Christi Stigm. Eckius de pass. Domini art. 4 consid. 5. Maldon. in c. 27. Matth. Matth. cap. 27. v. 26. Ioan. c. 19. S. Aug. tract. 106. in Ioan. S. Cyrill. lib. 32. cap. 15. Prudent. in Enchir.

respexisse non immeritò suspicêre, cùm ita cecinit: Mallon. loc. cit. & quos laudat.

Vinctus in his Dominus stetit ædibus, atque columnæ
Annexus, tergum dedit, vt seruile, flagellis.

Sic ille. At memoriâ, vt quidem videtur, lapsus, quòd in domo Caiphæ potiùs, quàm Pilati, id crudelitatis exercitum dicat; Cùm enim de domus Caiphæ ruinâ meminisset, continenter subiecit Christum Dominum *in his ædibus vinctum, atque columnæ annexum flagellis tergum dedisse*. Nisi si forsitan malis ire in sententiam doctissimi Gersonis, qui non solùm cum Prudentio censuit in secundo consilio, cui præfuerunt Pontifices, ac Principes Iudæorum, Christum à militibus, & satellitibus asseruatum, & in ædibus Principis sacerdotum primâ vice ab immani, atque barbara flagitiosorum hominum turba flagellis conscissum fuisse: *Intelligendum est*, inquit piissimus Academiæ Parisiensis Cancellarius, *quòd bis conuenerunt in domum Caiphæ, reseruato ibidem Christo, & à seruis custodito non sine contumeliis & flagellis.* Sed etiam secundùm iubente Pilato verberatum fuisse vt efferos Iudæorum animos ad misericordiam adductos emolliret, vti iam dixi, atque adeò tertiùm vapulasse iuxta Romanorũ morem, quo post prolatam in reum crucis sententiam, qui cruci erat affigendus, prius flagellis cædi consueuerat. *Videntur etiam plures fuisse flagellationes Christi* (verba Gersonis sunt) *vt ista quæ facta est ad satisfaciendum Iudæis, veluti quædam punitio; altera verò iuxta Legem Romanorum, secundum quam priùs flagellabatur crucifigendus.* Quam consuetudinem in Christi suffixione obseruatam fuisse D. Hieronymus confirmat simul & Seruatorem nostrum semel, & iterum flagellis sectum luculenter videtur censuisse: quæ si ita sunt, Christus in palatio Caiphæ primùm flagellis tergum dederit, quemadmodum Prudentius cecinit, ac primam istiusmodi flagellationem Euangelistæ siluerunt, ac ferè omnes vulgò cum Collio eam longissimè ablegant. (Atque hoc per transennam obserues velim.) Posteriore loco, cùm Pilatus Iudæorum clamoribus excantatus, &, vt melius dicam, furore ac rabie efferatus, coactúsque Christum in crucem dandum tradidisset, à militibus quà probris, quà loris taureis de integro affectus, & immanissimè penè confectus est. *Tunc milites suscipientes Iesum in prætorium congregauerunt ad eum vniuersam cohortem, & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius*, & reliqua, quæ pergit Euangelista recensere: quem locum illustrans Chrysostomus appositè ad institutum nostrum sic ait: *Non caput duntaxat, sed & vniuersum corpus illud sanctissimum contumeliis est affectum. Nam facies quidem sputis oppletur, maxillæ palmis tunduntur, & reliquum corpus flagellis atteritur.* Audin', vt milites Christum à Pilato sibi traditum in Prætorium rapuerunt, vtpotè quibus mens erat ipsum ad columnam Prætoriam, de quâ mox dicendum erit, manus ambas astringere; audistin' vt innumeris probris oneratum flagellis attriuerunt, iam iam ad crucem deducendum? ergo secundùm Christus crucis candidatus ab vniuersa cohorte flagris crudeliter conscissus est. Suf-

Gerson. rubricella 1. in Monotessaron. c. 146. & in cap. 17. Matt. Marc. 14. & 15. Luc. 22. & 23. Ioan. c. 18. & 19.

Idem rubricell. 6.

S. Hieron. in Matth. c. 27.

Coll. lib. 3. de sang. Chr. disp. 10. c. 3.

Matth. cap. 27. v. 28. 29.

Chrysost. in cit. D. Matth. loc.

Hieron. in eund. Matth. loc.
Psalm. 31. v. 10.
Psalm. 90 v. 10.

fragatorem habemus Hieronymum, cuius hæc verba sunt: *Traditus itaque est Iesus militibus verberandus, & illud sacratissimum corpus, pectúsque Dei capax flagella secuerunt. Hoc autem factum est, vt quia scriptum erat, multa flagella peccatoris, illo flagellato nos à verberibus liberaremur, dicente Scriptura ad virum iustum: flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Eruditè sanctus Doctor Christum traditum militibus verberandum affirmat, vt enim erat Iudaicarum, & Romanarum consuetudinum callentissimus, memoriâ repetebat, plerumque cruciarios, antequàm in crucem tollerentur, imò priusquàm ad eam deducerentur verberibus atteri consueuisse, vti iampridem Iustus Lipsius, Gretserus, aliíque de re antiquaria meritissimi adnotarunt. Quin ergo verosimillimum sit Seruatorem nostrum flagellis secundùm attritum fuisse, antequam arbori feliciter infelici suspendendus ad Golgotha deduceretur?

Lipss. lib. 2. de Cruc. cap. 4. Grets. lib. 1. de S. Cruc. c. 9. & 10. Coll. lib. 3. de Sang. Christi disp. 10. c. 3.

Duobus in paucis argumentis verisimilitudinem validè infringi Collius sensit: priore quidem, quòd ad latam in Christum à Pilato Crucis sententiam, & à prima flagellatione ad secundam adeò breue temporis spatium intercesserit, vt Christi iterùm diuerberandi defuerint tempus, ac locus. Posteriore verò, quia *Si diuino pene miraculo factum est* (eius verba, & ratiocinatio sunt) *vt inter tot, tantáque flagellorum vulnera diuinum spiritum non efflarit Christus, profectò capere nequit mens humana, quâ ratione, superadditâ nouâ flagellationis crudelitate humanum Assertoris corpus vitam cum morte non commutasset: si enim plerique semel duntaxat hac tormentorum specie circumuenti, barbaricâ militum immanitate aliquando sub flagellis interempti fuêre, (vt de Pœnis scribit Vlpianus) potiori profectò ratione Dominus, qui nobilissimæ fuit temperationis, quique horribili modo prima vice dilaniatus fuit, in secunda flagellatione oppetiisset.* Hæc sunt duo Collij contra nostram sententiam firmamenta. At bona cum venia eruditi scriptoris dixerim; nullo negotio duplex illud argumentum dispungi potest. Primum quidem, vel solâ inficiatione seipso concidit. Quantum enim inter vtramque flagellationem effluxerit temporis satis superque docent interiecti, & alij ex aliis exaggerati, Christôque semel iam flagellato illati cruciatus, quos non vnus Euangelistarum retulit: Quod tempus heu! sanè longissimum videri debuit patienti. Secundum verò nullum omnino est, eritve cogitanti, vel vltrò danti, diuinâ penitus vi, atque miraculo factum fuisse, ne Seruator noster sub tanta verberum grandine, vulnerumque refricatorum diuexatione miserabiliter exanimatus conciderit. Ecquid hîc tam supra fidem, & animum est, vt illud *capere nequeat mens humana? neque verosimillimum esse possit*, Christum semel, & iterum immanem in modum flagellis fuisse proscissum ad exsaturandam Iudæorum *aduersus Dominum, & aduersum Christum eius* impietatem? Atque hinc consequens est ipsum immanem in modum vapulasse, semel in palatio Pilati, & iterum in Prætorio, ad duas diuersissimas columnas; maiorem vnam,

Psal. 2. v. 2.

minorem

minorem alteram fortiter religatum. Vnde

Secundum argumentum duco, quòd vna columnarum marmorearum, ad quas adstrictus Seruator, tanquam sceleratissimus mastygias verberatus fuit, multò altior extitit, quàm altera, vt sacri Scriptores tradiderunt. D. Hieronymus suo etiamnum æuo integram perstitisse commemorans, *ostendebatur*, inquit, *illi* (scilicet Paulæ) *columna Ecclesiæ porticum sustinens, infecta cruore Domini; ad quam vinctus dicitur, & flagellatus*, cui adstipulatur in hæc verba Poëta Christianus superiùs à nobis laudatus:

S. Hieron. in epitaph. Paul. cap. 4.

Perstat adhuc, templúmque gerit veneranda columna.

Prudent. loc. cit.

Idem tradit Nicephorus, dum ædes sacras aliáque pia recenset ædificia, quæ S. Helena tùm Hierosolymis, tùm aliis Iudææ locis, non minori sumptu, quàm pietate construxit: *In eo templo*, inquit, *marmorea quoque columna fuit, ad quam cùm flagellis cæderetur, alligatus est Seruator, Ad hanc verò columnam* (verba do Gregorij Turonensis) *multi fide pleni accedentes corrigias textiles faciunt, eamque circundant, quas rursus pro benedictione recipiunt diuersis infirmitatibus profuturas.* De eadem meminerunt S. Paulinus, & venerabilis Beda, qui sua ætate ipsam in *medio stetisse testatur*. Ex quibus omnibus constat huiusmodi columnam tantæ magnitudinis, & altitudinis extitisse, vt porticum sacræ illius Hierosolymorum basilicæ sustentaret.

Niceph. lib. 8. hist. Eccl. c. 30.
Greg. Turon. lib. 1. de glor. mart. c. 7.
D. Paulin. ep. 34. Beda lib. de loc. sacr. c. 3.

Altera verò, ad quam in Prætorio Pilati, Præsidis, Christus verberatus fuit à militibus, post sententiam in ipsum latam, longè ab illa diuersissima est, vt hæc inscriptio superimposita maiori speculæ, quâ in sacellum (vbi sacra columella, de quâ iam agimus, religiosè asseruatur) prospectus patet, manifestissimè loquitur. *Columna, quæ in hac sancta capella reconditur huic depictæ omnino similis, non ea est, quæ templi porticum sustinebat, ad quam Dominus noster Iesus in suæ Passionis nocte alligatus, illusus, & verberatus fuit: Sed ea est, quæ in Pilati Prætorio pro fustigationis supplicio aderat, ad quam Dominus noster Iesus Christus, iubente Pilato, flagellatus est. Integra enim est, nec maior erat, ne posterior flagellandi hominis pars ab altiori columna tegeretur. Quam Ioannes Cardinalis Columna legatus Apostolicus in partibus Orientalibus sub Honorio tertio circa annum Domini M. CC. XXIII. huc asportauit.* Quid clarius? Quid apertius? quid decretorium magis afferri possit, non video. Etenim primùm hæc columna porticum templi sustinere non potuit, vt illa, quia breuior, & gracilior est. Deinde *nec maior* fuit, *trium* scilicet, aut circiter *palmorum* duntaxat *altitudine*, de industria, *ne posterior flagellandi hominis pars tegeretur*; illa verò præalta fuit, partemque corporis obtegere poterat, & à ministrorum flagellis intactam seruare; tùm *integra* est (non vt aliqui scripsêre) basis columnæ: denique addo summæ huic columnulæ annulum ferreum infixum fuisse, cui ambæ damnatorum manus fortiter constringi pro Hebræorum more possent. Dixi pro *Hebræorum more*, quoniam (si Thalmudicos audire placet) hoc habitu miles verberandum componere consueuerat: *Astringit quis*

Iacob. Bosius loc. supr. cit.
Mallon. loc. cit.
Ludolph. Saxo 2. p. vit. Christi. c. 62.
Coll. lib. cit. disp. xi. cap. vnic.

ambas

Thalmud. lib. Maccoth cap. 3. §. 12.

ambas manus ad columnam, tùm minister publicus vestem eius arreptam detrahit, siue rumpatur, siue dissuatur, vsque dum denudet pectus. Lapis ponè illum collocatus est, in quo stat lictor, manu tenens lorum bubulum complicatum, & quæ sequuntur: Sed hæc sufficiant ad institutam rationem, & reliqua tu videbis, si voles; quamquam id etiam ex vsu Romano factitatum videri potest, vt Victor Antiochenus opinatus est, cu-

Vict. Antioch. in cap. 15. Marc.
Gretf. & Lipf. citati.
Cic. action. 5. in Verr.
Liuius lib. 8.
Baron. ad ann. Christi. n. 69.
Euseb. lib. 8. hist. Eccl. c. 10.

ius hæc verba sunt: *Pilatus hoc facto Iudæorum voluntati & Romanorum consuetudini sese accommodare voluit, apud quos in castris & in foro Romano, quia columna deerat, ad palum rei vinciebantur*: quò perti et illud mandatum vetus apud Liuium: *Lictor deliga ad palum*, In prætoriis autem & domibus Præsidum, ad columnas crucis candidati astringebantur: quo modo Apostolorum Principes, Petrus, & Paulus, priúsquam vitam cum sanguine; ille cruce, hic ense, profunderent, ad columnas pro more Quiritum alligati, flagellis attriti sunt: ne alios minorum gentium martyres commemorem.

Quæ cùm ita sint, consequens est verosimillimum esse Christum semel, & iterum ad diuersas columnas deligatum, tergum, vt seruile, flagellis dedisse, vt immanem Iudæorum feritatem, si quâ posset ratione, sedaret potiùs quàm exsaturaret: adeò se religiosos patriæ, ac peregrinæ consuetudinis in hoc barbaræ immanitatis, & carnificinæ genere exercendo, seruandóque viri (si diis placet) religiosissimi præstiterunt. Inde cuilibet in promptu erit assequi coniecturâ, quàm facilè grandior illa columna, ad quam Seruator generis humani vapulauit, in varias partes, pluráque fragmenta minutatim concidi potuerit, vt

Franciotti lib. cit. pag. 24.
Auct. Annal. Spirens.
Adricom. in theat. terræ sanctæ & descript. Hierus. n. 6.

Lucæ, Spiræ, diuersisque aliis in locis à fidelibus pietatis ergò seruaretur, & vti fit, religiosè coleretur; quamquam eiusdem multitudinis fragminum venerandæ columnæ suo loco inferiùs aliam daturus sum rationem.

Nunc ad titulum Crucis Dominicæ conuertamus stylum, ab eius enim diuisibilitate (vt loquuntur Theologi) facilè adducor, vt credam, non esse cur Caluinus, eiusdemque farinæ, & impietatis homines, atque profani sacrarum reliquiarum osores existiment se huius pretiosi pignoris veritatem eleuasse, atque adeò venerationem conuulsisse, dum

Tolet in cap. 19. Ioan.

asserunt sacrum hunc viuificæ Crucis titulum, Romæ, Tolosæ, aliísve orbis Christiani ciuitatibus reperiri, monstrari, & coli. Quin enim ille in partes diuisus pluribus in locis asseruetur? diuisum autem haud difficulter credat, qui illum vel viderit, vel legerit in eo exiguas tantùm Hebraicarum literarum reliquias, & ex Latinis, Græcísque vnicum vocabulum *Nazarenus* ferro incisa, non calamo exarata, rudibus, vt in re subita, elementis extare, videri, legi. Quemadmodum M. Velserus,

Gretf. lib. 1. de S. Cruc. cap. 28. Bosius lib. 1. de Cruc. triumph. cap. 11.

Reipub. Augustanæ septemvir, & Iacobus Bozius typis exhibitum ediderunt. Probabilior certè nostris Lipsanomachis cauillandi, & calumniandi occasio subesse poterat ex eo, quòd sacer ille, qui Romæ visitur, titulus iis iam nunc coloribus non sit infectus, quibus olim imbutum fuisse prodiderunt ex manu scripto Romanæ vrbis diario viri docti, &

piè

piè curiosi apud Bosium proximè laudatum: inuentum enim fuisse referunt, dum D. Petrus Gondisaluus De Mendosa Cardinalis tituli S. Crucis in Ierusalem, Ecclesiam, quâ is thesaurus reconditus latebat, de suo curaret instaurari, ornarique, *ibique* (verba Diarij do) *erant cauatæ; ac deinde colore rubro tinctæ, infra scriptæ litteræ siue verba*: IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM, *sed illud* IVDÆORVM *non erat perfectum*: in quæ verba vir eruditus prudenter obseruauit, *litteras non tantùm in ligno eiusdem tituli incisas, verùm etiam rubeo colore tinctas fuisse, quòd frequentissimum apud antiquos extiterit, ea, quæ vel arte naturáve spectabiliora*, vel religione augustiora, vel maioris æstimationis esse vellent, minio inficere, ac notare. Atque (vt Gentiles prætercam, de quibus consulendus est Plinius, Iuuenalis, Ouidius, eorúmque scholiastæ) apud Christianos in moribus olim positum fuit Epitaphia, & nomina Martyrum minio inscribere, vti videre est, etiamnum in sanctorum Martyrum cœmeteriis extra Vrbis mœnia sub terra effossis, vbi saxis quæ ad sepulchrorum ora imposita, & maltha illigata sunt, intus iacentium, & compositorum Christi athletarum nomina cinnabari conscripta plurimis in locis conspiciuntur. Nec immeritò sanè inuicti illi Christianæ militiæ Triarij, qui mundum, carnem, diabolum, tyrannos, carnifices, immanitatem ipsam suo sanguine laureati, ac purpurati triumpharunt, rubeis miniatísque characteribus, elogiísque cohonestare maiores nostri consueuerant: tùm quia *non est alius color*, inquit Plinius, *qui in picturis propriè sanguinem reddat*, quàm cinnabaris, aut minium; tum quia minio *triumphantium corpora illinebantur*. Sic Camillus triumphauit; eâdem quoque religione minium olim addebatur *in vnguenta cœnæ triumphalis*. Quid causæ est, cur ad victricia SS. Martyrum nomina exaranda, & ad triumphales eorum memorias exornandas minium non abhiberetur? Quantò iustiùs sanguineo, ac triumphali colore infici debuit gloriosus, ac regius ille titulus, qui summo Crucis apici (vt Ambrosius, & Cyprianus personatus tradiderunt) Pilati iussu superimpositus fuit, *vt de plano*, ex solemni formula & ritu, ab omnibus *legi posset*? quandoquidem Christo Seruatori sanguinem suum pro nobis fundenti, &, dum vinci credebatur, de Iudæis, & Inferis gloriosè triumphanti, cœlesti nutu, atque consilio fuerat positus? Adde quòd, si tùm temporis apud Romanos Minium auctore Plinio, *non solùm maximæ auctoritatis, sed etiam sacræ fuit, ita vt Iouis ipsius simulacri faciem diebus festis minio illinere* Romani solerent, & si apud Æthiopes, *hic Deorum simulacris color esset*: æquo æquiùs fuit eum titulum clariorem, & augustiorem fieri, qui Deo in Cruce pro generis humani salute morienti diuino potiùs, quàm humano decreto à Præside Pilato figebatur.

Plin. lib. 33. hist. natur. cap. 7. Iuuenal. sat. 15. Ouid. lib. 1. Trist. Pers. sat. 5. &c.

Plin. loc. cit.

S. Ambros. lib. 10. in D. Luc. Cyprian. serm. de Sina, & Sion.

Vnde igitur fit (inferat Lipsanomachus nescio quis) vt illius tituli, quem Christo positum constat, & quem vos tot in templis deueneramini, nec areola, nec littera minio, aut cinnabari sint illita, si vnus, & idem est titulus, & ille, qui Cruci Dominicæ fuit superimpositus

situs? In promptu responsio est: Euanuit scilicet sanguineus, triumphalis, & sacer ille color, vel à caduca fugientium colorum naturâ, vel à frequentiori exhibentium contrectatione, vel ab infinitis adorantium osculis, vel à nimiâ tot seculorum, & temporis rerum omnium edacis vetustate. Hactenus de ferali dicam; an triumphali, & gloriosa Dominicæ Crucis tabella?

Infer. cap 4. art. 3. sect. 2. Bed. lib. de loc. SS. C. 2. Gretf. lib. 1. cit. cap. 96. Bosius lib. cit. c. 17. & in hist. Melit. Manriq. Annal. Cisterc. ad ann. 1144. c. 4. Claraualle portionem Crucis, & Lanceæ seruari ait. Caluin. admon. de reliq. sæpe cit.

Par est ratio Lanceæ; quâ Christi demortui latus à milite transuerberatum fuit, de qua pluribus alibi erit disserendi locus: in præsentia sat erit dicere, cùm eius *hastile in duas intercisum partes*, auctore Beda, referatur, cuspis verò limâ excisus conspiciatur, tùm Romæ, tùm Lutetiæ Parisiorum, vt Iacobus Bosius refert, nihil supra fidem est, quòd diuersis in locis particulatim diuisa conseruetur; viderint alij nùm vel inter ectypa (de quibus superiùs disputatum est) recenseri debeant, vel id pio, & innocenti Fidelium errori ab aliarum sacrarum lancearum similitudine profecto (vt suo dicemus loco) sit potius adscribendum.

Idem planè iudicium esto de veste inconsutili Seruatoris Christi, nam (vti superiùs attigi) Caluinus vndequaque occasionem captans sacrarum huiusmodi exuuiarum venerationem traducendi, ex nescio qua bulla sancti Saluatoris in Hispania, quam memorat, vel quâ citius abutitur, æquè per impudentiam, ac calumniam affirmat Christianos improuido, & inconsulto religionis studio flagitiosiùs multò se gessisse, quàm milites incredulos. *Hi enim vestem inconsutilem Christi concerpere non fuerunt ausi, sed religione ducti sortem super eam miserunt. At Christiani eius adorandæ gratiâ, ipsam in frusta consciderunt.* Ideo tribus diuersis in locis monstrari illam, & coli asseuerat. O bone! ergo à diuiduâ Dominicæ vestis naturâ pluribus in templis pro suarum partium multitudine ipsam asseruari posse non diffiteris? quod das, accipio, simúlque vrgeo, ac rogo te, quid est, quòd in reliquas huiusmodi Christi exuuias eadem cadere non possit ratio? quandoquidem earum pleræque in multas discindi partes potuerunt. Hoc si admittas (vt verbis tuis præ te fers) & illud pariter concedas necessum est.

Gretf. lib. cit. cap. 97.

At instas, asserisque, *vestem illam, quæ Argentolicæ seruatur, similem esse sacerdotum vesti, quæ Casula dici consueuit; ex quo satis constat Papistas imposturis sese, ac sua sustentare, cùm incredibile sit vestem Christi inconsutilem casulæ persimilem fuisse.* Quid? si cum Gretsero nostro tibi rependam meminisse debere te eam (*siquidem illa prima vestis est*) *si casulæ similitudinem præ se fert, ad hanc primum formam redactam piorum operâ, qui fortassis eam ad sacrificium corporis & sanguinis Dominici adhibebant*, vix erit responsandi locus. Malim tamen respondere casulas nostras, seu vestes sacrificas ad tunicæ inconsutilis formam, & speciem à maioribus nostris citiùs accommodatam, quàm eam ad nostrarum sacrificalium pallarum similitudinem fuisse conformatam, vti obseruatu facillimum est in veterrimis sacrificantium poderibus, quæ ad vestem, & tunicam propiùs accedunt, quàm vestes sacrificæ,

quibus

quibus hoc nostro æuo ad incruentum corporis, & sanguinis Christi sacrificium offerendum vti solemus: tùm quia illæ tam latè, fuséque in humeros demittebantur, vt vix extremæ extarent manus, tùm quia longo prodigæ syrmate verrebant humum, denique adeò amplæ fusæqúe erant, vt tùm in humeros essent colligendæ, eleuandæqúe cùm Eucharistiæ sacramentum Fidelibus adorandum sustollere habebant sacerdotes. Verùm hoc Hæresiarcha conuitiandi excæcatus libidine videre, & obseruare non potuit: vt vt sit, fidei Catholicæ satis, supérque est vestem hanc inconsutilem Christi Seruatoris nostri ante mille annos agnitam, & à Christianis summo in pretio, ac veneratione habitam fuisse, vt olim ex S. Gregorio Turonensi, ac Sigeberto suprà laudatis audiuimus. Quòd autem diuersis in locis, eâdem sacrâ veste populi, Ecclesiæque glorientur, vt de Treuirensibus refert Middendorpius affirmans togam inconsutilem Seruatoris ab illis, B. Helenæ largitione, ac dono, possideri, ex dictis abundè, satísque factum puto.

Idem censendum est de chlamyde purpureâ, quam *coccineam* Matthæus, *purpuram* absolutè Marcus vocitant, à rubei coloris similitudine, vt reor; est enim *rubra quadam purpura cocco simillima*, inquit Augustinus. Hanc Caluinus nigrâ maledici sui calami sepiâ, suo more inficere, atque commaculare non erubuit, sed incassùm: Vizeliacenses enim meritò gloriantur portionem *vestis purpureæ, in qua illusus fuit* Seruator noster à D. Ludouico Francorum Rege longè pientissimo, ad se anno 1267. fuisse transmissam, & in singulare regiæ beneficentiæ, amorísque pignus dono datam. Atrebatenses eiusdem sacræ vestis particulâ se locupletatos, vt & apud Astures Ouetani, meritò iactant, apud Locrium, & Marinæum. Denique quid de natalitiis Christi vagientis fasciis, de arundine, sceptro, de sudariis, de linteis sepulchralibus, de spongia, linteo, quo præcinctus Dominus Apostolorum pedes tersit, de mappa, in quâ *sacerdos secundum ordinem Melchisedech* primùm fecit, aliísque id genus Seruatoris nostri Lipsanis, quæ variis in templis habentur, monstrantur, & coluntur; quid, inquam, sit sentiendum ex eorum diuisibilitate manifestissimè constat, de quibus alibi non erit vnus duntaxat disputandi locus.

S. Aug. lib. 3. de consens. Euang. c. 9.
Baron. tom. 1. Annal. ad ann. 34.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Sacræ Dei Genitricis Reliquiæ à sui diuisibilitate variis in locis custoditæ.

NEfas est venerandas Deiparæ Virginis exuuias irreligioso silentio prǽterite, tùm quòd in illis conquirendis, seruandis & colendis cura, laus, & gratia longè maxima Pulcheriæ Imperatrici sanctissimæ debeatur ab omnibus Christianis, vtpote quæ, obseruante Nicephoro, *conquisitis vndequaque Reliquiis, quæ ad Mariam pertinerent, tria ei templa Constantinopoli ædificauit*; tùm quòd Antidicomarianitæ nostri eas tot, tàmque diuersis in locis asseruari iniquissimè ferant, nec ferant vllo modo adorari.

Niceph. lib. 17. hist. Eccl. cap. 28.

Verùm hoc breuiùs de hisce lipsanis nobis erit disputandum, quò faciliùs, magisque expeditum est de ipsis ferre sententiam: nam vnum, idemque super Virgineis Christi, ac Deiparæ pignoribus pronuntiandum iudicium est, quæ omnia cùm naturâ suâ sint diuidua, facillimum est credere variis in locis, vt olim, ita & nunc, posse à Christianis magna cum religione seruari, ac religiosè coli.

Non est mihi deliberatum hîc singulas B. Mariæ reliquias enucleatiùs recensere, quas in quinque classes à Locrio, viro aduersùs Deiparam optimè animato, distinctas scio; & quas pius scriptor fusè, ac sigillatim est prosequutus; raptim aliquot ex illis delibabo:

Locr. lib. 5. hist. Aug. Mar. cap. 21. & seq.

Vestem imprimis omni Regum, ac Reginarum purpureâ, aureâve cyclade pretiosiorem (etsi fuerit quàm quæ maximè paupertina) quam Dei genitrix, dum vitam viueret, circumtulit. Vestem cùm dixi, nolim vt credas, vnicam duntaxat Deiparam possedisse: duas enim moribundam testamento legasse *vicinis viduis, quæ præter cæteras propensiore erga ipsam animo, atque pietate fuissent*, pluribus Nicephorus enarrat. Quòt verò in partes, & segmina vestes illæ diuidi potuerint, is facillimè consequatur, qui meminerit Romam in Italia, Ouietum in Hispania, in Calabria Consentiam, & Balneariam; Aquisgranum in Germania, Duacum in Belgio, in Galliis Parisios, & alias complures toto Christiano orbe ciuitates, ac templa earum aliquid participasse. Quonam autem colore Marianæ huiusmodi vestes fuerint imbutæ, si fortè anquiras: docebit te post Epiphanium Baronius; *vestimenta quæ ipsa*, scilicet Maria, *gestauit, natiui coloris extitisse*, hoc est, atrum, vel subrufum fuisse, vt iampridem plurimi rectè coniecerunt scriptores: quòd ille color virginali modestiæ, paupertati, & in primitiua Ecclesia maximè familiaris, & vsitatissimus foret.

Niceph. lib. 2. hist. Eccl. cap. 21. Locr. lib. cit. cap. 24. Luc. Marin. lib. 5. de gest. Hisp. Cratepol. in SS. German. verb. S. Rainold. Baron. tom. 1. Annal. Eccl. ad ann. 40. Locr. cit. cap. 45.

Zonam B. Virginis olim Constantinopoli depositam in Blachernis

Franci

Franci nostri sui iuris fecerunt. *Etenim capta à Latinis eadem Imperatrice vrbe* (inquit pius æquè, ac eruditus Martyrologij Gallicani conditor) *ipsa Zona cum magna parte pepli Beatissimæ Dei genitricis à Niuelone venerabili Episcopo Suessionem transuecta vnà cum innumeris pretiosissimis Lipsanis, in antiqua S. Mariæ Basilica cœnobij virginalis, solemni pompâ reposita magno illic honore seruatur.* Sileo Romam, Aquisgranum, Brugas, Attrebatum ex eadem Zona se nonnihil habere meritò gloriari. Huius Marianæ Zonæ particulam spectandam, & prægnantibus, vterúmque ferentibus (vt puer vidi) præcingendam exhibent Anicienses Canonici. Legere me memini eandem Zonæ virgineæ portionem Anicio recens allatam fuisse ad Reginam Christianissimam parturientem, quâ Zonâ multa cum prece, ac ceremoniis ad felicem Serenissimi Principis Delphini partum à Deipara obtinendum circumcincta fuit (ni me Mercurius Gallicus fallit) & quidem vti factum gaudemus, euentu auspicatissimo enixa est breui, eheu! ac nimiùm citò futurum Regem, & iam in materna aluo ad Christi exemplum Regiâ Deiparæ Zonâ coronatum, atque hinc omen libens accipio. *Laudatur* enim *Zona* (inquit apud Metaphrastem Euthymius) *quæ annos plus nongentos illæsa, atque integra perseuerat, cui nequaquam infuscatus est color, quæ vincit splendore niuem, talémque se videntibus exhibet, qualis è manu prodiuit artificis, ea se cœli Regina reuera (vt credimus) cinxit.* Hæc ille: hinc inquam omen accipio fore, vt ab illius Zonæ contactu, viuidam, vegetam & in longissimos annos viuacem Rex infans cum Augustissima parente ætatem trahat, diûque ambo illâ mirabili Zonâ coronati in hoc Marianum Galliarum Regnum florentes, felicésque dominentur; Sic opto, sic precor, sic spero. Cæterùm virgineam istam Zonam miris laudibus prosequentem Germanum Patriarcham Constantinopolitanum apud Surium leges. Manuel Imp. in sua de filiis constitutione, trigesimum primum augusti diem feriatum esse voluit *propter depositionem venerandæ Zonæ Virginis immaculatæ.* Si autem virginalem hanc Zonam in tot particulas diuidi potuisse negaueris, plures, me annuente, Zonas, Deiparæ fuisse, vt verosimillimum, fas est credere, ac plurimis in templis deuenerari.

Sauss. Martyrol. Gall. 2. Iul. & 31. Aug.

Odo Giss. lib hist. Deip. Anic. c. 18.

Mercur. Gall. ad ann. 1638. pag. 290. & verò à Nominis similitudine deceptum audio.

Metaphr. apud Sur. tom. 4 vitt. SS. 31. Aug.

Veli Mariani particulas passim asseruatas (quo integro Constantinopolis olim gloriata est, vt proximè inaudiuisti) litterarum monumenta testantur. Etenim refert Eminentiss. Cardinalis Baronius Callistum Pontificem Maximum è capillis, & velo B. Virginis sub ara D. Agnetis à se consecratâ inclusisse. Domitius vir clarissimus, hortatu B. Theodori Archimandritæ, crucem auream ad supplicationis, & adorationis vsum fieri curauit, in cuius crucis vmbilico dono accepta à Patriarcha Constantinopolitano, Thoma, ligni S. Crucis, sepulchri Seruatoris, & veli sanctissimæ Dei Genitricis pignora reposita colerentur. Longè antè Franciam nostram pretiosi sui pepli portione ditatam Deipara beauerat, non suâ quidem, sed Dionysii manu: qui cùm Parisiis exturbato Mercurij simulacro, eius delubrum D. Virgini (cui è Campis nomen est)

Baron. tom. 12. Annal. ad ann. 1123.

Sur. tom. 2 in vit. S. Theodori.

Sauss. Martyrol. Gall. 9. Octob.

ritè dicasset, ibidem partem aliquam *veli Beatissimæ ipsius Deiparæ, cuius ipse interfuerat exequiis, ad maiorem eius loci sanctitatem deposuit.* Gratulentur sibi Roma, Treuiri, Atrebatum, Luca, & in Vmbria Assisium pretiosi pepli particulis, dum & illius, vt dixi, portionem iampridem penes se habitam religiosè semper colat Gallia.

Franciotti lib. cit. pag. 166.

Odo Gissey lib. 1. hist. Deip. Anic. c. 8. 17. & 18. Chron. MS. Sauar.

Calceos Dei genitricis præter Suessionum, Augusta Ruthena, & Anicium, ciuitates non obscuræ, tanquam pretiosum thesaurum asseruant. Chronicon MS. Doctissimi Sauaronis de S. Martiali hæc habet: *Multas reliquias secum tulit in Aquitaniam. In rupe autem Anicij (quæ nunc Podium Dominæ nostræ dicitur) sotularem ipsius ibidem posuit, & alterum in Ruthena.* Idem legere est in perantiquis tabularij Ruthenensis membranis, apud Odonem Gisseyum; quem consules, si per otium licet.

Molan. Martyrol. Belg. 16. Oct. Genebr. Chronol. ad ann 870. Sylu. Petrasanct. lib. 3. de Symb. Heroic. cap. 4. & 5. Io. Bapt. Laur. lib. de annulo B. Mar.

Non vno pronubo Deiparæ annulo tùm Aquicinctini apud Belgas, tùm Semimurenses, apud Mandubios, denique Perusini apud Italos mirificè gloriantur. Quales autem sint alij sponsalitij Deiparæ annuli, me fugit: hunc certè Perusinum annulum, quo Beatissima Virgo Maria Diuo Iosepho sibi congeneri diuinitùs nuptui data est, paucis Petra-sancta noster, ex Ioanne Baptista Lauro descripsit; *Simplicem, & cum læuore orbem esse, nec vllâ cælaturâ operis prominuli, nullóque inserto lapillo eum asperari* memorat: *qualem dari consueuisse puellis Hebræis, quando nubebant, opinatur Baptista Laurus, velut æquabilis connubij tesseram. Hic idem annulus ex metallo non est, sed ex gemmâ onychina vel Amethysto, & potuisset ex Smaragdo fieri, gemma illis solis nuptiis apta, in quibus nullus intercessit matrimonij vsus; alioqui frangitur smaragdus, & sentire videtur iacturam virginitatis; quod aliquando euenisse annulo smaragdino vnius reginæ Hungariæ primâ nocte nuptiarum apud scriptores non ignobiles legi. Peculiariter verò*, ait, *sublucere in dorso eius notæ alicuius vestigium, quam sensim ætas abederit, & quæ videtur flos erumpens è calyce iam repando. Aliis refert binos flores semiclusos, binósve oculos, vel caput serto redimitum, fortasse Dauidis regis, qui fuit vnus ex magnis auis huius sponsæ regiæ. Sed enim, quia sæpe fit, vt alat coniecturas, & opiniones ipsa rei vetustas, & veneratio.* Pluribus agere supersedeo de pronubo Virginis sanctissimæ annulo, quem cum Aristotele ἄπειρον, vel cum Abrahamo Gorlæo *cassum* potes appellare, si voles. Quid? si ex tot annulis Marianis affirmare, ac credere malis, aliquos ad primæui tantùm annuli speciem, & conformationem fuisse conflatos in Dei Genitricis, ac Iosephi coniugis honorem: perquàm libenter assentiar, & acquiescam. Seruari audio apud nostros Cluniacenses viatoriam illam perulam, quâ in sua in Aegyptum fugâ, aliísque Ephesum, ceteráſque regiones versùs, itineribus, Deiparam vsam ferunt. Non eloquor sepulchrales fascias, quibus demortuæ Virginis corpus inuolutum fuit, Constantinopoli quondam asseruatas: non lectum memoro, in quo animam virgo efflauit Romæ reuerenter custoditum; Mitto dicere

Aristot. lib. 3. Phys. Gorlæus in præloquio dactyl.

Onuphr. lib. de 7. Vrb. Eccl.

quem pollice torquens

olim B. V. *Libratum tereti versabat turbine fusum*

à Pulcheria Auguſta Theodoſij ſorore, in templo περὶ τῶν ὁδηγῶν, fuiſſe collocatum. Sileo in oppido Aduaticorum, Huo, ſeruari etiamnum eiuſdem D. Virginis glomum filo ſacris digitis diducto, & preſſo decorum. Prætereo paupertinum pectinem, quo virgineam ſuam cæſariem diſtinguere Maria conſueuerat, Treuiris, & Veſontione non irreligioſè cuſtoditum. Non refero Dei Genitricis veſtem Conſtantinopoli magno ipſius bono non aſſeruatã modò, ſed etiã vicatim circumlatam: cùm enim ciuitas Conſtantinopolitana obſidione arctiſſimâ premeretur, Theophilus cohortante Michaële Balbo Imp. vrbem totam cum Patriarcha, & ciuibus in vnum agmen coactis ſupplex obiit, viuificæ Crucis lignum, & Deiparæ veſtem circumferens, vt per illam, tanquam potentiſſimo quodam auerrunco, ciuitatem obſidione eximerent, & tanquam præſentiſſimo, fatalíque Palladio, ab hoſtium expugnatione tuerentur. An ideo tutum, ac felix Anicium dixero? quòd alterâ ipſius manicâ diuinitus ditatum Caluinianas furias, & hoſtiles Catholicorum impreſſiones, hactenus illæſum eluſit, euaſitque fortunatiſſimè? Quanto ſibi fuerit præſidio ac tutelæ lineum Deiparæ induſium, Carnutum olim à Rollonis obſidione liberatum, ſenſit: Caroli Calui id munus fuit, vti & illud, quod Aquiſgrani aſſeruatum ſcribit Philippus Bergomas, Caroli Magni donum ſingulare ac pium. Duo tamen ſilere nec debeo, nec poſſum, lac videlicet, & capillos Virginis Genitricis, quod in iis ſubſit maior aliqua difficultas, quàm in Zona, velo, veſte, aliiſque id genus exuuiis, quæ ob diuiduam ſui naturam plures in partes diſcindi, & inter diuerſas Eccleſias partiri potuiſſe, qui ſanus ſit, & mentis compos, obſtinatè perneget nemo.

Niceph. lib. 14. hiſt. Eccl. cap. 2. Middendorp. lib. 5. Academ. Chiffl. Criſi hiſt. de lint. ſepulcr. c. 6. & 7. Niceph. lib. 16. c. 24. Cedren. in Mich. Balbo Metaphr. apud Sur. tom. 4. 15. Aug. Codin. & alij. Odo Giſſ. loc. cit. Malmesbur. lib 2. de geſt. Angl. anno 1110. Bergom lib. 10. ſupplem. Chron.

SECTIO VNICA.

Lac & Capilli B. Virginis in variis locis.

Atque vt de lacte B. Virginis priore loco dicamus, ſupra fidem videtur hominibus ægrè ad credendum affectis, Lac (quo citiùs areſcit, & corrumpitur penè nihil) à tot retroactis ſæculis liquidum, & incorruptum potuiſſe variis in locis aſſeruari. Ementitus peregrinus neſcio quis, nomine Ogygius, narrat in Anglia viſum à ſe, ac deoſculatum Deiparæ lac incluſum chryſtallo, quódque mirabilius eſt, totum liquidum. Ad eius rei tam inſolentis auditionem, in perſonâ Menedemi Eraſmus ludio impius magis, quàm inficetus confeſtim inclamat: *O matrem filij ſimillimam! Ille nobis tantum ſanguinis ſui reliquit in terris: hæc tantum lactis, quantum vix credidile eſt, eſſe poſſe vni mulieri vniparæ, etiamſi nihil bibiſſet infans.* Sic nimirum in Diuos iocis ludere geſtit homo procaciſſimus, & prodromus Caluini. Quamquam, vt verum fatear, is Ioanni Caluino multò ſe præſtitit in ſua impudenti immodeſtia modeſtiorem.

Eraſm. Colloq. Peregr. religionis cauſâ. Caluin. admon. ſæpe cit.

modestiorem. Hic enim ad omnem proiectus audaciam nihil est veritus B. virginem *cum vacca lacte distenta, & altrice* componere. Hæc omnino pecuini hominis, vel potiùs *pecoris, ac bruti cogitatio est.* At quid est, cùm homines sibi supra reliquos mortales scioli lactis copiam tantopere in Dei Genitrice suspiciant, vt mendacij suspectam habere videantur? an illis videtur incredibile Deum tantam vim lactis Deiparæ contulisse, quantam Saræ, cui sanctissimus Veronensis Antistes, *abundantius Lac arescentibus vetulæ vberibus diuinitùs infusum fuisse* asseuerat, vt infantulum lactaret Isaacum? quasi verò minus sit lactari à Virgine hominem Deum? Non is fuit Bonauenturæ, non Ecclesiæ sensus, qui Deiparam volunt, *vbere de cœlo pleno*, pupulum Christum *lactasse*; &, si manna singulis quibusque diebus ad Hebræos alendos ex aëre, tanquam è cœlesti mamma defluxit, multò potiori iure crediderim, dixerímque Lac omni mammâ suauius è Cœlo, velut è diuina mamma, in Virginis vbera perquam vberi profluuio ad lactandum magnum Patris *æterni incrementum* quotidie depluisse: vt quemadmodum *Marianus Vterus* (verbulum à B. Vincentio mutuor) nasciturо infanti Christo *camera* fuerat, sic eidem forent vbera de Cœlo plena, *cellarium* nato.

S. Zeno serm. 2. de Abrahã.

D. Bonau. Medit. vitæ Christi c. 7.

Vincent. Ferr. serm. 2 de natiu.

At debuit à tot sæculis lac illud Virgineum arescere? debuit concrescere? corrumpi denique debuit. A natura omninò debuit; à gratia nec decuit, nec potuit. Non decuit, vt vel paucula illæ guttæ, quæ è mirabilibus virginei lactis fontibus etiamnum in terris superant, Antimarianis omnibus, θεοτόκον Mariam negare ausis, ruborem iniicerent iniiciántque in reliquas ætates consequentes. Non potuit, quia sub eius manu est, qui manna corrumpi facillimum, tot seculis aureâ inclusum vrnâ seruauit incorruptum; qui statuam salis pluuio cœlo expositam, ac diffluere nimiùm quantùm facilem, tot, Deus bone! seculis voluit esse illibatam, quæ, vt alias ex Tertulliano me dicere memini:

Tertul. in sodoma.

Durat adhuc; etenim nudâ statione sub æthram,
Nec pluuiis dilapsa, situ, nec diruta ventis.
Quin etiam si quis mutilauerit aduena formam,
Protinus ex sese suggestu vulnera complet.
Dicitur, & viuens alio iam corpore, sexus.
Munificos solito dispungere sanguine menses.

Hactenus Tertullianus. An tu ipsum demiraturum, aut, si mirabitur, negaturum putas diuinum Deiparæ lac, quantumcumque in terris relictum est, à tot sæculis non acescere, non concrescere, non corrumpi, sola Dei omnia potentis, ac pollentis vi, non naturæ deficientis ingenio, & facultate potuisse?

Præter niueum Virginei Lactis liquorem, memorat noster à Castro, alicubi *Lac Beatæ Virginis*, appellari placentulas nescio quas è macerato tenuissimæ & candidissimæ terræ puluisculo confectas Deipara Bethleem digressa, vt Ægyptum Herodianæ immanitatis vitandæ causâ

A Castro hist. Deip. cap. 10.

causâ peteret, aliquantiſper in ſpelunca latitans ſubſtitit, vbi Lac Deo infanti coacta immulgere, aliquot guſtis pretioſiſſimi ſui lactis, vt fit, ſubiectam ſpelæi rupem irrorauit. Rem miram! extemplo duriſſimum ceteroquin ſaxum vſque eo mirabiles illius lactis liquor emolliuit, & albeſecit, vt in tenuiſſimum ſimul & candidiſſimum abierit puluerem, è quo deinceps memoratas placentulas pinſere Chriſtianis in more fuit; nec ſanè inutiliter, Ad varias enim ægritudines abigendas, atque imprimis ad femineorum vberum contractionem perſanandam omni Panacæâ potentiùs conferunt, cuiuſmodi abs ſe viſas laudatus ſcriptor teſtis eſt. Hocce igitur B. Virginis Lac variis locis reperiri poſſe qui miretur, aut neget, planè eſt nemo. Verùm de factitio huiuſcemodi Deiparæ lacte hic agere non eſt inſtituti noſtri.

Reſtat poſteriore loco de capillis Deiparæ Virginis paucis dicere. Enimuerò an illi ſint iam in terris? dubitationem aliquam afferre poteſt mirabilis ipſius anaſtaſis, & in cœlum viuentis videntíſque aſſumptio triumphalis: quid ita? quia ſi intra triduum ad vitam reuocata? ſi cœlis triumphantis in morem inuecta, ſi corpore gloriâ circumfuſo, Chriſto aſſidet? quidquid Virgineo capiti crinium inerat, haud dubiè cœlis intulit, ne quid perfectæ, ac numeris omnibus abſolutæ ipſius pulchritudini deeſſe poſſit. Næ ille in politiori literatura, imò & in rebus humanis omnino peregrinus ſit, qui ignoret, quantum ad muliebrem formam, comæ conferat pulchritudo, quam ſi cuipiam forſitan parcior natura non indulſerit, ô quot illam fucis! quot pigmentis! quàm multâ arte mulieres formæ aucupes adnituntur augere! quâ verò formæ mirabilitate Maria donata fuerit, vix melius explicem, quàm ſi hoc vno Salomonis verbulo vti liceat: *Tota pulchra es*, & cum eodem iteratò exclamem piâ rapacis formæ demiratione: *Quàm pulchra es, quàm pulchra es!* & ne ſingulas Marianæ pulchritudinis dotes perſequar, eius vna cæſaries, quâ de agimus, tantæ fuit venuſtatis, vt myſticus ipſius Sponſus blandè querulus exclamare cogatur, *vulneraſti cor meum in vno crine colli tui*. Parùm aſſequutos arbitror illius mentem, qui reddiderunt, *corde cepiſti me*, vel *cor meum cepiſti vno crine colli tui*, quaſi verò magnum aliquid ſit ſponſam vel vno crine comæ ſuæ, tanquam iniectis adamantinis quibusdam vinculis, cor ſponſi ſui captiuum, in triumphum amoris traxiſſe; feliciùs, & oculatiùs multò penitiſſimum eiuſdem animum mentémque peruidiſſe illos arbitror, quibus Sponſus viſus eſt conqueri, ſibi à ſponſa tot ſagittis, quot crinibus conſtabat eius cæſaries, cor tranſuerberatum; tot confoſſum vulneribus; tot victricibus dexteris, tanquam opima de hoſte ſpolia reportatum, amoríſque trophæo ære perenniori glorioſè fuiſſe ſuffixum. Nænias igitur occinere videatur, qui Deiparæ capillos in terris relictos eſſe memoret, atque adeò ſeruari obfirmatè aſſeueret, cùm illos tantùm ad rediuiuæ Virginis ſpeciem conferre conſtet. Non efficiet tamen vnquam hæc Antidicomarianitæ

Cant. cap. 4. v. 1. & 7.

Ibid. v. 9.

S. Ambroſ. in Pſam. 111. ſerm. 6. & 11.

M fabula

fabula, quin credam bene multos ex aurea Dei Genitricis cæsarie crines, diuersis in locis, Ecclesiísque religiosè seruari.

Meæ fidei non vnum est argumentum, nam à prima ætate ad confectam vsque, è Mariana coma non paucos, vt fit, capillos pecten decussit, nisi si fortè cæsariem B. Virginis impexam semper perstitisse velis, quòd numquam (vt inquit de Christo D. Brigitta) *super eam venit vermis, non perplexitas, aut immunditia in capillis.* At sine causa multiplicari miracula quis æquo animo feret? vbi verò vitæ Genitrix è vita discessit, quàm sollicitè pollinctrices auream illam Marianæ comæ segetem pro more gentis, vt superiùs diximus, demessuerunt, quam in sacris suis Apothecis, seu Hierothecis reconderent ad memoriam tantæ Imperatricis, & ad suæ consolationis, & pietatis argumentum: quam si fortè totam, funditúsque à pollinctricibus, Deiparæ reuerentissimis demessam cæsariem ferre nec possis, nec velis, extremos saltem illius cincinnos attonsos fuisse feres ab piissimis illis fœminis, quibus vel perexiguus Dei genitricis capillus ingentis thesauri loco futurus erat. Ad vltimum iam inde ab Ecclesiæ cunabulis ad nos vsque transmissa traditio, & priuatarum Ecclesiarum tabulæ non paucos Deiparæ crines in terris superare testantur.

B. Brigitt. lib. 4. reuel. c. 70.

Ant. Geblac. Chron. ad ann. 1122. Petr. Friz. Gall. Purpur. p. 125. Du Breuil theat. Antiq. Paris. lib. 1.

Hæc cùm ita sint, ecquis iure miretur lac, & capillos Dei Genitricis in tot diuersis Ecclesiis seruari, vt cunctas referre vix possim, si velim maximè? Imprimis Bethleemitanos Virgineam Mariani lactis portionem in sua potestate quondam habuisse non illibenter asserentibus credo; nec sanè video cuinam potiori iure huiusmodi reliquiæ deberentur, quàm illi ciuitati, vbi Virgo puerpera primum lac fudit, & vbi Christus infans mirabilis illius lactis primitias ex Virgineis *vberibus de cœlo plenis*, cœpit haurire. In hanc rem me olim legere memini sub Balduino Ierosolymorum Rege quadraginta Sarracenorum millia à tribus Christianorum millibus fuisse fusa, fugatáque: Patriarchâ Crucis Christi vexillum, Pontio Cluniacensi Abbate lanceam, lac denique aureâ pyxide inclusum præferente Episcopo Bethleemitano, vt Robertus à Monte obseruauit. Nunc autem pretiosissimi Virginei lactis guttulis Assisium in Italia, Ouetum in Hispania, Parisienses, Anicienses, Bisuntini, Remenses, aliíque nostra in Gallia potiuntur. Quid? quod S. Ludouicus Christianissimus Francorum Rex (quâ erat in omnes, & maximè Hispanos charitate) Clerum *Toletanum, de lacte gloriosæ Virginis Mariæ,* (vt scribentis vtar verbis) oratus simul, & exoratus donauit? Aliam interea causam, vnde tanta lactis Mariani copia potuit tot in diuersis locis haberi, alio loco promendam sepono.

Rob. à Monte append. ad Chron. Sigeb. ann. 1124. Barõ. tom. 12. Annal. ad ann. cit. Mariã. Sicul. lib. 5. rer. Hispan. Gissey. Chiffl. & Sauss. citati.

Io. Marian. lib. 13. hist. Hisp. cap. 8.

Mallon. apud Pozam lib. 3. elucid. tract. 11. cap. 2.

Reliquum est, vt pari piæ fidei facilitate, Dei Genitricis capillos singulari suâ dote pretiosissimos apud varias Ecclesias asseruari pro comperto habeamus. Dixi, *singulari sua dote pretiosissimos*, quòd, referente Mallonio, *non solùm è facie* Beatæ Virginis, *sed etiam è capillis affulgere radius cœlitùs videretur.* Horum capillorum aliquot Romæ, tùm ad S. Crucis, tùm ad S. Ioannis Lateranensis, denique ad diuæ

Onuphr. lib. de 7. Vrb. Eccles.

diuæ Mariæ Maioris monstrari refert Onuphrius aureo colore flauescentes: quemadmodum & illos, qui Oueti apud Hispanos magnâ cum religione coluntur. Paribus Marianæ comæ lipsanis Anicium, Parisij, Trecæ, Aquisgranum, Vesontio, & Fanum Audomari se diuites, ac fortunatas deprædicant ciuitates. Aliquid tandem eorumdem crinium, amplissimum quondam B. Virgini sacrum in Croylandia Monasterium asseruauit, quos crines Henricus Imperator ab Hugone Francorum Rege Christianissimo aureâ in pyxide acceptos illi cœnobio regia munificentia donarat. Ceterum, vt pergamus ad alia, cùm ea fuerit Marianarum exuuiarum natura, vt vel varias in partes dissindi potuerint, vel fuerint numero reipsâ plures, satis mirari non possum cur nostri æui Antidicomarianitæ, contrà quàm scripserit noster Gregorius Turonensis, Catholicos, Dei Genitricis quàm deuotissimos maiestati, pro deridiculo habeant, qui veneranda ipsius lipsana, inter se simillima, imò & numero vna, diuersissimis in locis custodiri, monstrari, magnâque religione coli profiteantur, iactitent, glorientur.

Auctores iidē supra citati

Ingulph. Abbat. hist. apud Pozā cit. & Spinell. hist. Mar. cap. 29. & alij.

Greg. Tur. lib 1. de glor. Mart. passim toto.

ARTICVLVS TERTIVS.

Sacra Diuorum lipsana varijs in locis à sui diuisibilitate asseruata.

OPportunè, & importunè, per fas, & nefas, & ad extremam vsque nauseam nobis suam illam næniam, velut recoctam crambem, continenter obtrudunt Lipsanomachi, nos *Centimanos Briareos, & tricorpores*, imò *multicorpores*, vt ita loquar, *Geryones*, nescio quos deuenerari: quòd eædem vnius cœlitis reliquiæ diuersis in locis simul, & semel asseruatæ monstrentur, & religioso à nobis cultu afficiantur: quod minimè gentium esse potest, nisi vel Diui, quorum ostentamus lipsana, *Genere Geryonaceo*, vt vtar voce Plautina, *senis manibus*, totidémve *corporibus* præditi fuerint, vel certè adulterinas commenti reliquias mortalibus imponamus.

Pudet cum illis tandem recinere cantilenam, quam iam toties ipsorum auribus occinuêre Theologi, & vtinam ne surdis! Imprimis valentissimus *Hæreseon Malleus*, Bellarminus, & secundùm illum Suarez, Puteanus, & alij deinceps omnes penè, qui nouitias Lutheranorum, Caluinistarum, & reliquorum huiusmodi monstrorum hæreses stylo gloriosè confecerunt: religioni ducerem silentio præterire Eminentissimum Cardinalem Baronium, tam bene de vniuersa Ecclesia meritum, cuius hæc sunt verba, notatu, Cedrôque dignissima: *Cùm ex corpore Martyris sumptæ reliquiæ in pluribus altaribus collocarentur, id effecerunt,*

Caluin. sæpè cit. Adm. And. Sadeel in resp. ad art. 28. Abiurat. Burdigal. p. 518. & alij complures.

Plaut. in Aulul.

Bellarm. lib. 2. de imag. SS. cap. 4.

Suar. tom. 1. in 3. p disp. 51. sect. 2. dub. 1.

Putean. in 3. p. quæst. 25. art. 6. dub. 1.

Baron. in appar. ad Martyrol. Rom.

vt plura vnius eiusdémque martyris sepulchra, atque memoriæ dicerentur, proque numero altarium, sepulchorum numerus augeretur; sed ex his ansam calumniandi nacti sunt Nouatores, vt sicut stultè, ita & temerè dicerent, Catholicos quibusdam illusisse præstigiis, vt frequenter vnius Martyris corpus, diuersis in locis traderent situm esse: ignorantes, vel dissimulantes nos non dicere in diuersis sepulchris, vnum, idémque integrum esse corpus, sed in singulis (vt dictum est) sepulchris vnius martyris conseruari Reliquias, ac proinde eidem honorem eumdem impendi, ac si integrum esset corpus. Nam sententia Nazianzeni est in oratione prima in Iulianum, easdem præstare virtutes, quaslibet martyris sanguinis guttas, & exigua passionis signa, quas integra corpora: ac proinde non esse indecens, vt vnius martyris plura erecta appareant monumenta: cùm alioqui (nisi lex Christiana prohiberet) nec indecens videri posset etiam sine ipsorum reliquiis eidem excitari memorias, vt potè testes eorum virtutis egregiæ & beneficiorum eorundem ope consecutorum. Nam (si licet ad sacra profanum exemplum adducere) de multis Æneæ & aliorũ sepulchris Dionysius Halicarnasseus hanc ipsam affert rationem libro Historiæ Rom. sic dicens: Quod si quem perplexum facit, quod Æneæ sepulchra monstrentur in multis locis, nec possit nisi in vno esse conditus; cogitet hanc dubitationem esse vulgarem, & intelligat quòd quamvis vnicus locus capiat corpora talium, apud multos tamen monumenta eis facta sunt in gratiam acceptæ cuiuspiam vtilitatis. Hactenus cum Nazianzeno & Dionysio Cardinalis Eminentissimus perquam piè, ac sapienter, & verè.

Greg. Naz. iamb. 18. de virtut. Elias Cret. in orat. 3. eiusd. Greg. S. Paulin. Natal. 9. S. Felic. Gaudent. Brix. orat. dedicat. Basilicæ 40. Mart. sub fin.

Figamus hìc tantillum pedem, atque ex hac Baronij oratione colligamus, illam copiam earumdem numero reliquiarium, Nouatoribus tantoperè suspectam, à dissectis, diuisisque varias in partes sanctorum corporibus potissimum profectam fuisse. Scio Serenissimum Britanniæ Regem Iacobum hac sacrorum corporum partiendorum consuetudine, pro Gentilium & paganorum ingenio, non leuiter offendi solitum, vt Eminentissimus Cardinalis Bellarminus annotauit. Iacobum Iacobo, Episcopum, vt reor, Regi, virum certè doctum docto Principi, & perantiquum scriptorem nouo libens oppono, Iacobum, inquam, Otcohaitam. Hic enim apud Barcepham refert: Noëmum, *cùm esset arcam vna cum liberis suis conscensurus, impudente diluuio, secum in arcam intulisse ossa Adami, eáque deinde post diluuium arcâ digressum suis filiis distribuisse, prout orbem terrarum inter illos habitandum partiebatur: verbi gratiâ, caluariam Adami dedisse primogenito suo Sem, & terram illi assignasse Iudæam, atque posteritatem Sem, cùm Iudæam, ceu hæreditatem suam, venisset, illam Adæ Caluariam, quæ sibi de illius ossibus ex paterna distributione obuenerat, in Adæ sepulchro quod iam tunc illic extabat reposuisse.* Sic ille. Ne mirêre nouo Noëmo, Britanno Regi, nouæ Arcæ, in qua nemo seruandus erat (Ecclesiam eius intelligo Apostaticam citiùs, quam Apostolicam) fabricandæ allaboranti tantopere displicuisse piam illam sacrarum exuuiarũ inter fideles diuidendarum primùm à perantiquo illo Noëmo inductam consuetudinem. Hic enim veterem quidem arcam *bitumine intrinsecùs,*

Bellarm. lib. 2. defens. fidei, cap. 10. n. 10. Moses Barcephas 1. part. de Parad. cap. 14.

intrinsecùs, *& extrinsecùs* probè *oblitam* reipsa; in mysterio verò Ecclesiam Apostolicam, Catholicam, & Romanam, extra quam non nemo pereat, diuinis obfirmatam præsidiis ædificarat, vt proinde illi nouo Noëmo religiosus iste mos non immeritò videri possit summopere desipuisse, cui Ecclesia ipsa desipiebat. Verùm vt vt sit, verè sapuisse mihi videntur maiores nostri, qui in hac religiosa consuetudine vsurpanda gemini mundi spectatorem, orbis terrarum hæredem, Iustitiæ perituro mundo præconem, Christique Seruatoris præstantissimum typum imitati sunt. *Salian.*

Atque hinc est cur ætate Theodoreti vix vno in loco integra diuorum corpora reperiri possent. *Animæ quidem triumphatorum martyrum*, inquit, *in cœlesti nunc patria vitam agunt Angelorum choros inter sitæ. Eorum verò corpora non singula quidem singulis monumentis conduntur: sed ciuitates, oppida, paganique conuentus hæc inter se sortitò partiti sunt, laborantibúsque animis & ægrotis corporibus salutares eos confiteri non cessant, nihilóque seriùs vrbium custodes, ac locorum præsides venerantur, quorum precibus, & interuentu apud Deum vtentes per eos demum diuina munera consequuntur.* Rationem verò tantæ, tamque religiosæ numerationis eandem prorsus affert, & D. Gregorius Nazianzenus protulerat in medium. *Sectis* enim, inquit, *eorum corporibus integra tamen vis, & gratia perseuerat, tenuésque, ac tantillæ Reliquiæ toti parem habent multas in partes Martyre dissecto virtutem*; Sileo D. Ambrosium & Eliam Cretensem qui in eandem sententiam pedarij concesserunt. Præterire tamen nec possum, nec debeo egregiam D. Paulini, idem planè sentientis, & poëticorum numerorum modulatione illis concinentis testificationem. Postquàm enim SS. Andreæ Apostoli, & Timothei venerandas exuuias Byzantium Constantini Christianissimi Imperatoris iussu deuectas, inuectasque religiosè cecinisset, subdit appositissimè ad id, quo de agimus, confirmandum.

Theodor. lib 8. de curand. Græcan. affection.

S. Ambros. serm. 93. Elias Cret. in orat. 35. Greg. Naz. contra Iulian.

S. Paulin. Natal. 11 inter fragmenta à Dungalo collecta.

Inde igitur suadente fide data copia fidis
Tunc comitum studiis, quædam vt sibi pignora vellent
Ossibus è sanctis meritum decerpere fructum:
Vt quasi mercedem officij, pretiúmque laboris,
Præsidia ad priuata domum sibi quisque referret.
Ex illo sacri cineres, quasi semina vitæ
Diuersis sunt sparsa locis: quáque osse minuto
De modica sacri stipe corporis exiguus ros
Decidit, ingentes illic pia gratia fontes,
Et fluuios vitæ generauit gutta fauillæ.

Idem natali nouo, pensiculatiùs enumeratis complurium sanctorum reliquiis, quæ in Basilica S. Felicis repositæ asseruabantur, sic in rem nostram apertè, opportunéque obseruat & memorat:

-----debita sanctis *Idem ibid.*
Sunt loca corporibus: neque tantum, quâ iacet orâ,
Totum corpus ibi positorum gratia viuit:

Sed quacunque pij est pars corporis, & manus extat
Contestante Deo meriti documenta Beati,
Magna, & exiguo sanctorum puluere virtus
Clamat Apostolici vim corporis indice verbo

S. Epiphan. lib. de proph. vit. cap. 8. S. Isidor. lib. de vita, & morte SS. c. 38. Martyrol. Rom. 1. die Maij.

Et id quis meritò demiretur? qui legerit apud Beatum Epiphanium & Isidorum, Romanumque Martyrologium in Ægypto fideles, S. Hieremiæ prophetæ, qui à populo lapidibus obrutus apud Taphnas occubuit, & ibidem tumulatus iacuit, sepulchrum supplicabundos olim adiuisse, indéque sumpto (vt moris erat) puluere mortiferis aspidum morsibus mederi consueuisse? minus enim quid est, minorisque faciendus puluisculus, quem ex pura, simplicique humo collegeris quàm quem è viuacibus sanctissimi viri cineribus exuuiisque in puluerem solutis decerpseris. In quam rem mirificè facit non minùs pia, quàm eloquens D. Chrysostomi super venerando è Pauli Apostoli puluere oratio, quæ sic se habet: *Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli,* &c. bene multis quæ exscribe. Quam aliam ob causam credas de quadraginta martyribus Cæsareæ laureatis in hæc verba scripsisse Basilium: *Nec vno in loco se clauserunt, sed in multis locis hospitio recepti multas patrias ornauerunt: nisi quia variæ ciuitates eorum exuuiis, tanquam hæreditarij particulones potiebantur?* E quarum numero Brixiensem Ecclesiam fuisse S. Gaudentius acutè, paucísque deprædicat, dum sic ait: *Ipsa pars, quam meruimus plenitudo est,* Imò (quod obseruatu dignissimum est) Patriarcha Constantinopolitanus Chrysostomus Apostolorum Principes Petrum & Paulum Romæ simul, & Byzantij conditos fuisse videtur affirmare: Scribentem audi: *Roma, quæ vrbium est Regalissima, relictis omnibus ad sepulchra Piscatoris & Pellionis currunt Reges, & præsides, & milites, & Constantinopoli Reges nostri magnam gratiam putant, non si prope Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula, corpora sua sepeliantur, fiantque piscatorum ostiarij, Reges.* At quo pacto, Præsul sapientissime, *prope Apostolos esse,* Constantinopoli poterant prehensare Imperatores? cùm ipsorum exuuiæ Romæ, non Byzantij sitæ essent? nisi quia forsitan aliquæ Beatissimorum Apostolorum particulæ inibi forent reconditæ, vel sallem excerpta ex ipsorum lipsanis sanctuaria religiosè seruata colerentur: quæ sanctuaria, ob miracula per illa edita penè tanti, ciues Byzantini & Imperatores faciebant, quanti erant facturi, si integris DD. Apostolorum corporibus fruerentur. Quanquam alter *Ioannes*, nomine *Ieiunator*, vix Patriarchali dignitate Chrysostomo Ioanni par, impar animi demissione, cùm sibi Oecumenici nomen iniustè vsurpasset, vt Ecclesiæ Romanæ Constantinopolitana iampridem æmula quoquo modo de primatu cum illa posset contendere, vesanâ eâque irritâ calliditate Constantiam Augustam perpulit, vt S. Pauli caput à D. Gregorio Pont. Max. postularet; quo deinceps Constantinopolis tanto támque diuite adepto pignora gloriari posset Paulo, vt Roma Petro. At summus Pont. acutum videns, superbissimi simul, & insanissimi hominis irritos conatus prudenter reddidit, dum ad Imperatricem rescripsit fieri nullo modo posse,

D. Chrysost. hom. 32. in epist. ad Rom.
S. Basil. or. in 40. Mart.
Gaudent. in dedic. basil. 40. MM.
S. Chrysost. lib. quòd Christus sit Deus.
Baron. tom 4. Annal. Eccl. ad ann. 595.

posse, vt vel leue aliquid à S. Pauli corpore subtraheretur, quod ne extremis quidem digitis sine apertissimo capitis periculo se contingi patiebatur: *In Romanis*, namque vel *totius Occidentis partibus*, inquit, *omnino intolerabile est, atque sacrilegum si sanctorum corpora tangere quisquam fortasse voluerit. Quod si præsumpserit, certum est, quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit.* Et post pauca, suum illud effatum illustri confirmat prodigio: *De corporibus verò Apostolorum, quid ego dicturus sum? cùm constet quia eo tempore quo passi sunt, ex Oriente fideles venerunt, qui eorum corpora, sicut ciuium suorum repeterent? Quæ ducta vsque ad secundum vrbis milliarium, in loco, qui dicitur Catacumbas, collocata sunt; sed dum ea exinde omnis eorum multitudo conueniens leuare niteretur, ita eos vis tonitrui, atque fulguris nimio metu terruit, atque dispersit, vt talia denuo nullatenus attentare præsumerent. Tunc autem exeuntes Romani eorum corpora, qui hoc ex Domini pietate meruerunt, leuauerunt, & in locis, in quibus nunc sunt condita, posuerunt. Quis ergo nunc, Serenissima Domina, tam temerarius possit existere, vt hæc sciens eorum corpora non dico tangere, sed vel aliquatenus præsumat inspicere?* vnúmque subiungit admiratione dignum de sudario, quod cum sancti Pauli corpore est; atque ad se transmitti petierat Imperatrix, illud, *ita tangi non posse, sicut nec ad corpus eius accedi.* Ne tamen Augustæ desiderium penitus irritum, & vacuum foret, *de catenis, quæ ipse sanctus Paulus Apostolus in collo, & in manibus gestauit, ex quibus multa miracula à populo demonstrantur, partem aliquam transmittere se curaturum promisit: si tamen*, inquit, *hanc tollere limando præualuero: quia cùm frequenter ex catenis eiusdem multi venientes benedictionem petunt vt parum quid ex limatura accipiant, assistit sacerdos cum lima, & aliquibus petentibus ita concitè aliquid de catenis ipsis excutitur, vt mora nulla sit. Quibusdam verò petentibus diu per catenas ipsas ducitur lima & tamen vt aliquid exinde exeat: non obtinetur.* Hactenus S. Gregorius, qui ne pretiosissimis D. Pauli exuuiarum particulis Byzantium donatum, se toto eius corpore potiri gloriaretur (vt tùm moris erat) vix ipsius catenarum scobem Imperatrici eximij muneris loco impertiuit, probè conscius Ecclesiarum, seu potius plebis Christianæ consuetudinis, quæ se integro corpore frui iactitant aliquando, si vel exiguam cœlitis alicuius nactæ sint partem. Vnde *tolerabilis* (vt Baronius loquitur) *error ille profluxit*, vt idem corpus diuersis in locis asseruari credatur. Nihil tale se veritum fuisse Ioannes V. D Gregorij in Pontificio munere successor præ se tulit, cùm ad Edaldum Archiepiscopum Viennensem scribens ait, se mittere *de capillis S. Pauli, vt esset*, inquit, *Ecclesiæ vestræ illius intercessione solatium, per cuius discipulum suscepit primum Religionis honorem.* Nihil tale Constantinus Papa est veritus, qui inter reliqua lipsana quæ ad Edaldum Viennensem Archiepiscopum scribit à se transmitti, potissimum numerat *de spongia Domini, de vestimentis Domini, & de vinculis Apostolorum.* Nihil inquam simile Pontifices illi se vereri significarunt, quòd non ea esset Primatum nostrorum Gallorum, & Patriarcharum Constantinopolitanorum

S. Greg. lib. 3. epist. 30.

Clem. pap. epist. 1.

Io. à Bosco Antiq. Vienn. cap. 3.

Idem ibid. c. 4.

litanorum

litanorum ambitio, nec periculum, ne se D. Pauli corpore potiri iacti-tarent, vt isti dubio procul effecissent, si vel caput vel aliquam insignem Apostolici corporis partem à D. Gregorio extorquere potuissent. Vnde meritò colligere est ex hoc prudenti summorum Pontificum metu, ac sagaci prouidentiâ præsumptam illam earundem numero Reliquiarum multitudinem, quâ de agimus, ex eo potissimum fonte dimanasse, quòd ob diuiduam sacrorum lipsanorum naturam, integrum, idémque, ac vnum lipsanum multis in locis haberi, ab imperitâ plebe crederetur, cuius vix perexiguam possideret portionem. At quid ego imperitam plebem duntaxat nomino? Cùm S. Gaudentius Brixiensis dixerit: *habemus Geruasium, Protasium, atque Nazarium, beatissimos Martyres*, at quàm verè id dictum? *quia*, vt subdit, *horum sanguinem tenemus gypso collectum nihil amplius requirentes*. Crederes eos integra corpora possedisse. Sed hac de re inferiùs alibi erit rursus dicendi locus.

S. Gaudent. Brix. orat. supr. cit. in dedic. basil. 40. MM.

CAPVT TERTIVM.

Summa Catholicorum erga sanctas Reliquias fides, ac studium:

CAVSA TERTIA.

SI quæ certæ, vel saltem vero simillimæ adduci possunt causæ suspiciendæ potiùs, quàm suspectæ, multitudinis eorumdem sacrorum pignorum, quæ pluribus visuntur locis; haud dubiè summam Christianorum, aut Catholicorum erga venerabiles Diuorum reliquias fidem, ac studium inter principes causas, me auctore, reponi posse nemo inficias eat, qui tantillum animo, & cogitatione repetere voluerit, quantus vel ab ipsis Ecclesiæ infantis cunabulis in sanctorum exuuiis colligendis, & coaceruandis ardor, & in iisdem colendis fides Christianorum continéter extitit. Nec immeritò sanè id studij, operæque à maioribus nostris collocatum fuit quantumvis *stultam cupiditatem*, *superstitionem*, & (quòd peius est) *parentem idololatriæ* piam illam contentionem nequicquam Caluinus acclamet; *Christus* enim *Dominus* (vt differit Damascenus) *sanctorum Reliquias velut salutiferos fontes præbuit, è quibus plurima in nos beneficia manant, suauissimúmque vnguentum profluit. Quænam verò illa beneficia? Per eas Dæmones expelluntur, morbi profligantur, ægroti sanantur, cæci prospiciunt, leprosi mundantur, tentationes, & mœrores discutiuntur, denique omne donum optimum à patre luminum earum operâ ad eos qui fide minime dubiâ postulant, descendit vberrimè.* Non ineleganter minùs, ac piè reliqui SS. Patres ad vnum omnes, è quibus, si placet, Theofridum Abbatem in hæc verba D. Ioanni Damasceno accinentem audiamus: *Quid apud Deum eorum possint animæ, ar-*

Caluin. Admonit. sape cit.
S. Io. Damasc. lib. 4. Orth. fid. c. 16.
S. Paulin. Natal. 6. & S. Felic.
Theofrid. Abb. serm. 2. de vener. sanctor.

tus exanimatorum corporum ostendunt quotidiè; si quid fortè natura negat, vel improuisus casus in humanis debilitat, ad eorum sepulchra Clementia diuina restaurat: cæcitatem illuminant, gressus consolidant, linguas reparant, aures reserant, dæmonibus imperant, carceres aperiunt, vincula resoluunt, elisos erigunt, iniustos corrigunt, iustos diligunt. Hæc operantur per corpora spiritus, qui diuinis assistunt obtutibus, quid mirum, si possint talia in immortalitatis gloria constituti, qui similia potuerunt sub mortalitatis velamine positi? Et post paucula: *Taceamus*, inquit, *carnem & ossa, dicamus minora, quæ sunt carne inferiora: Exemplum damus de paucis, vt fides dubitantium solidetur in multis. Vmbra curabat Petri quotquot in plateis ponebantur ægroti: Pauli semicinctia expulerunt ab obsessis corporibus dæmonia. Iacobi Sudarium vinctum soluit Philetum. Has virtutes curationum operabantur corporum species, vt intelligat fides credentium, quale sanctorum sit meritum, & quid potuit eorum præsentia, vbi in tanta virtute refulsit absentia.* Hæc, & alia pluribus Abbas piissimus. Quæ cùm ita sint, ecquis nisi cum Caluino hæresiarchicè deliret, audeat Christianorum eximium ardorem in prehensandis, & colligendis sacris pignoribus *stultam cupiditatem* appellare? Illis ergo Lipsanomachis valere iussis, disquiramus quàm ingeniosè auidi fuerint olim Christiani ad Diuorum exuuias auro contrà pretiosas vndequaque conquirendas, & si quidem illas reipsa non possent consequi, quàm sagacibus ingeniosæ fidei & piæ cupiditatis inuentis aliquid saltem eorum loco, quod sacra pignora contigisset, nancisci, studio, quàm poterant maximo, sint enixi, vt si minùs religiosam suam ambitionem explere possent, aliquo certè modo leuarent.

ARTICVLVS PRIMVS.

Piæ pro adipiscendis, & adeptis SS. Reliquiis Christianorum contentiones.

Vix credi potest, quantæ, quámque acres fuerint Christianorum omni æuo contentiones pro venerabilibus Beatorum lipsanis conquirendis, & comparandis, vt nec precibus, nec pretio, nec capitibus suis parcerent, quò illorum saltem aliquâ particulâ potirentur: quinimo pium ardensque ipsorum desiderium, atque contentio in tantam apud Gentiles, & hæreticos adducta sunt inuidiam, vt ne ferre quidem æquo animo, oculôve possent à nostris Martyrum exuuias siue feris, auibúsque carniuoris abiectas, siue in cineres redactas, siue deiectas in mare, siue sparsas in ventos, siue penitissimis terræ visceribus abditas conquiri, colligi, asseruari.

S. Greg. Naz. orat. 4. in Iulian. Cedren. in comp. Annal. in Copron. Niceph. lib. 2. hist. c. 41. Ruffin. lib. 2. hist. c. 28. Eucher. Lugdun. hom.

Quàm impiè Eusebium, Nestabum, & Zenonem inuictissimos Mar-

Sozomen. lib. 5. Eccles. hist. cap. 9.

tyres olim habuerint Gazenses refert in hæc verba Sozomenus : *Postquam eos abundè lacerassent, & capita eorum sic contudissent, vt cerebrum ex illis in terram difflueret, traxerunt eos extra ciuitatem in eum locum, quò bestiarum cadauera proiici solebant, ignéque succenso eorum corpora combusserunt, & ossium reliquias, quas ignis non absumpserat, inter ossa camelorum, & asinorum miscuerunt, ne facilè inueniri possent.* Imperium non tam regente, quàm perdente Diocletiano, Christianæ Religionis infensissimo impugnatore, Nicomediæ in palatio Imperatoris fortè fortuna (vt fit) excitatum incendium (cuius Fideles, suspicione falsissimâ, auctores traducebantur) grauissimæ persequutionis flammas succendit. Hæc ad institutum nostrum præ ceteris opportuna refert Eusebius : *Pueros Imperatorum, cùm post mortem telluri essent sepulturâ competente mandati, denuo effossos, & ipsos Domini in mare proiiciendos esse iudicauerunt, ne quisquam eos, si in monumentis relinquerentur, adoraret, ac Deos esse, sicut de nobis opinabantur,* vt nostri pariter æui stolidè iactitant Hagiomachi, *existimarent.* Eodem inuidentiæ ingenio, vel potius œstro abrepti Ariani Orthodoxorum abs se iugulatorum corpora, suorum execrandis cadaueribus consultò permixta promiscuè contumularunt Mediolani, vt Morigius obseruauit, suoque loco referam, cùm de veris reliquiis à falsis & secernendis erit à nobis disputandum. Sellarium prohibuêre carnifices, ne S. Anastasij Martyris lipsana aliis permixta corporibus secerneret sibique reseruaret, vt annotauit Baronius. Verùm vt extera prætermittamus, illustrissimum do in Lugdunensibus nostris exemplum. *Inaudito sæuitiæ genere* (inquiunt Lugdunenses, & Viennenses laureatis suis ad Asianos, & Prygas datis literis) *eorum qui necabantur in carcere corpora, canibus iubebantur exponi, adhibitâ simul custodiâ diu, noctúque, ne quis collectas reliquias humanitatis intuitu traderet sepulturæ; sed si quid fortè, vel bestiis, vel igni reliquum ex corporibus Martyrum fuerat, ipsáque cum truncis suis capita punitorum insepulta per custodiam militum seruabantur.* Et aliquibus interiectis : *Apud nos,* inquiunt, *ingens luctus habebatur, præcipuè quòd non corpora humi tradere, pro quibus nec noctis tempore aliqua ad hoc opportunitas præbebatur, neque muneribus exorare custodes, neque precibus, aut alio genere, copia erat. Ita attentè, & sollicitè curabant, ne daretur extremis ossibus sepultura.* Verebantur enim, homines dicam? an Dæmonis emissarij? ne Christiani triumphales Martyrum exuuias studiosè collectas religiosis honoribus prosequerentur. Quo honore, vt eos priuarent *incensa ossa Martyrum, & in fauillam redacta cum reliquo terræ puluere in Rhodanum fluuium dispersêre, ne vsquam reliquiæ eorum residerent.* Mari sine dubio, vel hoc vno in paucis nomine, immitericordiores quòd venerabilia Martyrum corpora suo sinu excepta, persæpe (vt de Apphiano martyre Eusebius, & de Martyribus Africanis Victor Vticensis tradidêre) *Illicò, quod contra naturam est æquoris, eâdem horâ illæsa littori reddere maturauit : nec ausum est, vt moris est,*

Euseb. lib. 8. Eccles. hist. cap. 6.

Morig. sanctuar. Mediolan. cap. 4. Infer. lib. 2. cap. 2. art. 1. De S. Blandina Victor Vtic. lib. 3. de persecut. Vand. Baron. tom. 8. Annal. ad ann. 617. Euseb. lib. 5. hist. Eccl. cap. 3.

Euseb. lib. 8. c. 14. Vict. Vtic. lib. 3. de persec. Vandal.

triduanâ dilatione in profundo detinere, ne præcepto Dominico minimè paruisset. Ad quod miraculi genus & ipse tyrannus licet impœnitens(vt fertur)expauit. Atqui hæc fuerunt semperGentilium & hæreticorum erga venerabiles sanctorũ reliquias plusquam ferrea & adamantina viscera,vt nullis (vti audiuisti) Catholicorum muneribus, precibus nullis, nullo ad summam alio vrbanitatis genere se non dicam flecti, sed ne quidem molliri paterentur, vt ipsis per eos liceret inhumatas Martyrum exuuias condere, dispersas colligere, abiectas asseruare, atque adeò volucribus, piscibus, feris, solo, cœlôque conspirantibus intactas ac reuerenter habitas aliquo pietatis genere deuenerari. Verùm (quæ est Christiani, vereque Catholici pectoris fortitudo) fideles,vel cum apertissimo capitum suorum discrimine ad generosam piamque SS.Reliquiarum *venationem* (vt aureâ Chrysostomi vtar voce) semper incubuêre : vix enim Iuuentius, & Maximus glorioso fidei agone defuncti fuerant, *cùm post beatam illam cædem* (inquit sanctissimus Patriarcha) *quidam cum salutis periculo illos optimos rapuerunt, etiam ipsi Martyres viui, vt illorum Reliquias decenter curarent. Nam quamuis non occidebantur, optabant tamen potiùs mori, quàm vt corpora illa relinquerent inhumata, ita ad venationem eorum festinabant.* Cæsarienses se in hac SS. Corporum *venatione* habiles, vt qui maximè, præstiterunt, vt testis est Gaudentius Brixiensis, *quòd cùm cineres exustorum corporum mandato persequutoris in fluuium iacerentur, non defuerunt religiosæ manus, quæ partem cineris, vel facto eriperent,vel pretio compararent.* Parem piorum Monachorum ardorem in colligendis S. Ioannis Baptistæ lipsanis, D. Anselmus ex Ruffino obseruauit,cuius verba exscribere prætermitto.Hæc nimirum fuit ab omni memoria fidelium in huiuscemodi religiosa sacrorum pignorum venatione, ac veneratione contentio : quandiu ab Infidelium impietate ac rabie *martyria desæuierunt, sed in salutem.* Vbi verò persequutionum procellæ detumuêre,non proinde pia illa venerabilium*Reliquiarum venatio* remisit.

S. Chrysost. hom. de SS. Iuuent. & Maximo MM.

Ruffin. lib. 2. hist. cap. 28.

Tertull. scorp. cap. 5.
S. Anselm. in cap. 12. Matth.

Res mira ! adeò non interquieuit fidelium illa venatio, vt non maxima solùm animorum contentione, verùm etiam gladiorum dimicatione nonnumquam ab illis suscepta sit. Peramœnam Pictauos inter, & Turonenses super sancti Martini reliquiis altercationem D.Gregorij Turonensis stylo, velut ex eiusdem ore profectam, audiamus : *D. Martino migrante grandis altercatio inter vtrumque populum surrexit. Dicebant enim Pictaui: noster est monachus, nobis Abbas extitit, nos requirimus commendatum* (rectiùs fortè legeris) *commodatum : sufficiat vobis, quod dum esset in mundo Episcopus, vsi estis eius colloquio, participastis conuiuio, firmati fuistis benedictionibus, insuper & virtutibus iucundati; sufficiant ergo vobis ista omnia; nobis liceat auferre vel cadauer exanimum. Ad hæc Turonici respondebant : si virtutum nobis facta sufficere dicitis,scitote, quia vobiscum positus amplius est,quàm hîc operatus. Nam vt prætermittamus plurima, vobis suscitauit duos mortuos, nobis vnum; & , vt ipse dicebat, maior ei virtus ante Episcopatum fuit, quàm post Episcopatum.*

S.Gregor. Turon. lib. 1. de Mirac. S. Martin.

Ergo necesse est, vt quod nobiscum non impleuit, expleat vel defunctus. Vobis enim est ablatus, nobis à deo donatus. Verùm si mos antiquitus institutus seruatur, in vrbe, qua ordinatus est, habebit Deo iubente sepulchrum. Certè si pro monasterio priuilegium cupitis vindicare; scitote, quia primum monasterium cum Mediolanensibus fuit. His ergo litigantibus sole ruente nox clauditur, corpúsque in medio positum firmatis seris ab vtroque populo custoditur, futurum vt mane facto à Pictauis per violentiam auferretur: sed Deus omnipotens noluit vrbem Turonicam proprio frustrare patrono. Denique nocte mediâ omnis Pictaua phalanga somno comprimitur, nec vllus superfuit, qui ex hac multitudine vigilaret. Igitur vbi Turonici eos conspiciunt obdormisse, apprehensam sancti corporis glebam, alij per fenestram eiiciunt, alij foris suscipiunt, positúmque in naui cum omni populo per Vingennam fluuium descendunt, ingressique Ligeris alueum, ad vrbem Turonicam cum magnis laudibus, psallentióque dirigunt copioso. De quorum vocibus Pictaui expergefacti nihil de Thesauro, quem custodiebant habentes, cum magna confusione ad propria sunt reuersi. Hactenus Gregorius. Non minùs æquè pia ciues inter, & Monachos Leonenses in Armorica pro S. Pauli Leonensis Episcopi recèns vitâ functi corpore possidendo: inter Episcopum, & ciues Leucenses in insula Coc pro linteis, quibus S. Susebiæ Hospitæ corpus obuolutum fuerat, obtinendis: inter Ansoaldum Pictauiensem, & Ermencharium Augustodunensem, & Vindicianum Atrebatensem Episcopos super S. Leodegarij Lipsanis controuersia, & linguarum, & animorum contentio fuit, quam hîc libenter inseruissem, nisi præfinitæ studerem breuitati. Eam tandem à D. Paulo pro suis pignoribus susceptam, & insigni prodigio diremptam videsis apud ipsius vitæ scriptorem perantiquum.

Vit. S. Pauli Leon. §. 7. apud Io. à Bosco Bibl. Floriac. p. 427. Sur. tom. 1. vit. SS. 25. Ianuar. Idem tom. 5. 2. Octob.

Vix autem religiosæ illæ populorum pro Diuorum glebis adipiscendis controuersiæ sola verborum contentione semper ita iactatæ, ac compositæ sunt, quin vetus illud apposite potuerit vsurpari, *ferro geritur res.* Testem habemus Abbatem Theodorum summâ sanctitate, ac perfectâ scientiâ virum, qui apud Cassianum dirissimam carnificinam à Sarracenorum latrunculis in Monachos exercitam commemorans ait: eorum *corpora tam à pontificibus Regionis illius (Palæstinæ is tractus erat) quàm ab vniuersa plebe Arabum tantâ veneratione prærepta, & inter Reliquias martyrum condita, vt innumeri populi è duobus oppidis concurrentes grauissimum sibi certamen indixerint, & vsque ad gladiorum conflictum pro sancta rapina sit eorum progressa contentio, dum piâ inter se deuotione decertant, quinam iustiùs ipsius sepulchrum, ac Reliquias possiderent: aliis scilicet de vicinia commorationis ipsorum, aliis de originis propinquitate gloriantibus.* Multò maiori capitis vitæque discrimine inter populum Assisiensem, & Hugonem eiusdem tunc sedis Episcopum pro transferendo S. Ruffini Martyris loculo orta seditio est; dum ille assereret (inquit Beatissimus Cardinalis Petrus Damiani) *inter sacras Reliquias*, quas possidebat, *& proprium tumulum, diuisionem fieri non debere; hic verò ad Ecclesiam B. Mariæ semper virginis, quæ eò loci prima sedes est, deferendum*

Cassian. collat. 6. cap. 1.

B. Petr. Damian. serm. 36. de S. Ruff. Mart.

rendum esse censebat: eo nimirum consilio, vt quod mater Ecclesia corpus Martyris non haberet, quodam saltem vacui sepulchri solatio compensaret, his atque illis in diuersa nitentibus, crescente iurgio eò vsque processum est, vt furentes arma corriperent, & mutuos inter se ictus amissa confusæ mentis ratione miscerent, vibratis itaque gladiis cominus vtrinque concurritur, & acres ardentibus animis ad infligenda mutuò vulnera debacchantur. Verùm (quæ fuit deprædicanda Dei clementia, & B. Ruffini erga suos Assisienses pietas) medius tumultuantibus interfuit, & ipsorum se telis instar clypei obiiciens, coniectas hinc inde petitiones ita elusit, vt plagam acceperit nemo, neque vel perexigua inter confertam aciem cruoris guttula profusa sit. Ad summam eodem Martyre caduceatore tota miraculo dirempta controuersia est. Etenim sex duntaxat ex omnium ciuium multitudine delecti vrnam è durissimo lapide prægrauem circumplexi ad B. Martyris basilicam, tantâ facilitate, ac celeritate peruexerunt, *vt non lapidem, sed palearum potiùs viderentur fasciculum detulisse.* Sic piissimus Martyr visus est connitentibus ciuibus auxiliares præstitisse lacertos, quos sexaginta perquàm robustis, ac lacertosis hominibus ab Episcopo submissis elisisse comprobauit euentus. Non repeto laudabilem illum Christianorum Orientalium pro consequendis Diuorum Petri, & Pauli exuuiis ambitionem, & cum populo Romano contentionem ex Gregorio Pontifice nuper à me relatam, & mirabiliter de cœlo compositam, atque adeò tonitruis, & fulgetris æternùm sancitam. Aegrè sileo religiosam illam contentionem, quæ Lapidacenses inter, & piissimam matronam Transaliensis agri (vt reor) dominam super S. Lupicini recèns demortui exuuiis intercessit, quod Gallorum nostrorum erga sacras Reliquias, eximiam pietatem præ se ferat, & magis, magisque confirmet; breuitati tamen consultò studens S Gregorium Turonensem laudasse contentus, pluribus exscribere supersedeo sanctissimi scriptoris lepidam enarrationem. Sileo præterea Colonienses pro D. Seuerini Lipsanis recuperandis, cum Burdegalensibus contendentes: satiùs erit ad vltimum dicere non immeritò videri posse tantam eiusdem generis Reliquiarum copiam ex hoc ingenti fidelium erga Diuorum pignora studio, & frequenti pro eisdem consequendis animorum, & gladiorum contentione fuisse profectam. Cùm enim permodicam aliquam sacrorum Lipsanorum particulam, siue vltrò, siue inuitè ab aduersariis aliquando extorsissent, tùm vel miraculorum, quæ ad illa nonnumquam edebantur famâ, vel ab innocenti errore, vel à tolerabili ignorantiâ, rudis plebecula nimiùm sæpe iactabunda se easdem planè reliquias imaginariâ quadam multiplicatione, seu citiùs possessione habitas asseruare venditabat.

Greg. Turon. lib. de vit. SS. Patrum cap. 7.

Quod sanè in rudiore plebecula, & in eiusmodi rebus disquirendis minus sollicitâ non admodum miraberis; si memineris, quâ animorum contentione iam tot annos Cassinenses inter, & Floriacenses super venerabilibus D. Benedicti exuuiis iactata sit controuersia: dum eas singuli totas sibi vendicant. Illam verò Paulus Diaconus, qui in Cassinensi

Baron. tom. 8. Annal. Eccl. ad ann. 664. n. 28.

Cœnobio diem clausit extremum, videtur Baronio ita diremisse, *vt dicat, translata quidem ossa Floriacum; Cassini verò remansisse redactas in puluerem carnes, sicque corpus ipsum S. Benedicti illic esse.* Nolo in hac controuersia euentilanda præsidentior esse doctissimo Cardinali Baronio, cuius hæc verba sunt: *refugit animus tam densum controuersiæ spinetum adire, quod horret vel è longè spectare.* Consulat ergo qui volet Ioannem à Bosco istiusmodi controuersiam in sua veteri Floriacensi bibliotheca bene multis agitantem. Hinc tamen discat, tùm ex diuidua Reliquiarum natura, tum ex religiosa pro sanctorum lipsanis contentione factum esse, vt pluribus in locis eædem Reliquiæ credantur asseruari. *Vtcumque sit* (subdit Eminentissimus Cardinalis) *venerari fideles piè, sanctéque corpus integrum, vbi tenuis tantùm puluisculus habeatur alicuius sancti, quòd eiusdem sit virtutis, cuius & integrum corpus; docet Gregorius Nazianzenus.*

Io. à Bosco Veter. Bibl. Flor.

Cùm ergo ea fuerit Christianorum studiosa in sanctorum Lipsanis conquirendis, comparandis, asseruandisque contentio, ecquis tandem deinceps meritò mirari possit eosdem ardentissimè studuisse Seruatoris nostri Christi Iesu, eiusque sanctissimæ Parentis exuuias, imò ipsorum & locorum, in quibus olim illi adhuc mortales versati sunt, particulas adipisci, atque illis adeptis supra Crœsi diuitias se collocupletatos existimare ac mirum in modum gloriari consueuisse? In hanc rem faciunt hæc B. Theodori Studitæ pro sanctarum imaginum veneratione verba: *Si loca, in quibus editus est Christus, adoranda, atque sancta, & sunt, & dicuntur: ac puluerem inde, aut lapidem nactus, ceu sacrum complectitur thesaurum: quantò magis Christi venerabilis, & adoranda est imago, in qua inest, velut in speculo, qui elucet, atque adoratur. Ea enim est natura imaginis, vt repræsentati gerat faciem.* Sic ille. Hinc factum videmus diuiduas illas Christi, Deiparæ, ac sanctorum reliquias particulatim variis in locis, & templis custodiri, religiosóque ornari cultu. Sed hæc de illis satis. Progrediamur.

S. Theod. Studita catechef. 35.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Frequentes Sanctorum memoriæ à Christianis excitatæ.

Tertull. lib. aduersus Iudæos. c. 4.

MEmoriarum non vna fuit apud antiquos scriptores Ecclesiasticos significatio: Sacrarum paginarum codices, Tertullianus appellauit *memorias*; sed hic significatus ad rem præsentem non facit. Ergo disputationis nostræ accommodatiùs, *memorias* veteribus vocare placuit *ædes sacras*, quòd in memoriam sanctorum, atque imprimis Martyrum Deo Opt. Max. consecrarentur, vt Augustinus clarè testatur. Aliis

Altaria memoriæ ſunt, non ſolùm ob eandem cauſam, ſed etiam quòd ad ſepulchra, ſeu *memorias* ſanctorum, & ſuper venerandas eorum exuuias erigerētur & conſecrarentur altaria, in quibus ſacra fiebant in *memoriam* Chriſti pro mortalium communi ſalute cruci offixo mortuôque. Denique ipſa nominatim Diuorum ſepulchra *memoriæ ſimul, & monumenta* nuncupata ſunt: quam appellationem paſſim vſurpare præ omnibus amauit Auguſtinus quòd ſacri illi tumuli non modò nobis præclara viuorum facinora ſolo ſuo conſpectu in memoriam reuocent; ſed etiam nos futuri nimiùm ſæpe immemores admoneant mortalitatis, necnon & immortalitatis Beatæ. A triplici illa *memoriarum* ſpecie factum non ſemel eſt, vt quia eidem cœliti frequentes variis in locis exædificatæ fuiſſent à Chriſtianis eiuſcemodi Memoriæ, totidem etiam diuerſis locis eiuſdē generis Lipſana ſeruari crederentur: At quonam id euenerit modo inueſtigare neceſſum eſt: ad maiorem verò lucem de ſingulis illis Memoriarum generibus diſtinctè, ac ſeparatim dicam.

S. Auguſt. lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 10. S. Paulin. epiſt. 13. ad Seuer. S. Hieron. adu. Vigil. S. Auguſt lib. cit. c. 9. lib. 6. Confeſſ. cap. 2. epiſt. 64. & alibi Concil. Carthag. 5. cap. 14. Capitular. Caroli Mag. lib. 1. §. 42.

SECTIO PRIMA.

Prima Memoriarum ſpecies, Templa.

PRincipio certum eſt eueniſſe aliquando, vt in quibuſdam locis ſacris aſſeruari Diuorum Reliquias fama ferret, vbi reipſa eſſent nullæ. Suâmet experientiâ edoctus his verbis conteſtatur D. Gregorius Turonenſis: *Erat oratorium apud vrbem Turonicam, ab antiquis eius* (id eſt S. Stephani Protomartyris) *nomine dedicatum, quod nos parumper iuſſimus prolongari. Quod cùm factum fuiſſet, altare, vt erat integrum, in antè promouimus: requirentes verò In loculo nihil de pignoribus ſanctis, quod fama ferebat, reperimus.* Vnde verò illud? an quia furtim ſublatæ fuiſſent Reliquiæ? de quibus furtis alio loco opportunior erit dicendi locus. An quia perſæpè cenotaphia, & honorarij tumuli Martyribus honoris, ac pietatis ergò à Chriſtianis olim poni conſueuerant? Erit & alibi de his agendi occaſio.

S. Gregor. Turon. lib. 1. de glor. Mart. c. 33.

Nihilominus tamen Baſilicas, oratoria, & ſacras ædes (quas *memorias* fuiſſe dictas præmonuimus) nefas quondam erat ſine ſanctorum Reliquiis conſecrare, quod veterum teſtimoniis vſque eò compertum eſt, vt ſuperuacaneum ſit horum verbis has paginas opplere, vnde non pauci eruditione præſtantes viri in ea fuêre ſententia, vt crederent adeò Diuorum pignora eſſe de ſubſtantia conſecrationis templorum, (vt loquuntur Theologi) vt ſine illis nequeant ſanctè ritéque conſecrari. Audiamus Patres Conſcriptos tùm ſeptimæ Synodi, tùm Africani Concilij: *Qui templum conſecrat* (inquiunt illi) *ſine ſanctis Reliquiis, deponatur, vt qui Eccleſiaſticas traditiones tranſgreſſus ſit.* Vt verò eâ fuerunt ſanctiſſimi quique Patres erga traditionem illam Eccleſiaſticam & Diuorum

Azor. lib. 10. Inſtit. Moral. c. 2. Turrecr. Card. placuit de Conſecr. diſt. 1. Durand. lib. 2. Rat. c. 7. n. 23. Durant. lib. 1. de rit. Eccl. c. 4. n. 5. Sept. Synod. c. 7. Concil. Afric. c. 50.

pignora religione, vt numquam antè fuerint ausi Ecclesiam diuino Numini dedicare, quàm nacti fuissent Reliquias, quibus eam pro veteri instituto adornarent. *Magna differentia est*, inquit Theodorus Balsamon, *inter Ecclesias consecratas per encænia, apertiones, enthroniasmum, sacri vnguenti vnctionem, & collocationem sanctarum Reliquiarum Martyrum; & eas, quæ sic sanctificatæ non sunt*. Ea in sententia fuisse Græcos, Pauli Diaconi hæc verba, imò & Menæ factum clarè commonstrant. *Facta sunt encænia sanctorum* (inquit) *apud Constantinopolim; & recondita sunt lipsana Andreæ, ac Lucæ Apostolorum, & transiit Menas Episcopus cum sanctis lipsanis, sedens in carruca aurea Imperatoria, lapidibus insignita, tenens tres thecas sanctorum Apostolorum in genibus suis, & ita encænia celebrauit*. Sic ille iuxta Græcorum sensum & mores. Multis tanquam vno ore, D. Ambrosium interpellantibus, & ad Ecclesiam consecrandam, & dedicandam importunè vrgentibus respondit: *Faciam, si Martyrum Reliquias inuenero*. Sulpitius Seuerus veritus Basilicam à se conditam antè dedicare, quàm aliqua sanctorum Lipsana fuisset consequutus, S. Paulinum rogatum miserat, vt, *si vel scrupulum sancti cineris haberet* (*quod ad Basilicam dedicandam necessarium erat*) *dono daret*, cui ille: *Inuenimus*, inquit, *quod dignè, & ad Basilicæ sanctificationem vobis, & ad sanctorum cinerum cumulandam benedictionem mitteremus; partem particulæ de ligno diuinæ crucis, quod nobis bonum benedicta Melania ab Hierusalem munere sancti inde Episcopi Ioannis attulit*. Post aliqua de Fundana Basilica *dedicationi proxima* disserens, sic ait: *Hanc quoque Basiliculam de benedictis Apostolorum, & Martyrum Reliquiis, sacris cineribus in nomine Christi, Sanctorum Sancti, & Martyrum Martyris, & Dominorum Domini consecrabunt*. Eodem pietatis œstro afflatus S. Gregorius Turonensis Basilicam consecraturus, *sancti Eufronij Reliquias* (inquit) *cum Saturnini, Iulianique Martyrum, vel etiam B. Illidij exinde solemniter radiantibus cereis, crucibusque admouimus*. Verùm nemo melius hanc de sacrarum Reliquiarum ad basilicas consecrandas necessitate controuersiam diremisse videri potest, quàm summus rerum Ecclesiasticarum arbitrer, & interpres S. Gregorius alter, Pont. Maximus præclaro illo, & generoso facinore, quod ipsius stylo referre, cum Ioanne Diacono non grauabor. *Cum Arianorum Basilica in regione vrbis huius, quæ Saburra dicitur, clausa ad Gregorij Pontificatus tempora remansisset, placuit ei, vt in fide Catholica introductis illuc S. Stephani, & S. Agnetis Martyrum reliquiis dedicari debuisset, quod factum est*. Tùm vix sacra diuorum pignora in templum illud inuecta fuisse memorat, cùm porcus inde per adstantium pedes confestim se proripuit, *vt cunctis patesceret, quia veniente cum Reliquiis sanctorum Gregorio, de loco eodem immundus habitator exiret*. Hæc & alia plura narrant prodigia citati auctores.

Balsam. lib. 1. Resp. cap. 38. — *Paul. Diacon. in Iustiniano.* — *D. Ambros.* — *S. Paulin. epist. 11. ad Seuer.* — *Idem, epist. 12.* — *S. Greg. Turon. de glor. Confess. cap. 20. & 23.* — *Io. Diar. lib 2. vit. S. Greg. c. 31.* — *Canon. Arianorum dist. 1. de consecrat.*

Imò illi ipsi, qui oratoria & basilicas pietatis ergò Martyribus, Confessoribusve posuerant, nihil habebant antiquius, quàm, vt summo studio sacras eorum glebas, aut glebarum particulas consequi satagerent,

quibus à se extructa martyria, templáque dedicarent, ornaréntque. In quam rem S. Gregorius Turonensis hæc in S. Martini commendationem enarrat. *Eo tempore quo talia*, hoc est, frequentissima, quæ præmiserat miracula, *apud vrbem Turonicam gerebantur, legati de Hispanis, Florentius, & Exuperius ad Chilpericum Regem veniebant. Quos cùm ad conuiuium Ecclesiæ recepissent, epulantibus nobis, eò quòd se assererent Catholicos: Florentius, qui erat ætate senior, sollicitè flagitat aliqua de Beati viri virtute cognoscere. At ego Deo gratias agens interrogo si vel nomen eius in illis regionibus audiretur, vel vita illius legeretur ab aliquo. Hæc me interrogante, ait: In illis locis magnificè honorari nomen eius, sed & se peculiarem alumnum Antitistis narrat, dicens super se magnam eius virtutem ostensam fuisse: Auus, inquit, meus ante multorum curricula annorum Basilicam construxit in honore B. Martini. Perfectâque, ac eleganti opere exornatâ, Turonum clericos Religiosos destinat, expetens Pontificis Reliquias, vt scilicet locum, quem in eius nomine ædificauerat, eius reliquiis consecraret. Quod cùm fecisset, per singulos dies veniebat, & prostratus solo, cum coniuge, sancti Pontificis auxilium implorabat.* Reliqua breuitatis causâ exscribere supersedeo. Idem refert inuitatum se à Cardegisilo Sanctonicæ vrbis ciue, cognomento Gysone, à quo hospitio perhumaniter exceptus fuerat, *ad oratorium, quod mater eius ædificatum B. Martini reliquiis consecrarat.* Mitto ex eodem recensere Palladium eiusdem vrbis Antitistem *huius sancti Confessoris reliquias petiisse: construxerat enim in eius honore Basilicam, quam his pignoribus consecrauit, meruitque suscipere miracula, quæ sæpius vrbs habet experta.* Prætermitto quàm plurima eiusdem generis exempla, quæ passim apud Surium, & eumdem S. Gregorium occurrunt: ex quo velim ediscas, quanti beneficij, & gratiæ diuinæ sit, sanctorum pignoribus oratoria, & Basilicas habere locupletata, vel ex hoc vno facinore, atque supplicio. Cùm S. Nicetij Lugdunensis Episcopi recèns vitâ functi testamentum pro more Romano *turbis circumstantibus reseratum, recitatúmque fuisset*, inquit Beatissimus Antistes, *Presbyter quoque Basilicæ, tumens felle, quod nihil loco illi, in quo sepultus fuerat reliquisset, ait: Aiebant semper plerique stolidum fuisse Nicetium, nunc ad liquidum verum esse patet, cum nihil Basilicæ, in qua tumulatus est, delegauit.* O sacrilegæ mentis auaritiam! O verba quibus non suppliciis expianda! *Sequenti autem nocte apparuit presbytero, cùm duobus Episcopis, id est, Iusto, atque Eucherio in veste fulgenti, dicens ad eos; Hic presbyter sanctissimi fratres, blasphemiis me obruit, dicens: Quia nihil facultatis scripserim Templo huic quo requiesco; & nescit, quia quidquid pretiosius habui, ibidem reliqui, id est, glebam corporis mei. At illi dixerunt, Iniustè fecit, vt detraheret seruo Dei. Conuersúsque sanctus ad presbyterum, pugnis palmísque guttur eius inlisit, dicens: Peccator conterende, desine stultè loqui. Expergefactus autem presbyter, tumefactis faucibus, ita doloribus coarctatur, vt ipsas quoque saliuas oris vix cum labore posset maximo deglutire. Vnde factum est, vt per dies quadraginta lectulo decubans graui-*

S. Greg. Turon. lib. de mirac. S. Mart. cap. 8.

Idem. ibid. cap. 51.

Idem. lib. 4. de mirac. S. Martini c. 8.

Idem. in vit. S. Nicetij.

ter cruciaretur: sed inuocato Confessoris nomine sanitati redditus, numquam ausus est ea verba, quæ prius præsumpserat, garrulare. Hactenus S. Antistes.

Ex quibus omnibus, aliisque SS. Patrum testificationibus non immeritò confici potest ad Ecclesiarum consecrationem secundùm essentiam pertinere, venerabiles sanctorum exuuias, quandoquidem illas necessarias (quâ voce vsus est S. Paulinus) siue cum Reliquiis dedicari debuisse, vt dixit B. Gregorius, & Episcopus & Pontifex maximus. Et si fortè cuipiam hæc minora videbuntur, veniat in mentem Depositionis, quâ Patres septimæ Synodi eos mulctandos voluêre, qui sine sanctorum Reliquiis templum aliquod consecrare attentassent. An tibi tam grauis pœna pro nihilo est? vt non nisi propter lethale admissum crimen infligenda foret. Pium hunc, & perantiquum Ecclesiæ morem, ac ritum, Deus, ipsique Cœlites sibi esse longè acceptissimum illustribus prodigiis significarunt. Testem omni exceptione maiorem produco Hincmarum, Rhemensem Archiepiscopum, Cuius hæc verba sunt: *Cùm funus sanctissimum* S. Remigij *deferretur ad sepulturam, versùs Ecclesiam S. Christophori Martyris in loco vbi ex tunc & nunc crux est posita, & vbi multa miracula Deus postea pro S. Remigio ostendit: ita feretrum est aggrauatum, vt nullo modo quocumque ingenio, vel à quantiscunque hominibus posset moueri. Et stupentibus omnibus, & petentibus Dei omnipotentiam, vt dignaretur ostendere in quo loco eiusdem sui sancti corpus vellet reponi. Designauerunt ad Basilicam præfatorum Martyrum & feretrum moueri non potuit. Proposuerunt, vt ferretur ad Ecclesiam S. Nicasij, & moueri non potuit. Proposuerunt vt ferretur ad Ecclesiam SS. Sixti & Sinicij, & nec sic moueri potuit. Tandem coacti quoniam parua Ecclesiola erat, in honore B. Martyris Christophori, sed nullum corpus nominati sancti in ea iacebat, & in qua, eique circumiacentibus atriis ex antiquo erat cœmeterium Rhemensis Ecclesiæ: Petierunt vt Dominus declararet, si in eadem Ecclesiola vellet illud corpus sanctissimum poni; & sic tantâ facilitate motum est feretrum, vt nullum onus portantes sentirent; sepultum est autem illud venerabile corpus in eadem Ecclesiola, vbi altare est in honore S. Genouefæ, quæ familiarissima extitit B. Remigio.* Credas Antistitem Beatissimum docere voluisse perægrè se ferre vnicam illam Ecclesiolam SS. lipsanis viduatam quodammodo esse contemptui, & manere ingloriam. Vt vt sit, hoc certè vnum ex dictis constat nullas Diuorum memorias ritè dedicari posse, quin sacris pignoribus tanquam pretiosissimo instructu, pro more veteris adornetur. Denique Leo Imp. Sanctorum Lipsana vetuit in locis ad voluptatem comparatis, sed in templis reponi iussit. Cæterùm quibus verbis denuntiatio, cùm Reliquiæ ponendæ sunt martyrum, ab Episcopo ad populum facienda sit, vide sis apud ordinem Romanum quam breuitatis ergò hîc exscribere prætermitto. Malim te monitum Cœlites, quibus Basilicæ positæ, ac dicatæ fuerant, *Dominædios* appellatos fuisse; Præ omnibus veteris æui scriptoribus D. Paulinus amauit hac voce vti, vtpote

Hincmar. in vit. S. Remig. apud Surium tom. 1. 13. Januar.

Petr. Greg. lib. 2. Synt. iuris. cap. 12.

Ordo Roman.

vtpote à se fortè composita; neque sanè tam malè, ac ineptè, quòd à positis inibi sacris pignoribus in possessionem earum ædium sancti missi fuissent. Ausculta Paulino Seuerum per literas in hæc verba blandè alloquenti: *Eritne quæso tempus illud, & illucescet aliquando dies, quo fraternitatem tuam comite Electorum cohorte venientem, in gremio iam communis patroni, Dominædij mei Felicis excipiam?* Felicem Nolanum, infit in hunc locum noster Rosueydus, *vocat Dominædium quasi Dominum ædis, seu Basilicæ Nolanæ*; in qua scilicet Basilica beati Felicis exuuiæ sitæ, cultæque seruabantur. Aliis ex aliis cum eodem scholiaste Paulinianis locis hanc *Dominædij* significationem confirmare facillimum esset, at cui bono? cùm hæc paucula raptim attigisse abundè sit.

S. Paulin. ep. 1. ad Seuer.

Rosueyd. in loc. cit.

SECTIO SECVNDA.

Secunda Memoriarum species Altaria.

AN idem de altaribus, & de Basilicis sentiendum? vnum idemque omnino; si Syluestrum, Tabienam, Azorium, Durantum, aliósque quàmplures canonici iuris pertissimos audire placet: quin verò placeat? cùm multa sint eius sententiæ firmamenta fautorésque, quibus itidem vt oraculis credas? Annon oraculi instar tibi sit pulcherrimus ille canon Concilij Carthaginensis, nomine tenus quinti, ordine tamen temporis? tertij. *Placuit, vt altaria, quæ passim per agros, & vias tamquam Memoriæ Martyrum condita probantur, ab Episcopis, qui eisdem præsunt locis, si fieri potest, euertantur: Si autem propter tumultus populares non sinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa Loca frequentent, vt qui certè sapiunt nullà ibi superstitione deuincti teneantur. Et omnino nulla Memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus aut aliquæ certæ Reliquiæ sint, aut ibi originis alicuius habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissimâ origine traditur. Nam quæ per somnia & per inanes quasi reuelationes quorumlibet hominum vbique constituuntur altaria, omnimodè prohibentur.* Idem totidem verbis à Concilio Africano præceptum, atque de integro sancitum inuenies. En alterum tibi oraculum à D. Gregorio magno ad Mellitum scribente fusum, quo illi præcepit, vt suo nomine renunciet Augustino Anglorum Episcopo, *quia fana idolorum destrui in ea gente minimè debeant, sed ipsa quæ in eis sunt idola destruantur. Aqua benedicta fiat, in eisdem fanis aspergatur, altaria construantur, Reliquiæ ponantur.* Tum præscribens illis modum quo Gentilium solemnitates, ab ipsis possent suauiter immutari, *Die dedicationis*, inquit, *vel natalitia Martyrum, quorum illic Reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa easdem Ecclesias quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conuiuiis celebrent.* Aurésne doctissimo Augustino

Sylu. verb. Altare. Tabienna eodem. Azor. lib. 10. institut. moral. cap. 27. quæst. 8. Durant. lib. 1. de rit. Eccl. cap. 25. Scortia lib. 2. de sacros. Miss. sacrif. c. 14. &c. quos citant.

Cõcil. Carth. 5. vel potius 3. cap. 14.

Concil. Afric. c. 50. Can. placuit. dist. 1. de Consecr.

S. Greg. Magn. lib. 9. ep. 71. & lib. 5. ep. 150. & alibi.

S. Aug serm. 11. de Sanctis. gustino peroranti occludas? minimè gentium vt quidem reor. Is ergo Martyrum primitiis, sanctis inquam Innocentibus, Epinicium canens in hæc verba fatur: *Videte quem iidem locum apud homines mereantur, qui apud Deum locum sub altario meruerunt: dicit enim sacra scriptura,* *Apoc. cap. 6.* *vidi sub ara Dei animas occisorum propter verbum Dei & propter testimonium Iesu quod habebant. Sub ara, inquit, Dei vidi animas occisorum? quid reuerentius? quid honorabilius dici potest? quàm sub illa ara requiescere, in qua Deo sacrificium celebratur, in qua offeruntur hostiæ, in qua Dominus* *Psalm. 109.* *est sacerdos, sicut scriptum est: tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Rectè sub altario iustorum animæ requiescunt, quia super altare corpus Christi offertur. Nec immeritò illic iusti vindictam sanguinis postulant, vbi etiam pro peccatoribus Christi sanguis effunditur. Conuenienter igitur & quasi pro quodam consortio, ibi Martyribus sepul-* *1. Cor. cap. 11.* *tura decreta est, vbi mors Domini quotidie celebratur, sicut ipse ait, quotiescumque hæc feceritis mortem meam annunciabitis, donec veniam; scilicet vt, qui propter mortem eius mortui fuerant, sub sacramenti eius mysterio requiescant. Non immeritò, inquam, consortio quodam illic occisis tumulus constituitur, vbi occisionis Dominicæ membra ponuntur, vt quos cum Christo vnius passionis causa deuinxerat, vnius etiam loci religio copularet.* Hæc ille acutè omnino, & piè: nobis enim primùm hîc aperit, & quodammodo digito commonstrat originem, vnde tam religiosa consuetudo dimanarit. Deinde nos edocet, quàm congruenter rectæ rationi Diuorum exuuiæ sub altaribus, imò & sub cruce altaribus imposita reconderentur, vti sanctus Paulinus his versibus cecinit:

S. Paulin. ep. 11. ad Seuer. & ep. 12. Natal. 8. S. Felic.

Diuinum veneranda tegant altaria fœdus,
Compositisque sacra cum cruce Martyribus.
Cuncta salutiferi coëunt insignia Christi,
Crux, corpus, sanguis Martyris, ipse Deus.

Cur verò sanctorum Martyrum lipsana, cineresve cum cruce in altari sociarentur, post vnum aut alterum versum sic explicat:

Sic vbi crux, & Martyr, ibi quà martyr, ibi & Crux,
Martyrij sanctis, quæ pia causa fuit

Alteram post paulò rationem eiusdem rei tradit in hunc modum:

Quàm bene iunguntur ligno crucis ossa piorum,
Pro cruce, vt occisis, in cruce sit requies.

Plura piæ illius consuetudinis, quæ beatorum cœli ciuium pignora sub cruce, & sub aris composita solent condi, si voles firmamenta, vi-*S. Ambros. ep. 85. & lib. exhort. ad Virg. S. Hieron. adu. Vigilant. Prud. hym. 2. Greg. Turon. in vit. S. Hillidij.* desis testes locupletissimos Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Prudentium, Gregorium Turonensem, Sozomenum, Paulinum citatum, alióſque non paucos rerum Ecclesiasticarum tractatores, qui in hoc argumento eruditè versati sunt. Eodem modo philosophandum de altari portatili vt vocant, quòd mutari seu portari ac deferri ab vno in alium locum possit, & soleat, vnde & *viaticum* aliquando nuncupatum leges: de quo pluribus eruditissimus Durantus egit. Non me tamen fugit grauissimos Theologos in contraria fuisse sententia imprimis,

mis, Sotum, Suarem, Angelum, Astensem & alios quamplures qui à Scortia, & reliquis citantur. Verùm multò verosimilior affirmantium mihi videtur esse opinio tùm propter allatas superiùs rationes, tùm propter antiqua Pontificum Felicis, & S. Damasi, & Syluestri decreta, qui supra sepulchra Martyrum augustissimum Missæ sacrificium celebrari præceperunt. Perplacet ratio quam Angelicus Doctor affert propter quam in consecratione altarium includi reliquias, Maiores nostri ab Heroicis illis Apostolorum temporibus voluerunt, quia scilicet *sanctorum vita abscondita est cum Christo, totius sanctitatis fonte, in Deo.*

S. August. serm. 256. Sozom. lib. 5. cap. 8. Durant. lib. supr. cit. Canon. vlt. de priuil. in 6. Scortia supr. cit.

Felix. 1. epist. 2. ad Episc. Gall.

Damas. Concil. Rom.

S. Thom. 4. sent. dist. 13. quæst. 12. art. 3. ad 6.

Coloss. cap. 2. v. 3.

Quare Beatorum exuuiæ vsque eò videntur esse necessariæ ad consecrationem altarium, vt meritò propterea quærat nonnemo, an aliquo in templo, vel arâ, vbi venerabiles alicuius cœlitis reliquiæ fuerint collocatæ, altius aliquod aliud altare sine vllis planè lipsanis ritè superimponi possit? Cuius difficultatis nodum hìc placet soluere non meis, sed viri doctissimi Azoris nostri verbis, quandoquidem in eius sententiam pedarius eo: pro vtroque, si placet, audies perorantem: *Respondeo,* inquit, *esse distinguendum: aut altare superponitur ita, vt aliqua ex parte coniungatur loco, in quo sunt Reliquiæ repositæ, & tunc non est necesse alias Reliquias in altaris consecratione reponere, quia hoc ipso, quòd superpositum altare cum loco reliquiarum aliqua ex parte cohæret, vnum cum eo iure censetur: vt si ex loco reliquiarum columnæ erigantur, quibus altare superimponitur. Aut altare nullâ ex parte cum loco Reliquiarum coniungitur, & tunc sine aliis reliquiis consecrari iure non potest, quia est omnino à loco Reliquiarum seiunctum.* Addiderim & ego vnum, videlicet id minimè tentandum esse, cùm haberi possunt sacra pignora, tùm ad maiorem securitatem, tùm ad religiosiorem sacrorum canonum reuerentiam. Denique ob antiquissimæ consuetudinis, simul & sanctorum venerationem.

D. Greg. Turon. lib. 1. de glor. MM. cap. 49.

Azor. supr. cit. loco.

SECTIO TERTIA.

Tertia Memoriarum species: Tumuli.

SVperest vt de tertiâ *Memoriarum* specie nonnihil disseramus. Ea verò, vti præmisimus, Martyrum sepulchra sunt, propter quæ olim excitabantur altaria, non quidem ad imitandam Paganorum consuetudinem, sed potiùs ad eam sanctiori religione expiandam, vel potiùs auerruncandam funditus. Etenim apud illos in moribus receptum erat propter honoratiorum, ac Principum virorum tumulos, duas vel plures aras aliquando consecrare: alias quidem demortui Manibus, alias verò Diis. Bucolico suo epicedio Menalcas ille Virgilianus amanter, ac suauiter deplorans mortem Romani cuiusdam, è prima

nobilitate viri (incertum cuiusnam) hunc morem attingit peregregiè, cùm Daphnidem, Deum recens factum, sic inuocat:

Virgil. eclog. 5.

Sis bonus, ô! felixque tuis. En quattuor aras,
Ecce duas tibi, Daphni, duóque altaria Phœbo.

Idem. lib. 3. Æneid. v. 63. & 303.

Idem ab Ænea Polydori manibus, & ab Andromache Hectori suo anniuersarias inferias instaurante præstitum Maro cecinit in hunc modum:

Ante vrbem in luco, falsi Simoëntis ad vndam
Libabat cineri Andromache, manésque vocabat
Hectoreum ad tumulum: viridi quem cespite inanem,
Et geminas, causam lacrymis, sacrauerat aras

Hæc Gentiles. At verò Christiani diuiniore afflati spiritu prope Memorias Martyrum altaria Deo ponere consueuerant, siue, vt nefandam illam Ethnicorum impietatem expiando extinguerent, extinguendóque expiarent; siue, vt Deo Martyriorum Agonothetæ Martyrúmque Athlothetæ, ac coronatori, Eucharisticas, ac triumphales hostias libarent, quod ex his Prudentij verbis colligo:

Prudēt. hymn. 11. de S. Hippol.

Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis,
Propter vbi apposita est ara dicata Deo.
Illa sacramenti donatrix mensa, eadémque
Custos fida sui Martyris apposita.

S. Greg. Turon. in vit. S. Senoch. Abb.

Quod etiam significant, vt præ se ferunt, ista S. Gregorij Turonensis verba: *Post hæc sepulturæ locatus,* B. Senoch Abbas, *sæpius se manifestis virtutibus declarauit. Nam trigesimo ab eius obitu die, cùm ad eius tumulum Missa celebraretur, Caidulphus quidam contractus, dum stipem postulat, ad eius sepulturam accedit, qui dum pallam superpositam osculis veneratur, dissolutis membrorum ligaturis directus est.* Similia tum apud eumdem Diuum Gregorium, tùm apud alios scriptores Ecclesiasticos exempla passim legere est.

S. Hieron. aduers. Vigilant.

Aliàs ipsamet monumenta in aras vertebantur, vt hæc S. Hieronymi docere videtur oratio Vigilantium alloquentis: *Malè ergo facit Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum, Petri, & Pauli, secundum nos ossa veneranda; secundum te vilem puluisculum, offert Domino sacrificia, tumulos eorum arbitratur altaria.* Communiùs tamen super Martyrum tumulos altaria erigebantur, vti factum ad D. Petri Apostolorum Principis sepulchrum lego apud laudatum Turonensium Antitistem, Vaticanam Basilicam describentem: *Hoc enim sepulchrum,* inquit, *sub altari collocatum valde rarum habetur, sed qui orare desiderat, reseratis cancellis, quibus locus ille ambitur, accedit super sepulchrum,* &c. quò etiam allata proximè Diui Hieronymi verba, si voles, trahe, per me licet. Clarissimè Prudentius inuictissimæ Martyris Eulaliæ triumphum describens, inter reliqua sic cecinit de pæane dactylico à se scripto:

Greg. Turon. lib. 1. miracul. cap. 28.

Prudent. hym. 3. de S. Eulal.

Sic venarier ossa libet,
Ossibus altar & impositum.

Et

Et de suo ad D. Cassiani Martyris sepulchrum aditu, & supplicatione: *Idem. hymn. 4. & 9. de S. Cass.*

Pareo, complector tumulum, lacrymas quoque fundo,
Altar tepescit ore, saxum pectore.

Hæc ex aliis eiusdem vatis Christiani locis abundè sit delibasse.

Ceterùm duo fuêre venerabilium huiusmodi *Memoriarum*, seu sepulchrorum genera; vnum eorum, quibus vel totæ, vel saltem ex parte Martyrum exuuiæ compositæ reipsa condebantur; Alterum eorum, quibus sacrorum pignorum intrinsecùs erat nihil; quos tumulos à græcis κενοτάφια vocari mos est: *Tumulum inanem*, vt audiuisti, reddidit Virgilius: *Honorarium* Suetonius: quod absente demortui cadauere honoris causâ tanquam præsenti excitabantur, vt circa illum solemni ritu iusta persoluerentur. *Sueton. in Claud.*

Illud autem apud Gentiles tralatitium fuisse litteratorum nemo non nouit, vti & apud Christianos, sed alio ab illis fine, aliâ fide, aliâ prorsus religione. Quidni verò nostri id honoris genus Martyribus, ceterisque mortalibus cœlo inter immortales donatis religiosè deferrent, quod Gentiles mortalibus æternùm in inferno sepultis persoluerunt? *Si quos perplexos tenet*, inquit Dionysius Halicarnasseus, *quod Æneæ sepulchra narrantur, & ostenduntur multis in locis, cùm vnus, & idem in pluribus locis sepultus esse non possit: secum animo reputent, hanc sibi dubitationem cum multis esse communem, præsertim, de iis, qui illustri fuêre fortuna, & qui vagam & instabilem errabundi vixêre vitam, & intelligant, etsi vnus locus ipsorum capit corpora, apud multos tamen eis monumenta apparata sunt in gratiam acceptæ cuiuspiam vtilitatis: præcipuè si superessent Reliquiæ gentis, aut aliquod oppidum conditum, aut sicubi diuturniore vsi hospitio humanos se in hospites suos exhibuissent, qualia de hoc Heroë narrarunt fabulæ.* Tùm enarratis aliquot præclaris, & insignibus humanitatis ab ipso editis facinoribus: ait eum multis in locis *sibi hominum conciliasse beneuolentiam, quâ factum est, vt postquam inter mortales esse desiit, multis in locis, sepulchris, & monumentis honoratus sit: alioqui non facilè causam attuleris, cur tot eius per Italiam extent monumenta.* Hactenus Dionysius: prudenter omninò, &, de Gentilium laudabili hac in parte consuetudine, disquisitioni nostræ congruenter. Faciunt, & ad eam confirmandam satis frequentes veterum marmorum inscriptiones, quæ primo versu habent (*ob honorem*) quibus verbis, vti noster annotauit Pontanus, significare volebant Romani, aliæque nationes secundum ipsos, atque ex ipsorum moribus, tumulum illum, *nudum, & inane Cenotaphium*, esse honoris causâ exædificatum: & erunt aliqui deinceps, qui parem, vel potius sanctiorem grati, ac religiosi animi erga Cœlites exhibitam significationem in Christianis cœlestia doctis ferre non possint? Quod quàm sit ab omni ratione alienum, memini me olim ex Baronio dicere. Egregij (si Diis placet) viri, præ quibus nullus sit Augustinus: cuius hæc oratio est ad rem, quâ de agimus, perquàm opportuna. *Vt audiat vestra,*

Dion. Halicarn. lib. 1. pag. 43. edit. Græcolat.

Pontan. in lib. 3. Æneid. v. 304.

Supr. cap. 2. art. 9.

S. August. serm. 32. de diuers.

vestra ; multum miror, & gaudeo vobis esse concessum, quoniam iste homo, nec Anconæ curari potuit, imò curari potuit ; sed propter nos factum non est, quia facillimè fieri potuit. Sciunt multi quanta miracula per beatissimum Martyrem Stephanum in ista ciuitate fiant. Et audite quod miremini : Memoria eius antiqua ibi erat, & ipsa est ibi. Sed fortasse dicis : Corpus eius nondum apparuerat, Memoria ibi vnde erat ? Latet quidem causa. Sed quid ad nos fama pertulerit, non tacebo charitati vestræ. Quando lapidabatur S. Stephanus aliqui etiam innocentes & maximè de iis, qui iam in Christo crediderant, circumstabant : Dicitur lapis venisse in cubito, & excussus inde venisse ante quendam religiosum. Tulit illum, & seruauit. Homo erat de nauigantibus ; sors nauigationis attulit illum ad littus Anconæ, & reuelatum est illi, ibi debere reponi lapidem illum. Ille obediuit reuelationi, & fecit quod iussum est. Ex illo cœpit esse & Memoria S. Stephani vbi est, nescientibus hominibus, quid contigisset. Audistin' positam fuisse Protomartyri memoriam, cùm nihil in ea sacræ illius glebæ extitisset : imo antè multò, quàm ipsius corpus apparuisset ? Honorarius enimverò tumulus erat, quem in honorem & gloriam Christi Athletæ construxerant Anconæ Christiani : neque tamen existima inibi tantùm excitatam fuisse inanem B. Stephano memoriam ; alibi enim ante positam aram docent apertissimè isthæc D. Martialis Apostolorum discipuli verba : *Dum altaria Dæmonum in puluerem redigerentur, aram ignoti Dei ad consecrationem reseruari iussimus, quâ dedicatâ in nomine Dei Israël & ipsius testis Stephani, qui pro eo à Iudæis passus est ; non hominis cultum, sed Dei in ea frequentatis. Stephanus enim non Deus sed amicus Dei fuit, qui pro testimonio eius animam suam posuit, cuius sanguine ipsa mensa decorata est.* Quin Beatissimo protomartyri honorarius tumulus poneretur, cuius honori secundum Deum à nascentibus Ecclesiæ cunabulis, ipsimet Christi, & Apostolorum Discipuli (vt beatum Martialem ferunt) iampridem altare erexerant ?

S. Martial. epist. ad Burdegal.

Veruntamen ne inanes penitus & vani huiusce *tumuli honorarij* remanerent, Catholici dabant operam, quàm poterant studiosissimè, vt vel puluerem Martyrum cruore imbutum, vel puluerem sepulchrorum, quibus Sanctorum composita corpora claudebantur, vel puluisculum iisdem Mausolæis circumfusum, vel saltem situm ipsum venerabilium Memoriarum, (quo situ, vt plerumque fit, obducuntur) multâ prece consequerentur, quem puluerem, sitúmve honorariis huiuscemodi monumentis reconderent, cùm nihil è sacris Diuorum exuuiis extorquere potuissent : Quodque suspicias magis (quæ tùm erat Christianorum aduersùs sacrosanctas reliquias fides) Deo ipsorum pietati, & fidei misericorditer obsecundante, tùm inanes illi tumuli, tùm puluisculus, ac situs ipse, intra illos conditus eâdem patrandorum miraculorum facultate, ac ipsamet Diuorum lipsana pollentes, ac potentes frequenter extiterunt. Duo hîc in medium adduco, quæ ne videar temerè, ac gratis effutiisse, operæ prætium duco singula vete-

rum scriptorum auctoritatibus breuiter confirmare.

Primò quidem puluerem, sitúmque ipsum sacrorum tumulorum summo studio à Christianis olim fuisse conquisitum, collectúmque, vt Cenotaphiis, aut lipsanothecis in Beatorum honorẽ fabrefactis abderent, testis omni exceptione maior est S. Gregorius Nyssenus, qui luculentà oratione præclarè venerabilium lipsanorum honorem deprædicans, Christianum aduenam pietatis ergò, S. Theodori Basilicam ingressum describit: ad totius fabricæ magnificentiam primùm, tum ad laureata inuicti Martyris certamina, erudito pictoris penicillo, totis circum parietibus expressa, denique ad tessellati pauimenti elegantiam, ac venustatem insolenti admiratione defixum atque suspensum: *His igitur*, inquit, (nam verba Gregorij do) *arte laboratis operibus, quæ sensui exposita sunt, vbi oculos oblectauit, cupit deinceps etiam ipsi conditorio appropinquare, sanctificationem, ac benedictionem, contrectationem eius credens. Quòd si quis etiam puluerem, quo conditorium, vbi Martyris corpus quiescit, obsitum est, auferre permittat, pro munere puluis accipitur & tanquam res magni pretij condenda, terra colligitur.* Hinc aduerte quâ pietate conquisitum, quo studio exoratum, quibus lætitiis collectum situm venerandi Mausolæi, quo diui Theodori sitæ exuuiæ claudebantur, Christiani summo in pretio ac veneratione habuerint. Obserua pariter, quàm religiosè honorario condere tumulo, eumdem puluisculum instar thesauri, cogitatione, animôque designarint. Tanta erat aureis illis seculis Christianorum aduersùs venerabiles diuorum exuuias, fides, atque religio, quam sibi longè acceptissimam perillustribus miraculis Deus frequentissimè manifestauit.

S. Greg. Nyss. orat, de S Theod. Mart.

Enimverò pro sua interminata benignitate, atque potentia fidelium pietati, ac fidei velificatum, consueuisse patrare miracula per collectum situm, ac puluerem tam circa diuorum memorias, quàm intra, vel alibi iacentem, multorum exemplorum enarratione facillimum est confirmare. Venerabilis Beda disserens de S. Osuualdi Anglorum Regis nece, atque martyrio contigisse memorat, *vt puluerem ipsum, vbi corpus eius in terram corruit, multi auferentes, & in aquam mittentes, suis per hoc infirmis multum commodi afferrent. Qui videlicet mos adeò increbuit vt paulatim ablata terra fossam ad mensuram staturæ virilis altam reddiderit.* Sexcenta sunt omnis generis exempla ægritudinum depulsarum, & miraculorum editorum per puluerem, qui laureatum Martyrum cruorem ebibit, qui è Sanctorum sepulchris erutus, qui circa eorum memorias collectus, qui è monumentorum marmoribus erasus, à Christianis semper seruatus, maximôque in pretio, & honore habitus fuit. Singulare quid recenset Gregorius Turonensis de huiuscemodi sacro puluere: Cùm parumper puluisculi Aredius Abbas, Comite S. Vvolfio, è Sancti Martini Mausolæo pro benedictione sustulisset, *factum est*, inquit, *vt non solum totam capsam repleret puluis, verum etiam foris inter iuncturas scateret*: multiplicatione

Beda lib. 3. de hist. Anglic. c. 9.
S. Greg. Turon. lib. 8. hist. Franc. c. 15. & lib. 1. de glor. Mart. c. 50.
Idem in vit. S. Nicetij ep. c. 26. 28. 33. 37. &c. Surius tom. 5. vit. SS. 24. Oct. de S. Energilli p. 1028. Auct. vit. S. Gerulfi

lib. 2. c. 35. apud Ioan. à Bosco Bibl. Flor.

tam inusitatâ, quàm admirandâ. Qui plura volet, nobilem Gregoriorum trigam consulat, quorum locupletissima testimonia sigillatim, ac verbatim exscribere, nec operæ pretium est, nec voluntatis meæ, hos si voles, & per otium licebit, laudatos consules: malo ad tam inusitatam salutaris illius pulueris mirabilitatem, cum S. Gregorio Turonensi, vim huiusmodi salutiferam in se, suísque feliciter experto exclamare: *O theriacam inenarrabilem! ô pigmentum ineffabile! ô antidotum laudabile! ô purgatorium, vt ita dicam, cæleste! quod Medicorum vincit argutias, aromatum sanitates superat, vnguentorúmque omnium robora supercrescit: quod mundat ventrem, vt agridium; pulmonem, vt hyssopus; ipsúmque caput purgat, vt pyretrum; etiam non solùm membra debilia solidat, sed quod his omnibus maius est, ipsas conscientiarum maculas abstergit, ac leuigat.* Hæc ille.

S. Greg. Turon. lib. 1. de glor. Mart. c. 60.

Quæ cùm ita sint, admodum credibile mihi videtur, pretiosum iuxta ac salutiferum illum puluerem Sanctorum sepulchris, honorariis tumulis, atque lipsanothecis conditum, & à fidelibus religiosè cultum, ansam dedisse rudiori plebeculæ innocenter sibi persuadendi venerabiles Reliquias, quæ diuersis aliis in locis reipsa seruantur, apud suos iacere, cùm tamen præter exiguum illum puluerem habeant nihil. Et verò illum puluisculum non dubitarunt olim (vti & nunc) *Reliquias Sanctorum* vocitare, quamuis ne quidem ipsorum exuuias is contigisset. Testem produco S. Gregorium Turonensem de B. Hospitij funere disserentem. *Cùm sepeliretur* (eius verba sunt) *quidam iuxta ipsum sepulchrum manum ponens parumper pulueris eleuauit, quod in linteo inuoluens rudi, secum sustulit, progressúsque postridie, nauem, quæ Massiliam ire parabat, offendit in littore; sed hic Lirinense Monasterium expetere cupiebat. Viri igitur quorum erat nauis, Iudaica erant à stirpe progeniti: quâ existente causâ noluit vir indicare naucleris, quæ ferebat. Denique postquam progressi contra Lirinense monasterium deuenerunt, nauis in medio pelagi restitit; flantibúsque ventis nulla mouetur in parte, stupentibus verò Iudæis, quid hoc esset? homo ille veritatem aperuit dicens: Reliquias B. Hospitij mecum habeo; & nunc Lirinum adire desidero; quod vobis indicare metui. Nunc autem scio, quia eius virtute retinetur nauis vestra: nec hinc moueri prorsus poterit, nisi consensum illuc præbeatis, quò ire disposui. Quod audientes viri stupore permoti, mutatis velis flante vento secundo, iam viro in insula Lirinensi deposito, quò voluerunt, liberè abierunt.* Ecce tibi vt parumper pulueris circum D. Hospitij monumentum collecti pro ipsius Reliquiis venditatis. Verùm quod mirêre magis, illo puluere, tanquam præsentia ipsorum Martyrum, & sacrorum pignorum virtute torqueri se Dæmoniaci non raró sunt professi. Exiguum quid pulueris è S. Iuliani martyris Mausolæo bona cum æditui venia sublati, Clericus nescio quis, secum gestabat, cùm inter viam æstu, sitíque nimiùm quantùm exæstuans, ab itinere deflexit tantillum in proximam rusticani hominis casam, vt frigidâ apprimè potus vires reficeret: aquam enixè deposcenti

S. Greg. Turon. lib. de glor. Mart. c. 97. & lib. 2. de glor. eor. c. 33. 44.

ti

ti iuuenis reſponſum daturus foribus egreditur:is vt hominem vidit, continuò in terram corruit, *factúſque eſt, ſicut mortuus* (inquit Antiſtes laudatus) quid multa? *Apprehenſum puerum eleuauerunt parentes eum ſemiuiuum. At ille de manibus eorum elapſus percuſſis palmis (vt erat ab Dæmone inſeſſus) cœpit debacchando clamare, & dicere quod Iuliani martyris virtute exureretur.* Iuuenis ille miſeratus calamitatem, capſulam ſacri pulueris plenam bacchantis imponit capiti, ſimúlque malum Genium, quo erat iuuenis irretitus, è veteri, occupatôque iniuſtè hoſpitio deturbauit.

Agedum verò, quàm facillimè rudior plebecula inducere tùm ſibi in animum potuit, apud ſuos eorum Martyrum, Diuorúmve ſeruari lipſana, cùm ad huiuſmodi ſalutarem puluiſculum honorariis tumulis thecisve abditum diuinitùs edi miracula oculis vſurparet ſuis. At quantò magis credendum eſt, venerabiles illas Diuorum memorias piam illam Chriſtianæ plebis fidem confirmaſſe, quando intra illas inſignes aliquot Beatorum corporum portiones, reipſa conditas fuiſſe auribus, oculiſve cognouerat? Ad quas ſi aliqua miraculorum vis patrata fuit, non immeritò fideles diuerſis in locis commorantes animum inducere potuerunt, ſe iiſdem Sanctorum pignoribus locupletatas potiri, quibus aliæ toto orbe Chriſtiano diſperſæ Baſilicæ pari fide, vel innocenti (vt ita loquar) errore gloriantur.

Quid? quod perſæpe contigit, vt, licet ſepulchra Diuorum exuuiis, aliiſve ipſorum ſanctuariis penitùs vacua forent, nihilo tamen minùs à ſola eorumdem aditione miracula ederentur longè maxima, ob mirificam, quam à ſacris pignoribus olim inibi compoſitis contraxerant, facultatem. Vnum duntaxat huiuſce veritatis teſtimonium, exemplúmque hìc exſcribam ab Adrenaldo Floriacenſi monacho, eodémque miraculorum à S. Benedicto patratorum enarratore petitum. Vetus Floriacum mercimonij emundi, vendendíque causâ, pro more, profecti erant duo; quorum alter pretio diſtractarum abs ſe mercium ſocium fraudare cupidus pecunias receptas ſe illi numeratò dediſſe aſſerit. Quid multis? Rogatus, adactuſque ſacramento per ſuperos, atque in paucis per S. Benedictum, manu ad proximam Beato cœliti ſacram ædem exporrectâ, æquè impiè, ac impudenter iuratus idem iteratò affirmat. *Quod quia temerè, ac falsò iurauerat* (verba do pij ſcriptoris) *nequaquam ex impunitate gauiſus eſt. Siquidem manum, quam cum brachio improuidè peieraturus tetenderat, ad ſe reuocare nequiuit; ſed in ſuo conamine obrigeſcens ſtupida remanſit. Territi omnes, qui aderant, quid conſulto opus eſſet, ſcrutantur è veſtigio. Nihil verò conſilij ſalubrioris repertum, quàm vt reus virtutem iam expertus diuinam, veniam petiturus ædem ſacram expeteret. Quod ille impiger exequitur: deiectus animo, ac ſupplex Eccleſiam petit, deferens altera in manu, quæ pœnæ obnoxia nequaquam fuerat, voti gratiâ, furcam ferream tridentem. Poſtremò ſternitur ante ſacratiſſimam tumbam, vacuam quidem ſancto corpore, ſed virtute diuina ex ſocietate quondam*

Adrenald. lib 1. de mirac. S. Bened. c. 35.

priorum ossium refertam, veniámque temeritatis, ac criminis ex periurio contracti exorat, simul etiam misericordiam Domini precatur, quatenus interuentu piissimi Pastoris, cuius venerabile nomen sacramento, velut vilissimam attentauerat rem, sanitatem mereretur. Affuit clementia conditoris, precibus affectuosis miseri poscentis auxilium eximij ducis, eiúsque medelam infirmus consequitur, lætúsque forum repetit. Hactenus Adreualdus. Ex quo perinsigni miraculo constat manifestissimè sæpenumero fieri posse etiamnum (quod factum olim) vt rudis Orthodoxorum plebecula, & ad piè credendum facilis, ac prona, innocenti fide, vel etiam errore, illorum sanctorum se possidere lipsana credat, & iactitet, ad quorum Memorias, seu tumulos planè sacris pignoribus, sanctuariisve vacuos, & inanes, miracula supra naturæ vires patrari cognouerit. Nihil enim admodum pensi ducit certò pernosse, imò ne percunctari quidem, illône tumulo cœlitis abs se ad vota vocati exuuiæ occludantur, nécne? suâ fide, spe, ac beneficiis diuinitus adeptis contenta. Mystagogorum est piam plebeculam innocentem suum errorem dedocere.

Quod verò de frequentibus Diuorum Mausolæis dixi, idem pariter dictum puta de magna vi, & copia templorum, atque altarium, quæ iisdem cœlitibus dicata sunt, imò multò potiori ratione factum puto vt à frequentibus illis Basilicis, atque altaribus, eadem sanctorum pignora diuersis in locis simul esse crederentur, propterea quòd (vti à nobis disputatum est) plura possunt esse *Cenotaphia*, seu *inanes tumuli* Diuis iisdem pluribus in locis positi. Basilicæ verò, & altaria venerabilibus Reliquiis vacua esse non possunt, si quidem sacrosanctis Ecclesiæ moribus, Canonum decretis, rescriptis Pontificum & maiorum exemplis integrâ religione standum velis.

SECTIO QVARTA.

Quarta memoriarum species, Confessiones.

CVm tres duntaxat Memoriarum species vulgò à scriptoribus sacris constitutas superiùs dixerimus: non paucis ridiculum in præsentia videri potest me *confessiones*, de quibus rerum Ecclesiasticarum tractatores meminerunt, quartam Memoriarum speciem constituere. At prius expendendum, an confessiones inter Memoriarum species sint numerandæ?

Etenim ridiculum videri potest primùm illis, qui confessionem vnum, & idem ac templum esse voluêre: quo in numero fuit eruditissimus, iuxtà ac pientissimus Tolosatium præses Durantus, cuius hæc verba sunt: *Porro ea Ecclesia, quæ à Græcis Martyrium dicitur, apud Latinos Confessio appellatur.* Eius opinioni fauere videntur veterum scriptorum,

Durant. lib. 1. de rit. Eccl. c. 1. N. 10.

ſcriptorum non pauci, præſertim Anaſtaſius Bibliothecarius, quem vt ſibi fauentem allegat, ſed quàm verè quámque meritò mox videri-mus. Baronius certè antiquitatis Eccleſiaſticæ ſagaciſſimus indagator affirmatè pernegat confeſſionem, idem eſſe omninò, ac templum, *Baron. in notis* ſeu ædem ſacram. Adſcribo Cardinalis Eminentiſſimi verba: *Confeſſio ad Martyrol.* *apud nos idem eſt quod apud Græcos Martyrium, quamuis non idem Rom. 6. Iulij* *prorſus apud illos, qui apud nos earum vocum ſenſus ſit: nam Græci Martyrij nomine, nonnumquam totam Baſilicam Martyribus dicatam appellant, & videre eſt in Calcedonenſi Concilio*, & reliqua, quæ, vt minùs neceſſaria, mitto exſcribere, quibus ſubiicit: *Latini verò (quod viderim) partem tantùm illam in Eccleſia vbi conditæ ſunt Reliquiæ ſub altari non ipſam integram Eccleſiam appellant Confeſſionem: Factum eſt aliquando interpretis errore vim Latinæ vocis minimè aſſecuti, vt quod Græci pro Eccleſia martyrum, Martyrium dixerunt, ille eandem vocem Latinè dixerit Confeſſionem vt apparet in canone 20. Concilij Gangrenſis prioris editionis, in quo cùm Grecè legatur τα συνάξεις τῶν μαρτύρω, hoc eſt, conuentus martyrum, interpres Confeſſiones Martyrum tranſtulit, pro Eccleſiis martyrum. Non igitur Latini Baſilicam Confeſſionis nomine intellexerunt vt falſo ex illo canone nonnulli ſunt arbitrati*, ſic ille. Hæc ſi vera ſint, *confeſſiones* inter Memoriarum ſpecies, quartam conſtitue-re quî poſſunt?

Ridiculum videri ſecundùm poteſt iis, quibus confeſſiones & altaria *Iul. Cæſ. Bu-* vnum, & idem eſſe viſum eſt, vti noſter Iulius Cæſar Bulengerus eru- *leng. lib. 3. de* ditè annotauit, & ſcripſit in hæc verba: *Imò ipſum altare ſæpe Confeſſio templo. cap. 33.* *appellatur. Anaſtaſius Propitiatorium laminis argenteis exornatum circumduxit atque ſacram confeſſionem eius interiùs, exteriúſque cum rugulis ſuis conſtruxit. Item propitiatorium ſacri altaris, ſeu confeſſionem interius, exteriúſque cum rugis ſuis. Quia in ipſis altaris palliis, aut tabulis argenteis, marmoreiſve confeſſio ſanctorum expreſſa erat.* Hactenus Bulengerus, ex cuius oratione diſcas altaria cur confeſſiones ſint appellata; Vnde & *paſſio* nonnunquam nuncupatum fuiſſe legere eſt apud *Anaſt. Bi-* eumdem Anaſtaſium Bibliothecarium: quo auctore Anaſtaſius II. Pa- *blioth. in* pa *ante corpus beati Laurentij martyris poſuit paſſionem eius argento in- Anaſt. 2. Pōt* *cluſam, ſigillis ornatam, cum lucernis byſſinis argenteis penſantibus ſingulis libras triginta. Item fecit confeſſionem ex argento penſantem libras viginti*, id eſt, paſſionis hiſtoriam, quo nomine Confeſſionis, ſimiles paſſiones Martyrum expreſſæ in donariis huiuſmodi argenteis, marmoreis, aliiſve tabulis, palliiſve altarium ſignificantur, imò eodem aſſerente Bulengero *videtur confeſſio propriè fuiſſe pars altaris, in quo martyrium ſancti expreſſum eſſet.* Quam opinionem ſuam aliquot Anaſtaſij proximè laudati locis confirmat, ſatiſque ex iam allatis liquet, niſi & hunc locum ad clariorem rei demonſtrationem ex eodem ſcriptore *3. Idem in Sixt.* magmenti ergò adiungi velis. *Sixtus*, inquit *fecit confeſſionem ſancti Laurentij, martyria cum columnis Porphyreticis, & ornauit tranſannam*, ſiue vt alibi *tranſennam, fecit quoque ibi ad Confeſſionem altare S. Lau-*

Durant. & Cæs. Buleng. loc. cit.

rentij: Vbi per vocem (*Martyria*) ſicut Durantus legiſſe viſus eſt (cum Baronius legerit, *Martyris*) *confeſſionem* explicare per appoſitionem fortè voluit, quod aſſeueranter non auſim dicere. Vt vt ſit, ſi *Confeſſio* idem eſt, ac *altare*, ſeu pars altaris, ſeu ornamentum altaris, non eſt, cur quartam efficiat ſpeciem memoriarum.

Durant. & Buleng. ibid.

Aliis tertio loco ridiculum videri poteſt, qui cenſent *confeſſionem quandoque pro ſepulchro* (verba Duranti ſunt) vel corpore Martyris vſurpari. *Frequens eſt hæc vox in Pontificali Damaſi: Ante S. Petri confeſſionem, de qua Petrus Vrbenetanus, vt legimus in libello ordinis Romani. Confeſſio, inquit, eſt capſa vel ſepulchrum, vel ipſum corpus Petri conditum ſub altari: Martyr enim Græcè teſtem, vel Confeſſorem ſignificat, &c. Vnde quemadmodum à Martyre Martyrium, ita à Confeſſore, Confeſſio manauit.* Atque eo ſenſu ſumendum, & explicandum exiſtimo eumdem Anaſtaſium, cùm ſcribit de Ioanne Papa: *Poſitum eſt ornamentum ſuper confeſſionem B. Pauli, de gemmis praſinis, & hiacynthinis. Item inueſtiuit confeſſionem B. Petri de argento puro, quod penſat libras centum octoginta ſeptem.* Et ſic de aliis pleriſque ſimilibus locis cenſendum, ac dicendum eſt. Quæ cùm ita ſe habeant, nemo vnus non videt abſurdum eſſe confeſſiones quartam Memoriarum ſpeciem conflare poſſe.

Antequàm meam pronuntiem ſuper hac difficultate nondum ſatis mihi perſpectâ, nedicam, liquido ſatis hactenus euentilatâ, ſententiam,

La Cerda Aduerſ. ſacr. cap. 19 n. 2. Buleng. loc. cit. S. Paulin. Natal. 9. de S. Felic. Sidon. Apollin. lib. 4. ep. 18. Anaſt. Biblioth. in Sixto 3. cit.

Obſerues primò peruelim *confeſſionem*, propriè locum eſſe intra Eccleſiarum plerunque ſepta, earundemque partẽ religione venerandam (ſacellum vel *oratorium*, cum Bulengero; vel cum SS. Paulino, & Sidonio Apollinari, *ſolium*; vel cum Anaſtaſio *cubiculum* vocita ſi voles) in quo ſanctorum corpora, eorúmve reliquiæ aliáque cuiuſvis generis pia lipſana compoſita religiosè aſſeruantur. Anaſtaſius Bibliothecarius mihi prætulit facem. *Sixtus tertius fecit confeſſionem B. Laurentij cum columnis porphyreticis, in qua tranſenna, altare, cancelli ſupra platonias porphyreticas, omnia ex argento penſantia libras trecentas quinquaginta, & apſis ſupra cancellos cum ſtatua Martyris argentea penſans libras ducentas. Valentinianus tertius fecit in confeſſione ianuas penſantes pondus lib. quinquaginta. Leo IV. confeſſionem cum ſacro altari, argenteis tabulis penſantibus libras nonaginta tres ſanctorum effigiebus perornauit.* Audis in confeſſione columnas, altaria, tranſennas, cancellos, ianuas, effigies, ſtatuáſque Diuorum ad ornatum collocatas, vt inde aſſequare confeſſionem ſacellum eſſe, in quo ſanctorum exuuias ſeruare mos erat. Quid de aliis Reliquiis? Apud Anaſtaſium Leo I. Pontifex maximus *fecit ex auro puriſſimo in confeſſione ſanctæ Crucis ianuas penſantes librarum quinquagenarum*, hoc eſt, in ſacello S. Crucis, vbi ea aſſeruabatur. Martyrologium Romanum, agens de natali S. Tranquillini Martyris, inquit: *Is cùm ad confeſſionem B. Pauli die octauarum Apoſtolorum oraret ſub Diocletiano Imperatore à paganis*

Idem in Leon. 4.

Buleng. lib. de donar. Pontif. c. 68.

Martyrol. Rom. 6. Iul. Baron. ibid. in not.

paganis tentus, & lapidatus martyrium consummauit. Signanter Cassiodorus pro præfecto Prætoris ad Ioannem Papam. *Tenemus,* ait, *aliquid sanctorum Apostolorum proprium si peccatis diuidentibus non reddatur alienum, quando confessiones illas, quas videre vniuersitas appetit, Roma felicior in suis finibus habere promeruit. Nihil ergo timemus talibus patronis, si oratio non desistat Antistitis.* Iis ducibus Rosuueydus, Bulengerus, & Card. Baronius *confessionem* intellexerunt locum, eúmque *sub maiori altari* (vt hic loquitur) *quo Reliquiæ sanctorum Martyrum, seu integra eorum corpora conderentur: idque ex antiquo vsu Ecclesiæ & Apostolica traditione secundum illud Apocalypsis cap. 6. vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei.* Vt in permultis antiquissimis Ecclesiis, Anicij, aliísque passim videre est, nobilissima sanè, antiquitatis Christianæ monumenta.

Cassiod. lib. 11. Var. ep. 3.

Rosuueyd. in ep. 33. S. Paulini.

Buleng. & Baron. cit.

Obserua secundò eum locum *confessionem* vocari solitum, in absida fuisse, vt ante nos obseruauit Rosuueydus, ex Euodio, qui sancti Stephani protomartyris miracula in literas misit, & cuius hæc verba do: *Cùm in loco absidæ supra cathedram velatam essent reliquiæ constitutæ:* cui accinit Gregorius Turonensis de paralytico ad S. Albini exuuias mirabiliter persanato differens *ante vitream absidam,* inquit, *quâ sancta Albini concluduntur membra, sedebat.* Idem D. Paulinus attestatur, vt post paulò ex ipsius verbis intelliges. Denique Sugerius exhibet *absidem sanctorum Dominorum nostrorum, scilicet Dionysij, & sociorum corpora retinentem.*

Rosuueyd. cit.

Euod. lib. 1. de S. Steph. miracul. cap. 3.

Suger. lib. de Consecr. Eccl. S. Dionysii.

Obserua tertio *confessionem* ab altari distingui, quemadmodum superius ex Anastasij testificatione præmonui, licet aliquando confundantur, vt cùm idem dixit de Leone IV. *Confessionem altaris tabulis ex argento purissimo ad antiquum decus perduxit, in quibus est Saluator in throno sedens, pretiosas in capite gemmas habens.* Paulinum iam audiamus: *Basilica igitur illa,* infit, *quæ ad Dominædium nostrum, communem patronum in nomine Domini Christi iam dedicata celebratur, quatuor eius basilicis addita, reliquiis Apostolorum, & Martyrum intra absidem trichora sub altaria sacratis non solo Beati Felicis honore venerabilis est. Apsidem solo & parietibus marmoratam camera musino illusa clarificat.* Vbi *camera* sumi potest, pro cubiculo, & sacello, vbi sepulchrum, seu altare Apostolorum, & Martyrum reliquiis collocupletatum erat. Sic enim Anastasium interpretatur Bulengerus dicentem Leonem & Symmachum Pontifices fecisse *cameras B. Petri,* &c.

Anast. supr. cit.

S. Paulin. epist. 12. ad Seuer.

Buleng. lib. 2. de donar. Pontif. c. 67.

Obserua quartò Arcus in confessionibus, vel suprà, vel ante confessiones à Fidelibus oblatos suspendi, ponive solitos ex auro, argentòve conflatos, vt apud Anastasium Bibliothecarium passim legere est. *Leo I. obtulit arcum supra confessionem S. Crucis pensantem libras sexagenas: Symmachus obtulit arcus argenteos tres pensantes singulos libras sexagenas, &c* Illi verò non tantum ornamenti causâ in confessionibus suspendebantur (vt sensisse visus est Bulengerus noster) sed etiam velut vera, & religiosa trophæa de diabolo, tyrannis, carne, ac morte detri

Buleng. lib. cit. c. 69.

Claudian paneg. 3. & 4. Stilic. Prudent. lib. 2. in Symmach. Euseb. lib. 3. hist. Eccl. cap. 24.

detriumphatis excitata. Prætermitto de τροπαιοφόροις Gentilium arcubus pluribus dicere; ſatis eſſe poſſunt Claudiani & Prudentij (quos Bulengerus citauit) teſtimonia: malo addere illos arcus, horum arcuum triumphalium imitamenta fuiſſe, & confeſſiones Petri, & Pauli Apoſtolorum, obſeruante Baronio, quondam à Caio antiquo Theologo apud Euſebium τρόπαια ſiue trophæa, fortè ob eam etiam cauſam, nuncupatas fuiſſe, ſic enim ſcribit: *Ego Apoſtolorum trophæa perſpicuè poſſum oſtendere. Nam ſi lubet in Vaticanum proficiſci, aut in viam, quæ Hoſtienſis dicitur, te conferre, trophæa eorum qui Eccleſiam iſtam ſuo ſermone, & virtute ſtabiliuerunt, inuenies.* Hoc eſt, triumphales, & laureatas ipſorum exuuias aureis, argenteiſque arcubus à fidelibus oblatis, & ad eorum confeſſiones ſuſpenſis exornatas. Iam his poſitis

Aſſero primò *confeſſiones* quartam Memoriarum ſpeciem conſtituere poſſe. Quid enim, amabo te, *Memoriæ*? quàm certa quædam loca religioſa? quàm ædes, ſeu domus ſacræ, Deo Opt. Max. in honorem, & memoriam ſanctorum conſecratæ? quorſum ergo confeſſiones non ſint memoriæ, cùm aliud ſint nihil, quàm ſacella, ædes, cubicula, domúſve ſacræ, ſupremo numini in memoriam, & gloriam Martyrum, aliorúmve Diuorum excitatæ ac dedicatæ? Deinde, ſi Eccleſiæ dicuntur memoriæ Sanctorum, quòd intra ipſarum ſepta Diuorum monumenta, & lipſana condita ſint; cur *Confeſſiones*, quæ potiſſimùm in eumdem finem intra templorum ſepta exædificatæ ſunt, eodem, vt templa, memoriarum titulo non inſigniantur? Denique multo iuſtiùs confeſſiones, Sanctorum *Memorias* vocites, quàm ipſamet templa, ſiue Baſilicas illis poſitas, quòd peculiari quadam ratione ipſorum *ſanctorum domus* ſint, & à ſcriptoribus ſacris nominentur. Et verò perquàm appoſitè ex more veterum, quo quiſque domi ſuæ ſepeliri conſueuerat, vt de Miſeno cecinit Virgilius:

Virgil. 6. Æneid. & Seruius, Pontan. &c. ibid. Alex. ab Alex. lib. 6. genial. dier. cap. 14. Epitom. ad Euſebij Chro.

Sedibus hunc refer ante ſuis, & conde ſepulchro.

ſi quidem Seruium audire placet (ſcio enim à pleriſque non probari) *Vnde*, ſecundum illum Alexander ab Alexandro ait, *Lares in ſingulis ædibus colendi religionem per uaſiſſe.* Certè in Epitome temporis poſt Euſebij chronicon lego Romæ ab Anthimo Auguſto conditam fuiſſe *domum diui Thomæ* ἐκτίθη οἶκος τοῦ ἁγίου Θωμᾶ. Quid eſt *ædificata fuit domus D. Thomæ?* id eſt, *confeſſio* in qua ſancti Thomæ lipſana componerentur fuit extructa. Eodem ſenſu, ac modo Euagrius *domum Deiparæ*, dixit confeſſionem, in qua aliquæ Dei Genitricis exuuiæ erant repoſitæ, cum ſcriberet: *Mauritij thus adolenti in Baſilica domus ſacræ ſanctæ Deiparæ velum ſacræ menſæ arſiſſe.* Cum ergo intra confeſſiones ſepulchra ſanctorum condendis reliquiis eſſent poſita, potiori iure *Domus*, & *Memorias ſanctorum* eas vocitaris, quàm ipſamet templa, quæ frequenter illorum exuuiis vacant, Memoriæ tamen ſunt in eorum gloriam, memoriámque conſecratæ. Huc trado iſta D. Paulini verba Seuerum alloquentis: *Reſcribendi tamen ex vrbe facultas non fuit, quam*

Euagr. lib. 5. hiſt. Eccl. cap. 21.

S. Paulin. ep. 13. ad Seuer.

quam vix decem dies vidimus non videntes, & ipsum tempus ante meridiem in votis nostris (quor m cura veneramus) per Apostolorum ac Martyrum Sacras Memorias consumentes, id est, lustrandis illorum diuorum confessionibus, in quibus venerandæ ipsorum exuuiæ, conditæ à Christianis aduenis summâ religione colebantur. Pares istiusmodi sacrorum scriptorum locos interpretêre, si voles, quanquam nolim nimis obstinatè, aliis contrà sentientibus responsare, contentus meam hîc coniecturam aperuisse.

Assero secundò, potuisse non rarò contingere, vt vnius eiusdemque cœlitis lipsana pio, & innocenti penitus errore à Christianis crederentur diuersis in locis simul & semel asseruari, quòd in illis plures confessiones in eius honorem, & memoriam consecratæ, atque adeò intra *confessiones*, vel ipsius sepulchrum vel *honorarium* duntaxat plerumque *monumentum* positum eidem cæliti viserentur. Quid si ad huiuscemodi confessiones edita fuerint miracula? si arcus votiui, ac triumphales oblati, ac suspensi? si ad eas facti populorum fidelium frequentes concursus? si appensa Diuorum simulachra, donaria, anathemata? ecquis parum æquus rerum arbiter suspicari possit, aliquid saltem venerandi cineris, cùm totum corpus haberi nequeat, illis confessionibus suâ, patrúmque memoriâ piè, sanctéque aditis, ac cultis minimè contineri.

ARTICVLVS TERTIVS.

Sanctuariorum multitudo.

SAnctuarij vox non vnum apud auctores Ecclesiasticos significatum habet. Enimverò præter duas illas profanis, sacrísque scriptoribus vsitatissimas significationes, quibus tum abditissimus quisque in templis locus, tùm Principis *tabularium* appellata fuisse *Sanctuaria*, Grammaticorum nemo non nouit: peculiaris fuit, & tralatitia Christianis rerum sacrarum tractatoribus significatio, quâ *Sanctuarium* amauerunt nuncupare non ipsas modò sanctorum exuuias, sed etiam id omne, quod vel à Diuorum etiamnum spirantium, & viuorum corporibus, vel ab eorumdem, iam sanctè demortuorum lipsanis, capsis, ac Mausolæis religiosè contactis speciem quamdam venerationis, & sanctitatis (vnde & *sanctuarij* nomen) atque adeò mirabilem ad edenda omnis generis prodigia facultatem diuinitùs contraxissent.

Ipsas quidem Reliquias appellari solitas fuisse *sanctuaria* S. Gregorij magni rescripta non pauca significanter me docent. *Paulus Ecclesiæ Reatinæ diaconus* (inquit ille ad Chrysanthum Episcopum scribens) *petitoriâ nobis insinuatione poposcit, vt ad fontes in Basilica B. Mariæ semper Virginis Genitricis Dei, & Domini nostri Iesu Christi, quæ est intra ciuitatem Reatinam posita Reliquiæ Beatorum martyrum Hermetis & Hiacynthi, & Maximi debeant collocari, & ideo frater carissime, si in* S. Gregor. lib. 7. ep. 12.

Q eodem

eodem loco nullum corpus constat humatum, Sanctuaria prædictorum Martyrum cum reuerentia sine ambiguitate suscepta diligenter consecrabis. Ecce tibi, vt Reliquias laudatorum Martyrum sapientissimus Pontifex *Sanctuaria* indigitauit; quod quàm plurimis aliis suis epistolis, sacrísque apicibus præstitit, quorum testimonia sigillatim exscribere breuitatis causâ libens, volénsque in præsentia supersedeo.

Ita & Synod. Gall. apud Sirmond. tom. 1. pag. 556. Idem S. Greg. lib. 7. ep. 84. 85. 86. & lib. 10. ep. 12. & lib. 12. ep. 10. &c.

Illa verò omnia, quæ Sanctorum pignoribus, vel ipsorum sepulchris, vel Lipsanothecis, religiosè admota fuerant, appellata fuisse *sanctuaria*; quæ deinceps pluribus dicturi sumus de brandeis, manifestissimè confirmabunt.

Atque ab hoc Sanctuariorum genere Fideles piam sibi persuasionem non difficulter potuerunt induere, apud suos eas Diuorum exuuias asseruari, & coli, à quarum solo contactu ipsis insciis, consciisve venerationem, sanctitatem, iuxtà ac miraculorum edendorum facultatem hausissent, cuius facultatis effecta planè mirabilia cum diuersis in locis complura obtinerent sanctuaria, plebs Christiana pro facili, ac pia credendi procliuitate sua, diuersis pariter in locis, easdem numero Diuorum Reliquias custodiri dictitauit. At videamus quàm studiosi huiuscemodi sanctuariorum fuerint olim Christiani quámque salutares ab illis perceperint vtilitates.

SECTIO PRIMA.

Sanctuaria è viuis Diuorum corporibus excerpta.

INter alia ingeniosæ aduersùs venerabiles Sanctorum Reliquias fidei, ac piæ cupiditatis maiorum nostrorum inuenta, fuit laudabilis, nec satis vnquam laudata ipsorum consuetudo, quâ cum inexplebilem earum, vt superius attigi, potiundarnm cupiditatem restinguere non possent, eius certè aliquo modo leuandæ causâ, nullum non mouebant lapidem, quò vel è viuis, spirantibúsque Martyrum, aliorúmve Sanctorum corporibus aliquid prece, pretio, & piá etiam fraude, ac bono dolo, ab inuitis carnificibus, seruis, aliísque id genus personis extorquerent.

Pium huiusmodi dolum à Christiano Tesserario (id nomen officij militaris, & munus eorum fuit qui castrensem tesseram, siue mandatum Imperatoris per contubernia militum deferebant) pium inquàm illum dolum à Christiano Tesserario vsurpatum refert Pontius Diaconus memorans quo pacto S. Cyprianus martyrij candidatus ad Prætorium Paterno Proconsuli sistendus peruenerit: *Illic*, inquit, *cùm post iter longum nimio sudore madidatus sederet (sedile autem erat fortuitò linteo tectum, vt & sub ictu passionis Episcopatus honore frueretur) quidam è Tesserariis quondam Christianus res suas obtulit, quasi*

Pontius Diac. in vita S. Cypriani.

vellet

vellet ille vestimentis suis humidis ſicciora mutare, qui videlicet nihil aliud in rebus oblatis ambiebat, quàm vt proficiſcentis ad Deum Martyris ſudores iam ſanguineos poſſideret. Vt ille D. Cypriani glorioſos ſudores, ſic & reliqui Chriſtiani fluentem ex eius venis cruorem, incredibili alacritate, ne dicam, ambitione colligere ſategerunt. Subdit enim, *fratres verò flentes linteamina, & oraria ante eum ponebant, ne ſanctus cruor defluus abſorberetur à terra.* Æquali cupiditate Mediolanenſes Chriſtiani teſtantur apud Surium, *quandam Dei famulam, dum S. Nazarij caput ab impio laniſta abſciſſum fuiſſet, vidiſſe ſe linteo ſanguine eius recepto fugam petiiſſe.* Sur. tom. 5. vit. SS. 12. Sept.

Verùm illorum omnium hac in parte ſtudium, & inexplebilem habendorum huiuſmodi ſanctuariorum cupiditatem tùm Beatiſſima Heroina D. Adriani inuictiſſimi Martyris coniux, & *in ſpiritu*, vt ita dicam, mariti *Parens*, tùm aliæ permultæ matronæ Chriſtianæ incredibili animorum firmitate, maſculâque pluſquam audaciâ longiſſimè ſuperarunt. Etenim fortiſſima Natalia æquè de mariti conſtantia, & agone feliciter conſummando ſollicita, & de ipſius generoſitate humillimè glorioſa teterrimum, quo ille detinebatur ingreſſa carcerem, tum manantem è lacerato coniugis corpore ſanguinem ſuis ipſamet tergebat manibus, tum eo, veluti athletico ceromate, totum ſuum perungebat corpus contra inferorum impreſſiones, carnificum rabiem, infidúmque pauitantis naturæ timorem luctatura. *Interim diaconiſſæ, & aliæ mulieres piæ, ac notæ Deo,* inquit Surius, *permanebant in carcere curantes vulnera Sanctorum, & aliæ quidem medebantur vulneribus, aliæ verò ſuis ſtolis, quibus indutæ erant, abſtergebant putredinem à vulneribus,* nimirum, vt tot domum referrent ſanctuaria, quot ſtolas in carcerem detuliſſent. Vt autem reſciuit tyrannus perilluſtres matronas earum exemplo, & charitate permotas, eodem pietatis & officij genere in fortiſſimos Chriſti Athletas defungi: ingenti, ſuprà quàm credi poteſt, dolore percitus vetuit, ne cuiquam illarum in carcerem aditus deinceps pateret. Quid hic Natalia? quid piiſſimæ audeant, & faciant matronæ? Natalia carceris aditu ſe excluſam videns, facinus pluſquam baſilicum inceptans facere, demeſsâ ſibi cæſarie, viriliquе induta habitu, carcerem pro more clam cuſtodibus, piâ fraude deluſis ſubibat, curabat mariti vulnera, aliiſque pro virili ſola faciebat medicinam. Vbi eius rei reliquas matronas afflauit rumuſculus, certatim ſibi comam præſcindere, induere viriles togas, in carcerem clanculum irrepere, ancillari Martyribus, ipſorum curare vulnera, & mutatas identidem vulnerum faſcias in ſanctuaria recondere, ac domum reportatas venerari. At necdum factum ſatis pietati: ſanguinantia Martyrum corpora pro Maximiani imperio à laniſtis flammis abſumenda deuehuntur: illicò videas Nataliam conuolare, ſtillantem à Martyrum corporibus ſanguinem penè colligere, eôque, os, corpúſque ſuum, tanquam nobili oblinere purpuriſſo. Videas alias illuſtriſſimas quaſque fœminas, ſui, ſuorúmque oblitas laureatorum Athletarum

Id. Sur. 8. Sept.

Vid. Prudent. hymn. 5. de S. Vincentio.

Surius ibid. sup. cit.

cruorem linteaminibus, ipsâque *purpurâ, excipientes* sinu ipso sollicitè adeptum thesaurum recondere. Ad vltimum *ipsas quoque carnificum vestes, quæ Sanctorum Martyrum sanguine perfusæ erant, clarissimæ fœminæ multo auro, gemmis, pretiosisque ornamentis sibi compararunt.* Vides quàm ingeniosæ fidei, ac pietatis inuento principes fœminæ viles, infamésque carnificum lacernas in religiosa sanctuaria conuerterunt, & ex vno illarum luculento facinore reliquorum Christianorum, quod, quámque pium fuerit studium, & in colligendis Sanctuariis ambitio, assequare coniecturâ. Vnum silere huiusce piæ cupiditatis exemplum, quod Pontius in literas misit admodum singulare, nec debeo, nec possum: refert enim Fideles deciduas è B. Cypriani orantis oculis lacrymas habere cupidos, *linteamina, vnde oculos sibi tergeret obtulisse.* Christianis Carthaginensibus in hoc studio nihil concessêre Ancyrani, qui carnes, quæ è laceris SS. Clementis, & Agathangeli corporibus cum sanguine decidebant, *vndique ad eas colligendas, tanquam ad quendam thesaurum bonorum, præcipiti cursu conuolabant. Quos quidem confestim cum ipso puluere tollentes, sitientibus animis, & manibus, credebant se benedictionem, & gratiam comparasse.* Quod legis à Christianis Carthaginensibus sedulum in colligendo puluere Martyrum sanguine imbuto studium, & curam fuisse collatam, idem, & ab aliis populis simili pietate animatis factitatum historici sacri memorant. Vnum è sexcentis exemplum à Rudolpho Abbate S. Trudonis recensitum huc transfero, is cùm inuentionis sacrorum pignorum D. Gereonis è laureata Thebæorum legione inuictissimi Martyris historiam, eiusdémque iacentis palæstram stylo expressisset, in hæc verba exclamat: *O quàm gloriosum erat videre magnanimi militis Christi venustam formam, magnificéque vestitam, & quasi viuentis adhuc viribus plenam: cuius caput si sub simili corporis incorruptione adesset, dormire eum potius, quàm mortuum crederes. Ad caput eius cespes erat gramineus locatus, à capite vsque ad cingulum, ab vtraque parte laterum inter corpus eius & sarcophagum: qui cespes, imò qui cespites (nam plures fuerant) sanguinei toti adhuc erant, sicut perfusi in terra fuerant, fluente sanguine Martyris, quando percussus in terram cecidit. Sed & in aliorum trium Martyrum sarcophagis hac occasioue apertis, eadem magnalia Dei vidimus. Pili herbarum in ipsis cæspitibus adhuc rigebant, sicci tamen, & concreto sanguine integri & rubei tenebantur.* Hæc ille; tum post paucula in commendationem pietatis Christianorum, qui illo æuo, hoc est, anno centesimo vigesimo primo supra millesimum vitam viuebant, iterum sic exclamat: *O quantum studium! quantus Christi amor! quanta deuotio Fidelium tunc temporis Christianorum, qui in tanta persecutione, nec ipsos sanguineos cæspites tollere neglexerunt.* Hos verò cæspites quâ religione Fridericus tùm Coloniensium Episcopus, Abbates, Præpositi, & omnes ciuitatis congregationes à se inuentos collegerint, & honorificè asseruandos curarint, pauculis hisce verbis annotauit. *Tandem collectus est cinis, & cæspes simul sanguineus, & ipse*

Pont. Diac. sup. cit.

Metaphr. apud. Sur. cit. tom. 1. 23. Ianuar.

Rudolph. Abbas S. Trudon. tract. de inuent. & translat. S. Gereonis apud Sur. 24. Nouemb.

in

in puluerem sed terrei, atque subrubri coloris propter sanguinem resolutus, susceptusque in munda palla & pretiosa, in alio scrinio maiore reconditus est. Hactenus Abbas piissimus, idémque rerum gestarum locupletissimus, & oculatus testis. Tanta inerat maioribus nostris aliquid è sacris inuictorum Martyrum quà mortuorum quà etiamnum vivorum, ac spirantium reliquiis adipiscendi cupiditas, vt ingeniosa sagacitate studerent, pia stratagemata alia ex aliis excogitare, vt linteamina, vestes, oraria, aliáque id genus ad puluerem & cæspites vsque, auro, gemmísque omnibus pretiosiora sanctuaria sibi compararent, ac religiosa veneratione prosequerentur.

SECTIO SECVNDA.

Sanctuaria è mortuis Diuorum exuuiis accurata per Brandea.

QVum neque viuorum, neque è mortuorum Martyrum cæterorúmve Diuorum lipsanis quidquam consequi valuerant Fideles, tùm versis aliò curis, ac studiis, saltem *brandea*, hoc est, velamina, aliáque id genus plurima sacris illorum pignoribus, vel sepulchris thecisve admota adipisci studiosè nitebantur.

Brandea vocarunt veteres interprete S. Gregorio, velamina, quæ Christiani sanctorum exuuiis, loculis, ac Mausolæis applicare consueuerant, vt ex ipsorum contactu specie quadam sanctitatis, & patrandorum miraculorum facultate imbuta, illis sanctuaria, & reliquiarum loco forent. Audi S. Gregorium de Fidelium studio, erga Romanorum Pontificum cadauera differentem, & illud, quia nimium, & præceps fortè tùm erat, prudenter improbantem: *Fidelium*, inquit, *huius sedis Rectoribus mos vltra meritum erupit, vt cùm eorum corpora humanda deferuntur, & hæc dalmaticis contegant, easdem dalmaticas pro sanctitatis reuerentia sibi partiendas populus scindat, & cùm adsint multa à sacris corporibus Apostolorum, Martyrúmque velamina, à peccatorum corpore sumitur, quod pro magna reuerentia reseruatur.* E quibus S. Pontificis verbis, aliisque, quæ deinceps inferiùs referemus, intelligas aliud nihil fuisse *Brandea*, quàm velamina quædam Martyrum, & imprimis Apostolorum Petri, & Pauli pignoribus vel potiùs Mausolæo religiosè à Christianis admota. Lege quæ de S. Eusebiæ velaminibus refert Surius.

S.Gregor.

Baron. in not. ad Rom. Martyrol. 15. Iun.

Sur. tom. 1. vit. SS. 25. Ianuar.

Mirificè ad hunc perantiquum Christianorum morem *velamina* (seu *pallia*, seu *pallas*, seu *pepla*, seu *vestes* seu *pannos*, seu *operimenta*, cum Ecclesiasticis scriptoribus malis vocitare) sanctorum Reliquiis, ac sepulchris applicandi faciunt Legatorum Apostolicorum literæ de-

Baron. tom. 7. Annal. Eccl. ad ann. 519.

precatoriæ pro Iustiniano Comite domesticorum ad Hormisdam Pontificem datæ, quibus eum his orant verbis: *Si Beatitudini vestræ videtur, sanctuaria Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli secundum morem & largiri præcipite, & si fieri potest, ad secundam cataractam ipsa deponere, vestrum est deliberare.* Obserua hæc verba *secundum morem*: id enim moris in vrbe, vt quàm maximè, quondam viguisse obseruauit antiquitatis Christianæ non indiligens indagator Baronius, vt serica, purpurea auróque rigentia, atque adeo gemmis interpuncta velamina sanctorum Martyrum, & Apostolorum lipsanis, ac sepulchris admouerentur, admotáque sanctuariorum loco Fidelibus darentur. Enimuero cùm vetus Ecclesiæ Romanæ consuetudo non solum abhorrerent integra sanctorum corpora Româ exportari, sed ne tenues quidem eorum particulas ex ipsis detrahi, vel, quod minus est, nec summis digitis eadem attrectari vllo modo permitteret: Christiani suæ pietati qualitercunque facturi satis, omni studio satagere consueuerant, vt saltem per mystagogos, æditúos, aliósque sacrarum Fauissarum custodes, sibi copia fieret, vela, vestes, oraria, pallas, sudaria, & reliqua id genus velamina venerandis Diuorum pignoribus applicandi, *Brandeum* propriè, *sanctuarium* communiori voce nuncuparunt.

Idem ibidem & tom. 1. ad ann. 55. N. 12.

S. Greg. Turon. lib. 1. de glor. Mart. c 72.

Primus, quòd sciam, qui religiosum hunc Brandeorum vsum vel induxit, vel qui maximè omnium vsurpauit, mihi fuisse videtur S. Leo Pontifex Max. numero quadragesimus tertius: *Hic quoties rogabatur ab aliquibus*, teste Sigeberto, *vt eis aliquorum Apostolorum, vel martyrum reliquias daret, consueuit ad corpora, vel Memorias Apostolorum, vel Martyrum, quorum reliquiæ petebantur, Missas celebrare in ipsorum honore, & sic brandeum altaris, quo consecratum corpus Domini inuoluerat, particulatim diuidebat, & pro Reliquiis Apostolorum, vel Martyrum dabat. Vnde, si ab aliquibus dubitabatur cultello pannos illos pungens sanguinem eliciebat. Sic palam cunctis faciens, quòd in consecratione mysteriorum, sanguis Christi, Apostolorum, vel Martyrum qui pro illo effusus est, intret per diuinam virtutem in pannos illos, & ideò meritò illos dari pro Reliquiis sanctorum in quorum honore consecrati sunt.* Hactenus Sigebertus Diuo Leoni Pontificia dignitate, & in antiquis Ecclesiæ consuetudinibus religiosè seruandis studio suppar. Gregorius Magnus antecessorem suum hac in re apprimè imitatus est, *nam* (vt narrat Ioannes Diaconus tanti Pontificis vitæ testis, & scriptor locupletissimus) *petentibus quibusdam Occidentalibus per legatos in singulis pyxidibus, sub nominibus petitorum martyrum, Brandeum solito more concludens desuper sigillasset, legatis largitus est. Illi susceptas Reliquias veneratione congrua deferentes, postquam quædam itineris milliaria consumpserunt stultè se tantum viaticum confecisse murmurare cœperunt; si nesciant vtrùm sanctorum ossa, an magis carnes à Romano Pontifice suscepissent. Itaque communi consilio, remoto Pontificali signaculo, reseratisque pyxidibus particulas Brandei repererunt. Mox*

Sigeb. Chron. lib. 5. ad ann 441.

S. Greg. lib. 3. ep. 30.

Ioan. Diacon. lib. 2. vit. S. Greg. Magni c. 42.

ad vrbis mœnia cum furore nimio reuertentes per Archidiaconum à Gregorio se delusos fuisse, vt pro Reliquiis vilem pannum susciperent, flebiliter querebantur, dicentes Dominos suos pulcherrimis Palliis abundare, ac per hoc Romanorum vilibus brandeis non egere. Fortè tunc Gregorius Missarum solemnia celebrabat: quibus expletis ab eisdem legatis brandeum coram cunctis recipiens super altare composuit; séque cum omnibus in orationem dedit, vt Deus omnipotens, vtrum quod à liminibus Apostolorum de more transmissum est, pro Reliquiis Martyrum, venerari deberet, quantocyus indicaret. Deinde ab oratione surgens incredulos legatos propius adstare fecit: Cultellum petiit, more sanctissimi Papæ Leonis, brandeum pupugit; de cuius punctionibus sanguis protinus emanauit. Quo miraculo tam legati confusi, quàm omnes, qui aderant tremefacti, iussu Gregorij cum eo terræ prostrati sunt: nec antè ab oratione cessauerunt, quàm cuncta brandeorum foramina diuinitus clauderentur. His Ioannes Diaconus verbis & brandeorum vsum, & miraculum, & venerationem diuinúmque pro eorumdem æstimatione, ac cultu suffragium veriùs multò, quàm elegantiùs est prosecutus.

His autem Occidentalium, vel potius Orientalium Regum oratoribus, ac legatis Constantia Augusta, visa est fide insigniter præstitisse, quæ cùm ædem sacram in honorem D. Pauli, à se in Palatio recèns Byzantij constructam eiusdem Apostoli pignoribus collocupletare auida, D. Gregorium Pontificem sibi caput, vel aliud quid de ipsius corpore transmitti impensè orasset, nec exorasset, Brandeo, pro Romanorum Pontificum more duntaxat ab eo donata, se veluti pretiosissimo thesauro diuitem, & beatulam duxit. *Cognoscat, tranquillissima Domina*, (Beati Gregorij ad Augustam rescribentis verba sunt) *quia Romanis consuetudo non est, quando sanctorum Reliquias dant, vt quidquam tangere præsumant de corpore, sed tantummodo in pyxide Brandeum mittitur, atque ad sacratissima corpora ponitur. Quod leuatum in Ecclesia quæ est dedicanda, debita cum veneratione reconditur, & tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum corpora deferantur.* S. Greg. loc. sup. cit. Deinceps sanctissimus Pontifex paucis perstringit memoratum à Ioanne Diacono miraculum, quod in conspectu, & sub oculis Orientalium (sic enim ex Gregorio corrigendus est, qui in Ioannis Diaconi textum librariorum error irrepsit) Orientalium, inquam, legatorum sub oculis, S. Leo Papa fide diuina plenissimus edidit. Quâ verò ratione D. Gregorius sacrosanctas B. Pauli exuuias, ad Constantiam Augustam transmittendas delibare attentasset, qui ne sudarium quidem eius summis attingere audebat digitis? id ex ipsiusmet Pontificis stylo discamus: *sudarium* (inquit) *quod similiter transmitti iussistis, cum corpore eius est, quod ita tangi non potest sicut nec ad corpus illius accedi.* Ad vltimum post recensitam Græcorum, qui Diuorum Petri, & Pauli exuuias sibi vsurpare tentauerant, à tonitruis, & fulguribus ingeminatis formidinem, ne subitaneam dicam exanimationem, concludit in hunc modum: *Quis ergo Serenissima*

Domina, tam temerarius possit existere vt hæc sciens, eorum corpora, non dico tangere, sed vel aliquatenus præsumat inspicere. Parisiis brandea vulgò *Corporaux de sainct Pierre*, nuncupata in S. Germani à Pratis asseruata monstrantur, quæ B. Pontifex Gregorius Magnus ad Reginam Francorum Brunechildem transmisit, vt Iacobus du Breul annotauit: ea verò brandea Beatissimus Pontifex *Reliquias SS. Petri* vocitare non dubitauit, quod ad veneranda S S. Apostolorum corpora pro more applicita, & sacro illo contactu consecrata, mirificam traxissent sanctitatem. Atque hinc brandeorum mittendorum, ac donandorum morem, vsúmque profectum fuisse videt nonnemo.

Iac. du Breul. theatr. antiq. Parisiens. lib. 2. pag 243. S. Greg. lib. 5. ep. 51.

Verùm ne putes in sola Vrbe piam istam consuetudinem velamina venerandis sanctorum pignoribus, & Mausolæis applicandi conualuisse; reliquam Italiam, Galliam, Africam, vno verbo vniuersas orbis Chrstiani nationes Occiduas, vbi aliqua martyrum fuere lipsana, religiosus ille mos (vt quidem me paucis hisce verbis docet Gregorius) longè latéque peruagatus est. *In Romanis namque vel totius Occidentis omnino intolerabile est, atque sacrilegum si sanctorum corpora tangere quisquam fortasse præsumat. Quod si præsumpserit, certum est, quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit.* Quapropter vel ad Ecclesiæ Romanæ, vt Capitis Ecclesiarum, exemplum, & imitationem, vel ex indita diuinitùs animis permotione, vel ab iniecto cœlestium minarum pauore, atque adeò, vt multis aliis in rebus fit, cœlitùs admoto piis fidelium studiis incitamento, reliquæ deinceps Ecclesiæ prudentem illam brandeorum, muneris, & reliquiarum loco donandorum consuetudinem vsurparunt, ac diu inuiolabilem conseruarunt. Pro Brundusinæ Ecclesiæ moribus locupletissima est illa ex hac diui Gregorij commendatione auctoritas; *Opportunus Abbas Monasterij sancti Leucij, quod in quinto Vrbis milliario situm est, sanctuaria eiusdem martyris quæ de Ecclesia nominis ipsius dicata, vt astruit, furto sublata sunt, sibi denuò postulat debere concedi, vt in eodem loco recondantur. Et ideo, frater carissime, quia eiusdem Beatissimi Martyris corpus in Brundusij Ecclesia, cui visitationis impendis officium, esse dignoscitur, præfati viri desideriis ex nostra te præceptione conuenit obedire, vt in deuotione, quam postulat, sortiatur effectum.* Mediolani cœcus ciuis, ciuitatíque notissimus, cùm impetrasset admitti ad SS. Protasij & Geruasij lipsana, quæ tùm ad Basilicam Ambrosianam transuehebantur, *vt Sudario tangeret feretrum pretiosæ in conspectu tuo mortis sanctorum tuorum*, (sic Deum affatus loquitur Augustinus) tandem applicitus est, venerabiles Reliquias contigit, *admouit oculis, confestim aperti sunt.* O cœcum bene felicem, & feliciter oculatum! qui in sui sudarij religioso contactu, cæcitatis suæ medelam latêre peruidit! Fortunatum presbyterum lego recensentem planè mirabilem surdo curationem hoc insolenti, & proficuo medicamenti genere diuinitùs in Galliis nostris allatam.

S. Greg. ibid. loc. cit.

Idem lib. 9. ep. 73.

S. August. lib. 9. Confess. c. 7.

Cùm

Cùm enim S. Medardi *virtutiferum pignus* (vt ipsius vtar voce) à Suessionibus honorificè susceptum fuisset, Surdus, nescio quis, Beatissimi Antistitis feretrum fide, ac spe plenissimus accedere propiùs studuit, *vt autem* (inquit ille) *peplum loculo superiectum attigit, illúdque auri, fide subnixus, applicuit, resolutis illicò abditis aurium, peruia audiendi claustra homini sunt reparata.* At longè ante Fortunatum S. Ambrosius de SS. Geruasij, & Protasij lipsanis scripserat: *quanta oraria iactitant, quanta indumenta super Reliquias sacratissimas, vt tactu ipso medicabilia reposcantur?* Audi quid à Christianis fuerit factitatum, cùm S. Theodardi Episcopi & Martyris iusta sunt persoluta. *Isti vulnera mollibus pannis exiccant, isti vestes sanguine sancto infectas, ad sui patrocinium reseruant.*

Fortun. presb. in vit. S. Medardi, apud Io. à Bosco cit. Biblioth. Floriac. p. 1207.

S. Ambrof. lib. 10. epist. 85.

Sur. tom. 5. vit. SS. 10. Sept. & 20. Oct. de S. Caprasio, & S. Fide.

Præter illa, quæ sanctorum lipsanis, eorúmve sepulchris eo, quo mox dicemus modo admoueri brandea consueuerant, video holosericа aliqua pretio spectanda velamina, seu brandea, Diuorum corporibus, etsi iam Sepulchralibus othoniis, siue sindonibus obuoluta forent, superiniicere solitos fuisse Maiores nostros. Hincmarus Remensis Archiepiscopus differens de duplici Reliquiarum S. Remigij translatione de Brandeo rubeo meminit in hæc verba. *Ipsa die translationis, cum diuinis laudibus sumptæ sunt reliquiæ à corpore illius, de capillis videlicet eius, & casula, & tunica ipsius, & inuolutum est corpus illius integrum, sed exsiccatum de brandeo rubeo.* De secunda verò eiusdem translatione sic infit: *Cùm de ipso sepulchro in locello argenteo est transpositum, pars de ipso brandeo cum Sudario, quod fuerat super caput eius, assumpta in scriniolo eburneo secus altare Sanctæ Mariæ in ciuitate, debito honore veneratur.* Ex quibus verbis intelligas brandea illa sepulchralia varias in partes diuidi solita, & sanctuarij loco fuisse asseruata, & religiosis honoribus affecta: Hisce holosericis brandeis inuictissimi martyris Gallicani, S. Quintini exuuias à B. Eligio Nouiomensis Ecclesiæ Præsule, ac D. Kiliani venerabiles Reliquias à Burchardo, Herbipolensi Episcopo (vt sexcenta huiusmodi alia Diuorum lipsana sileam) *sericis palliis inuolutas* apud Surium de cœlitibus optimè meritum leges, nos interea de diuerticulo ad viam.

Hincmar. de transl. S. Remig. apud Sur. tom. 1. vit. SS. 10. Ianuar.

Sur. tom. 5. vit. SS. 31. Oct. 14. Oct. Vide Petr. Halloix in vit. S. Dionys. Areop. de velis, & sericis pannis, quibus beati Martyris corpus fuerat obuolutum; miracula edentibus.

Quâ verò ratione, ritúque olim, vti & nunc, Brandea illa, siue velamina Sacrosanctis Sanctorum pignoribus vel (vt veteres loquuntur Scriptores) *glebis* intra aras occlusis, vel intra tumulos conditis applicari possent, iampridem sagaciter annotauit, pro suo more, Baronius. Modus hic fuit. Cùm sub altaribus venerabiles reconderentur Reliquiæ, vel cum loculis aureis, argenteísve *qualem tumbam* (inquit Surius) *ex auro argentóque & gemmis miro opere desuper* D. Quintini pignora S. Eligius *fabricauit*) prout ferebant piorum hominum facultates, ad maiorem securitatem, ac venerationem includerentur, *foramen*, seu *fenestellam* (vtroque nomine vocitauerunt scriptores) modò cancellatam, modò non cancellatam in altaribus loculísve, facere mos olim fuit, per quam fenestellam velamina Brandea,

Baron. tom. 5. Annal. ad ann. 416. & tom. 6. ad ann. 460. & tom. 9. ad ann. 766.

S. Greg. Turon. lib. 2. de glor. Mart. c. 46.
Sozom. lib. 9. hist. Eccl. c. 2.
Greg. Turon. lib. de glor. Confess. c. 37.
Idem lib. 1. de glor. Martyr. cap. 28. & 38.

pallæ, sudaria, oraria, vno verbo diuersi generis res, in futura Sanctuaria demitterentur, quæ venerabilibus Diuorum exuuiis admota vellent. Refert Gregorius Turonensis in vrbe Aruerna esse sepulchrum S. Venerandi Episcopi, *à quo ædes nomen accepit, sub analogio compositum, super quod caput per fenestellam, quicumque vult, immittit precans, quæ necessitas cogit, obtinétque mox effectum, si iustè petierit.* At multò illustrior est ille locus eiusdem S. Gregorij veterem Ecclesiæ Romanæ consuetudinem insigniter confirmantis. *Qui orare desiderat* (inquit Præsul sanctissimus, de Vaticano SS. Apostolorum Mausolæo disserens) *reseratis cancellis, quibus locus ille ambitur, accedit super sepulchrum, & sic fenestella paruula patefacta, immisso introrsum capite, quæ necessitas postulat efflagitat. Nec moratur effectus, si petitionis tantùm iusta proferatur oratio. Quod si Beata auferre desiderat pignora, palliolum aliquod momentana pensatum iacit intrinsecùs, deinde vigilans, ac ieiunans deuotissimè precatur, vt deuotioni suæ virtus Apostolica suffragetur.* Audistin' caput & palliola introrsum à fidelibus supplicabundis immissa? audistin' eorumdem vigilias, ieiunia, & preces admouendis brandeis, & velaminibus retrahendis præmissa? audistin' fenestellam ad memorias Martyrum eum ob finem apertam? Cui adstipulatur Beda, qui non *fenestellam*, sed *foramen* vocare secundum Euodium & Metaphrastem maluit; eius de Sanationibus ad D. Ceaddæ Merciorum Episcopi tumulum diuinitùs receptis strictim attingentis hæc verba sunt: *Est autem locus Sepulchri, tumba lignea in modum domunculæ facta coopertus, habens foramen in pariete, per quod solent hi, qui causâ deuotionis illò adueniunt, manum suam immittere, ac partem pulueris inde assumere.* Quis vsus huiuscemodi *foraminis* esset, liquidò constat, per illum enim manus à Christianis immittebatur, vt non brandea solum Diuorum admouerentur lipsanis, verùm puluis (de quo superiùs non ita pridem disseruimus) ex eorumdem memoriis, Sanctuariorum vice legeretur. Rem miram! vix illa velamina, siue palliola Sanctorum pignoribus applicita fuerant, cùm de subito natiuum pondus perosa nonnumquam euadebant ponderosiora: quòd & ad D. Petri Apostolorum Principis Mausolæum, & ad S. Martini tumulum vsu venire solitum animaduertit idem supra laudatus Turonensium Antistes Gregorius. De Memoria quidem Beatissimi Petri, *mirum dictu* (infit) *si fides hominis praualuerit, à tumulo palliolum eleuatum ita imbuitur diuinâ virtute, vt multò amplius, quàm priùs pensauerat, ponderaret: & tunc scit, qui leuauerit, cum eius gratia sumpsisse, quod petiit.* Quid verò ad S. Martini sepulchrum effici soleret inusitato planè prodigio, in gratiam Charracici cuiusdam Galliciæ Regis ab Ariana hæresi resilire despondentis, diuinitùs patrato luculenter commonstrat. Excitatâ ille à fundamentis miro opere Basilicâ D. Martino, *suos dirigit maiore cum munere ad salutem filio impetrandam* (sic S. Gregorius) *qui venientes ad Beatum locum reliquias postulabant* (à Turonensibus videlicet sacrorum pignorum custodibus) *cúmque*

Beda lib. 1. hist. gent. Angl. c. 3.
Euod. lib. 1. de mirac. S. Steph. cap 12.
Metaphr. apud Sur. in vit. S. Euphemiæ 11. Iul.
Gregor. Turon. loco proximè citato.
Idem lib. 1. de Mirac. S. Martini, cap. 11.

que offerrentur eis ex consuetudine, dixerunt, non ita faciemus, sed nobis quæsumus licentia tribuatur ponendi, quæ exinde sumamus, tunc partem pallij serici pensatam super beatum sepulchrum posuerunt dicentes: Si inuenimus gratiam coram expetito patrono, quæ posuimus, plus in sequenti pensabunt, erúntque nobis in benedictionem posita, quæsita per fidem. Vigilatâ ergo vnâ nocte, facto mane, quæ posuerant, pensitabant, in quibus tanta viri beati infusa est gratia, vt tandiu eleuarent in sublime æream librã quantũ habere poterat, quò ascenderat momentana: id est, idiomate Gallicano, libra, qua sacris pignoribus, applicanda librare antè mos erat, quàm per fenestellam in sepulchra Diuorum demitterentur. Ne porrò mirare idem miraculum ad B. Martini, & ad Principis Apostolorum memoriam edi solitum, quandoquidem illum *Apostolis, & sanctis Martyribus, sanctisque prioribus exæquauit Deus: felicem quidem Graciam, quæ meruit audire Apostolum Paulum prædicantem, sed nec Gallias à Christo derelictas, quibus donauit Dominus habere Martinum.* Ita Gregorius. Verùm in hoc argumento eloquenter tractando versatus est doctissimus Cluniacensium Abbas Odo, vt grauem offensionem, quam nescio qui angusti animi æquè, ac doctrinæ homines ex eo acceperant, *quod Martinum nostrum parem Apostolis canat & glorietur Ecclesia*, molliori suæ orationis spongiâ penitus obliteraret.

Idem Ibid. cap. 1. Sulpit. dial. 3.

Odo Cluniacens. Abb. tract. hac de re tom. 7. Biblioth. PP. Latin.

Ceterùm, quòd hæc brandea, palliola, sanctáque velamina Basilicis, & altaribus dedicatis illata, & ritè collocata, vt ex vtroque Gregorio intellexisti, vices Reliquiarum gererent, & innumera subitanearum sanationum, & miraculorum patrarent genera, eædem Diuorum Reliquiæ totidem in locis asseruari creditæ sunt, quot diuersis in Ecclesiis sacra illa Brandeorum Sanctuaria colebantur. Hoc enim nomine vocitata fuisse veneranda istiusmodi velamina, ex istis D. Gregorij Turonensis verbis accipies. *Cùm eleuatæ fuissent reliquiæ*, de quibus proximè actum est, *cum magno triumpho audierunt voces psallentes, qui erant in ciuitate detrusi in carcere, & admirantes suauitatem soni interrogabant custodes, quid hoc esset? dixerunt, Reliquiæ Domini Martini in Galliciam transmittuntur, & ideo sic psallitur. Tunc illi flentes inuocabant sanctum Martinum, vt eos sua visitatione liberaret; exterritisque custodibus, & in fugam versis, diruptis obicibus retinaculorum, liber populus fugit à vinculo, & sic vsque ad sancta pignora plebe inspectante venerunt, osculantes flendo Beatas Reliquias simulque & gratias B. Martino pro sui absolutione reddentes, quod eos dignatus fuerit suâ pietate saluare. Tunc obtentis per sacerdotem à Iudice culpis incolumes dimissi sunt.* Hoc, & alia perillustria miracula ad sacrum illud Brandeum diuinitùs patrata narrare pergit; Hinc igitur intelligis huiusmodi pallij serici partem à sepulchro S. Martini attacto mirabiliter diuinâ virtute imbutam, & *Reliquias*, & *sancta pignora* Martini nuncupari, quamuis ne quidem nudis sanctissimi Episcopi exuuiis fuisset applicita, sed soli superimposita sepulchro. Quo etiam *Reliquiarum* nomine sanctus Gregorius Magnus brandea Memoriis Apostolorum admoueri

Greg. Turon. supr. cit. cap. 11.

Idem. ibid. cap. 12.

solita vocitauit. Imò & *Patrocinia* fuisse nuncupata idem obseruauit, vti & secundùm ipsum Baronius Card. Eminentissimus.

S. Greg. Magn. lib. 5. epist. 50. Baron. tom. 10. Ann. Eccl. pag. 37.

Iam ex dictis colligi facile potest, quid æstimari, ac dici queat de tot Sudariis Dominicis, præsertim si pura sint, & nullâ Christi Seruatoris effigie insignita, quot tot diuersis in locis seruari diximus. Quid de velamine, quo Christus è cruce pendens tectus fuit iis partibus, quas natura, & pudor obnuptas voluêre? Non me latet obseruante & referente iampridem doctissimo Gretsero, non paucos è SS. Patribus in eam iuisse vulgò sententiam, vt crederent Christum in cruce nullo præcinctum fuisse velamine: attamen quando non satis liquidò constat eum planè nudum pependisse, imò cùm è continenti fidelium contrà sentientium fide, ac pietate, vero simillimum sit Seruatorem nostrum verecundiæ, ac honestatis amantissimum, non talem penitùs ex infami arbore pependisse, qualem eum Deipara suis è visceribus fuderat, & *quales nos auctore Deo natura formauit*, vt loquitur mellitus Ambrosius; aliquod eiuscemodi velaminum verius esse potuit Brandeum quodpiam, quàm reipsa velum, quo Christus suffixus lumbos circumcinctus fuisse piè, ac meritò existimatur. Et verò sacrum illud velamen tum in monte sancto Bauariæ, tùm Aquisgrani religiosè custodiri, & septimo quoque anno plebi, atque adeò Cæsari eò diadematis induendi causâ venienti spectandum exhiberi testes sunt Leo Rosmithal & noster Gretserus. Accedit pariter altera ex parte è nostris, nostratibúsque Odo Gissæus, qui venerandum illud velamen sanguineis etiamnum respersum guttis Anicij, vrbe Mariana, conspici, & coli testis oculatus narrat. Mitto recensere plurima alia loca, in quibus idem lipsanum custodiri, aut verè dicit, aut præfractè mentitur Caluinus. Eadem potest esse non contemnenda, super Eucharistico mantili, in quo Christus *sacerdos secundum ordinem Melchisedech* primùm fecit, multorum opinatio. De quo Viennenses Allobrogum, Anicienses, & Patres nostri Olyssiponenses tanquam pretiosissimo diuini amoris pignore vt superiùs dixi, se feliciter locupletatos gloriantur. Ad extremum quid de Zona serica, velóque B. Virginis Deiparæ, aliisque similibus velaminum generibus sentire possis, ac dicere, consequi facillimum est. Non enim in dubio mihi est animus, quin pleraque ex illis, vera sint brandea, quæ vt à germanarum Reliquiarum contactu consecrata religiosè (vt vt sint) iuréque optimo venerêre. Atque de hoc sanctuariorum genere hactenus satis.

Gretſ. lib. 1. de S. Cruc. cap. 22.

S. Ambros. lib. 10. in Lucam.

Leo à Rosmithal. in suo Itinerar. Gretſ. cit. Odo Gissey loco sæpissime cit. Caluin. Admon. de Reliq. cit. sæpe sæpius. Io. le Lieure Antiquit. Vienn. c 7. Odo Giss. cit. Io. Vvaltherus Viningus tract. de triplici cœna. 3. cap. 38.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

Sanctuaria varij generis comparata.

INfinitum esset ire sigillatim per omnia, quæ Christiani pro sua in venerabiles Reliquias fide,ac religione longè maximâ, Diuorum pignoribus, sepulchris,& capsis affricabant; vt ea solo ipsorum contactu consecrata pio sanè inuento in sanctuaria commutarent. Nam, vt Barlaam Ethnicum Principem erudiens, apud S. Ioannem Damascenum disserit: *vestes quoque ipsæ SS. Martyrum, & si quid aliud ad pretiosa eorum corpora propius accessit, omnibus venerationi sunt.* Satis ergo fuerit illustriora partim,partim vulgatiora quæque huiuscemodi Sanctuaria strictim per saturam delibare.

S. Ioan. Damasc. hist. Barlaam. c. 12.

§. I.

E Christi, B. Virginis, & Apostolorum exuuiis, Reliquiisve.

PRIMAS tenent inter illustrissima quæque Sanctuaria in paucis illa, quæ diuinissimum Christi corpus contigerunt, *cùm fides retineat* (ait S. Gregorius Turonensis) *omne quod Sacrosanctum corpus attigit, esse sacratum.* Etenim cuncta illis rebus piè admota religiosam quamdam venerationem apud Fideles obtinebant, & inse stupendam ad omnia miraculorum genera perpetranda contrahebant virtutem. Prætermitto de venerabili cruce, corona, clauis, sudariis, columna, vestibus, & aliis id genus rebus, quæ adorandam Christi Seruatoris personam proximè pertigerunt, hoc loco pluribus dicere. Ea loquor duntaxat, quæ, cruci, sindonibus, columnæ, ac reliquis eiusdem lipsanis piè à Christianis applicita speciem hauserunt sanctitatis: cuiusmodi fuit, *Holoserica illa pallula*, valde vetusta, quâ *Hierosolymis crucem Domini inuolutam fuisse*, refert Antistes Turonensis secundum Futet Abbatem Sanctissimum, qui, cùm apud Sophiam Augustam gratiâ polleret maximâ, venerabile illud pignus fuerat consequutus; cuius pallulæ portiones Religiosis *pro benedictione* particulatim diuisæ,tanquam pretiosa Sanctuaria ab illis summa cum veneratione asseruatæ sunt, grauissimásque corporum ægritudines,ac tartareas Dæmonum vexationes abegerunt. *Ad columnam* Seruatoris *multi fide pleni accedentes*, eodem teste Gregorio, *corrigias textiles faciunt, eámque circumdant; quas rursum*

S. Greg. Tur. lib. 1. de glor. Mart. c. 7.

Idem ibid. c. 6.

pro benedictione recipiunt diuersis infirmitatibus profuturas. Addit & terram è monumento, in quo exanimis Christus iacuit, auferri solitam, à quâ deinde *aqua conspersa tortulæ paruulæ formantur, ac per vniuersas mundi partes transmittuntur; de quibus plerumque infirmi sanitates hauriunt:* Ecce tibi quàm multiplicia sibi Sanctuaria è Christi Domini lipsanis piè contactis ingeniosæ fidei, religioso, laudabilique inuento comparare maiores nostri nitebantur?

A Seruatoris Christi Sanctuariis, in memoriam & stylum veniunt placentulæ, seu massæ, quæ olim è macerato puluere telluris, quam Christus, Deipara & sancti suis triuissent vestigiis, aut quoquo modo contigissent, à Christianis religiosè confici consueuerant. De terreis placentis, quas *lac B. Virginis* vocitari noster à Castro testis est oculatus, & auritus, iam superiùs meminisse sat fuerit: placet tamen addere eiusdem generis puluerem massam è solo, in quo S. Albanus martyrium fecerat, sibi Diuum Germanum abstulisse, & Reliquiarum habuisse loco. Sacrum autem illum puluerem à Christianis morbo correptis, tanquam pancrestum medicamentum, ebibi solitum præ reliquis, idem S. Gregorius Turonensis recenset.

Constantin. lib. 1. vit. S. Germ. c. 25.

Petrus ipsius maior natu frater ab febre grauiter exæstuans hausto è puluere, qui S. Iuliani Martyris tumulum circumfusus legebatur, continuò ita perfectè à febrium æstu refriguit, & conquieuit, vt eadem ipsa die, & cibum caperet persanatus, &, quod ferebat animus, eum ferrent & pedes. Idem alibi narrat non paucos è raso lapide sepulchri S. Felicis Bituricensis Episcopi (quod è marmore Heracleo constabat) epotóque modico illius puluere tam à quartanis, ac tertianis; quàm à quotidianis febribus momentò recreatos, plenéque curatos conualuisse. Alia perquam similia exempla legenti Gregorium, & reliquos sacrarum historiarum scriptores occurrent, vt minimè sit necessum paribus has paginas opplere; Apostolica citiùs Sãctuaria nonnulla referamus: A Seruatoris. Christi sanctuariis, in memoriã & stylũ veniunt claues imprimis aureæ quas ad D. Petri Apostolorum Principis exuuias à Pontificibus Romanis admoueri consuetas rerũ sacrarũ peritissimus quisque non nescit. Illas ego in duplici genere fuisse video, alias quidẽ, quibus Apostolicorũ vinculorũ ramenta affabrè includebãtur; alias verò, quibus eorũdem prorsus nihil indebatur. Huius meæ sententiæ optimum auctorem D. Gregorium Magnum & habeo, & nuncupo, quam meam sententiam ipsissima summi Pontificis oratione libenter pono ad maiorem veritatis fidem, & lucem antiquitatis sacræ. Is ad Reccaredum Visigothorum in Hispania Regem, de D. Petro optimè meritum, epistolas piissimâ vrbanitate plenissimas reddens. *Clauim paruulam* (inquit) *à sacratissimo B. Petri corpore, pro eius transmisimus benedictione, in qua inest ferrum de catenis eius inclusum, vt quod collum illius ad martyrium ligauerat, vestrum ab omnibus peccatis soluat.* Prior hæc est sacrarum illarum clauium species: posteriorem post pauca subdit in hæc verba: *Præterea transmisimus clauim aliam:*

Ibid. de glor. confess.

S. Greg.

aliam à ſacratiſſimo B. Petri Apoſtoli corpore, quæ cum digno honore repoſita, quæque apud vos inuenerit benedicendo multiplicet. Atque hæc verè, & propriè Sanctuarium fuit, vtpotè, cui non à B. Petri lipſanis introrſum conditis, ſed à ſolo ipſius Mauſolæi contactu per feneſtellam, pro more, admotæ inhæſerat ſanctitas omnis, & veneratio, quanta quanta demum fuit. Huiuſmodi autem conflatas ex auro clauiculas ſingularis doni & xenij loco tùm ad Principes, clariſſimáſque perſonas, tùm maximè ad Reges Chriſtianiſſimos ex Vrbe tranſmittere olim in moribus habuiſſe Pontifices maximos ipſorum literæ nobis ſilentibus loquuntur. Dixi (maximè ad Reges Chriſtianiſſimos) quòd ij omnium fuère nobiliſſimi Principes (quantum in memoriam redire poſſum longiſſimè) quos Romani Pontifices huiuſcemodi honoris genere ſunt dignati, atque in paucis Childebertum Gregorius Magnus, cuius ad ipſum ſcribentis verba ſunt: *Claues præterea S. Petri, in quibus de vinculis catenarum eius incluſum eſt, Excellentiæ veſtræ direximus, quæ collo veſtro ſuſpenſæ à malis vos omnibus tueantur.* Sic ille quem ſibi exemplo prælucentem eodem nomine ac dignitate *venerabilis* Gregorius ſecundus prudenter ſequutus bis à Romana ſede *S. Petri Apoſtoli claues venerandi ſepulchri cum vinculis S. Petri, & muneribus magnis, & infinitis legationem (quod antea nullis auditis, aut viſis temporibus fuit) memorato Carolo*, ſcilicet Martello, *deſtinauit*, vt ſui temporis res ſcribens narrat Auctor Anonymus apud Eminentiſſimum Cardinalem Baronium. Aliquot deinde poſt ſæculis, Leo, *vbi ſedere cœpit, nihil antiquius habuit quàm vt ad Carolum Magnum legationem decerneret: mittens itaque ad eum legatos, eiſdem ad ipſum munera dedit, claues ſcilicet aureas ex S. Petri confeſſione ex more acceptas, necnon vexillum Romanæ vrbis.* Secundum Chriſtianiſſimos Reges D. Gregorius Magnus ad Reccaredum Hiſpaniæ Regem, vt proximè ſuperiùs retuli, & ad Alphonſum Gregorius Septimus perſimiles ex auro clauiculas muneris loco tranſmiſerunt. Venerunt in eiuſdem partem honoris Columbus Numidiæ Epiſcopus Theodorus Imperatoris medicus, & Gregoria Auguſtæ cubicularia, quos parium clauicularum munere S. Gregorius ornauit. Et ecce tibi vnum, quod nimium quantum mirère: Longobardorum Rex Antharih, Arianum profeſſus dogma, conflatam ex auro clauem ad Pontificem in vrbem miſit, non quidem religionis, & obſeruantiæ amore (quod feciſſet orthodoxus) ſed diuinæ virtutis demiratione, vel etiam formidine pœnæ (quod mali & Infideles ſolent) quâ verò occaſione, atque conſilio? auſculta D. Gregorio, rem totam in hunc modum ediſſerenti: *Dum clauim quidam Longobardorum ciuitatem ingreſſus in Tranſpadanis partibus inueniſſet, quia S. Petri clauis eſſet deſpiciens, ſed pro eo, quòd eam auream vidit facere ſibi ex illa aliquid aliud volens educit cultellum, vt eam incideret, qui mox cultellum, cum quo eam per partes mittere voluit, arreptus per Spiritum, ſibi in gutture defixit, eadémque hora defunctus cecidit. Et dum ille Rex Longobardorum Antharih,*

Greg. lib. 5. epiſt. 6

Append. ad Greg. Tur. c. 10.

Baron. tom. 9. *Annal. Eccl. ad ann.* 726. N. 44. & 740. N. 22. *Idem ad ann.* 796. N. 21. *Idem tom.* 11. *Annal. Eccl. ad ann.* 1079

S. Greg. lib. 2. *ep.* 47. *lib.* 6. *ep.* 25. *lib.* 3. *ep.* 23.

Idem lib. 6. *ep.* 23.

atque alij multi eius homines adessent, & is, qui se percusserat, seorsim mortuus; clauis verò hæc seorsim iaceret in terra, factus est omnibus vehementissimus timor, vt eandem clauim de terra leuare nullus præsumeret. Tunc quidam Longobardus Catholicus, qui sciebatur orationi, & eleemosynis deditus, Minulphus nomine vocatus est; atque ipse hanc leuauit de terra. Antharih verò pro eodem miraculo, aliam clauem auream fecit, atque cum ea pariter ad sanctæ memoriæ decessorem meum, Pelagium transmisit indicans quale per eam miraculum contigisset. O diuinæ potentiæ virtutem omnibus sæculis adorandam! quæ vel ab hostibus deuenerationem cum pauore, ac prædicatione coniunctam extorquet! At quid illi claui aureæ factum? *Ipsam vestræ excellentiæ* (inquit idem ad Theotistum, & Andream quibus rescribit) *transmittere studui, per quam omnipotens Deus superbientem, & perfidum hominem peremit. Vt per eam vos, qui eum timetis, & diligitis, & præsentem salutem, & æternam habere valeatis.* Hactenus Beatissimus Pontifex.

E cuius oratione mecum obserues pervelim olim, & illis tùm maximè temporibus, in moribus fideles habuisse haud absimiles ab illis ex auro clauiculas sibi pia contentione, ac laudabili ambitu comparare studuisse, quas à sacratissimo Apostolorum Principis corpore, memoriâque acceptas pro Sanctuario, atque pro phylacterio è collo suspensas pietatis ergò circumferrent: alioquin nisi id religionis genus fuisset illo æuo Christianis quàm maximè tralatitium, quî potuisset homo Ariana infectus perfidia, & ab orthodoxis, hoc est, Romanis ritibus alienissimus, diuinare, illam auream clauim, in quàm fortuitò inciderat *D. Petri clauem* esse, vti testatur Gregorius; quámque vt talem, despicatui; vt auream habebat in pretio? Debuit ergo homo Arianus cognouisse eam auream clauim cuipiam orthodoxo pro Sanctuario fuisse, atque ab eodem inopino casu amissam è collo nihil minus cogitanti defluxisse. Verùm ne nostram istam opinationem, vt nullam, vel vanam certè, dubiámve reputes, D. Gregorium Turonensem auctorem adduco, & Fidelium hac in parte religionis, & piæ huiusce consuetudinis oculatum testem, qui de religiosa eorundem, in brandeis, aliísque sanctuariorum generibus ambiendis auiditate tractans sic loquitur: *Multi claues aureas ad reserandos cancellos Beati Sepulchri* (scilicet Apostolorum Principis Petri) *faciunt, qui ferentes pro benedictione priores accipiunt, quibus infirmitates tribulantium medeantur. Omnia enim fides integra præstat.* Hæc religiosissimus Antistes, & verè. Sed de aureis B. Petri clauibus in præsentia satis.

Greg. Turon. lib. 1. de glor. Mart. cap. 28.

§. 2.

§. 2.

E' Diuorum lipſanis.

IAM verò progrediamur ad vulgatiora Diuorum ſanctuaria, in quibus principiò Memoriarum operimenta numero: illis enim non holoſericis modò, ſed etiam auro, argentôque rigentibus, necnon pretioſiſſimis quibuſque gemmis, & vnionibus profusè ſtellatis (quæ illorum erat aureorum temporum erga Beatorum reliquias munificentia) Martyrum Confeſſorúmque Mauſolæa velari à Chriſtianis conſueuerant. Quæ operimenta, *Pallas*, *Pallia*, *Palliola*, aliiſque nominibus vocitata, vtpote ſalutari virtute ad omne miraculorum, ac ſanationum genus edendum fœta, Sanctuariorum, ac Reliquiarum vice ſemper magno in pretio, ac veneratione Chriſtiani habuerunt. Secundo loco herbas, & flores Diuorum thecis, ac ſepulchris admotos, ac imbris in morem inſperſos repono; quos à religioſo illo contactu ſalutares, quàm multi fuerint olim experti, memorant pluribus S. Auguſtinus & Gregorius Turonenſis. Atque, vt ſileam ſalutiferas illas roſas, quibus circum S. Proſerij martyris memoriam pauimentum conſperſere Angeli, aliena prorſus tempeſtate; veniat in memoriam admirabile illud lilium, quod in Baſilica, neſcio cuius martyris, vrbiſque Beorritanæ presbyteri, æuo S. Gregorij proximè laudati, tanquam pretioſiſſimum ſanctuarium aſſeruabatur; nec ſanè immeritò; propterea quòd dudum collectum exuccum, & ſiccum reuertente quoto quoque anno, ſacra ipſi die, mirabili vigore ita reuiuiſcere conſueuerat, *vt intuerentur illa die populi flores nouos, quos pridem viderant arefactos.*

Idem ibid. cap. 72. & lib. 1. de Miracul. S. Martini c. 11. & lib. 2. cap. 10. 43. 54. 60. & in prolog. lib. 3.
Item lib. de vit. S. Senoch. & alibi paſſim.
Sur. tom. 1. vit. SS. 13. Ianuar. p. 305.
Georg. Alex. de S. Chryſoſtomo, apud Cocc. lib. 5. theſ. Controu.
S. Auguſt. lib. 2. de Ciu. Dei. cap. 8.
S. Greg. Turon. lib. de vit. S. Nicetij p. 1871. B. & lib. 2. de glor. Mart. c. 46.

Tertiò cerei è tumulis Diuorum in ſanctuaria abrepti vel tantillum ex illorum cera dono acceptum, quo in pretio quôve commodo olim Chriſtianis extiterint eidem S. Gregorio Turonenſium Epiſcopo, aliiſve memorandum relinquo. Quid memorem oleum è lampadibus, ad Martyrum imagines Memorias, & lipſana vulgò appenſis expetitum? quid veſtes ægrorum iiſdem affricatas? quid epiſtolas? quid chirographa? quid vela Diuorum exuuiis oppanſa? quid ſexcenta alia non modò, velut ad pancreſtum medicamentum, ſed etiam ad Sanctuaria, & venerabiles Reliquias promiſcuè, ac pene perpetuò ſacris pignoribus admota ſigillatim, ac nequicquam percurram, cùm id lippis, ac tonſoribus notum ſit.

Idem lib. 2. de glor. Mart. c. 74.
Idem lib. 2. de mirac. S. Mart. cap. 1. 2. 3. 4. &c. & lib. 1. c. 38.

Delibabo tamen ad ſummam aliqua, quæ ob ſui raritudinem, & infrequentiam à paucis ſciuntur, & plerunque ab omnibus ignorantur. Tria admodùm raro pro ſanctuariis vſurpata fuiſſe lego apud S. Gregorium ſæpe ſæpiùs à me laudatum. Primum ab Italis, *apud quos,*

S. Greg. Turon. lib. 1. de mirac. S. Mart. cap. 13.

dum quidam veneno pustulæ (vt ipse loquitur) *peruasus indiscretione sic ageretur, vt viuere desperaret, aliquos interrogauit, ad templum Martini quis fuerit? Tunc quidam ex astantibus asserit se fuisse, Requirit ægrotus, quid idem pro benedictione detulerit. Qui negat se aliquid præsumpsisse: quem iterum interrogat, qua tunc veste indutus fuerit cùm ad templum sancti peruenit. Respondit, quòd ea ipsa, qua super se, ipso tempore, vtebatur. Tunc abscissa fideliter indumenti particula imposuit super pustulam: mox vt ægri membra attigit, vulnus pustulæ veneni vim perdidit, quæ tali medicamine virtutem sancti protulit, & infirmum incolumem refert.* Hinc ne tantùm Sanctuarij vel raritatem, vel medicabilem vim suspice, sed insuper obserua piam & veterem Christianorum consuetudinem, quibus id solemne fuisse vides nunquam Diuorum Basilicas, & oratoria religionis causa visere, quin aliquid, quodcunque tandem illud foret, illinc domum sanctuarij vice reportarent. Alterum apud eosdem Italos *Spiritalis disciplinæ viguisse genus* ex eiusdem D. Martini Martyrio, tanquam è præsentissimo quodam narthecio, peculiariter, & vnicè (vt quidem videtur) petitum ibidem asserit: vt nimirum, *aut ex velo ianuæ, aut palliolis, quæ pendent de parietibus, quidquid primùm raptum foret, fieret salubre.* Ab vno à Nostratibus Gallis tertium excogitatum est Sanctuarij genus: quod ab eodem Turonensi Antistite literis sic consignatum accipe. *Vnus fide plenus expetiit, vt aliquid pignoris de sancti basilica pro more secretius deportaret, & multis conatus viribus nunquam potuit, dum publicè non præsumpsit. Reuerti autem cupiens nocte ad funem illum, de quo signum commouetur, aduenit. Ex quo fune decisam cultro particulam, secum detulit regressúsque domum multis exinde infirmis sanitatem accommodauit.* Hæc ille. Præter hæc tria ciues Gratianopolitani, alia perquàm inusitata Sanctuaria finxerunt, cùm enim S. Hugo ipsorum Antistes humandus deferretur, *nonnulli sandalia ipsa ardentiori fide osculando mordebant, aliquid inde ob Sanctificationem secum ferre volentes. Annuli, ac nummi & res aliæ applicabantur corpori, vt eo sepulto pro reliquiis haberentur*, vt Guigo Carthusiensium Prior in eius vita testatum reliquit. Ad extremum addo inusitatam penéque dixerim incredibilem quorundam è Cisalpinis nostris erga S. Lupicinum venerationem, & suspiciendam in ipsius lipsanis prehensandis, conquirendísque ambitionem. Vix Athleta Christi, & mundi triumphator egregius *humo incumbens* (inquit fidissimus eius scriptor Gregorius) *spiritum cœlo intentum præmisit ad Dominum. Tunc omnes in fletu prostrati, alij plantas osculantur: alij fimbrias vestimenti deripiunt; alij de pariete beatum sanguinem, qui ab eius fuerat ore proiectus, inter se certantes excudunt. Miserum se quisque dicebat, si immunis ab eius pignoribus discessisset. Testis est hodie quoque & ipse paries, qui tot fossulis patet, quot ab ore beati confessoris sputos* emeruit. Hærebat istud stylus hîc exarare, ne delicatulis quibusdam facerem nauseam, qualem Caluiniano cuidam, Catholico tamen personato, mouere quondam *Cantuariæ* (verbis vtor Erasmi) *fragmenta quædam linteorum lacera plera-*

Idem lib. de glor. Confess. cap. 26.

Ibid. cap. 28.

Guigo Carthus. in vit. S. Hug. Episc. Gratianopol.

S. Greg. Turon. lib. de vit. SS. Patrum, cap. 7.

quæ mucci vestigium seruantia. His (vt aiebant) S. Thomas, vir pius, & suo sanguine laureatus *extergebat sudorem à facie, siue collo, pituitam à naribus, aut si quid esset similium sordium, quibus non vacant humana corpuscula. Hic meus Gratianus rursus non optimam iniit gratiam; huic, & Anglo & noto, nec mediocris auctoritatis viro. Prior benignius vnum è linteolis obtulit dono, credens sese munus longè gratissimum offerre. Sed Gratianus hic parum gratus, non sine fastidij significatione digitis contrectauit vnum, & contemptim reposuit, porrectis labiis, velut popysmum imitans. Nam hic illi mos erat, si quid offenderet, quod tamen contemnendum esse iudicaret.* Atque is fuit hominis nauseantis sensus, ne dicam, religio, ad Sudariorum D. Thomæ contactum, vt meritò Ogygius subinferat, *meum animum, simul & pudor & timor discruciabant.* Certè communis est omnibus heterodoxis istiusmodi nausea quæ illis toties subit, & cietur, quoties apud Lucam legunt, *virtutésque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius Sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Apage sis ista Sudaria muco, pituita, & sudore Paulino plena? Hic tuam Luca, Medice sapientissime, prudentiam fortè non nemo requirat, qui anteà, quàm hæc scriberes pro ea, quæ in te fuit rei medicæ ac diuersarum corporis humani constitutionum peritia, non peruideris aliquando fore, vt rediuiua Vigilantij soboles ad solam huiusmodi Sudariorum recordationem fastidiosè nausearet. Quid his facto opus? iacta est alea; volat irreuocabile verbum: vnum, te Medice piissime pro heterodoxis nostris enixè rogitem, vt saltem iam cœlo donatus ipsis stomachum firmiorem, meliorem mentem, saniorem fidem impertiaris; ne deinceps Pauli, Nicetij, Thomæ Cantuariensis, & aliorum diuorum Sudaria, multóque magis B. Lupicini sputa è parietibus erasa illis tam infido, quàm superbo fastidio sint. Quæ enim naturæ vilissima sunt homini animali, *potentia sunt Deo ad destructionem munitionum* hæreticarum aduersus Ecclesiam Dei. Quid enim potentius Sudariis, & semicinctiis Pauli, quibus languores omnes momentò depelluntur, & coniuratæ malorum geniorum legiones turpissimam vertuntur in fugam? Quid potentius? quídve præsentius ad faciendam immanissimis quibúsque morbis de subito medicinam, quàm arenatum sanguine, ac pituita sancti Lupicini altè imbutum, de quo *sic scribit* Gregorius Turonensis: *vidi ego multos, qui euulsos à pariete sacrati oris sputos* (verbo sit venia) *in diuersis infirmitatibus positi meruerunt accipere medicinam.* O potentem, & mirabilem panacæam! *Sed hæc omnia* (inquit scriptor piissimus) *fides strenua operatur, dicente Domino, fides tua te saluam fecit.* Haud alius fuit S. Chrysostomi ab illo sensus dum orationem suam planè auream super calamitatum humanarum vtilitate in hæc verba est auspicatus. *Trium puerorum, & Babylonicæ fornacis enarratio aliquatenus, vt videtur, vestram heri charitatem consolata fuit; insuper autem, & de Iob exemplum, & fimus omni tribunali regio venerabilior.*

Erasm. Colloq. citato Peregrin. relig. causa.

Act. c. 19. v. 12.

S. Greg. Turon. vit. S. Nicetij Episc. Lugd.

2. Cor. c. 10. v. 4.

Idem loc. supr. cit.

Idem. lib. 1. de mirac. S. Martini cap. 29.

Matth. c. 9. v. 22.

S. *Chrysost. hom. 5. ad pop. Antioch.*

S 2 Ex

Ex throni enim regij aspectu nullum erit spectantibus lucrum, sed temporalis duntaxat delectatio, nullam habens vtilitatem: Ex fimo autem Iob viso omnis quiuis capiet vtilitatem, & disciplinam multam, & exhortationem ad patientiæ rationem. Itaque multi & longam, & transmarinam peregrinationem à terræ finibus in Arabiam abeunt, vt fimum illum cernant; conspicati terram deosculentur, quæ illius victoris certamina, & cruorem omni auro pretiosiorem suscepit. Neque enim tantum radiaret prætexta, quantum illud corpus tunc resplendebat, non alieno, sed proprio lotum sanguine. Vlcera verò illa gemmis omnibus erant cariora. Mirum! nisi si nauseabundus è Caluini, Lutherive gregariis homulus, nescio quis, hîc subitò exclamet: O te stercoreum Chrysostome oratorem! qui nobis fimum, & oleta plenis buccis vsque eò deprædices? Vesanum! qui Iobi fimum regio tribunali venerabiliorem iactites? impium! qui religiosis illum osculis lambendum velle, nobis suadere moliaris. Verùm quid illi rediuiuo Vigilantio, seu potius Dormitantio facias? *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei; stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur, Spiritualis autem iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur*, inquit Doctor gentium Paulus. Nimirum Heterodoxus, spiritali & Orthodoxo nullus est, quandiu *animalis homo*, ac Heterodoxus est.

1. ad Cor. c. 2. v. 14.

Ex his, sexcentísque aliis prodigiis, quæ ad sua Diuorum sanctuaria edi viderunt Fideles, in eam piæ fidei venerunt obstinationem, vt ducerent, dicerentque tot in locis easdem alicuius cœlitis se habere reliquias, quot diuersis in Ecclesiis eorum sanctuaria simillima asseruarentur. Quin tu velis idem Christianum vulgus super suis sanctuariis sentire ac piè credere? & rusticanum illum hominem Christianæ fidei simplicitate suspiciendum. Hic referente Hincmaro Remensi Archiepiscopo, cùm à Regij ærarij Præfectis, atque Quæstoribus agros, domum, supellectilem, omniáque haberet infestissima; nihil habuit antiquius, & deliberatius, quàm ad D. Remigij memoriam tanquam ad tutissimum asylum confugere. Ergo suo, eduliorum vi, atque cereuisia onusto carro se dat in viam, Rhemos aduenit, sacrorum pignorum, ædisque custodes comportatis donat eduliis: ad S. Remigij memoriam cereum, pro more, accendit, multâ prece cœlum, ac Cœlitem, spe plenus fatigat, vt ab iniusta, & diuturna Regiorum Quæstorum diuexatione se incolumem præstare velint. Quid multa? Diuum enixè veniam apprecatus, & pauimento Basilicæ, pulueris, quàm potuit plurimum colligit, collectum & panno colligatum imponit carro, atque iniecto (vt in funere assolet) desuper linteó tectum festiuus magis, quàm festinus domum comportat. Super viam autem sese identidem rogantibus obuiis quibusque, suo ille carro quid deuehat? *Se sanctum Remigium ducere*, mira verborum, & animi simplicitate respondet, illi hominem de potestate mentis deiectum credere, excipere risu, sannis illudere, sibilis consectari; Verùm Deus innocenti hominis simplicitati gratificans prodigiorum mirabilitate,

Hincmar. Archiep. Rem. de prima S. Remig. transl.

ſitate, & optata demum ab infeſtis exactoribus quiete, piam ipſius fidem, beatam ampliſſimè cumulauit. Pari facilis, ſynceræque fidei ſimplicitate, & obſtinatione potuêre hactenus fideles credere ſe diuerſiſſimis in locis eoſdem ſanctos, aut ipſorum certè habere lipſana, quorum puluere, ſudariis, brandeis, aliiſque id genus Sanctuariis duntaxat potiuntur. Verùm progrediamur vlterius.



CAPVT QVARTVM.

INNOCENS, ET PIVS CHRIſtiani vulgi error.

CAVSA QVARTA.



NON vltimam hãc eſſe puto cauſam tam numeroſę multitudinis earundem numero venerabilium Reliquiarũ, quæ in tot diuerſiſque Eccleſiis, diſſitiſq; locis paſſim toto orbe Chriſtiano cuſtoditæ viſuntur, & Catholicum in morem adorantur. Iuerunt in hanc ſententiam Eminentiſſimus Cardinalis Baronius paulò inferiùs à me laudandus, & ſecundum illum viri multæ literaturæ, quà ſacræ, quà profanæ: noſtro ex ordine Gretſerus, aſſerens ſe nouiſſe *temporis diuturnitate, fideliúmque perſuaſione ſæpius eueniſſe, vt ſacra lipſana permutarentur, alterúmque in alterius locum ſubſtitueretur, & id, quod non erat, eſſe cenſeretur,* piâ dicam fide? an *tolerabili,* vt ait Baronius, *errore?* Verùm ille *innocens, ac pius error* Fidelium, Deo ita pro ſua ſingulari prouidentia, & arcano conſilio permittente non vno è fonte cadit, & huiuſce (vt plurimæ ferunt ad omnem errorem viæ) non vna eſt (vt quidem reor,) quod vt enucleatiùs & iucundiùs detegamus, diſputationem noſtram in aliquot articulos partiri operæ pretium erit.

Gretſ. lib. 1. de S. Cru. c. 22.

ARTICVLVS PRIMVS.

Pij erroris origo, Homonymia.

PRimum *innocentis, & pij erroris* circa earundem sacrarum Reliquiarum multitudinem caput, & fontem autumo esse nominum, quibus cœlites dum vitam viuerent, nuncupatos scimus, similitudinem, quâ similitudine (vt verbis vtar Augustini) *plena est consuetudo generis humani, vt non solùm duos, sed etiam plures vno nomine vocitent.* Quare cùm plurimi Sanctorum, quos cœlo donatos, & sacris adscriptos fastis veneramur, iisdem nominibus insignirentur, non infrequenter Christiani alicuius cœlitis, cuius apud omnes nomen celebrius, famáque foret illustrior, sacra pignora, quæ cuiusnam essent Diui fortè ignorabant, penes se habere pluribus in locis glorientur. Quis extiterit super hac re nostri Suarez sensus, non erit inutile audire, cur eædem Diuorum Reliquiæ diuersis in locis esse credantur? *causa interdum esse potuit* (sic ille) *quia Sancti fuerunt eiusdem nominis, & successu temporis, vtriusque Reliquiæ eiusdem personæ existimatæ sunt, & propter nominis ambiguitatem illi attributæ, qui maioris habetur gloriæ, & sanctitatis.* Ita Suarez, vir rerum Theologicarum apprimè sciens, maximíque apud Theologos nominis, & inter illos ipsos virtutis. Attigerunt eandem rationem è nostro Ordine alij, doctores plerique omnes, quos nominatim referre operæ, nec necessitatis pretium est. Quàm multi Confessores? quàm frequentes Martyres? quàm numerosæ Virgines, viduæve idem gesserunt nomen? Etenim Augustinos inuenias tres, sexaginta duos Felices, quatuor Bernardos, Athanasios quinque, Antoninos tredecim, duodecim Cyrillos, Dionysios nouemdecim, Petros tres supra triginta; vnum & quadraginta Ioannes, Antonios sex; & triginta quinque Iulianos, sic de reliquis Cœlitibus, quos in Græcorum Menologiis, & Latinorum Martyrologiis cuilibet obseruare in promptu est, quod iampridem noster P. Cottonus, qui à concionibus, & confessionibus Henrico IV. Francorum Regi Christianissimo fuit, toto orbe Christiano, quà scriptis, quà virtutis, & eloquentiæ famâ notissimus animaduersum posteritati reliquit. Quid memorem proprios singularum Ecclesiarum, & Cœnobiorum fastos, Menæa, & Necrologia sacra, quibus bene multos Cœlites eâdem nominis appellatione insignes legas.

S. August. libro contra Donat. post collat. cap. 13.

Suar. in 3 p. tom. 1. quæst. 25. disp. 55. sect. 2. dub. 1.

Pet. Cotton tom. 1. Instit. Christian. lib. 2. c. 23.

Subit animum recordatio legere me apud Procopium rerum sui æui locupletissimum, & oculatum testem quondam à Gentilibus de subito ad fidem Christianam conuersis factitatum fuisse non raro, cùm persequutionis æstus feruebat, vt maximè, *sæuiente* (inquit) *persecutionis tempore Ethnicos multos Sanctorum hominum appellationes sibi arripere vidimus.*

Procop. in Isai. c. 44.

vidimus. Se enim Iacobum alius, alius Israëlem, alius etiam Ieremiam, & Esaiam, & Danielem nuncupabant. Quibus assumptis appellationibus alacri, & forti animo ad Martyrium accedebant. Itaque vaticinium illud Isaiæ impletum, asserit. *Ille vocabitur in nomine Iacob, & hic scribet manu sua Domino, & in nomine Israël assimilabitur.* Hoc est, eodem interprete Procopio: *ille sibi Iacob nomen asscribet, quantumuis ex Iacob non sit; sed ex deserto gentilitatis prodierit.* Quod hi de subito, & ex incogitantia, vel potiús interna diuini numinis permotione fecerunt; hoc & alij deinceps bene meditati, & grauibus adducti rationibus laudabiliter præstiterunt. Nostin' S. Augustinum Aurelij, Cyprianum Cæcilij, Fortunatum Venantij, alios aliorum nomina sibi arripuisse? at vndenam? Augustinus, ab Aurelio Episcopo Hipponensi; Cyprianus à Cæcilio, pientissimo Sacerdote; Fortunatus à Venantio nuncupari voluerunt. Quid ita? quòd illos vel in Christo, & spiritu parentes, vel in sacris litteris doctores, vel in virtutum stadio Athlothetas, & ad Cœlos, ac beatam æternitatem prodromos habuissent. Ab hac igitur homonymia, & nominum similitudine Theologi ad vnum omnes censuere, tam numerosam earumdem numero Reliquiarum, quæ diuersissimis in locis asseruantur, multitudinem tolerabili Fidelium errore, vel innocenti prorsus inscientia fuisse profectam. In basilica S. Pauli, Constantinopolitani Patriarchæ plurimi *nescientes veritatem* (verba sunt Sozomeni) *Paulum Apostolum, iacere credunt, & maxime mulieres & populus.* Cuius persuasionis, vel potius innocentis erroris origo ab homonymia ducta est, quòd in illa basilica seruarentur exuuiæ Beati illius Episcopi Pauli, quas Theodosius Imp. Ancyra deuectas ibi honorificè collocarat.

Isaiæ cap. 44. v. 5.

S. Hieron. Catalog. Illustr. Viror.. Paul. Diac. Sigeb. Bouuer in vit. Venant. Fortun. cap. 1.

Sozom. lib. 7. hist. Eccl. cap. 10.

Inde non est arduum iam conficere, quid sentiendum sit de Sacrosanctis D. Antonij magni pignoribus, quæ Arelatenses sibi vendicant, eáque succollantibus quatuor Eremitis tota vrbe supplicabundi magnâ pompâ quotannis circumferunt. Ordo contrà de nomine S. Antonij æquè atque à sua pietate, vitæque Sanctimonia venerabilis in agro Viennensi tanti confessoris, suíque in Christo parentis optimi exuuiis se frui gloriatur, & maximo populi concursu exhibet adorandas. *O felicem dixerim Viennæ, & Burgundiæ regionem* (exclamat piissimus Gerson) *quæ venerandis S. Antonij corporis sacrosancti Reliquiis decoratur. O felices! qui religioso & peculiari quodam tanti Patris obsequio dedicari meruerunt.* Quam controuersiam partim ab Aegyptij Antonij, partim ab Antonij Lirinensis, cuius præclara facinora prosequutus est stylo Ennodius, partim ab alicuius alterius è sex Antoniis appellatione, sacrísque lipsanis exortam optimus quisque æqui, boníque consulet, definiet penitus nemo.

Gers. serm. de S. Antonio.

Ennod. vit. S. Antonij Lirin.

Sic *inter Francos, & Germanos* (verba sunt Petri Halloix è Societate nostra viri, de Gallia nostra optimè meriti) *siue potiùs inter duorum celeberrimorum cœnobiorum viros religiosos; vnius in vrbe S. Dionysij haud procul Parisiis, alterius Ratisbonæ in Baioaria, olim viguit, & nunc,*

Pet. Halloix in vit. S. Dionys. Areop.

nunc, viget de S. Dionysij Areopagitæ sacro corpore non mediocris contentio. Nam illi se semper possedisse, & possidere; hi verò istos olim quidem possedisse sed nunc se possidere totis viribus pugnant. Ratisponenses enim translatum ad se dicunt, tempúsque ac modum, & commoditatem ostendunt, aut certè conantur, quoad possunt ostendere. Baronius quid contra asserant Franci in medium adducit, non dirimit tamen, nec discutit litem, sed tanquam fessus, atque ad extrema anhelans tantùm hanc de S. Dionysij corpore altercationem ei comparat, quæ inter Cassinenses & Floriacenses de B. Benedicti sacro pignore multa intercessit sæcula. Ipse verò Halloix *vt in longe minori itinere exercitus* elucidare totam controuersiam nititur, ac secundum Galliam ferens sententiam: *Maneat* (inquit) *vt longè probabilius dictum, S. Dionysij corpus in Francia potiùs esse, quàm vsquam alibi.* Constat tamen ex Rigordo *duo ossa de collo S. Martyris esse in Ecclesia Vergiacensi, & os quoddam de brachio Stephanum Papam tertium secum ad Romanam portasse Ecclesiam, & posuisse in Ecclesia, quæ hodie schola Græcorum vocatur.* Verba Gothi scriptoris sunt. Manum autem sanctissimi Areopagitæ, & antiquissimi Ecclesiæ doctoris à Carolo Simplice Francorum Rege ad Henricum Saxonum Regem *in pignus perpetui fœderis, & amoris auro, gemmisque inclusam fuisse* olim transmissam Sigebertus commemorat. Eam porrò manum Scriptoris diuinè, ac velociter Scribentis noster Halloix non ita pridem laudatus opinatur ipsissimam fuisse, quàm maxima sua totius Regni Christianissimi iactura, & damno Clodouæus secundus multò irreligiosiùs quàm ante S. Antistitem habuerat, dicitur abscidisse: *Rex tamen*, referente Guaguino, *etsi insano non dissimilis esset; brachij partem ablatam auro circumdatam, & multis gemmis decoratam Beato corpori restituit.* Alibi eiusdem beati Antistitis lipsana reperiri non sum nescius, quorum omnium locorum religiosam contentionem præter synecdochen, & metonymiam, homonymia per quàm facilè poterit conciliare.

Rigord. in vit. Philipi Aug. Franc. Regis.

Sigeb. in Chron. ad ann. 922.

Ado Vienn. in Chron. Guaguin. lib. 3. hist. Franc. cap. 4.

De Sancti Ioannis Baptistæ pignoribus quàm multa contendunt oppida, vrbes, & nationes? Obseruauit iampridem eruditissimus Baronius, *non tantum Alexandriam sacrarum Reliquiarum Præcursoris Domini factam fuisse participem, sed etiam alias vrbes, orbísque regiones tantis pignoribus locupletatas. Eadem enim Cyrum Syriæ ciuitatem ex Palæstina esse delata scribit Theodoretus in Theophilo. In Gallias insuper ad Vasensem ciuitatem, ac Mauriennam vrbem esse perlatas sacras S. Ioannis Baptistæ reliquias scribit Gregorius Turonensis. Testatur hoc ipsum de Maurienna Sigebertus, agitque de miraculis illic editis. Nec prætermimus S. Paulinum Nolanum Episcopum easdem in Nolana Basilica condidisse, vt ipse scribit in natali S. Felicis, itemque S. Gaudentium Episcopum Brixianum in basilica à se condita collocasse, vt idem refert in sermone habito in dedicatione eiusdem Basilicæ.* Hactenus Baronius. Quid referam venerandas Baptistæ beatissimi Reliquias Sebaste Hierosolymam translatas, & aliquas supra Alexandrinum Serapium collocatas. Sileo

Baron. in Notis Martyrol. Rom. 29. Aug.

Greg. Turon. lib. de glor. Mart. cap. 12. & 14. Sigebert. Chron. ad ann. 613. S. Paulin. Natal. 9. S. Felic.

Sileo D. Innocentium Martyrium excitasse, *in quo sitæ erant*, teste Palladio, *Reliquiæ S. Ioannis Baptistæ*. Verùm, vt de singulis diuini Præcursoris pignoribus cursim aliquid dicamus. Caput, de quo variæ contendunt ciuitates in Emissena vrbe seruatum Marcellinus Comes: Constantinopolim è Coslao vico translatum Sozomenus meminerunt. Alexandriâ in Gallias deuectum habere se Ambianenses, & oppidani S. Ioannis Angeliacensis contendunt apud Saussayæum sed illud bisectum quòd Bertha, Pipini Regis Regina coniux in extructo à se templo Angeliacensi deposuisse, dicitur à Nicolao Hoüel. At, quidquid contra doctissimus Annalium Ecclesiasticorum conditor Cardinalis Baronius scripserit (nam caput illud non S. Ioannis Baptistæ, sed alterius Ioannis Edessa oriundi, & Alexandriæ pro Christo capite truncati reipsa esse, pluribus probare contendit, atque adeò Romæ asseruari in Ecclesia S. Syluestri ad Campum Martium sanctè confirmat.) *Pars tamen illa capitis* (inquit) *mentum dicta, qua illud*, (scilicet Romanum) *caret, Augustæ Prætoriæ in finibus Subalpinorum haberi perhibetur, licet aliæ ciuitates easdem sacras Reliquias sibi vendicent.* Frontem, & capillos eiusdem Christi Præcursoris se possidere Ouetum apud Astures iactitat. Parisij superiori capitis parte, à D. Ludouico Francorum Rege redempta (Balduini Imperatoris Constantinopolitani id pium munus fuit) religiosè gloriatur. Ecclesia Lugdunensis, eidem sanctissimo Præcursori sacra, è suarum Reliquiarum naufragio longè funestissimo, quod ipsi hæreticorum sacrilega rabies, &auri sacra fames superiori sæculo creauit, exiguum duntaxat frustum menti S. Ioannis Baptistæ, veluti superstitem tabulam, iam sibi reliquum asseruat, & pretiosa inclusum lipsanotheca venerabundæ Fidelium plebi exhibet honorandum. Spectaui propiùs, & adoraui, quo tantum Cœlitem decet, cultu. Deplorandam reliqui huiusce lipsani iacturam flebili stylo prosequutus est R. Dominus Gabriel de Saconay venerabilis eiusdem Ecclesiæ Præcentor, & Comes. At de hac Diuini Prodromi lipsano recurret alibi, sequenti libro dicendi occasio. Alij alias sacri illius capitis, suo Martyris cruore laureati, particulas piè ostentant, ostendúntque orthodoxo ritu, modôque veneraturis. En quot super vno inuictissimi Martyris capite contentiones, quod tam facilè, eheu! olim demessum est, quàm sacrilegè petitum, & impetratum fuerat: & adhuc sub iudice lis est. Pollicem eiusdem Dominici Præcursoris, quo Christum indicasse piè creditur, *cùm diceret, Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi. Hierosolymis delatum esse in insulam Melitam à fratribus Hospitalis S. Ioannis, illicque magna veneratione haberi*, testis est proximè laudatus Baronius. Sigebertus hunc ipsum *Pollicem apud Galliæ vrbem Mauriennam seruatum* refert, *& cum tres Episcopi de hoc sancto pignore partem vellent elicere, tres sanguinis guttas stillare in linteo supposito stupuerunt.* Refragantur vtrique Trecæ, quæ sanctissimi viri indicem cum quibusdam ossibus, & villosæ ipsius vestis portione apud se dictitant asseruari.

Pallad. Laus. hist. c. 103.

Marcellinus Comes in Chron.

Sozom. lib. 7. hist. Eccl. c. 21.

Saussayæus Martyr. Gall. 16. Decemb. & 24. Febr.

Hoüel tract. de fundation. Reginar. Franc. c. 5.

Baron. in not. ad Martyrol. cit. & tom. 4. Annal. ad ann. 391.

Luc. Marin. lib. 5. de gest. Hisp.

Du Breüil lib. 1. Theat. Antiq. Paris. p. 103.

Gab. de Saconay Apolog. pro vrbe Lugd. p. 151.

Ioan. c. 1. v. 29. & 30.

Sigebert. Chron. ad ann. 615.

Saussay. cit. 5. Maij.

T Anicien

Odo Gissey loc. sæpè supr. cit.

Anicienses verò non modò illum integerrimum ossibus, & carne constantem se possidere credunt, sed etiam ipsum omnibus è crystallo spectabilem, & colendum proponunt. Huiusce rei ego testis oculatus à teneris persæpe fui, & non sine pia animi demiratione ac voluptate oscula fixi. Viderint alij nùm ad Ecclesias illas pacificè conciliandas dici possit; ipsarum aliquam dexteræ, alteram sinistræ pollicem; alias verò alium quempiam è reliquis vtriusque manus digitis habere, ne sex (vt nugaciter ineptit Caluinus) *vnus sit digitus, aut vnus sex*: nisi malis cum Baronio, & nostro Suarez ad synecdochen confugere. Quoquo modo res se habeat, memini me legere manum S. Ioannis Baptistæ Antiochia in vrbem regiam Constantinopolim à quodam Diacono, Iob nomine, furto sublatam, cùm ad Chalcedonem peruenisset. Constantinus octauus Imperator, missa regia trireme, ac Senatorij ordinis Principibus, egresso quoque obuiam Patriarcha Polyeucto, & omni clero, cum facibus, pro more, lampadibus, ac thure eam in palatium perduxit.

Caluin. admon. sæpe cit. Suar. tom. 1. in 3 p. disp. 55. cit. sect. 2. Curopal. & ex eo Baron. tom. 11. Annal. Eccl. ad ann. 956.

And. Vallad. in Basil. S. Arnulphi Metensis.

De S. Stephani protomartyris brachio præ reliquis Metenses inter, & Vesontionenses non leuis conttouersia est, dum illi Theodoricum Metensium Episcopum construxisse Ecclesiam S. Stephani Metensis nunc Cathedralem, & in eam brachium B. Protomartyris, quod Leonis noni tempore Metas, Vesontione transtulerat, intulisse pertinaciter asseuerant. Hi verò Archiatri Vesontionensis stylo asserunt id ita intelligendum, *vt partem ossis minoris, quod in argenteo brachio habetur minimè integrum, Metensis ille Episcopus Theodericus à Bisontinis acceperit.* Ecce tibi repudiata homonymia synecdochen huiusce contentionis admodum religiosæ originem, & caput. Arelatenses & Sucessionenses laureatum eiusdem Protomartyris caput ostentant, ostendúntque adorandum, quod Hungari è Syria quondam ab Andrea Rege delatum se habere gloriantur: At cuiusnam ex sexdecim Stephanis, quos sacris Romanæ Ecclesiæ fastis insertos legimus, fuerit alterum ex illis caput? non diuino.

Chifflet. 2. part. Vesont. in Chelidonio Episc. Sauss. cit. 19. Iunij. Idem ibid. 3. Iulij. Bzou. Annal. Eccl. ad ann. 1131. n. 18. ex Annal. Flandr.

S. Lazari à mortuis ad vitam à Christo, vitæ auctore, quondam excitati lipsana Massilienses magna cum veneratione prosequuntur; eius tamen *pretiosum corpus Massiliâ Augustodunum Heduorum magna ex parte translatum in summo templo, quod tanti Martyris titulo præfulget, omni cum reuerentia obseruari* refert Gallicani Martyrologij pereruditus concinnator. Si verò Cratepolium, qui Sanctos Germaniæ ordinata serie digestos recenset, audire placet, *S. Lazarus,* inquit, *quem Christus à mortuis resuscitauit, requiescit in Collegio Andelauensi Canonissarum ad montana Vosagi sito.* Græci verò scribente Baronio agunt in Menologiis translationem eius reliquiarum Constantinopolim è Cithiensi vrbe factam 16. Kalend. Nouemb. Leone sexto Imper. qui nobilem eidem erexit ædem, vt testatur Cedrenus: quidni verò Constantinopoli in Gallias à nostris Francis, olim rerum Domi-

Sauss. cit. 26. Oct. & 17. Decemb. Cratepol. in catal. SS. German. verb. Lazarus. Baron in not. ad Martyrol. Rom. 17. Decemb. Cedren. in Leone Imp.

nis,

nis, potuere transferri? Vesontio certè suum Lazarum iactitat, qui vnà cum Prisco fide Christiana fortiter per extremum agonem asserta, palmam victoriæ, iustitiæque coronam retulit. Oriens suum Lazarum vitæ instituto Monachum, exercitatione pictorem, agone Martyrem deprædicat, qui cum sacrarum imaginum pingendarum esset studiosissimus, Theophili Imperatoris Iconoclastæ iussu dirissimis cruciatus suppliciis fuit, combusta ipsi in paucis dextera, qua mirabiliter diuina virtute persanatus abrasas Sanctorum imagines deinceps pingendo pro virili restituit, vt Zonaras, Cedrenus, Menologiáque tradiderunt. Sileo Persidem, cui suus laureatus Martyr Lazarus fuit. Nunquid ea nominum similitudo liti antiquissimæ dederit occasionem? ego equidem, vt minimè dubito, sic nec eam suscipio dirimendam: si tamen etiamnum viget, quod iam primùm apud nostrum Guesnay hæc legam. *Æduensibus de facto mirificè conuenit cum Massiliensibus, duos inter S. Lazari Reliquiæ communicatæ sunt:* Quibus nobilissimarum ciuitatum pientissimis ciuibus à suo illo fœdere, mutuâque concordia gratulor quàm qui maximè.

Sauss. in supplem. ad Martyrol. Gallic. 1. Sept.
Zonar. 3. part. Annal. Cedren. in Theophilo Menolog. Græc. 17. Oct. Martyrol. Rom. 27. Mart.
Guesn. tract. de Magd. aduen. Massil. c. 38. n. 15.

Non minus de Mariæ Magdalenæ sacrosanctis pignoribus, quàm de Lazaro controuersia olim viguit, vigétque etiamnum. Audi Sigebertum. *Aquensi vrbe à Saracenis desolata corpus ipsius Mariæ à Gerardo Comite Burgundiæ ad cœnobium Veseliacum à se constructum transfertur: quanquam aliqui scribant, quòd hoc apud Ephesum quiescit.* E quibus verbis tribus diuersissimis in locis huiusmodi contentiosum *funem trahi, & alterno ductu* (vt voce Tertulliana vtar) *in diuersa distendi vides.* Ephesinam Magdalenam astruunt Cedrenus, Zonaras, Photius: Massiliensem plerique omnes, Vezeliacensem non pauci; verùm præter Massiliensem, seu Vezeliacensem, alias inter se distinctas Magdalenas, finxere, vel potiùs fecere, inter Græcos Scriptores nonnulli, atque (vt arbitrantur plurimi Pelasga fide.) De quibus sic philosophatur Baronius. *Primus auctor, qui plures, scilicet tres, vel quatuor inter se distinctas fœminas, quæ Iesum vnxerint, ponat: fuit aliquando idem ipse Origenes, quem ex Græcis sequuti sunt Theophylactus, atque Euthymius: verum idem Origenes sanioris iudicij effectus longè diuersam firmat sententiam: nimirum vnam, eandémque fuisse mulierem, quæ in domo Simonis vnxit pedes Iesu, cum Maria sorore Marthæ & Magdalena, quæ ad sepulchrum cum vnguento accessit.* Hæc & alia bene multis eruditissimus Cardinalis, qui Eusebium Pamphili, D. Chrysostomum, & Hieronymum in ea fuisse sententia refert, vt crederent duas ad minimum extitisse Magdalenas; Ambrosium verò & Augustinum rem in dubio posuisse; addo, & Modestum Archiepiscopum Hierosolymitanum, cuius hæc sunt apud Photium verba: *Historiæ tradunt Magdalenam hanc Virginem fuisse, & Martyrium eius memoratur; vbi dicitur propter summam illius virginitatem & puritatem, illam tanquam vitrum purum, tortoribus visam esse. Post obdormitionem sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ, profecta est Ephesum ad dilectum*

Sigeb. Chron. ad ann. 745.
Guesn. cit. c. 37. n. 2. & seq.
Tertull. lib. de pudicit. c. 2.
Cedren. in Leon. imp. Zonar. 3. p. Annal. cit. Photius infer. citandus.
Baron. tom. 1. Annal. Eccl. ad ann. 32. n. 20.
Origen. in Matth. c. 35. Theophil. in 14. Marc. Euthym. in 26. Matth.
Idem cit. Baron. n. 28. & ad ann. 44. n. 29. & n. 22.
Idem in not. ad Martyrol. 22. Iulij.
Photius Biblioth. p. 1526

discipulum, vbi cursum Apostolicum per martyrium vnguentifera Maria perfecit, nolens ad extremum vsque spiritum à Beato Ioanne Euangelista & Virgine separari. Hæc & alia plura Modestus, qui subdit ipsam à Christo de nomine Deiparæ Mariam fuisse nuncupatam *ob puritatem, & amorem quo Christum complexa est, sicut Princeps Apostolorum ab immobili fide, quam habuit in Petram Christum, Petrus appellatus est.*

Manriq. Annal. Cisterc. ad an. 1157. cap. 5. n. 5.

Manrique pius æquè, ac eruditus Cisterciensium Annalium conditor testis est in cœnobio Catalaunensi, ad SS. Cruces dicto, asseruari linguam B. Mariæ Magdalenæ, adeo etiamnum integram, ac recentem ac si nunc à viuente extracta fuisset. Nouam aliam Magdalenam induci ab Heleca Episcopo Cæsaraugustano Biuarius obseruauit. *Fama est*, inquit, *cum S. Iacobus venit in Hispaniam, Mariam Cleophe, & Salome matrem ipsius, & Mariam quandam Magdalenam, eum fuisse comiter comitatas, & rediisse cum illo venisséque cum corpore, & vtrasque Cleophem, & Magdalenam obiisse in Ciuitatensi oppido, vulgo Ciudad Rodrigo in Lusitania, die Aprilis decimo, Magdalenam vero Lazari venisse in Galliam.* Hic viderint alij, num in eodem viculo Magdali altera extiterit Maria, quæ adhæserit primum Christo, tùm Iacobo: Ego certè hac de controuersia pluribus dicere, supersedeo qui nouem Marias sacris in fastis lego, quòd, dum ista scriberem venerit in manus meas Magdalena Massiliensis aduena, siue de aduentu Magdalenæ in Gallias, & Massiliam appulsu Disquisitio recens opus pij, è nostra Societate Theologi, cui nescias plúsne debeat Prouincia? an Magdalena? dum illi Magdalenam, huic Prouinciam contentioso & (vt Plinij verbis vtar) pugnace ac bellatorio ademptam (vt & fama) recenti stylo pro sua in patrium solum caritate gratus, piúsque postliminio redonauit. Is grauem & diuturnam Massilienses inter, & Vezeliacenses controuersiam, nodúmque implicatissimum, si voles, soluet; si noles, Alexandri felicitate abrumpet. Viderint quorum interest.

Biuarius in Comm. ad Flau. Dextr. ann. 42.

Plin. lib. 7. ep. 9.

Hæc scripseram, cùm seriùs quidem, at opportunè, atque auspicatò mihi ab Amico datum est mutuo perquàm eruditum de tribus Magdalenis opusculum à Clichtoueo, quondam Theologiæ laudatissimo professore conscriptum, inscriptúmque Francisco Molino: Lucem perobscuræ huic disputationi non mediocrem affundere conatus est vir doctus, & verò sua lucubratione plurimorum menti ea lumina prætulit, vt eius vestigia non illibenter sequantur, & in ipsius sententiam pedibus eant. Is tamen Mariam Magdalenam, sororem Marthæ, eámque tam sua virginei pudoris integritate, quàm religiosa in Christum pietate, humillimísque obsequiis spectabilem Massiliensibus addicit, vel potiùs iampridem addictam conseruat. *Non tamen inficias ibimus* (illius hæc oratio est) *fidem attulisse Massiliensibus, & Prouincianis, quibus profecto plurimum gloriæ, ac nobilitatis peperit. Quæ si in illo monte (quem deuotionis causa, & ob beatissimæ Mariæ Magdalenæ reuerentiam aliquando conscendi) pœnitentiam egisset: non protinus id argumento esse posset, ipsam fuisse illam in ciuitate peccatricem,*

Clichtou. op. de trib. Mag. part. 1. pag. 34.

tricem. Non enim ipsa peccatrix, si ibi fuisset, pœnitentia ad peccatorum suorum veniam implorandam eguisset, quæ iam à Christo sibi dimissa, ac prorsus deleta sciuisset, iam sancta, puráque effecta. Sed, vt Ioannes Christi præcursor, ex vtero sanctus, Iudæis, sic ipsa Magdalena, non modò Massiliensibus, & Prouincianis, sed & Gallis vniuersis, & satis vicinis Hispanis, ac Liguribus pœnitentiæ formula fuisset. Verùm quòd se ab hominum commercio in montem illum subtraxerit, in quo à nemine, qui inde trahere posset exemplum, videbatur: non tam pœnitentiæ causa, quàm vitæ contemplatiuæ exercendæ, id fecisse videtur. Cùm de ea dictum sit, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea: & ab omnibus, forma vitæ contemplatiuæ, à Domino proposita asseratur, vt Martha soror, typus actiuæ. Sic itaque in illo monte, Christi dictum de se ipsa implebat. Cui rei adstipulatur publica illa accolarum, longa successione seruata memoria, qua illam frequenter interdiu Angelicis manibus in summum montis supercilium, vbi & venerandum sacellum in eius honorem positum vidimus, rapi solitam asserunt, & eas pati amatorias ἐκστάσεις, quibus sanctæ animæ dilecto suo in æternæ fœlicitatis arrhabone iunguntur; à quibus excitari, & ad cœcum istum corporis carcerem redire, mors est, in quibus contrà mori, & liquescere, vita est. De quibus dicitur in cantico amoris: Adiuro vos, filiæ Hierusalem, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Atque si tandem pro necessitate nondum exutæ mortalitatis, ex vitæ somno ad mortis vitam excitabatur; tunc ne penitus deficeret, manibus pasci Angelicis, non humano quidem, sed cœlesti, ac diuino pabulo. Hæc accuratus & pius scriptor, qui suam de contemplatrice, ac virgine Magdalena sententiam (in quam maximè propendeo inclinatione iudicij, ac voluntatis) Petrarchæ versibus confirmat. Tùm particulam carunculæ, quæ caluariæ ipsius adhærescens *solemni spectaculo visitur*, cuíque spectaculo me oculis affixum fuisse ipsemet profiteor, non Christi è morte ad vitam reuocati diuino contactui, sed dum adhuc inter mortales mortalis viueret, tangentis præpotenti dexteræ adscribendam esse asserit, propterea *quòd nec historia nec Euangelium meminit. Præterea, impossibile est Dominum nuda manu eam tetigisse, quin pariter tactus ab ea fuerit, quam nihilominus se tangere vetabat. Et vbinam legitur eam Christus tetigisse, & in fronte tetigisse? Planè verisimilius videatur, quòd ea ad pedes Domini, simul atque ipse voce illa, qua sese prodebat, dixit, Maria: & ipsa cognoscentis voce Rabboni, quod interpretatur, Magister mi, sese prouoluerit.* Sic ille pluribus, quæ superuacaneum esset referre: paucula hæc pro Magdalenarum communi nomine, simul & diuersis ipsarum exuuis delibasse sufficiat.

Luc. cap. 10. v. 42.

Cant. cap. 2. v. 7.

Idem. pag. 35.

Idem ibid.

Ioan. 20. v. 17.

Ibid. v. 16.

Ansoss. de SS. Reliq. cultu &c. §. 17 n. 8. & seq.

De Beatæ Cæciliæ lipsanis pluribus dicere, nec libet nec vacat, paucis tamen, ac strictim, de illis agere cum Ansossio non prætermittam. Huiusce insuperabilis Heroinæ, Martyrísque nimium quantum fortissimæ reliquias in vna diœcesi Mediolanensi præter Ecclesiam S. Victoris, in qua totum corpus asseruari fama est, octo diuersissimis in

Morigia in Sanctuar. Mediol. olim cit.

templis haberi, monstrari, & coli Morigia testis est: quæ templa, vt sigillatim recensere non est operæ, ac necessitatis pretium: ita necessarium obseruatu est, eas ab Sanctissimo æquè, ac Eminentissimo Cardinali Borromæo comprobatas, & pro veris habitas fuisse. Nihilo tamen minus eiusdem inuictissimæ Martyris integrum, ac illibatum corpus ab Eminentissimo Cardinali Sfondrato in cypressina capsula repertum Romæ sub Clemente Pontifice maximo nemo non nouit.

Franciotti lib. delle Chiese, & S. Reliq. di Luca, pag. 542. 560. 564. 571. Odo Gissey lib. 3. hist. Anic. Deip. cap. 22. Ansoss. prox. cit. loc. & §. 14. n. 4. & seq.

Quid referam plures alias ædes sacras, & vrbes, quæ integerrimæ illius virginis pignoribus, veluti Palladio quodam tutæ gloriantur? Lucam pernobilem Hetruriæ ciuitatem non vno in templo; Anicium in æde Principe; Ticinum in Ecclesia S. Ioannis Bononiani, ac non paucas alias vrbes, oppidáque sacris eiusdem exuuiis potiri lego. At quî potest id fieri? an quia longè antè inuentum, & compositum à Paschali Papa S. Cæciliæ corpus, forsitan eius partes aliquæ, vel cineres fuerint pio furto sublati? Ita censuit Ansossius. An quia plures hoc nomine Cæciliæ extiterint? pernegat idem Ansossius, qui nullam aliam in vllo Martyrologiorum Cæciliam haberi affirmatè asserit. Verùm bona cum eius venia dixerim, non solum negantis suæ sententiæ rationem infirmam esse ac pene nullam; sed etiam affirmantis nihil admodum habere veri similitudinem; cùm ex Baronio constet integrum D. Cæciliæ corpus, vt paulò antè memini, fuisse inuentum: Vnde igitur ipsi constare potuit è virgineo illo corpore particulas aliquas decisas, decerptásque (quæ certè non debuerunt esse tam exiguæ, & tam paucæ, vt tot diuersis in locis asseruari possent aliquando) fuisse? deinde pari facilitate, ac potestate, qua id affirmat, nemo vnus negare potest. Probabilius ergo videtur eam multitudinem Reliquiarum S. Cæciliæ ab homonymia, siue ab eiusdem nominis appellatione profectam esse. *Esto, nulla de alia Cæcilia*, vt ipse ait, *in vllo Martyrologiorum mentio habeatur.* Quid tum? an ideo nullam Diuam Cæciliam tote orbe Christiano extitisse crediderim? quasi verò omnium Cœlitum nomina in sacros fastos relata fuerint? aut ipsemet vniuersarum Ecclesiatum Martyrologia videre, ac euoluere potuerit? Religioni ducerem ingrato, parúmque pio silentio laureata SS. Machabæorum pignora obuoluere, tùm quia è tot veteris Testamenti sanctissimis hominibus, vnos istos festa die, ac celebritate Christiana cohonestauit Ecclesia: tùm quia in ea vrbe scribo, quæ à nascentis Ecclesiæ cunabulis eos singulari pietate est prosequuta. Etenim cum D. Paulus Viennam aduenisset, pro ea, qua beatos Martyres venerabatur pietate, primam ædem in ipsorum honorem dedicauit, quam etiamnum in aditu Principis Ecclesiæ Viennensis cernere est, & in qua olim nonnihil de sartagine ferrea Machabæorum, quod à Constantino Pontifice maximo ad S. Eoaldum Viennensem Archiepiscopum cum ramentis vinculorum Apostolorum, ac B. Ioannis Baptistæ cineribus argẽtea capsella inclusis dono transmissum fuerat, religiosè asseruabatur. Is verò Eoaldus Augustissimam Basilicam, quæ inter tot

Ioan. le Lieure Antiq. Vienn. cap. 7. 15. &c. Saussay. Martyr. Gall. 5. Aug. Io. à Bosco Antiquit. Vienn. c. 5.

circumiacen

circumiacentium templorum parietinas Caluiniano furore aggestas, quasi rediuiuus è suis cineribus phœnix iam nunc stat, comparatis & aduectis summo studio Thebæorum Martyrum exuuiis, D. Mauritio inuictissimæ, & (vt ita dicam) *fulminatricis legionis* Imperatori secundùm consecrauit. Semper tamen ad hoc æui prima sua ædes beatissimis Machabæis sacra perennauit, vt non sine diuinæ mentis arcano quodam consilio factum fuisse videri possit, vt ad eam vrbis partem, & locum, cui nomen *Paradisus* erat, ipsa fuerit à D. Paulo constructa, à quo loco omen acciperet *Sancta* hæc *Ciuitas* fore, vt inter sacrarum ædium, quas furor Caluinianus susdéque euersurus erat, tota Vienna collabentium ruinas, velut alter naufrago mundo *terrestris paradisus* integra hæc ædicula perduraret. Verùm à diuerticulo ad viam. Diuorum ergo Machabæorum lipsana, non vno loco seruata, & religioso affecta cultu memorant Annales sacri, vt eruditissimus noster annotauit Serarius. Antiochiæ ipsorum Reliquias olim cultas meminit Augustinus: at refragatur Hieronymus in hæc verba: *Modin vicus iuxta Diospolin, vnde fuerunt Machabæi, quorum hodiéque ibidem sepulchra monstrantur. Sat itaque miror, quomodo Antiochiæ eorum reliquias ostendant, aut quo certo auctore sit creditum.* Hæc S. Doctor. Alij eorundem lipsana ab vrbe Antiochia primùm Constantinopolim; deinde ab Eustorgio Mediolanensi Episcopo Mediolanum; hinc vero ab Archiepiscopo Coloniensi Reinoldo, bona cum venia Friderici Imperatoris, Coloniam Agrippinam translata fuisse narrant. Audi, quid de iisdem SS. Machabæorum exuuiis scribat Ioan. Baptista Signius texens catalogum sacrarum Reliquiarum, quæ in sua Congregatione custodiuntur. *Habemus sanctorum septem fratrum Machabæorum martyrum corpora.* Integráne? minimè gentium; cùm tot Ecclesiæ refragentur: in pluresne particulas, fragmináque diuisa? id facillimè concedant vniuersi, qui synecdochen, & diuiduam naturam in Diuorum exuuiis admittunt. D. autem Hieronymo, aliísque deinceps secundum ipsum demirantibus, quî tot in locis diuersissimis eædem fortissimorum Athletarum exuuiæ potuerint asseruari, respondit Serarius *id non ad istos Machabæos* (pueros scilicet vna cum matre laureatos) *sed ad Iudam, eiúsque patrem, & fratres pertinet.* Sic nimirum à nominis similitudine pius & innocens, (si quis fuit) error profectus est, dum alij aliis in locis viriles puerorum illorum, vt pote à suo agone celeberrimorum Reliquias custoditas, & cultas volunt. Demum quia infiniti laboris esset ire per singula lipsana, de quibus ob nominum similitudinem inter diuersas Ecclesias controuertitur, satius erit alterum huiusce pij erroris, quo de agimus, caput retegere.

Le Lieure loc. cit.

Serar. in lib. 2. Mach. cap. 7.

S. August. serm. 109. c. 6.

S. Hieron. lib. 2. de locis Hebr.

Serar. & Sauss. cit. loc.

Cratepol. in Cat. SS. German. verb. SS. Mach. & S. Reynol.

Sign. Reliq. cap. 21.

ARTICVLVS

ARTICVLVS SECVNDVS.

Pij erroris origo, Synecdoche.

Quintil. lib. 8. Institut. orat. c. 6.

Baron. in prolegom. ad Rom. Martyrol. c. 4. Anfoss. cit. §. 15. toto.

S. Greg. Naz. Iamb. 18.

Baron. tom. 1. Annal Eccl. ad ann. 55. n. 14.

Ant. Sadeel resp. ad Art. 53. Abiurat. Burdegal.

Caluin. Admon sæpe cit.

TRopum esse Synecdochen literatorum ignorat nemo, quo tropo pars pro toto vsurpari nō sine aliquo sermonis lepore solet. Hinc copiosæ multitudinis earumdem Reliquiarum, quæ in diuersis locis asseruantur, aliquando petendam esse cum Baronio, Bellarmino, omnibúsque penè Theologis suprà laudatis reor. Præluxit omnibus Theologorum apex Gregorius Nazianzenus eùm scriberet in hunc modum: *Est adeo frequens horum luctæ, certaminúmque veneratio, vt exiguus puluis, aut Reliquiæ veterum ossium totius ad honorem sufficiant, & nonnullorum saltem appellationem reliquiarum omnino expertem scio locis certis inditam esse pro toto martyre, quæ tamen eandem vim obtinuerit. O rem prodigiosam! salutem affert sola recordatio.* Hæc S. Gregorius apud Baronium. Audistin' nobilissime vir, Antoni Sadeel, quàm bellè tot antè sæculis S. Gregorius suo nomine dignissimus *Theologus*, tuas ineptias docta spongia eluat, ineptias, inquam, toties recantatas scribentis: *Ad nostros sacrificulos, & monachos inter se acerrimè litigantes de suis Reliquiis, oportere tria, aut quatuor capita, & duodecim brachia, totidémque crura vni, eidémque corpori tribuere.* Nam si fortè Synecdochen nosti, ridicula, inepta, impia est illa tua oratio; nec Briareis opus est tuis, aut Geryonibus Lucianæis. Verùm sic eum delirando balbutire videtur Caluinus docuisse.

Anfoss. lib. de SS. Reliq. cultu &c. §. 17. n. 2. vbi iura, & Iurisp. plus citat.

Olympiod. in cap. 4. Eccles.

Totidem enim penè verbis vsus est hæresiarcha procacissimus. Non est, quòd ad eius ignorantiam, vel potiùs sacrilegam malitiam, & impietatem expugnandam huc aduocemus, vel ex humaniorum literarum studiosis Poëtas, Rhetores, Grammaticos, vel ex iuris ciuilis, & canonici callentissimis Scriptores doctissimos apud quos ex lege illa *canonizata* (vt loquitur Anfossius) *qui aurem alicuius tetigit, totum eum tetigisse videtur*: Vel ex Philosophorum Academia, Peripato, Stoa, exedris acutissimos argutatores, vel denique è sacris Theologorum scholis acerrimi ingenij, atque summæ eruditionis viros, ne numero se obrui queratur: Opponamus duntaxat vesano capiti, & insolentissimo Goliath vnum aut alterum Dauidem. Olympiodorus explicans hæc verba Ecclesiastis: *Custodi animæ tuæ pedem in omni opere tuo, cùm incedis. Si de corporali pede intelligas*, inquit, *custodi, ait, totum corpus tuum (à parte enim totum significauit) ne instrumentis iisdem, quibus in bono vtimur, abutamur in malo.* Et propiùs, expressiùs, aptiúsque ad rem, de qua iam nunc disputamus, alterum opponamus memorato illi Andabatæ valentiorem Oplomachum, D. Gaudentium Episcopum Brixiensem, agentem de quadraginta Martyribus, *Portionem*

tionem Reliquiarum sumpsimus, inquit, *& nihil nos minus possidere confidimus, dum totos quadraginta in suis fauillis honorantes amplectimur: sicut illa in Euangelio fidelis mulier, quæ per fimbriam Christi saluata est, oram tenuit vestimenti, & virtutem diuinitatis exegit: attactu fimbriæ medelam credenti fides traxit, & salutem, quam præsumpserat, acquisiuit. Itaque pars ipsa, quam meruimus, plenitudo est: diuidi enim quadraginta isti Martyres ab inuicem nullo modo possunt, quorum sunt inseparabiles, & indiscretæ Reliquiæ. Nam sicut animas eorum igneus ille spiritus Dei salutaris fidei vnitate coniunxit (erat enim omnium credentium cor vnum, & anima vna) ita etiam membra eorum concremans ignis in vnum fauillæ corpus redegit.* Vnde meritò, & acutè subiungit, *hanc ipsam Basilicam eorum meritis dedicatam Concilium Sanctorum nuncupari oportere decernimus.*

Gaudent. Brix. serm. de dedicat. Basil. 40. Martyr.

Aduocemus & Poëtam è Christianis vnum, eundémque sanctissimum Antistitem, sanctum Paulinum Nostratem.

S. Paulin. hymn. 9. S. Felicis.

Quamuis sancti omnes toto simul Orbe per vnum
Sint vbicunque Deum, quo præsentantur vbique
Corporis vt sua membra Deo, sed debita sanctis
Sunt loca corporibus: neque tantum, quâ iacet orâ,
Totum corpus, ibi positorum gratia viuit:
Sed quæcunque pij est pars corporis, & manus extat
Contestante Deo meritò documenta beati.
Magna & in exiguo sanctorum puluere virtus
Clamat Apostolici vim corporis indice verbo.

Idem ipsum hymno vndecimo apud Dungalum cecinit Vates pientissimus, quod etiam melliflua oratione Arelatensis Natali solo, Mediolanensis Pontificatu, Ambrosius, in hunc modum confirmat de S. Nazarij exuuiis disserens. *Beatum itaque Nazarium martyrem Christi sancta Mediolanensis Ecclesia licet totum corpore secum retineat, & mundo tamen totum in benedictione transmisit. Hæc est enim sanctorum Martyrum gloria, quorum etsi per vniuersum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo.* Adstipulantur his reliqui Patres, Hieronymus, Ioannes Damascenus, Eulogius apud Photium, Eucherius, quos de nomine compellasse sat fuerit, ne incassum aliorum quàmplurimorum testium nubem hîc agglomerem ad rei longè certissimæ veritatem frequenti tot sæculorum experientia, consensúque approbatam, & inconcussa stabilitate firmatam.

S. Ambros. serm. 14. de SS. Naz. & Cels.

Eo igitur pacto totum alicuius Martyris corpus plures Ecclesiæ se putant possidere, cuius perexiguam fortè portionem altaribus, memoriis, ac loculis abditam duntaxat habent. In quam persuasionem, ne dicam, pium, & innocentem errorem, delabi rudiori fidelium plebeculæ, hoc facilius est, quò frequentioribus beneficiorum experimentis cognouerit, parem in exigua sacrorum pignorum parte, ac in toto martyris corpore ad patranda miracula virtutem diuinitus affusam esse. Quod quam vsitatum, & tralatitium sit, cùm sexcenta do-

S. Hier. aduers. Vigil. S. Damasc. hist. Iosaphat. c. 23. Eulog. apud Phot. S. Eucher. hom. de S. Blandina.

S. Greg. Naz. orat. 1. aduers. Iulian. & Iamb. 18. Elias Cret. in cit. S. Greg. loc. Theodoret. lib. 8. de mart. S. Chrysost. hom. 66. ad pop. Antioch.

cent exempla, tùm tot retrò actorum sæculorum, & ipsa quotidiana confirmat experientia, vt meritò Gregorius Theologus scripserit *Sanctorum vel solas sanguinis guttas, atque exigua passionis ligna idem posse, quod corpora:* cuius eruditus Scholiastes Elias Cretensis his addit, *pilos, & exiguos pannos Martyrum cruore sanctificatos.* Consentit vtrique mirificè Theodoretus, & vt olim me dixisse memini, *sectis sanctorum corporibus*, inquit, *integra tamen vis, & gratia perseuerat, tenuésque ac tantillæ Reliquiæ parem habent multas in partes martyre dissecto virtutem.* Oris aurei Patriarcha componens Sanctorum in Dæmones potentiam, cum Regum & Imperatorum erga subditos sibi clientes potestate, *Hic quidem regnans*, inquit, *alicui subdito præcipit, vt hunc quidem soluat, illum verò liget: Sanctorum autem ossa non hanc habent miserabilem, & abiectam potestatem; sed illa multò maiorem. Dæmonas enim sistunt, & torquent, & vinctos ab illis soluunt sæuissimis vinculis. Quid hoc foro magis reuerendum, cùm videatur nemo, nemo Dæmonis instet lateribus: voces sentiuntur, & lacerationes, flagella, tormentáque & linguæ ardentes, terribilem illam vim Dæmone non ferente, & corpus induti incorporeas opprimunt potestates, & cinis, & ossa, & fauilla inuisibiles illas potestates dilaniant.* Vides, vt perexiguus cinis, vt paucula ossa arida, vt pauxillum fauillæ sanctorum corporum idem exerceant in Dæmonas imperium, eadémque ipsos discrucient virtute, quâ integra corpora; imò viui, spirantésque sancti malos illos Genios diuexare potuissent. Cuius mirabilitatis causam si de me anquiras,

Theofrid. Abb. serm. de SS. Reliq.

verbis egregiis Abbatis Theofredi, eam te lubentiâ ipsâ lubentiùs perdocebo, quia vt *calor inseparabiliter insitus est in natura ignis, sic sanctitas est sita in illis. Si enim sanctitatis amitterent donum, amitterent pariter etiam Sanctorum. Ex accedenti dono habent sanctitatem, sed non amittunt eandem, quia ex immortalitate non fit transitus ad mortalitatem.*

Psalm. 91. v. 6.

O quam magnificata sunt opera Domini, nimis profundæ sunt cogitationes Dei nostri. Vbi velim obserues vocem *Sanctitatis*, quâ piissimus Abbas vsus est, aliud nihil significare, quàm virtutem edendorum miraculorum sacris Diuorum cineribus diuinitus affusam, vt ex hisce illius verbis proximè immediatéque præmissis intelliges. *Puluis iste licet dissolutus, & exiguus, huius tamen aëris dominatur potestatibus*, ob rationem, quam subiicit, vt audisti, quòd scilicet virtus illa æquè sit suo modo insita, vel minimis quibusque Beatorum pignoribus, ac calor igni, & illis adeo illigata perduret eadem, vt non magis ea possint excidere, quàm sancti ab adepta immortalitate ad mortalitatem pristinam relabi possunt. Atque in hac veritate confirmanda multi sunt Patres, quos ne sim longior, prætermitto.

Baron. tom. 1. Annal. loc. sup. cit.

Inde accidit (verba Baronij sunt) *vt cùm vnius eiusdemque martyris, diuersis in locis Reliquiæ conditæ haberentur, & æquè, ac si integrum corpus vbique horum locorum conditum esset, eadem miracula sint operatæ, vnius, eiusdémque martyris corpus diuersis in locis haberi dicatur. Tolerabilis error, cui non hominum impostura, sed exuberans diuina largitas*

gitas præbuit occasionem, dùm quod ob virtutis præstantiam diuersis in locis sit vnius, eiusdémque Martyris erecta Memoria, vel excitatum sepulchrum (quod esse consueuit sacrum altare) quisque apud se corpus illius haberi est opinatus. Hæc verissimè doctissimus Cardinalis, quem innocentem, & pium errorem, atque adeò religiosam (vt sic loquar) Fidelium iactantiam minus mirabere, si placeat in sanctorum Patrum sententias, & verba intueri. Produxi olim S. Gregorium Nyssenum affirmantem æui sui Christianos in summi beneficij, gratiæ, ac felicitatis loco reponere solitos si ipsas reliquias sibi attingere licuisset. *Nam quasi corpus per se viuens, & florens* (infit) *qui intuentur, amplectuntur oculis, ori, auribus, omnibus sensuum instrumentis adhibentes; deinde officij, affectionis lacrymas Martyri quasi integer esset, & appareret superfundentes, vt pro ipsis deprecator intercedat.* Produxi D. Gaudentium Brixiensem gloriantem, *habemus Geruasium, Protasium, atque Nazarium, beatissimos Martyres, qui se ante paucos annos apud vrbem Mediolanensem sancto Sacerdoti Ambrosio reuelare dignati sunt, quorum sanguinem tenemus gypso collectum, nihil amplius requirentes.* Paulò antè piè gloriabundus iactitarat se habere Brixiæ SS. Ioannem Baptistam, Andream, Thomam, & Lucam Euangelistam, quo autem id modo, cùm illorum corpora Brixienses non possiderent? en causam. *Horum quatuor beatas habemus in præsenti Reliquias*, & verò (vt quidem reor) perquàm modicas, quod plures aliæ orbis Christiani Ecclesiæ, eorumdem Cœlituum pignoribus se locupletatas glorientur. Coloniam Agrippinam reuectâ S. Seuerini lipsanorum parte, tam ferax illo ipso anno rerum omnium copia fuit, *vt ipsa* (scribente Surio) *ex omnium ore patronum suum veraciter rediisse sedique propriæ restitutum esse testaretur, vnde contigit, vt hoc verbum ab incolis vsitatum etiam longinquos, & exteros non lateret; factúmque est, quasi in prouerbium, domi esse S. Seuerinum Episcopum.* Sic ille. Eò spectasse puto Euodium Vzalensem in Africa Episcopum, cum agens de receptis S. Stephani pignoribus in hæc verba loqueretur. *Eodem die, quo ingressæ sunt Ecclesiam Beati Stephani sanctæ Reliquiæ, in ipso principio canonicarum Lectionum, Epistola quoque ad nos delata cuiusdam Episcopi Seueri nomine, Minoricensis insulæ, de pulpito in aures Ecclesiæ cum ingenti fauore recitata est: quæ continebat gloriosi Stephani virtutes, quas in insula memorata per præsentiam Reliquiarum suarum in salutem omnium illic credentium perfecerat Iudæorum. Vnde ex hac recitatione talium factorum suorum tanquam extensione manuum suarum acclamantibus, & exultantibus Fidelibus, ipse dicere videretur. Ecce habetis Martyrem.* Non alio sensu, ac mente S. Paulinus videri non immeritò potest scripsisse, *Antiochiam, & Ostiam* habere *Lucam*, etsi Romanum Martyrologium 9. Maij dicat eius Reliquias ex Achaia Constantinopolim translatas, & 18. Octobris easdem Constantinopoli rransuectas fuisse Patauium affirmet. Esto, furto voluerit Antiochiam & Ostiam habuisse Lucam, strenuum Euangelij proseminatorem; quin tamen

S. Greg. Nyss. or. in laud. S. Theod.

S. Gaudent. serm. sæpe cit. in dedic. basilicæ 40. Mart.

Surius 13. Octob. in vit. S. Seuer.

Euod. lib. 1. de mirac. S. Steph. cap. 2.

Paulin. Natal. 11. supr. cit.

Rosuueyd. in Carm. 26. S. Paulin. cit. cum nostro Rosuueydo piè credam duas illas vrbes aliunde pauculas D. Lucæ Reliquias expetiisse, expetitas obstinuisse, obtentásque pari cultu, & fide, ac si totum possiderent Lucam fuisse prosequutas. Idem sanctorum exuuias sub altaribus in Fundana Basilica religiosè asseruatas literis ad Seuerum datis recensens in hunc modum ait, perinde, ac si corpora integra illic fuissent composita:

S. Paulin. ep. 12. ad Seuer.

Hîc & Apostolicas præsentat gratia vires,
Magnis in paruo puluere pignoribus.
Hîc pater Andreas, & magno nomine Lucas,
Martyr & illustris sanguine Nazarius.
Quósque suo Deus Ambrosio post longa reuelat
Sæcula, Protasium cum Patre Geruasio.
Hîc simul vna pium complectitur arcula cœtum,
Et capit exiguo nomina tanta sinu.

Et quidem rectè, pro vulgari Fidelium sensu, ac fide, qui se illius martyris potiri corpore hoc faciliùs credunt & iactitant, quò copiosiorem miraculorum vim ad pauculas illas, quas habent Reliquias, diuinitùs patratam fuisse norunt, vel in dies patrari vident, gestiunt, demirantur. Non hîc iterum dicendo repeto sapientissimum S. Gregorij magni facinus, qui ne Byzantium gloriari posset, se integro D. Pauli potiri corpore, si vel aliquid ex ipsius exuuiis quodcunque decerptum abs se Constantia Augusta summis, infimísque precibus extorsisset; quod petebatur, præcisè pernegauit, apprimè conscius plebis Christianæ consuetudinis, atque imprimis Græcorum Patriarcharum vanitatis, quorum semper de primatu cum Pontifice Romano contendere non tam ridenda ambitio, quàm exsibilanda vesania fuit.

Vid. cap. seu caus. 2. art. 3.

Ad hæc fortè non iniuria suspicetur non nemo tolerabilem illum errorem, fidem innocentem, & piam Christianæ plebis consuetudinem, non mediocriter fuisse confirmata frequentibus Dæmonum querelis, & inuitis confessionibus Energumenorum ore fusis, atque iactatis, dum Diuorum reliquiis propiùs admoti, vel ipsos adesse præsentes, vel se ab illis discruciari inconditis clamoribus, & corporum obsessorum dirissima iactatione profiterentur. Apud S. Gregorium Turonensem lego pium nescio quem virum in Remensi Suburbano Sacram D. Iuliano Maryri Basilicam excitauisse, cuius reliquias post affectam fabricam donari sibi orauit, exorauit, obtinuit. Remensem ingressus agrum haud procul à via in agricolas incidit, è quibus vnus infesto dæmone irretitus cœpit (vt reliquam historiam ipsissimis piissimi Antistitis verbis deinceps referam) *cœpit*, inquam, *malè torqueri, & quasi in excessu mentis dicere: En beatissimum Iulianum appropinquantem! ecce virtutem eius! ecce gloriam eius! occurrite viri, relinquite boues, dimitte aratra, caterua omnis eat ei obuiam. Stupentes illi, &, quid narraret, ignari, dum hebetati admirantur tam voces, quàm dicta personæ, protinus miser relicto aruis vomere elidens se in terram, verberánsque*

S. Greg. Turon. lib. 2. de glor. Mart. cap. 32.

rans'que palmas in parte, qua vir ille Beati martyris veniebat, cursu celeri rapitur clamans, vt quid me, Sancte, sic crucias? vt quid me, gloriose Martyr, incendis? cur regionem tibi non debitam ingrederis? cur habitacula nostra perlustras. Talia eo dicente ad locum, vbi iam sacerdos tabernaculum erexerat, turbulentus aduenit, prostratúsque coram sanctis reliquiis diutissimè humo incubuit: Tunc presbyter capsulam illam sanctam super eum vt posuit, illico erumpente ex ore eius sanguine ab incursione diabolici erroris mundatus est, ac deinceps virtutem sancti prædicans, comes fuit huius itineris. Hæc ad verbum Gregorius: quæ vel sola institutam disputationem non mediocriter illustrant, vt minùs necesse sit sexcenta alia, quæ apud Scriptores Sacros in hanc rem passim occurrunt, loca simillima huc aduehere ad tropicam hanc loquendi, & sentiendi Fidelium rationem à præsumpta mendacij, ac præfractæ impudentiæ (vt pro suo genio loquuntur lipsanomastiges nostri) suspicione vindicandam. Ecquis enim prudenter dubitare possit *præsentem esse Confessorem*, vel *Martyrem* eum viderit ad ipsius cineres, & reliquias *talia infirmis remediorum munera ministrari*, vt eiusdem Præsulis oratione concludam. Prætereo titulum Dominicæ Crucis sub Innocentio VIII. Romæ inuentum, vbi *non nisi tertiam circiter illius partem*, ait Spondanus, *asseruari has duntaxat literas continentem, Nazarenus Re. & totidem Græcas, & nonnullas Hebraicas: quod ea tabella sectione fuerit diuisa, vt tanti thesauri cæteræ etiam prouinciæ participes fierent, quæ exinde titulum Crucis etiam se habere gloriari possint, quantumvis non nisi portionem aliquam habere dignoscantur.* Sic ille. Iam viderint viri sapientes quàm facilè componi possint tot piæ super iisdem SS. Reliquiis diuersarum Ecclesiarum contentiones; viderint quàm fuerit in procliui Fidelibus eam induere persuasionem se iisdem Beatis potiri pignoribus, quæ aliis variis in locis religiosè asseruantur; Viderint denique quàm innocens, veniáque, ne dicam, laude pietatis dignus sit ille Christianæ plebis error, quo tanta eiusdem generis Reliquiarum multitudo, in orbem inuecta est verbo tenus & fide.

Exemplum alterum perquam simile idem refert lib. 1. de glor. MM. cap. 78. de S. Baudilij lauro.

Vid. Baron. tom. 9. Annal. Eccl. ad ann. 817. n. 49. de S. Sebastiani Mart. corpore. S. Greg. Turon. in vit. S. Nicetij. Spondan. tom. 2. contin. Annal. Eccl. ad ann. 1492. n. 8.

ARTICVLVS TERTIVS.

Pij erroris origo, Reliquiarum similitudo.

NOn minus à Reliquiarum inter se similitudine, quàm à nominum paritate in earum multiplicatione innoxiè, vt à Gentilibus, sic & ab Christianis erratum, & pugnatum puto. Dixi (*à Gentilibus*) quod Aratinus apud Dionysium Halicarnasseum asserat *à Ioue donatum Dardano vnum Palladium, idque in vrbe Iliaca, tantisper, dum ea caperetur, in ea absconditum fuisse, ad eius exemplar imaginem indiscretæ similitudinis effictam fuisse, ac in propatulo positam ad fallendas*

Dionys. Halicar. lib. 1. & 2. Antiq. Rom.

insidias eámque Achæos furto subduxisse. Vnde factum est, vt verum se possidere Palladium crediderint, cùm vix eius exemplar duntaxat penes se haberent, indiscreta enimvero similitudine ab hostibus delusi: idem quamplurimis in orbe Christiano populis, atque Ecclesiis video accidisse. Etenim cùm variis ex causis innocens in Christianæ plebis animos sensim irrepsisset obliuio quænam veræ, ac primariæ forent Reliquiæ? quæve tantum ad earum similitudinem accederent? non admodum ægre contingere potuit, vt fideles innocenter errantes crederent se veras habere Sanctorum Reliquias, quarum duntaxat persimiles possiderent. Mirum est quàm facilè, quámque frequenter delusis à sacrorum pignorum similitudine oculis, animísque in multiplicando eorundem lipsanorum numero à Catholicis tolerabili errore peccatum sit: quod vt dilucidius intelligas, aliquot sectionibus huiusce pij erroris origo erit anquirenda.

SECTIO PRIMA.

Sanguis & lacrymæ Christi, rursus quomodo tanta copia, & tot in locis.

DIuinissimum Christi Seruatoris cruorem Fideles non pauci rerum sacrarum minus periti suis in Basilicis custodiri iactitant, quibus tamen Dominici sanguinis nulla guttula est, nisi specie tenus, ac facili persuasione: Sed si quid sacri cruoris habent, id totum, vel à lacerato cuiuspiam Martyris corpore, vel ab aliquo Christi, sanctorúmque simulachro mirabiliter fluxit, simúlque Christi sanguis audiuit.

Enimvero literarum monumentis consignatum accepimus maiores nostros, tanto in gloriosos Martyres amoris, ac pietatis arsisse studio, vt vel cum summo suorum capitum discrimine minimas quasque profusi cruoris guttas colligerent. Non recanto, quæ superiùs de Christianorum Carthaginensium, Ancyranorum, D. Nataliæ, aliarúmque illustrium matronarum in colligendo Martyrum sanguine incredibili studio, & ardore recensui: quibus annumera virili pectore Heroinam, Paulam nomine, gente Romanam; quam Romanum Martyrologium memorat martyrij laurea coronatam, ob generosam, & masculam animi fortitudinem, quam præ se tulit in pretioso Martyrum sanguine colligendo. *Cum enim SS. Luciniani & quatuor puerorum Claudij, Hypatij, Pauli, & Dionysij sanguinem colligeret, comprehensa, virgis cæsa, & in ignem coniecta: sed liberata, demum, & ipsa eodem loco, vbi S. Lucillianus crucifixus fuerat, decollata est.* Sic ibi Christianissimus vates Prudentius Fidelium in B. Hippolyti,

Supr. cap. seu caus. 3. art. 3. sect. 1. Martyrol. Rom. 3. Ianuar.

liti, gloriosissimi Martyris cruore colligendo incredibilem ardorem non minùs elegantibus, & natiuis piè ludentis, quàm picturæ illudentis coloribus delineatum, in hunc modum expressit.

Palliolis etiam bibulæ siccantur arenæ,
Ne quis in infecto puluere ros maneat.
Si quis & in sudibus recalenti aspergine sanguis
Insidet, hunc omnem spongia pressa rapit.

Prudent. hymn. 11. de S. Hippol.

Sed quid lucernam meridie, cum caniculâ, Diogenes, circumfero? quid rem longè clarissimam lippis, ac tonsoribus notam, & in actis Martyrum passim obuiam pluribus vrgere contendo?

De sanguine sanctorum Martyrum Lugdunensium collecto, & asseruato *Iacob Seuert. in S. Elpidio. hist. Chronolog. Archiepisc. Lugdun. pag. 39.*

Neque solùm is cruor, qui Christo adscribitur, è laniatis, lacerísque, inuictissimorum Christi Athletarum corporibus potuit emanasse; sed etiam non rarò verus Christi sanguis creditus est, qui non ex ipsius in cruce morientis perfosso latere, terebratísque manibus, & pedibus suffixis scaturiisset, sed potius ex aliqua crucifixi imagine mirabiliter profluxisset. Audiamus super hac re doctorem Angelicum suam ferentem sententiam. *Sanguis,* inquit, *ille, qui in quibusdam Ecclesiis pro Reliquiis conseruatur, non fluxit de latere Christi, sed miraculosè dicitur effluxisse de quadam imagine Christi percussâ: Cuius prodigij nec leuia, nec rara sunt exempla,* & veterum Scriptorum testificationes. Antiquus codex S. Mariæ ad Martyres apud Cardinalem Baronium sic habet. *In Ecclesia S. Sophiæ Constantinopoli extat puteus, qui sanctus dicitur, tectus coopertorio deaurato, argentóque ornato, de quo ista scribuntur. Christianus homo in ianuâ domus suæ erexerat imaginem Saluatoris, quam Iudæus odio Christianæ Religionis nocte furto abstulit, cultróque eius vultum punxit; ex quo inflicto vulnere magna copia sanguinis effluxit, Iudæíque vestes respersit, qui magno timore affectus eandem acceptam imaginem in propinquum puteum coniecit, & reuersus est in domum suam: quem cum sanguine aspersum eius vxor videret, in suspicionem adducta est patratum ab eo fuisse homicidium, quod ille negauit, sed maiorem augebat suspicionem, dum eum timere, & tremere cerneret. Mane autem facto venerunt ex more, qui ex publico puteo haurirent aquam, sed cùm pro aqua sanguinem se hausisse conspicerent, magno sunt horrore exterrefacti, réque statim per vrbem vulgatâ, aduenit illuc Præfectus vrbis, quòd existimaret illic cadauera occisorum esse proiecta. Quâ de causâ totum puteum iussit exhauriri aquâ. In cuius fundo non hominis alicuius corpus occisum inuenerunt, sed sacrosanctam imaginem Saluatoris vulnere perforatam, & è vulnere recentem adhuc sanguinis guttam fluere, vt vnde sanguis emanasset certo indicio doceret. Eam Præfectus acceptam ad Imperatorem attulit: cuius iussu voce præconis inquiri iubetur, qui adeò sacrilegum facinus perpetrasset promittens indulgentiam criminis, ei, qui sponte sese reum proderet, pœnam capitis secus facienti comminatus est. Quæ cum Iudæi vxor audisset de viro suo suspicionem concepit, secretóque eum detulit Magistratui; à quo missis apparitoribus capi iussus est, & ad Imperatorem perductus rem ipsam* absque

Tertul. lib. 1. adu. Marciron. c. 1.
S. Thom. 3. part. quæst. 53. art. 2. ad 3. & quodl. 5. art. 5.
Baron. tom. 6. Annal. Eccl. ad ann. 446.
Sigeb. Chron. ad ann. 560.

absque tormentis, vt se habebat, palam fecit, contestatus se fore Christianum, qui vnà cum vxore baptizatus est. Ipsa verò Saluatoris veneranda imago super puteum collocata est; puteus autem ambitu murorum intra sanctam Ecclesiam comprehensus. Cuius rei gratia Kalend. Nouembris in facti memoriam ea historia recitari consueuit. Hæc ibi.

Verùm illo multò luculentius, & vulgatius est testimonium Athanasij, siue is fuerit Alexandrinus toto orbe quâ scriptis, quâ singulari, in propugnandâ fide, fortitudine celeberrimus; siue quis alius auctor sermonis de Christi crucifixi imagine Berytensi, qui sermo inter S. Athanasij Alexandrini opera vulgò numeratur. Certè diuinum planè miraculum cruoris defluentis è Christi Seruatoris imagine per summam impietatem, & malitiam à nefandissimo Apellâ ferro latus transuerberata, in secundâ Nicænâ Synodo publicè recitatum, & communibus patrum suffragiis approbatum est. Quod quia longiusculum est, & vulgatâ per orbem famâ iactatissimum hîc exscribere supersedeo. Eius enim miraculi adeò celebris fuit in Ecclesia Catholica quondam memoria, vt in fastos sacros annua eius commemoratio relata sit, in hæc verba paucis conscripta: *Beryti in Syriâ commemoratio imaginis Saluatoris, quæ à Iudæis crucifixa tam copiosum emisit sanguinem, vt Orientales, & Occidentales Ecclesiæ ex eo vbertim acceperint.* Vnde mirum videri non potest, nec debet, si tot diuersissimis in locis, & Ecclesiis Christi sanguis credatur asseruari. Non multum à superioribus absimiles sanguinantium Christi Seruatoris imaginum historias referunt Gregorius Turonensis, & Sigebertus, qui cruorem ex illarum vnâ in Angliam comportatum testatur. Atque vt ab hostibus veritas Catholica testimonium vel ab inuitis datum accipiat, Brentius non vltimus inter Lutheranos auctor est ex imagine Christi crucifixi ab impio quodam, & deploratæ mentis homine, gladio confossa cruorem mirabiliter dimanasse: Iam lipsanomache, si audes, mentire mortalibus imponi dum Christi sanguinem plures ostentant Ecclesiæ. Quid enim illic mendacij subest, si deperditis, vti dicemus inferius, veteribus super huiusmodi mirabili cruore, monumentis; cruor ille miraculo efformatus, atque è Christi è cruce pendentis imagine diuinitùs effusus, pro eo, qui verè è demortui latere defluxit, pio & innocenti errore haberi putetur, &, vt germanus Seruatoris sanguis, à Fidelibus variis in locis asseruetur, atque etiamnum summo cum pietatis sensu religiosè colatur. De eodem genere est prodigiosus ille cruor qui aliquoties è sacrosancto Eucharistiæ Sacramento diuinitùs emanauit cuius cùm plurimæ sint historiæ, hæ potissimum ad rem nostram faciunt, quæ tantam cruoris vim ex diuinissimâ hostiâ fluxisse memorant, vt eius Reliquiæ variis in locis etiamnum asseruentur. Videsis Bozium, Signium, Collium, Philibertum Bouillier, & alios complures Scriptores.

Accedit, quòd cruor qui insolenti prodigio ex aliquot Sanctorum lipsanis aliquando dimanauit, tolerabili Fidelium errori, quo de agimus,

S. Athan. hom. de Passion. imaginis D. N. Iesu Christ. c. 6. Synod. 2. Nic. act. 4.

Martyrol. Rom. 9. Nou. Baron. tom. 9. Annal. Eccl. ad ann. 787.

Greg. Turon. lib. 1. de glor. Mart. c. 22. Sigeb. Chron. ad ann. 923. D. Del-rio lib. 3. disquis. magic. part. 1 quæst. 4 sect. 4. coll. infra citand. c. 1. Brent. in c. 3. epist. D. Paul. ad Galat. Grets. lib. 2. de S. Cruc. c. 64.

Bozius lib. 14 de sign. Eccl. c. 7. Sign. Reliq. c. vlt. Coll. lib. 4. de

agimus, non leuem nec iniustam dederit occasionem. Ante multa sæcula B. Leontius Neapoleos Cypri Episcopus lib. quinto Apologiæ suæ pro Christianis contra Iudæos, vt est apud acta secundæ Synodi Nicenæ, proximè à nobis laudatæ, in hunc scripsit modum: *Dic mihi quot inumbrationes? quot scaturigines? sæpe etiam sanguinis fluores ex imaginibus, & Reliquiis Martyrum extiterunt?* In cuius rei testificationem apposite S. Ioannes Damascenus ex D. Anastasio Sinaitâ hæc memorat. *Quatuor passuum à Damasco distat locus qui Carsatas dicitur, quo in loco S. Theodori templum est. In hoc templum ingressi Sarraceni, omnibus illud sordibus, & immunditiis fœminarum, & puerorum, atque animantium rationis expertium commixtione fœdauerunt. Quadam igitur die, cùm plures ipsorum considerent, & colloquerentur: vnus eorum sagittam in S. Theodori intorsit imaginem, & dextrum ipsius humerum vulnerauit, statímque sanguis defluxit, & ad extremam vsque partem decidit, omnibus id, quod factum fuerat, sagittámque in humero Sancti & sanguinem emanantem contuentibus. Quo tamen admirabili signo perspecto non resipuerunt, nec eum, qui sagittam coniecerat, pœnituit, nec quisquam eorum commotus est, nec recesserunt à templo, nec illud commaculare destiterunt: attamen extremo sunt affecti supplicio. Cùm enim viginti essent eorum familiæ, qui in templo commorabantur, intra paucos dies acerbo omnes morbo deleti sunt; cùm eo in loco nemo ipsorum diebus illis interierit, exceptis iis qui in templo fuerant commorati. Hæc igitur imago sagittâ percussa adhuc superest, sagittæque vulnus habet, & vestigia sanguinis. Multi autem eorum, qui rem viderant, & eo tempore fuerunt, quo res hæc admiranda contigit, adhuc viuunt: & ego eius imaginem vidi, & quod vidi, monumentis mandaui.* Hactenus Damascenus.

sang. Christi disp 8 c. 2. & quos citat.
An verò ille sanguis ex sacra dimanans Eucharistia sit naturalis corpori Christi? ibid. disputat. disp. 9. c. 1. ad 7.
Philip. Bouillier libello de Palladio Diuion.
Synod. 2. Nic. act. cit.
S. Ioan. Damasc. orat. 3. de SS. Imag.

Vt sui mirabilitate, ita & incredibili pene copiâ totum orbem Christianum compleuit, mirabilis ille cruor, qui è D. Euphemiæ Martyris gloriosissimæ pignoribus olim solitus erat scaturire, de quo legendus erit Euagrius, qui pluribus prodigium istud describit, & Paulinus hæc canens:

Et quæ Chalcidicis Euphemia Martyr in oris
Signat virgineo sacratum sanguine littus.

S. Gregorius Turonensis testis est sanguinem tanta vi è Beatis SS. Geruasij & Protasij capitibus, decidentis desuper, nescio quo casu, tabulæ illisione contusis profluxisse, vt ex hoc *Reliquiæ affatim collectæ per vniuersam Italiam vel Gallias delatæ sint.* Extat apud Vesontionenses perantiquum & illustre Calidonij Episcopi monumentum, ex quo discere est, *Stringente os brachij S. Stephani*, Protomartyris à Theodosio secundo Vesontionem transmissi Archiepiscopo Calidonio, *defluxisse ex eo sanguinem recentissimum tam largè, vt diceres ibi adesse B. Stephanum viuentem in carne, &c. Sicque non solum Episcopi verùm etiam Fideles quàmplurimi sunt participati.* Hæc aliáque pluribus ibi apud Chiffletium, qui addit *ex eo sanguine, qui è Protomartyris brachio Vesontione manauit plenas, hodiéque phialas plures in Ecclesiâ Bisontinâ*

Euag. lib. 2. hist. Eccl. c. 3.
S. Paulin. Natal. 9. S. Fel. & omnium maximè Theoph. Simocatta lib. 8. hist. Mauric. c. 14.
S. Greg. Turon. lib. 1. de glor. Mart. c. 47.
Chiffl. 2. part. Vesont. c. 15.

Bisontinâ superesse. Viderint hîc Bituricenses, viderint Colonienses, viderint Neapolitani, quo pacto ituri sint in sententiam eruditissimi Archiatri suspicantis eas Stephanæi sanguinis portiones, quas religiosè colunt, ex eo esse sanguine, qui è Bisontino S. Stephani brachio mirabiliter fluxit: Certè quod attinet ad cruorem Beati Protomartyris, qui Neapoli ad Sancti Gaudiosi basilicam seruatur, Vesontione illuc transuectum fuisse minimè dubitat vir clarissimus eâ ductus coniecturâ, *quòd magno miraculo liquescere, atque ebullire conspiciatur inter Missæ officia die tertia Augusti, quo die sanguis è S. Stephani brachio apud Bisontium manauit.* An non & idem dicendum de eiusdem Martyris sanguine Metis asseruato, quem ex Gregorio Turonensi *pullulare*, seu ebullire solitum narrat Surius? omnino fidei proximum est, cùm Vesontione alias inuictissimi Leuitæ Reliquias illuc transmissas fuisse olim meminerimus. Nolo Sigebertum de S. Amandi; Eignhardum de SS. Petri, & Marcellini, & Anonymos duos de SS. Genulfi & Mamantis sanguinantibus lipsanis idem referentes in medium proferre; sat mihi erit vnum Bozium citare, qui in hoc argumento multus fuit: ex quibus omnibus intelligas, quàm frequenter ex venerabilibus SS. exuuiis, aridis ossibus, ac penè cariosis corporibus singulari miraculo sanguis, æquè viuido rubore florens, ac si è viuentis manaret venis, visus est profluxisse.

Verùm quod maiori dignum est admiratione non modò cruorem ex aridis Diuorum pignoribus scaturiisse certum est, sed etiam ex Brandeis, atque adeo ex nudo cæspite, qui olim beatum cruorem hauserat. Repete memoriâ, si placet, quæ de brandeis SS. Apostolorum Petri & Pauli exuuiis à diuo Leone admotis ex Gregorio magno superiùs retuli, & insuper de cæspite sanguinante inusitatum, ac singulare miraculum à Surio paucis accipe. Agaunum religionis causa peregrè aliquando profectus fuerat S. Martinus, cùm pietatis pro more muneribus defunctus sibi, vt aliquid de victricibus S. Mauricij, ac sociorum lipsanis daretur, Monachos supplex rogauit, atque, vt erat sub peregrini veste, habitúque personatus, cunctis ignotus, Deo soli, & paucis comitibus notus inclementer, & invrbanè ab illis repulsam tulit, vt *quis, quantúsque esset Martinus, coruscatione mirabili* (verba do Surij) *illius partis orbis terræ illucesceret. Abiectus ergo ab hominibus sacerdos, vt semper, & hîc patientiam amplectens, nihil motus, ad diuinum, more suo, se contulit præsidium, & ab incolis saltem locum roseo quondam cruore purpuratum sibi ostendi obtinuit: vbi flexis genibus, corde, vultu, & manibus in cœlum directis, cum summâ deuotione dominatorem terræ, & mortis orauit, cui nec capillus de capite nostro perit, vt qui in die nouissimo totam hominis substantiam in ictu oculi reparaturus est, aliquid ex sanguine militum suorum pro gloria sui nominis illic effuso, & absorpto de abyssis terræ ad laudem suæ maiestatis, & martyrum honorem dignaretur refundere. Deinde exempto vaginâ cultello alterâ manu virentis comâ graminis comprehensâ, mox vt alterâ*

in

Sur. tom. 5. vit. SS. 23. Oct. de S. Seuer. Episc. Colon.
Sigeb. Chron. ad ann. 812.
Eignard. de transl. SS. Petri, & Marcell.
Boz. lib. 15. de sign. Eccl. c. 10.
Anonym. lib. 2. vit. S. Genulp. c. 20. & lib. de transl. S. Mam. apud Ioan. à Bosco cit. cap. seu causa 3. art. 2. sect. 2.
Sur. tom. cit. 21. Sept. p. 361.

in gyro in modum coronæ cæspitem incisum sustulit, mirum dictu, & inauditum hactenus miraculum! densus ab ipso cæspite copiosi Sanguinis imber distillare cœpit. De quo Martinus, quantum diuina largitas contulit, cum summâ veneratione, & gratiarum actione lætus suscipiens per vascula ad hoc de industriâ facta & dispertiuit, & reditum cum exultatione maturans cum suis iter arripuit &c. Turonum tandem reuersus Metropolim primùm suam, tùm Andegauum; deinde alias pro suo arbitrio Ecclesias, beato illo, ac mirabili cruore tanquam pretiosissimo thesauro locupletauit, nec sordidos illos Monachos & illiberales eo indonatos valere iussit, vincens in bono malum. Ad summam tanti Præsul sanctissimus cruorem illum diuinitùs sibi donatum fecit, vt ampullam eo repletam *secum perenniter habendam retineret, & in locum requietionis suæ cum hominem exuisset, reponi præciperet.* vt pius Scriptor contestatur. Vide plura eiusdem generis prodigia sanguinis apud Bozium, Collium, aliósque id genus Ecclesiasticos tractatores. *Boz. lib. 15. de sign. Eccl. sign. 66 cap. 10. Coll. loc. supr. cit.*

Quæ cùm ita sint, hinc perfacile fuit fidelibus (quâ erant erga sanctorum exuuias & lipsana, religione & fide) sibi pio, ac innocenti errore in mentem inducere, potissimum deperditis veterum historiarum monumentis, & annosæ veritatis memoria, quibus errorem suum possent dediscere se ob sanguinum similitudinem diuino Christi Seruatoris cruore frui, quamvis ille, vel ex Diuorum laniatis corporibus, vel ex ipsorum lipsanis, vel ex admoto illis velamine, vel ex simulachro aliquo, aut telluris cæspitibus sanguinantibus reipsa duntaxat fluxisset sanguis; qui sanguis non tam insulsè (vti lipsanomachis sapere, vel potius desipere placet) Christi sanguis, à Fidelibus apellatus est, propterea quòd à Diuorum corporibus, lipsanis, imaginibus, aliisve rebus illis piè admotis miraculo dimanarit, quos Diuos Beatus Paulus *corpus Christi, & membra de membro* vocitauit, & quos ipsemet Christus *fratres, sorores, & matres suas*, imò & alios se, dicere non est dedignatus. Eadem loquendi formulâ vsus sanctus Paulinus ita panxit:

Sic Deus & reliquis tribuens pia munera terris
Sparsit vbique loci magnas sua membra per vrbes.
Sic dedit Andræam Patris, Ephesóque Ioannem,
Vt simul Europam, atque Asiam curaret in illis.

S. Paulin. Natal. 11. S. Felic.

Vbi vides beatissimos Apostolos, & reliquos sanctitate præcellentes viros *Dei*, Christíque *membra* à piissimo vate vocitatos fuisse, quòd ipsis gratiâ coniunctissimi eodémque spiritu animati dum viuerent extitissent. Atque hoc sensu, (præter eum, quem aliàs retuli) Christi seruatoris cruor diuersissimis in locis, atque Basilicis asseruari tolerabili errore, pia persuasione, fidéque liberali à Fidelibus populis existimatus est, creditus, adoratus. At de Christi cruore satis.

De lacrymis Seruatoris, superest dicere, quæ cum diuersis in locis credantur asseruari à similitudine cum aliis lacrymis, vel sudoribus, quæ miraculo ab eius simulacris diuinitus fluxerunt vberrimè, pij erroris

roris ansam in vulgus profectam fuisse credo. Hìc occlament nostræ ætatis rediuiui Vigilantij, Dormitantíve lipsanomachi, quasi si Gentilium vesaniam non tam ridiculè imitemur, quàm exuperemus impiè.

Cicero lib. 1. de Diuin. Senec. in Thyest. act. scen. Ouid. lib. 15. Metam. Sil. Ital. lib. 8. &c. Virgil. lib. 1. Georg. v. 480. Idem 2. Æneid. v. 172. Philostr. in Protesilao.

Enimverò quàm frequenter apud Ethnicos Scriptores legas collacrymasse ebur, æra sudasse, & marmora tantùm non in aquas soluta fluxisse? A Iulij Cæsaris nece Virgilius prodigia memorans, vno versu hæc duo complexus est:

Et mœstum illacrymat templis ebur, æráque sudant:

Hoc est, eburneæ, æreæque statuæ (vt moris erat Deorum simulachra conflare) prodigioso lacrymarum, & sudoris imbre manarunt. Troianum Palladium templo auulsum à Græcis, &

Vix positum castris simulachum, arsêre coruscæ
Luminibus flammæ arrectis, salsúsque per artus
Sudor iit,

futurarum ac proximè imminentium calamitatum indicium. Apud Philostratum Hectori statuam Troiæ positam fuisse legere est, cuius *identidem ardet vultus, & nescio quo martio calore vsque eò exæstuat, vt largo illam sudore videas colliquescere.* Arrianus auctor est Orphei, Oeagri Thracis filij, *statuam in Pieria continuò sudasse*, vbi Alexander in Macedoniam rediisset, variantésque super illo prodigio sententias extitisse, dum alij alia pro arbitrio comminiscuntur. *Aristander verò Telmisseus, vates eximius, Alexandrum bono animo esse iussit: significari enim cuiusuis generis Poëtas magnopere laboraturos in Alexandro, eiúsque rebus gestis describendis, ac decantandis.* Ex Iulio Obsequente *Apollo Cumanus*, inquit D. Augustinus, *cùm aduersùs Achæos, Regémque Aristonicum à Romanis bellaretur, quatriduo fleuisse nunciatus est. Quo prodigio haruspices territi cùm id simulachrum in mare putauissent proiiciendum, Cumani senes intercesserunt, atque retulerunt tale prodigium, & Antiochi, & Persidis bello in eo apparuisse figmento, & quia Romanis feliciter prouenisset, ex Senatusconsulto eidem Apollini sua dona esse missa testati sunt. Tunc verò peritiores acciti haruspices responderunt, simulachri Apollinis fletum ideò prosperum esse Romanis, quoniam Cumæ Colonia Græca esset, suísque terris, vnde accitus esset, id est, ipsi Græciæ, luctum & cladem Apollinem significasse plorantem. Deinde mox Regem Aristonicum victum, & captum esse nunciatum est, quem vinci vtique Apollo nolebat, & dolebat, & hoc sui lapidis etiam lacrymis indicabat.* Hæc doctissimus præsul. Argonautas, metu tristitiâque confectos ex periculo naufragij repræsentans Apollonius, de simulachris sanguineo sudore diffluentibus meminit. Lucanus pariter prodigia bellorum ciuilium Pompeium inter, & Cæsarem,

Arrian. lib. 1. expedit. Alex. Maced.

Iul. Obsequẽs in fragm. de prodig. S. August. lib. 3. de Ciu. Dei c. 11.

Apollon. lib. 4. Argon. v. 284. Lucan. lib. 1. Pharsal.

Indigetes fleuisse Deos, vrbísque laborem
Testatos sudore Lares,

nominatim commemorat. Hæc aliáque id genus prodigia ab Ethnicis Scriptoribus recensita lipsanomachi amplectuntur, credunt, venditant:

tant: ab orthodoxis autem, & sanctissimis quibusque viris narrata, scripta, visa repudiant, explodunt, & tanquam pura, putáque mendacia nigro theta configunt. Aureliis (ne à nostra Gallia discedamus) in Monasterio *Puellaris* meditullio, auctore Glabro, *defixum stabat crucis vexillum præ se ferens ipsius Saluatoris pro salute humana mortem patientis imaginem. A cuius scilicet imaginis oculis per aliquod dierum spatium continuè multis cernentibus riuus emanauit lacrymarum, ad quod nimirum terribile spectaculum inspiciendum multitudo maxima conuenit hominum; plerique tamen, dum illud cernerent admodum animaduertentes quoddam esse diuinitatis præsagium; videlicet illius vrbis superuenturæ calamitatis. Quemadmodum enim ipse per se Saluator præsciens imminere vrbi detrimentum Hierosolymitanæ fleuisse illam perhibetur; sic denique & hanc videlicet Aureliam paulò post imminentem cladem passura per expressam suæ Imaginis figurã fleuisse comprobatur.* Hæc eius temporis scriptor. Audiamus elegantissimi æquè, ac fidelissimi Scriptoris è societate nostra orationem, Orlandinum intelligo, cuius secundum Tursellinum hæc verba sunt: *Compertum est Xauerij mortem in eius natali solo, domóque prodigio quodam mirabili præmonstratam. Ligneum simulachrum Saluatoris in Cruce traiecti sanè religiosum, & in eius familiæ ædibus perantiquum, eo ipso anno, quo Xauerius post tot sudores, laboresque Christi causã susceptos è vita migrauit, sextâ quaque feriâ per annum totum sanguine sudauisse, eandémque Redemptoris effigiem, quoties ille viuus grauius aliquid pateretur in India, (id quod ab eius domesticis ex ipsis Xauerij litteris collatis vnà temporibus animaduersum est) haud obscuro sudore manasse, quasi caput in laborante membro, & dominus in patiente famulo pateretur.* Cuius prodigij mirabilitatem à me lusam hìc adscribere non grauabor, dabis tamen veniam poëtæ, qui ad expressiorem signorum comparationem (vt pictoribus, & poëtis omnia licent) æs pro ligno suffecit, par tamen in vtroque lucet Sudoris mirabilitas, quæ summa & caput rei est.

Glaber lib. 2. cap. 5.

Luc. cap. 19. v. 41.

Orland. lib. 12. hist. Soc. Iesu n. 109. Tursell. lib. 5. vit. S. Fr. Xauer. cap. 4.

Et iam Threïcios referant fluxisse Colossos,
Cùm Macedûm ambiret Persica regna Deus.
Ærea captiuæ sudarunt signa Mineruæ,
Cùm face, cùm ferro Troia ruenda foret.
Xauerium, ah! quoties premit oppressura labore
India, & accumulat pondera, pondus amor.
Cantabrica toties Christus sudauit in arce,
Fit comes, & salsa totus inundat aqua.
Desudat Christo Franciscus: Christus in ære
Francisco; vtrique est par rigor, atque liquor.
Prodigium! vnde illi, & Christo commercia? monstrum!
Mutuus amotis sudor, & vnde labor?
Seiunctos coniungit amor; simulatáque mollit
Æra, idémque opifex durat in æra hominem.

Macedûm Deum intelligo Alexandrum, qui Deus audire, & adorari voluit. vide Arrian. lib. 4. p. 85. edit. Græcol. Curt. lib. 4. Prouincia Flãdro-Belg. lib. 2. Imag. 1. sæculi Soc. Iesu. or. 3. egregiè S. Xauer. cum Alex. componit, ac præfert.

O rigor! atque liquor; labor, atque amor, æquus amantûm est.
Vir sudando, Deus; vir, patiendo Deus.

Du Iarric. tom. 3. hist. Indic. cap. 25.

Mitto referre perillustre prodigium Christi pupuli è Deiparæ collo in tabella pendentis, & P. Benedicto à Goez, tùm militi, vitæ licentioris peccata vbertim deflenti misericorditer collacrymantis, aliáque id genus complura prætereo. Ex quibus non nemo intelligat à sudoris, & lacrymarum prodigiosarum cum veris Christi lacrymis similitudine fieri potuisse, vt tot diuersis in locis fideles innocenti, ac pio credant errore Christi puras veràsque lacrymas etiamnum asseruari, vt omnino sunt, seu naturæ, seu miraculo fusæ.

SECTIO SECVNDA.

De Christi Cruce, clauis, sudariis, vestibus, spinis, lancea, spongia, & reliquis huiusmodi lipsanis iterum.

PRincipio à Christi cruce dicendi exordium sumendum est. Tametsi verò verissimam causam tantæ multitudinis particularum venerabilis illius ligni, quæ sexcentis in locis, ac basilicis Orthodoxorum seruantur, ostenduntur, coluntur, non aliam esse credam, quàm mirabilem ipsius multiplicationem, & inconsumptibilem diuisionem (vti ex sanctorum Patrum sensis à me iampridem disputatum est) tamen alteram eiusdem rei rationem nec immerito, nec fortè tam malè petat nonnemo ex aliarum crucium, quibus Christi martyres suffixi fuere, similitudine longè maximâ, à qua factum est, vt crux martyris Christi crux interdum à SS. Patribus appelletur. Hinc præclara, & aurea illa S. Chrysostomi vox S. Petrum sic alloquentis: *Gaudeas, Petre, cui datum est vt ligno crucis Christi fruereris*, non reipsa & (vt philosophica voce vtar) *entitate*, sed sola Crucis similitudine vt patet.

S. Chrysost. apud Metaphrasten. 29. Iun.

Indubitatum enimverò est tyrannos olim consueuisse in summum Seruatoris nostri dedecus, & Christianæ religionis contemptum nonnunquam martyres in Crucem dare, quas *statuas Christo sacratas*, mordaci sarcasmo Celsus Epicureus vocitat apud Origenem. Primas in hoc immanitatis genere tenuit Nero, æquè religionis Christianæ tyrannorum, ac truculentissimorum Imperatorum antesignanus, qui non modo D. Petrum Christi in terrris Vicarium, sed etiam quamplurimos alios eius cultores crucibus, non funibus astrinxit (vt eum pictores pingunt) sed clauis affixit. Quod Tacitus pro suo in Christianos odio non potuit tacere. Crucibus pariter ab Ethnicis impositi fuerunt ex Apostolis Andreas, & Philippus, & (vt SS. Philomenum, Agricolam, Calliopium, Astium, Simeonem, Timotheum cum Maura coniuge, Nestorem, Alexandrum Martyrem Lugdunensem,

Orig. lib. 4. contra Celsum. Martyrol. Rom. 29. Iun. Molan. lib. 3. hist. SS. Imag. cap. 22. Tacitus lib. 15. Annal.

& sexcentos alios dicere prætermittam) certè decem millia martyrum sub Adriano Imperatore in Armenia in crucem sublata silere nec debeo, nec possum, quandoquidem ea fuit Armenorum in propugnanda Christi fide animi alacritas, atque in faciendo martyrio ardor, vt non tam illi crucibus, quàm illis cruces defuisse visæ sint. Iaponum tyranni eadem erga Christianos feritate, & carnificinâ, hac nostra ætate desæuiunt, vt nostrorum hominum litteræ, & martyria loquuntur.

Martyrol. cit. 30. Nou. 1. Maij, 12. Febr. 29. Nou. 4. eiusd. 7. April. 3. Maij. 18. Febr. &c.

Nihil minus Ethnicis hac in parte præstiterunt aduersus Christianos Iudæi, ac Sarraceni, quoties sese illis obtulit occasio. De Iudæis quidem hæc habet Cedrenus: *Septimo anno Theodosii iunioris, Iudæi in campo Immo, Christianum puerum captum, ludibrij, ac crucis deridendæ causâ, excarnificatum de ligno suspenderunt, quos Imperator re patefacta dignis vltus est suppliciis.* Alterum puerum Christianum à perfida Verparum gente cruci suffixum Tridentina ciuitas deueneratur. Sarraceni verò in insula Co, ducem quemdam Imperatoris Constantinopolitani, Craterum nomine, in crucem sustulerunt. Quid mirum, si Iudæi & Sarraceni pari ingenio cruciariam hanc in Christianos carnificinam exercuerunt quandoquidem æquali eos odio semper sunt prosecuti?

Cedren. in compend hist. His adde, quæ ex Guill. Britone, ac Rigordo refert noster Grets. in paralip. ad lib. 1. de S. Cruce, pag. 806. in fin. Cedren. loc. cit.

Hinc coniice, quàm facile huiusmodi crucium indiscreta similitudo eam innocentem, ac religiosam credulæ plebis aberrationem creare potuerit; vt crucium, in quas SS. Martyres alacri animo insilierunt, particulas, pro veris crucis dominicæ fragmentis haberet, ac veneraretur. Dixi (indiscreta similitudo) quoniam cruces illæ, & materia, & figura inter se perquàm similes extitère. Materià quidem, quòd omnes è quopiam ligno arido, cùm eius copia fuit; siue quercum, siue pinum, siue oleam, siue cupressum, siue aliam arborem dixeris, plerunque semper fuerunt compactæ. Incertum enim esse, quæ fuerit vera dominicæ Crucis materia, præ cæteris Gretserus noster luculenter edocuit. Figura verò, quòd omnes fere martyres crucifixi è cruce commissa, immissáve pependerunt. Nam quòd B. Andream cruci decussatæ suffixum pictores exhibent, & vulgus occlamat; pictorum, quibus omnia licent, & vulgi, qui omnia temerè credit, is error est; cum constet crucem, in quam Sanctus Apostolus sublatus obiit, eandem, & Christi crucem habuisse figuram, tùm multi grauissimi scriptores iampridem tradiderunt, tùm nos ipsi oculis ad S. Victoris Massiliæ vsurpauimus. In illa enim Basilica, S. Andreæ crux ad angulos rectos compacta, ferreísque obducta laminis (si eius portionem excipias, vt spectari, & religiosis osculis appeti à Fidelibus possit) Christi ad summam Cruci quàm simillima custoditur, & colitur. Consentiunt veterrima S. Andreæ è cruce pendentis simulachra, imprimis illud, quod Anicij in Deiparæ Virginis Basilica aræ beato Apostolo sacræ impositum visitur; anaglyphum è ligno est; nihílque à Christi crucifixi signis discrepat, vt meritò ipse Apostolus crucem sibi fixam, & apparatam intuitus sic fuerit effatus: *Salue crux pretiosa,*

Grets. lib. 1. de S. Cruce cap. 4. 5. 6. Lipsius lib. 1. de Cruc. cap. 7. Molan. lib. 3. de Imag. c. 15. Lipss. cit. cap. 10.

pretiosa, suscipe discipulum eius, qui pependit in te, magister meus, Christus. At de his satis.

De clauis quibus Christus suffixus è cruce pependit, idem & de Cruce iudicium esto. Nam præter ea, quæ alio loco à nobis dicta sunt, illorum multiplicatio ex innocenti Fidelium errore potest peti, &, vt quidem reor, duplici similitudinis via.

Prior est, ex eo quòd partim ligna, è quibus Dominica fuerat compacta, partim titulus Seruatoris capiti superimpositus clauis affixa fuerint, vel quòd fideles quamplurima clauorum ectypa perstudiosè sibi conflanda curauerint: de quibus pluribus iterum dicere supersedeo. Ex hac autem clauorum similitudine bene multi fideles sibi persuadere nullo negotio potuerunt, istiusmodi clauos, qui variis in templis religiosè asseruati monstrantur, illos esse ipsissimos, quibus Seruator noster infami ligno suffixus fuit: Ecquis illum errorem probrosæ falsitatis, impiique mendacij prudenter damnet? *Magno Pompeio* (inquit Valerius Maximus) *Vibius ingenuæ stirpis, & Publicius Libertinus ita similes fuerunt, vt permutato statu & Pompeius in illis, & illi in Pompeio salutari possent. Certè quocumque aut Vibius, aut Publicius accesserant, ora hominum in se aduertebant vnoquoque speciem amplissimi ciuis in personis mediocribus annotante.* Fuítne tamen è mortalibus quisquam, qui fortuitum illud oculorum ludibrium vitio verteret? Attamen à lipsanomachis Catonibus, nescio quibus, pio & innocenti errore fidelibus abreptis ab indiscreta pignorum sacrorum similitudine iniusta impingitur criminatio planè consimilis: quasi verò exterior eorum species, & conformatio persimilis non æquè possit oculis fidelium illudere, & duorum hominum oris, & membrorum lineamentis comparium conspectus?

Valer. Max. lib. 9. cap. 14.

Posterior verò ad innocentem, à Clauorum, quàm simili conformatione, errorem via fuit, quòd claui, quibus olim, & titulus S. Crucis, ac martyres perinde, atque sceleratissimi quique parricidæ cruci suffigebantur, specie tenus adeo Christi clauos referrent, vt pro his illi haberentur. Clauis autem offigi solitos Martyras luce clarius est: *hæc enim atrocitas propriè Crucis est*, inquit egregiè Tertullianus, & vox græcorum καθήλωσις, *sine clauis intelligi non potest* (vt quidem August no placuit) qui de Christo scribere non dubitauit, *nisi clauis fixus esset, crucifixus non esset.* Israelitici populi Principes ob fornicationem cum Madianitis perpetratam (iuxta versionem Aquilæ) infami ligno *clauis suffigi*, vltor humanorum scelerum, Deus Imperatori suo, Moysi quondam imperauit. Latronum par, quos suæ necis, ac supplicij comites habuit Christus Innocentissimus, clauis infixos diu pependisse Chrysostomus, Augustinus, & alij complures scribunt. Quid D. Petrus Christi, imo (vt verbulo Plautino vtar) *Discipulus crucis?* annon & clauis offixus fuit? ita sensit Chrysostomus qui aureo suo illo dicendi flumine Petri clauos in hunc modum deprædicat. *O beati illi claui! qui sacra illa membra penetrarunt!* & post aliqua sibi

Gretf. tom. 1. lib. 1. de S. Cruc. cap. 20. Coll. lib. 3. de sang. Christi Disp. 13. c. 4. Tertull. lib. 3. aduers. Marcion. c. 19. S. August in Psalm. 118. concion. 25. & in Psalm. 68. Chrysost. hom. de Cruce & Latr. Et hom. 15. in cap. 8. epist ad Rom. Aug. tract. 37. in Ioän. serm. 130. de temp. & in psal. 39. Plaut. in Aulul.

sibi hæc comprecatur. *Sit mihi ensis ille Pauli pro corona, & claui Petri pro gemmis infixis in diademate!* Claui D. Petri tùm Lemouicis, tùm in æde D. Martiali sacra in Mortuing, cœnobio Monialium Ordinis Cisterciensis, in Diœcesi Abrincensi custodiuntur. Sixtus Senensis *Romanos, & alias extra Iudæam nationes clauis reos suffixisse, non appendisse laqueo, vel funibus,* existimauit. Vt vt sit, certè constat tyrannos, pro sua in Christianos immanitate, cruciatuum exaggerandorum gratiâ non tribus, quatuórve tantùm clauis, sed pluribus Martyres aliquando transfixisse.

S. Chrysost. hom. in SS. Apost. Pet. & Paul.
Molan. lib. 3. de SS. Imag. c. 22. pluribus.
Molan. prox. cit.
Sixt. Senens. lib. 8. Bibl. sanctæ.

De S. Agricola Martyre nominatim Ambrosius: *Nos legimus,* inquit, *Martyris clauos, & multos quidem, vt plura fuerint vulnera, quàm membra.* S. Pionius, vt est apud Surium, *vltro se vestimentis spoliauit, & in cœlum suspiciens, ac Deo gratias agens super lignum seipsum extendit, militique tradidit, vt clauis crucifigeretur.* S. Philomenus, *manibus, pedibúsque, ac demum capite clauis suffixo martyrium consummauit.* *S. Eligius Nouiomensis Episcopus è beato S. Quintini Martyris corpore diuinitùs à se inuento clauos miræ magnitudinis,* inquit Martyrij ipsius scriptor, *quos tempore passionis eius persecutores corpori ipsius infixerant, ex cerebro, cæterisque artubus abstractos sibi pro Reliquiis sequestrauit.* Rossi, referente Cedreno, gens Scythica, & nimiùm quantùm fera multos crucifixit, eósque in paucis, *qui ex captiuis sacerdotio initiati erant, capite clauis confixos in malam crucem egit.* Eusebius S. Faustæ Martyris inusitata crudelitate *caput clauis confixit, frontémque, & oculos, & pectus; & tibias perinde, ac crepidam,* inquit Metaphrastes. Præter immanem illam crudelitatem, alterum barbaræ feritatis genus (maximum enimvero inuictis Martyribus gloriæ, atque liquidæ voluptatis argumentum) video à Gentilibus aduersus Christi athletas exercitum, quos aliquando in tetrum carcerem detrusos, & in crucis formam extensos clauis terræ affigebant. Cuius rei testem produco auctorem Actorum S. Macharij, Patriarchæ Antiocheni, cuius hæc est oratio apud Surium: *Mittitur in custodiam* vir sanctissimus, *ibi instar crucis, cuius gloriam prædicabat, in terra extenditur, clauis configitur, sed reiiciente terra clauos, vinculis adstringitur: saxum ignitum nudo eius pectori imponitur, custodibúsque adhibitis illic relinquitur. Ille carceris tenebris mirificè lætatur, spe cœlestium præmiorum animatus, nec deest Christus militi suo, sed ergastuli atram noctem cæleste lumen illustrat: humi iacentem diuina erigit miseratio, pœnísque afflictum Angelica fouet consolatio.*

S. Ambr. exhort. ad Virg.
Sur. tom. 1. vit. SS. 1. Feb.
Martyrol. Rom. 22. Iul.
Sur. tom. 5. vit. SS. 30. Oct.
Cedren. in compend. hist. in Rom. Imp.
Metaphr. in actis S. Faustæ, & soc.
Sur. vit. SS. 10. Apr.

Quid? quod & aliud exquisitæ immanitatis inuentum suggerunt mihi acta S. Georgij, Martyris inuictissimi, quæ sic loquuntur. *In plantis pedis ferreos infigit clauos, & cogit Athletam currere multo sanguine solum subiectum aspergentem.* Cui non multum est absimile id gentilis crudelitatis facinus, quo, *Maximinus,* vt refert Metaphrastes, *calceis acutis clauis confixis induit athletam,* Zozontem videlicet Martyrem, *& cum ipsis eum cogit ambulare.* O crudelitatem improui-

Idem in act. S. Georg.
Metaphr. in act. S. Zozontis.

dam! *Ille autem currebat, tanquam super rosas incedens, & videns riuos sanguinis descendentes ex pedibus videbatur suauibus rebus circumfluere.* Hæc ibi. Hic nimirum piissimus Deus voluit suos Martyres mollius præ se habere, vt eos sibi plusquam adamantinis diuini amoris clauis confixos æternùm teneret. Ab illa igitur tot clauorum inter se indiscreta similitudine non immeritò quis suspicetur, & credat innoxium Christianorum errorem profectum fuisse, quo errore tot claui Dominici pluribus in locis asseruari, & coli memorantur.

Eodem planè modo solui possent veteres illæ controuersiæ diuersarum Ecclesiarum, quæ iampridem inchoatæ, diu iactatæ, necdum diremptæ vigent pro sacris sindonibus, sudariis, ac vestibus Christi, & Mariæ, & pro titulo Crucis, quem inuentum ab Helena, vna cum cruce Ruffinus, Sozomenus, S. Ambrosius, aliíque testantur. At quo loco illum deposuerit, non liquet. Certè Tholosates illo, velut thesauro pretiosissimo gloriantur, cuius tamen partem Romæ sub Innocentio octauo Pontifice maximo repertam non pauci tradiderunt, vti olim monuimus. Idem prorsus pro spinis Dominicis ferendum iudicium est; aliorum enim Martyrum coronæ spineæ pio, & insonti Christianorum errori, vel potius religiosæ pietati ansam præbere potuerunt, vt spinas quibus consummatorum Christi athletarum capita nonnumqum fuerunt redimita, compunctáque, pro Dominicis spinis, (quando ex veteribus tabularum monumentis nihil certi contra ipsis constaret) non haberent modò, sed etiam religiose venerarentur. Cùm enim diuinum Christi caput spinis in coronæ formam conformatis fuerit cinctum, ac mortuo lancea latus transuerberatum extiterit sæuitiâ tyrannorum, interdum factum est, vt idem crudelitatis genus in Christi Martyres exerceretur. Acta decem millium Martyrum perillustre huiusce immanitatis exemplum posteris totidem consignata verbis tradiderunt. *Ad suos satellites impios, impius Maximinus dicebat: Nostis, filij mei, quomodo Christianorum Deus spinea coronatus dicitur corona, latúsque eius lancea apertum. Iubeo igitur, vt & hi cultores sui & in huiusmodi fiant eius sequaces: talem námque Regem tales decent milites, qui à regalibus eius insigniis non discrepent; ne, qui eos viderint, ipsos ad eum pertinere fortassis non putent. Veram protulit tyrannus de conformitate passionis sanctorum militum ad passionem Christi sententiam, quamuis non secundum debitam intentionem: id siquidem, quod ipse proferebat irrisoriè, verissimum est Christianæ religionis verissima assensione. Christus Iesus namque Deus & Dominus noster in suis militibus, & ab omnibus nobis hoc requirit; vt si conregnare cum ipso in futuro voluerimus, cum ipso hîc quoque compatiamur, quia non coronabitur ab eo, nisi qui legitimè certauerit. Acquiescunt repente carnifices crudelissimi præcepto crudelioris Tyranni. Spinas acutissimas, quarum in iis locis facilè inuenitur copia, colligunt; serta, quasi victis, & fatuis Regibus imponunt, insuper lanceolis praacutis vulnerantur eorum latera; diffluunt sanguinis stillicidia tantâ copiâ, vt hinc quasi totaliter rubricarentur*

Gretf. lib. 1. de S. Cruce c. 94.

Acta passion. decem mill. Martyr.

rentur eorum corpora. Has pœnas fortissimi milites Christi cum indicibili mentis pertulerunt constantia. Deo hilariter gratias agentes ipsúmque benedicentes, quia pro nomine ipsius talia pati digni habiti sunt. Hæc ibi. Agedum ergo, quis ex huiuscemodi coronarum copia, & tot spinarum similitudine non facilè adducatur, vt tandiu credat se vel partem coronæ spineæ Christi Seruatoris (vt Lucæ in Hetruria inuentam fuisse tradit Franciottius, Ouietti in Hispania Lucius Marinæus,) vel spinas Dominicas possidere, quandiu pium suum, & innoxium religiosæ crudelitatis errorem dedoceri nequit?

Franciotti hist. cit. p. 165
Marin. lib. 5. rer. Hisp.

Quod attinet ad *lanceam*, idem omnino sentias. Eius ferrum quatuor diuersis in locis custodiri ait Caluinus, ideóque opus esse, *vt arte chymica multiplicatum sit?* Egregium enimverò, & lepidum iocum! quasi verò ad speciem illius, quo Christi Seruatoris latus fuit transuerberatum aliæ ferri acies, pro veteri Christianorum more, ac pietate, non potuerint quàm simillimæ procudi? vnde deinceps euenerit, vt ab hac externà specie, conformatione, & similitudine indiscreta, plures Ecclesiæ se ferrum lanceæ, quo Christi latus perfossum fuit, ducerent, ac dicerent possidere. Debet illud nostra Gallia S. Ludouici Regis sui Christianissimi munificentiæ, ac pietati, qua illud à Balduino Imperatore Constantinopolitano Venetis oppigneratum, accepta redempturæ potestate, numerata pecunia suum, ac nostrum fecit, & verò cuinam potiori iure sacrum illud ferrum totáque Dominica lancea debebatur, quàm Galliæ, quandoquidem Antiochiæ à Gallo, eodémque Salyo, clerico simul, & à nostrate Episcopo Ademaro sedis Apostolicæ legato, ex diuina inspiratione inuenta est, maxima cum totius Christiani exercitus voluptate, tripudio, & vtilitate, vt te pluribus Guillelmus Tyrius edocebit. *Vide singulare miraculum in ciue Aniciensi ad sacræ lanceæ diuinitùs inuentæ confirmationem editum.* Non tamen me fugit, vt superius diximus, suggerente Gretsero, Noribergā, Noricorum vrbē celeberrimam, vti & Pragam, teste Bzouio, gloriari se ipsam illā Christi lanceam possidere, *super quam* (inquit Leo à Rosmital frater Reginæ Bohemiæ) *Sacerdotes annulos nostros ponebant, vt qui dolore, vel punctione lateris infestarentur, præsens, & certum apud se remedium haberent.* Ætate Bedæ hastile eiusdem lanceæ *in duas intercisum partes* (vt ipse ait) Hierosolymis à tota ciuitate colebatur. Longè à vero abhorrere, quod quidam tradunt existimat meritò? an immeritò? noster Gretserus, cum Spondano Baiazetem Turcarum Imperatorem lanceæ ferrum Innocentio VIII. Pontifici maximo muneris loco transmisisse: contra sentiente, & multis probante Bzouio, quem vt consulas, auctor sum. At quomodocumque res habeat, pio, & innocenti errore credi potuit *lanceam*, qua Christi è cruce pendentis latus perfossum est, diuersis in locis asseruari, ob indiscretam cum aliis lanceis similitudinem, siue tu *lanceam Constantini magni*, siue *Caroli* itidem *magni* (quam alij eandem & Christi, alij Constantini lanceam fuisse censent) ingentium victoriarum paren-

Caluin. admon. sæpe cit.
Guiliel. Tyr. lib. 6. belli sacri c. 14. 17. 19.
Odo Gissey. lib. 2. hist. Aniciens. Deip. c. 30. & 31.
Bzou. ad annum. 1350. n. 14.
Gretſ. lib. 1. de S. Cruc. c. 96.
Iacob. Bozius lib. 1. de cruce triumph. c. 17
Beda lib. de loc. sacr. c. 12.
Spondan. tom. 2. contin. Annal. Eccl. ad ann. 1492. n. 8.
Bzou. Annal. Eccl. ad ann. 1350. n. 15.
Auct. vit. S. Gerardi apud Sur. tom. 5. vit. SS.
Sigeb. Chron. ad ann. 929.
Bed. cit. Baron. tom. 10. Annal. ad ann. 929.
Gretſ. Bzou. Bos. cit.

Suger. in vit. Ludou. Craſſi Imp.
Siffred. lib. 1. epitom. hiſtor.

tem cogites ſiue *lanceam S. Mauritij*, quam inter inſignia Imperatoria Sugerius refert, quæ quomodo Henricus Imperator Henrico parenti extorſerit, narrat his verbis, *vt inſignia regalia, videlicet coronam, ſceptrum, & lanceam S. Mauritij redderet, nec aliquid in toto regno pretioſum retineret, impiiſſimè coëgit.* Eandem Giffredus presbyter Miſuenſis memorat, cùm agens de Henrico Aucupe, *ipſe*, inquit, *lanceam Sancti Mauritij à Duce Burgundiæ accepit.* Siue aliquam aliam lanceam, ad primæuam illam imitatione conformatam, pro modo Ectyporum reputes; ſiue ad vltimum malis ducere ſpiculum ſeu lanceam qua Martyrum aliquis tranſuerberatus fuerit, pro germana Christi lancea oſtentari, quod fidei proximum puto. Nam Metaphraſtes apud Lippomanum, & Surium refert D. Thomam Apoſtolum Indiarum *lanceis* fuiſſe transfixum, eodem ſupplicij genere S. Benignius occubuit, & ſic de reliquis quos acta SS. martyrum ſuppeditabunt.

Lippom. & Sur. 21. Dec. & 1. Nouem.
Bozius lib. 1. de Cruce triumph. c. 17

Ioan. 19. 29.
Bed. cit. loc.
Baron. tom. 1. Ann. ad ann. 34.
Genebrard. lib. 4. Chron.
Gretſ. cit. c. 96.
Ioan. à Boſco lib. antiq. Vien. c. 4.

Ne *ſpongiam*, quam *plenam aceto hyſſopo circumponentes* Iudæi *obtulerunt ori Chriſti* ſilentio præteream; olim teſte Beda, quemadmodum olim dixi, Hieroſolymis in calice Domini reconditam, poſtea à Balduino Imperatore Conſtantinopolitano Venetis oppigneratam, deinde à D. Ludouico Francorum Rege Chrſtianiſſimo redemptam, Pariſios tranſuectam, & cuſtoditam etiamnum: denique in Lateranenſi Baſilica, eamdem religioſè ſeruatam perilluſtres rerum ſacrarum tractatores memorant. Conſtantinus Papa ad Eoaldum Viennenſem Epiſcopum: *Reliquias*, inquit, *Eccleſiæ tuæ ſicut rogaſti per Archidiaconum tuum, deſtinaui, de ſpongia Domini, &c.* Suos pariter Veſontionenſes nonnihil de eadem ſpongia poſſidere tradit Chiffletus. Mirum eſt, quàm vehementer aceti illius mordacitas Caluini cerebellum perculit; quem coëgit ſtomachabundum anquirere: *Sed vnde acquiſiuerunt iſtam ſpongiam? an manſit in poteſtate Iudæorum? an Apoſtoli eam tradiderunt, & mandarunt, vt loco Reliquiarum impoſterum colerent? quantum ſacrilegium eſt nomine Domini adeò impiè, & ſceleratè abuti?* vt acerbè paratragœdiatur, in Gebennenſi theatro hæreſiarcha Pſeudolus: cui iampridem noſter Gretſerus *ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam* ſapienter reſpondit; ſat mihi fuerit in præſentia dicere, ideo pluribus in locis ſpongiam illam haberi, quòd vel ob metonymiam, vel ob ſynecdochen, vel ob indiſcretam aliarum cum iſta ſimilitudinem vna, eadémque Chriſti ſpongia eſſe credatur. At quas ego ſpongias memoro? eas nimirum, quibus Chriſtiani & piæ in paucis matronæ fluentem è laceris SS. Martyrum corporibus cruorem, vel ſibi Reliquiarum loco colligere, vel ſiſtere in ipſo carcere nitebantur. Etenim ſpongiis vim ineſſe *ſiſtendi ſanguinis*, Plinius, Dioſcorides, aliique iampridem docuerunt. Illis olim vſos Retiarios erudita iſta Tertulliani verba abundè innuunt. *Poteris & de miſericordia moneri, Chriſtianus defixus in morſus vrſorum, & ſpongias Retiariorum?* Spongiis enim, obſeruantibus Lipſio, Turnebo, & ſecundum

Chiffl. ſupr. cit.
Caluin. admon. ſæpe cit.
Plin. lib. 23. hiſt. natur. c. 1. & lib. 31. c. 11.
Dioſc. lib. 5. c. 14.
Tertull. lib. de ſpectac. c. 25.
Pamel. ibid.
Lipſ. lib. 2. ſatur. c. 8.
Turneb. &c.

ſecundum ipſum Pamelio Retiarij ad tergendum, ſiſtendum, ſiccandúmque vulnerum ſanguinem vtebantur, cùm vſu veniret eos ab vrſis, vel à Mymillonibus quibuſcum in arenam deſcendebant, vulnerari. *Idipſum*, inquit Eminentiſſimus Cardinalis Baronius, *& in marmoribus nobiliter ſculptis vidimus, nimirum Adonidi ab apro recenter vulnerato confeſtim à miniſtro quopiam admotam ſpongiam, ac vulneri ſuppoſitam vt fluentem cruorem ſiſteret.* Quidni verò idem in Martyrum corporibus fœdum, immanémque in modum ſanie manantibus factitatum fuerit à Chriſtianis; quod in Chriſto è Cruce pendente à carnificibus vſurpatum putat doctiſſimus Cardinalis? nec fortè tam malè, Iudæi enim adeò inexplebili ardebant in Chriſtum odio, vt eum diutiùs viuere vellent, quò diù viuendo diutiùs poſſet mori. Nec ſolum manantem è diſcerptis viuorum Martyrum artubus ſpongiis excipere liuorem Fideles ſatagebant; ſed etiam iam profuſum, nec dum bibula tellure hauſtum colligere nitebantur. Prudentium proximè ſuperiori ſectione huiuſce Chriſtianorum conſuetudinis, ac piæ cupiditatis teſtem locupletiſſimum produxi. Adde & ſpongias, quibus aliquando manantem è Sanctorum pignoribus cruorem collegêre Fideles. De corpore S. Euphemiæ hæc prodidit memoriæ Nicephorus, Calliſtus, *In tumuli læuo latere feneſtella quadam admiranda eſt, operculo, quam maximè obfirmata, per quod ferramentum longiuſculum, cui in extrema parte ſpongia alligata eſt immittebant, ſpongiámque ipſam in ſacroſanctis Martyris Reliquiis obuolutam, & guttis cruore illius delibatis refertam extrahebant.* Hæc, & alia pluribus poſt Euagrium ille. A ſumma igitur iſtiuſmodi ſpongiarum cum Dominica ſimilitudine, hæc variis in locis, in quibus illæ ſeruantur, credi potuit cuſtodiri.

Baron. tom. 1. Annal. Eccl. ad ann. 34. N. 121. 122.

Niceph. lib. 15. hiſt. c. 3. Euagr. lib. 2. hiſt. eccl. cap. 2.

SECTIO TERTIA.

De Beatæ Virginis Deiparæ Lacte iteratò.

LAc Dei genitricis Mariæ (quod Antimarianus du Moulin, necdum poſt mille ſexcentos annos potuiſſe areſcere, non tam miratur, vt Chriſtianus; quàm impiè ridet vt ethnicus) Lac inquam Deiparæ quid mirere tot diuerſis in locis Catholicis in veneratione, & pretio eſſe quam maximo. Non enim illud ex ipſius, dum viueret, virgineis vberibus de cælo plenis tantùm, ſed etiam ex eiuſdem ſeſe poſt mortem videndam mortalibus exhibentis mammâ, atque adeò ex eius imaginibus mirabili planè prodigio fluxiſſe velim ſcias. Nec immeritò S. Antoninus Lac illud verum, ac naturale extitiſſe negauit, ſed liquorem duntaxat lacteum neſcio quem, è nullo natiuo fonte promanantem, qui (vt verbis tanti Theologi vtar) *fuit miraculosè procreatus.* Haud aliter quam mirabilis ille cruor, quem ſuperiùs diximus

S. Antonin.

ximus ex aridis, & exuccis Diuorum ossibus, brandeis, imaginibúsque miraculo profluxisse.

B. Pet. Dam. lib. 6. ep. 29.

Non aliud fuisse puta suspiciendum illud lac, quo Clericum quemdam Gallum Deiparæ perstudiosum fuisse recreatum B. Damiani nepos memorat in hunc modum: *Clericus quidam Niuernensis Ecclesiæ morbo depressus elanguit, iam iámque superexcrescente molestia moribundus ad extrema peruenit. Hic planè regulam sanctæ seruitutis indixerat, vt B. Dei genitrici quotidiana per singulas horas laudum vota persolueret: cúmque de vita illius iam nemo pene considerет, & velut egressurus in eius pectore spiritus anxiè palpitaret, ecce gloriosa mater Dei sibi visibiliter adstitit, & sacri vberis papilla lac exprimens eius labiis instillauit, & diuinæ virtutis antidoto protinus ille resumptis viribus ex infirmitate conualuit, &c. Dicitur etiam quòd adhuc tunc in labiis eius quædam lactis videbantur vestigia, &c. vt per hoc coniici possit, quoniam iisdem labiis, quibus eam ille laudauit & coluit, gloriosa Virgo lac salutis immulsit, vt per illud corporis membrum, quo sibi venerabilis clericus laudis obtulerat gloriam, congrua vicissitudine recuperandæ salutis suæ perciperet medicinam.* Hæc Beatissimus Cardinalis. Sic nimirum Diuam Virginem Deiparam, non vt Reginam potentissimam, sed tanquam matrem, ac nutricem piissimam Gallos suos, súique in paucis perstudiosos mirificè lactare delectat. At ne illum vnum eâ gratiâ beatum suspicare, alios potiùs eandem à Diua Virgine recepisse gratiam mecum suspice. Piissimus Carnotensium Antistes Fulbertus, Virginis Beatissimæ sibi apparentis, dum aliquando grauiter à morbo decumberet, lacte mirabiliter ori affuso recreatus integerrimas tam mentis, quàm corporis vires recepit. Tanti ipsi fuit Dei genitricem singulari quodam cultu affecisse. Subeat animum recordatio illius lactis, quod è Spirensi B. Mariæ simulachro mirabiliter manasse, simúlque D. Bernardi Claræuallensis in os proluisse apud Gallos, Germanósque ita constans traditio est, vt ne Amphibius Erasmus id silere potuerit, *Vnde miror*, inquit *illum mellifluum dici potius, quàm lactifluum.* En tibi tres Gallos Dei genitricis cultui quàm addictissimos ab ea mirabili lactis profluuio labia Marianam stillantia pietatem irroratos, vt multis nominibus Γαλατάς seu, *lactei* dici possint. Ab illius igitur lactei liquoris cum natiuo Deiparæ lacte expressa similitudine Christianorum plerique rerum ignari, oculorúmque delusi ludibrio in diuersis Ecclesiis *lac Mariæ* seruari, errore sine controuersia excusabili crediderunt.

Sauss. in supplem. Martyr. Gallic. 10. April.

Vvill. Malmesb. lib. 3. de gest. Anglor.

Erasm. Colloq. peregr. relig. ergo.

Aliam pij huiusce erroris occasionem nactos fuisse video, scilicet Lac illud mirabile, quod non rarò è præcisis Beatorum Martyrum ceruicibus, vel pro sanguine, vel cum sanguine diuinitùs manauit. Id miraculi SS. Patres, Chrysostomus, Ambrosius & Metaphrastes, ac secundum illos plerique omnes recentiores in D. Pauli capite demesso iampridem obseruarunt. S. Chrysostomi hæc oratio est ad Beatum Apostolum conuersa: *Qualis locus tuum, Paule, sanguinem excepit? quò*

S. Chrysost. orat. in SS. Petr. & Paul. Apost.

qui lacteus apparuit in eius veste, qui te percussit, qui quidem sanguis Barbaricum illius animum reddidit melle dulciorem, vt ipse vna cum sociis ad fidem traduceretur ita effecit. Mellea D. Ambrosij verba pronis, auidisque, si placet, auribus combibamus. *De Pauli ceruice cùm eam persecutor gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis magis vnda, quàm sanguinis, & mirum in modum S. Apostolum baptismi gratiæ in ipsa cæde extitisse splendidum potiùs quàm cruentum, Quid enim mirum si abundat lacte nutritor Ecclesiæ, sicut ipse ad Corinthios ait: Lac vobis potum dedi, non escam? Hæc est planè promissionis illa terra, quam Deus Patribus nostris promisit dicendo: Dabo vobis terram fluentem lac & mel. Non enim de hac terra locutus est, quæ dimanantibus aquis cœnum inuoluit lutúmque permiscet, sed de illa, tum Pauli, tum similium Pauli, quæ iugiter purum, suauéque distillat. Quæ enim Pauli epistola non melle dulcior, & lacte candidior? quæ epistola tanquam vbera Ecclesiarum populos enutriunt ad salutem. De ceruice ergo Pauli pro sanguine lac manauit.* Hucusque Ambrosius: qui non sine causa de *similibus Pauli* meminit quòd ea lactei liquoris mirabilitate non extiterit singularis. Hactenus perantiquos Ecclesiæ Catholicæ Proceres, ac testes omni exceptione maiores audiuimus: nunc saltem vnum aliquem e recentioribus eiusdē in D. Paulo mirabilitatis assertorem, Guerricum scilicet producamus. *Quam plenus autem lacte redundauerit spiritali, pulchrè significatum est vnda illius lactis visibilis, quod è corpore ipsius exiisse fertur loco sanguinis, cum decollatus hodierna die pro illis dabat mamillam, dedit & animam. Planè nihil in eo sanguineum, sed totum lacteum, qui nihil carnale, nihil suum cogitat: sed tantùm, quod aliis vtile erat. Nec tam habebat vbera, quàm IPSE totus VBER ERAT, qui ita misericordia vberi affluebat, vt non modò spiritum suum desideraret totum filiis immulgere: sed & corpus impendere.* Et paulò post idem edocens ingeniosè, quandonam diuinus Apostolus spiritali lacte repletus fuerit, sic infit: *Ecce autem repente Spiritu sancto misso de cœlo, tanquam lacte de propriis Christi vberibus effuso, Petrus impletus est lacte plurimo, nec multò post de Saulo fit Paulus; prædicator de persecutore; mater de tortore; nutrix de carnifice, vt planè intelligeres totum eius sanguinem mutatum in lactis dulcedinem,* sæuitiam in pietatem. Hæc religiossimus Abbas. Quòd verò dicat Diuum Paulum diuino Spiritus Sancti illapsu mutatum *in matrem de tortore, ac de carnifice in nutricem,* alludere haud dubiè voluit ad ipsiusmet Apostoli sensa, & verba, qui Thessalonicensibus, ad quos scribebat; imo & Corinthiis, Galatis, Ephesiis, Colossensibus, Romanis, aliísque omnibus, apud quos Euangelij sementem fecit; factus fuerat, *tanquam si nutrix foueat filios suos*; vel, vt Guerricus ipse transtulit paraphrasticè, *sicut nutrix sedens, & nutriens filios suos:* quos nimirum *genuerat verbo veritatis,* vt essent *aliquod initium creaturæ* Patris *luminum,* Christique Seruatoris.

S. Ambros. serm. 68.

Guerr. Abbas serm. 2. in Natal. SS. Apost. Petr. & Paul.

1. Thessal. c. 2. v. 7.

1. Iacob. 2. 18.

Iam videamus, si placet, amabilem, & amantem illam tot Ethnicarum gentium *nutricem* in hac lactei liquoris è ceruice abscissa pro

sanguine manantis mirabilitate *similes sibi* vt monuit Ambrosius, habuisse nonnullos. Etenim de S. Antiocho, inuictissimo martyre sic sacri Ecclesiæ Romanæ fasti loquuntur: *Sebaste S. Antiochi medici qui sub Hadriano Præside capite obtruncatus est, cúmque ex eo lac cum sanguine manaret, Cyriacus carnifex conuersus ad Christum & ipse martyrium subiit.* D. pariter Catharinam Virginem capite ceruicibus abscisso, lactis riuos vice sanguinis fudisse velut nouam Philosophorum, quos Christo pepererat, nutriculam, auctor est Simeon Metaphrastes. Ad mirabilis istiusmodi lactis numerum haud scio an reuocare debeam prodigiosum illud S. Cliniæ matris, S. Remigij lac, quo D. Montanus luminibus captus vix oculos obliuit, cùm pristinâ videndi facultate fuit confestim redonatus: Credas piissimam matronam voluisse reponere gratiam vati suo, qui animo totus lynceus futuræ sobolis ortum longè antè præuiderat sibíque certissimè denuntiarat. Hæc aliáque prodigiosi lactis miracula, quæ in seruorum suorum gratiam, & honorem edere dignatus est Deus, ansam dare potuerunt fidelibus, pro sua ad diuina piè credendum facilitate, sibi persuadendi lacteum illum martyrum cruorem, liquorémve è sacris manantem simulacris, vel diuinitùs exuccis vberibus inditum lac, religionis causâ diuersis in locis asseruatum; è Virgineis Mariæ Mammis fluxisse, eóque tanquam cœlesti Deiparæ lacte gloriandi: qua certe in re si quid peccatum est, oculorum, non animi is error fuit, quem indiscreta mirabilis, & natiui lactis peperit similitudo, aluit innocens inscientia, fides ac pietas confirmarunt.

Baron. tom. 1. Ann. Eccl. ad ann. 69. n. 12. Massut. lib. 13. vit. S. Pauli, cap. 11. Molan. lib. 3. de SS. imag. c. 23. de ea re in vtramque partem disputat; & affirmantem ex m. Grauio, soc. Iesu Presbytero confirmat. Martyrol. Rom. 15. Iul. Metaphr. apud Sur. tom. 6. vit. SS. 25. Nou. Sauss. Martyrol. Gall. 17. Maij.

SECTIO QVARTA.

De Capillis Christi, ac B. Virginis Deiparæ rursus.

AB eadem reliquiarum similitudine numerosam illam capillorum vim, quæ Christo, eiúsque sanctissimæ Genitrici tribuitur, dimanasse non immeritò minùs suspicêre, quàm aliorum lipsanorum copiam, de qua superiùs à me disputatum est pro instituti nostri breuitate sat multis.

Longè certissimum est imprimis olim à desæuientibus in Christianos tyrannis in moribus plerumque habuisse carnifices, quâ viris, quâ fœminis capillamentum abradere ad cutem vsque, quod sanè cuipiam mirum videri forsitan posset, qui se legisse meminerit reos consueuisse crinem alere, & horridum in modum promittere. Audi Martialem de insolenti, fictóque Saufelli fastu loquentem.

Cinctum togatis post, & ante Saufellum
Quanta reduci Regulus solet turba
Ad alta tonsum templa, cùm reum misit.

Martial. lib. 2. epig. 74. Rader. Ibid. &c.

Scilicet

Scilicet abſolutum, & ab omni criminis ſuſpicione liberum, abſolutis enim crinis accidebatur, & ad Deorum templa rei gratias acturi mittebantur; quorum præſidio ſuam innocentiam conteſtatam fuiſſe, ſeque capitis periculum euaſiſſe credebant. Contrà verò quandiu de ipſorum innocentia, ſceleribúſve quæſtio exercebatur, tandiu rei capillos ſubmittere pro ſummi mœroris argumento conſueuerant; ideóque huiuſmodi nocentium crines non illepidè Petronius Arbiter, *horridos, nocentéſque capillos*, vocitauit, nec ſolum in argumentum triſtitiæ, ſed etiam ad commiſerationem ſui excitandam, rei ſquallida, & obſoleta veſte amicti, flentes, ac ſordidati, barbam capillúmque ſubmittebant, vt eo ſquallore, & habitu deformi, iudices ad miſerationem inflecterent, ſibíque pœnas deprecarentur. Cuius conſuetudinis apud Romanos vſurpatæ Plutarchus, aliíque non pauci teſtes ſunt, inter alios Plinius & inſignis ſomniorum interpres, ipſéque præ cæteris ſomniator maximus, Artemidorus. Ille quidem his verbis, *Quia rei moris eſt ſummittere capillum, reciſos reorum capillos depulſi, quod imminebat, periculi ſignum fuiſſe* affirmat. Hic verò Plinium, vt reor, imitatus, aſſerit, *ſi quis reus ſit, ac ſibi videre videat in ſomnis ſibi comam attonſam eſſe, proſperum ei eſſe ſomnium, vtpotè quod liberationem à vinculis, & accuſatione ipſi portendat.* Verùm vſque eò ſibi capillum excreſcere patiebantur rei, vt *comarum fluentium iubis*, (verbis Saluiani vtor) *ita totus vultus obtegeretur, vt capillamentum in terga reiicere, quo agnoſci poſſent, neceſſum eſſet.* Lucianum habeo teſtem locupletiſſimum, apud quem Demetrius Antiphilum neſcio quem, amicum ſuum in cuſtodia viſitantem, *vocans eum non cognoſcebat. Vt verò ad vocem agnitam reſpondiſſet, atque adeunte illo comam diduxiſſet, eam à vultu abigens ſordidam, atque impexam, oſtendit ſeſe, quis eſſet.* Hæc cum ita ſint: non immeritò mirari quis poſſit olim tyrannorum, Iudicúmve mandatis comam Chriſtianis ſolitam abradi, quos omnium ſcelerum reos ducebant, eámque ob cauſam *diaboli domo*, (vt carcerem nuncupat Tertullianus) arctè tenebant incluſos. *Dicimur ſceleratiſſimi*, inquit idem Afer Apologetici ſcriptor, *de ſacramento infanticidij, & pabulo inde, & poſt conuiuium, inceſto, quod euerſores luminum canes lenones ſcilicet tenebrarum, & libidinum impiarum inuerecundia procurent.* Certè cùm Ioſepho Patriarcha innocentiores forent Martyres, vel ad ſummum, æquè innocentes, cur non & eodem, ac ille modo ab ethnicis habebantur? Illum enim conſtat; quandiu iniuſto carcere caſtiſſimus iuuenis per calumniam heræ impudiciſſimæ fœminæ & ſcorti nobiliſſimi damnatus, ac detentus fuit, cæſariem promiſſam ſummiſiſſe, non pro Perſarum more, ſed ex Ægyptiorum diſciplina, apud quos tum viuebat. Ea enim eſt Achmetis animaduerſio: *ſi quis ſibi videatur in ſomnis, caput ſuum vniuerſum tonderi* ἀτίμως θεατρισθήσεσθαι *ignominioſè traductum iri*, vt apud Ægyptios mos fuit, & tamen, Ioſephus heræ, ac dominæ ſuæ continentiæ inſidias creditus tetendiſſe, comam aluit, promiſit, promiſſámque interim

Petron. Arbit. & in illum Vvouer. pag. 348.

Plutarch. in Ciceron. vit.

Plin. lib. 7. epiſt. 2.

Artemidor. lib. 1. Onirocr. cap. 22. & 23.

Saluian. lib. 8. de Prou.

Lucian. dialog. de amicitia.

Tertul. lib. ad Martyr. cap. 1.

Idem Apolog. cap. 7. Pamel. ibid.

Gen. cap. 41. v. 14.

Achmet. cap. 31.

gestauit, dum è carcere *eductum totonderunt* Ægyptij, de Regis sui imperio in signum innocentiæ, & in lætitiæ, prosperiorisque fortunæ argumentum. Consule sis interpretes. Immaniùs multò in Christianos sæuitum à Gentilibus video.

Enimverò, vt ab ipsis Ecclesiæ vix primùm vagientis incunabulis ordiamur, D. Petrus Ecclesiæ secundum Christum caput, & moderator Princeps, cum Antiochiæ Euangelij sementem faceret, ab impiis, & maleuolentia suffusis æmulis ad vulgare ludibrium, vsque ad cutem attonsus fuit; Qua de re meminit S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus explicans quid sit? quídve significet corona sacerdotalis? *Ex capillorum significatione*, inquit, *imaginem refert venerandi capitis Apostoli Petri, quòd cùm missus esset ad prædicationem domini, & magistri, ei attonsum fuit ab iis, qui eius sermoni non credebant, vt illuderetur ab ipsis, eique magister Christus benedixit, & infamiam in honorem, illusionem in gloriam conuertit* & reliqua pluribus vir in rebus diuinis perspicacissimus. Teste Metaphraste *Euelasius multa ira repletus iubet tonderi Sanctæ Faustæ caput ad ignominiam, & opprobrium.* Beatam pariter Macrinam, cùm Alexander in ignem coniici præcepisset, de subito concitatus turbo discussit flammam, & in adstantes retorsit: *Sed hæc omnia non virtuti diuinæ, sed maleficis artibus adscribens Imperator, stultissimâque opinione imbutus maleficia in eius capillis hærere existimans, mandat radi pilos capitis eius. Parent ministri, radunt caput virginis: Imperator autem iam rasæ insultat, tanquam sit omni virtute nudata.* Sic inuictæ Heroinæ innocentissimæque martyris loquuntur acta.

S. German. Ecclesiast. rer. contemplat.

Metaphr. Sur. & Baron. in not. ad Martyrol. 20. Sept.

Ex quorum verbis duo colligo notatu dignissima. Vnum ignominiæ causâ Martyres abradi solitos, & in paucis Virgines matronas, fœminásque primarias. *Capilli*, enim, vt loquitur Augustinus, *non superfluè facti sunt à Deo, sed ad aliquod ornamentum* maximè fœminis. *Vir quidem*, inquit D. Paulus, *si comam nutriat, ignominia est illi, mulier verò si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.* Vnde non tam malè intra philologiæ limites Hadrianus Iunius erudito suo, quem de Comâ scripsit tractatu, ita loquitur: *Rasura genericè loquendo seruilis mihi habetur, ridicula, & morionum propria: mollitiei macula infamis; ignominiæ, calamitatis, damni, noxæque index: indecora quippe caluitio depili affinis, imo voluntarium, vltróque accersitum caluitium: denique scriptis diuinis repugnans, atque si de barba sit sermo, impietatis etiam ingratitudinísque erga naturam, & Deum rea:* quæ omnia sigillatim, ac rectè probat, & quæ in beatos martyres ex parte maximâ nonnemo conferat, qui meminerit Christianos à Gentilibus fuisse existimatos, *ne vllum viri boni pilum habere.* Quod de C. Fannio Chærea non illepidè dixit Tullius, eo quòd *capite, & superciliis semper esset rasis.*

S. August. in Psalm. 51. 1. Corint. c. 11. v. 14. Vid. apud Apuleium lib. 2. Asin. quanta sit mulieri à cæsarie species, ac decor. Hadr. Iun. Comment. de Coma cap. 2.

Alterum quod ex dictis consequitur obseruatu dignum est, tyrannos consueuisse inuictorum Martyrum capita summam ad cutem abradere, quòd in ea essent hæresi, vt crederent mirabilem illam ipsorum

indolentiam, & prodigiosa naturæ iniustam lanienam exhorrescentis effecta, à maleficiis quibusdam proficisci, quæ cruciatorum crinibus adhærerent. Et verò inter reliqua capita, quæ Sprengero Maleficorum quæsitoribus perficienda præscribuntur, hoc tertium noster refert Delrio. *Debent capilli capitis, & barbæ abradi, imò & per totum corpus*, vti à Cumano Inquisitore factitatum memorat, qui *maleficas incinerari mandauit, omnibus per totum corpus abrasis, & hoc remedium multum profuisse*, duobus exemplis lectu dignissimis testis oculatus, & Iudex Damhonderus confirmat. In hac autem tonsione, & abrasione maleficorum, illud obseruandum idem per quàm sapienter monet. *Si fiat duntaxat, ne maleficium lateat foraminibus corporis insertum, vel crinibus inspersum ritè id fieri: sed si tonsio fieret ex opinione, quod per eam robur corporis, & animi fortitudo pereat exemplo Samsonis, (in quo totum id diuina virtute contingebat) & etiam documento Apollonij Tyanæi; putauit seriò hoc esse Magicum, & superstitiosum.* Hæc sapientissimi olim Iudicis sententia, & doctissimi postmodum Theologi Consilium fuit. Cæterum vides, quàm bellè visus est allusisse ad impia æquè, ac inepta Imperatoris Alexandri sensa & verba B. Macrinæ insultantis *tanquam omni virtute nudata foret*, cùm tamen illa probè esset *induta virtute ex alto*, ac Samsone Hebræo fortior, ac fortunatior multò existeret.

Spreng. 3. part. Mallei malef. c. 14. Del-rio lib. 5. disquisit. Magic. sect. 9. Remig. lib. 3. malef. c. 91. Damhond. prax. crit. cap. 37. n. 21. Del-rio loc. cit. Iud. cap. 16. n. 17. & seq. Philostr. lib. 7. & 8. vit. Apollon. Luc. 24. v. 49.

Iamverò inualuisse quondam apud Gentiles eam opinionem, vt crederent Christianos esse maleficos, hæc Suetonij vnius testificatio sat esse posset. *Affecti*, inquit, *suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis nouæ, & maleficæ.* Detestandam autem istiusmodi malarum artium disciplinam eos à Christo doctore hausisse tùm è nostris Arnobius, tùm ipsimet tyranni satis supérque docuere. B. Tiburtio accensos carbones, æquè molliter nudis, illæsísque plantis inambulanti, ac si molles calcaret rosas, adeóque iniustissimo quæsitori iustissimè insultanti respondisse ferunt Fabianum, *Quis ignorat artem magicam vos docuisse Christum vestrum*? docuisse verò, non solum verbo tenus, verum etiam scripto maleficas artes ethnici egregiè mentiebantur, vt notat refellítque S. Augustinus, pro suo more, per quàm neruosè tribus continentibus capitulis. Primùm quidem illos refutat, qui se huiusmodi libros magicos à Christo conscriptos iactitabant: *Prodant*, inquit, *eos nobis, profectò enim vtilissimi, & saluberrimi sunt, quos, vt ipsi fatentur, vir sapientissimus scripsit: si autem timent eos proferre, vtique mali sunt. Porro si mali sunt, non eos sapientissimus scripsit. Sapientissimum autem Christum fatentur. Non ergo Christus tale aliquid scripsit.* Deinde alios docet desipere, qui se maleficos illos Christi libros legisse, & in eis magicam artem inuenisse mentiebantur, *Quandoquidem Christum propterea sapientissimum putant fuisse, quia nescio quæ illicita nouerat, quæ non solum disciplina Christiana, sed etiam ipsa terrenæ reipublicæ administratio iure condemnat.* Denique diuino iudicio quosdam eorum euincit errasse, qui eosdem execrabilium artium libros,

Sueton. in Neron. cap. 16. Arnob. lib. 1. contra Gentiles. Acta passion. S. Sebast. apud Sur. tom 1. vit. SS. 20. Ianuar. August. lib. 1. de consens. Euangel. cap. 8. Idem ibid. cap. 9. Ibid. cap. 10.

Ad Petrum, & Paulum dicebant, *tanquam epistolari titulo prænotatos*, quos vbi edocuit in quo malesani fuere delusi, *Quomodo*, inquit, *potuit Christus libros, quos antequam moreretur, eum scripsisse putari volunt ad Discipulos tanquam familiarissimos, Petrum, & Paulum scribere, cùm Paulus nondum fuerit discipulus eius?* Mitto dicere quàm potenti, validóque ariete aliorum Gentilium sententiam quatere pergat, *qui magicis artibus tanta Christum potuisse, & nomen suum ad populos in se conuertendos arte ipsa consecrasse delirabant.* Sat enim illa esse possunt ad probandum eam fuisse tyrannorum, & Iudicum Ethnicorum aduersus innocentissimos Martyres exercitam immanitatis speciem, vt virorum ac fœminarum imprimis capillos, & promissæ comæ syluam ad cutem vsque demeterent, vt eos non solum de ridiculo haberent, tanquam moriones aliquos Chorabos, sed etiam (quod grauius est) velut maleficæ superstitionis homines, execrabilium artium magistros, & publicos humani generis, ac naturæ ipsius hostes, ac carcinomata traducerent, & diuexarent.

Idem ibid. cap. 11.

Verùm aliter omnino res cecidit, quàm ipsorum ferebat malignitas. Enimverò cùm Martyres abrasis capitibus, exuta veste, suóque sanguine, piceóve vnguine delibutos viderent sapientissimi quique, nùm se veros *Athletas* (sic enim eos appellitare Patres consueuerunt) spectare meritò credere poterant, vt *Olympicum de anima certamen obituros?* (quæ Isidori Pelusiotæ vox est) quo etiam teste, veteres olim Athletæ *non modo exutis vestibus* (*certandi enim principium est vestes deponere*) *verùm etiam detonsa coma, oleóque delibuto corpore, vt nec crinibus prehenderentur, ac per oleum lubricas aduersarij manus redderent, ita demum in certamen progrediebantur.* Ad eundem modum Martyres, cœlestis coronæ candidati, exuti ad ignominiam, vestibus, abrasi ad ludibrium coma, oleo, picéque feruenti corpus delibuti, aut certè in suo sanguine per immanem lanienam natantes *olympicum de anima certamen obituri in arenam descendebant*, quo inde in cœlum laureati conscenderent gloriosiùs. Nesciebant infelices illi Dæmonis emissarij & administri, tùm maximè Christianos, non tam *ad pileum* (vt Comicus ille Sosia gestiebat) quàm ad veram *libertatem filiorum Dei* se vocare, *cùm abraso capite caluos facerent.* sic enim decebat in Caluariæ gymnasio eruditos coronari, vnde vera mortalium omnium libertas Christo manumittente profecta est. Nesciebant miseri, ac Tyresia cœciores, quanto Christianos honore afficerent, & gloria tùm maximè ornarent, cùm turpi illo capitis dehonestamento eis satagerent infamiæ notam infligere longè maximam. Etenim illos non tam è Pythagoræ schola philosophos, quos *consueta vsos fuisse tonsura*, Athenæus refert, quàm è Salomonis porticu *Christi* esse *discipulos* vel etiam *vates, & Nazaræos* profiteri videbantur. Quid ita? quoniam Iudæorum prophetas sanctissimos raso capite incessisse Sacrarum paginarum nos docent instrumenta. Elisæus ille duplicis spiritus ab Helia magistro hæres factus, à petulanti puerorum grege, *caluus*, per ludibrium

Isidor. Pelus. lib. 2. ep. 16.

Plaut. in Amphyt. act. 1. scen. 1.

Athen. lib. 4. dipnos.

Lib. 4. Reg. c. 2. v. 23.

ludibrium audiit, quòd deraso esset capite: Isaiam Deus ipse *ad Caluitium*, hoc est, ad mœstam capitis rasuram vocare dignatus est: & ab eodem Ezechiel cùm ad fundenda genti suæ oracula submitteretur, iussus est *sumere sibi gladium acutum radentem pilos, & assumere eum, & ducere per caput suum & per barbam suam*, hoc est, nouacula caput, genas, & mentem funditus depilare. Haud aliter Zacharias Propheta videtur incessisse, quandoquidem aperto ipsius sepulchro inuentus est colore viuido, integerrimo à tot sæculorum, & temporum edacitate corpore, atque attonso ad cutem capite, vt Sozomenus testatur. Nazaræi verò inter Iudæos eximiæ cuiusdam sanctitatis professores ex Dei, Mosisque præscripto *cùm dies, quos ex voto decreuerant, complerentur, iubebantur radi ante ostium tabernaculi fœderis cæsarie consecrationis suæ, tollereque capillos suos, & ponere super ignem, qui erat suppositus sacrificio pacificorum.* Cuius rei cum plures, & mysticæ afferantur ab interpretibus causæ (vt noster Lorinus præ cæteris plurimus obseruauit) ea Isidoro non vltima est visa, *vt perfectionem deuotionis suæ Domino consecrarent.* Quam rationem eum existimauerim à D. Dyonisio Areopagita fuisse mutuatum, apud quem *capillus tonsus* (vt in Monachorum deuotione ab ipsis Ecclesiæ cunis fieri assolebat) *puram, nullatenus fucatam, neque figuris adscititiis, fictisue, quibus mentis deformitas tegatur, calamistratam indicat vitam, sed per seipsam, non humanæ pulchritudinis ornamentis, sed singularibus, ac vnificis virtutibus ad diuinam penitus similitudinem euectam*, quam Pachymeres κάλλος κατὰ νοῦν, ἑνιαῖον *mentalem, & vnitam* interpretatur *pulchritudinem.* Quid ergo mirum videri debet, si Nazaræorum instar Martyres, qui se totos Deo deuouerant, pro eo mortem libentissimè obituri, capita sua, piè sibi, à tyrannis impiè abradi in signum consecrationis, & ad deuotionis, vitæque perfectæ suæ metas gloriarentur? Hactenus de hac martyrum rasura satis.

Is. cap. 22. v. 12. *Ezech. c. 5. v. 21.* *Sozom. lib. 9. Eccl. hist. cap. vlt.* *Lorin. in cap. 6. Num.* *Isidor. lib. 4. de off. Eccl. cap. 4.* *Dion. Areop. lib. de Hier. Eccl. c. 6. §. 3. Pachym. ibid*

Cùm igitur ea esset Christianorum cura, & ardentissimum studium, ne vel minutissimus laureatorum martyrum pilus deperiret, vt diuinum illud Christi oraculum, ac promissum *capillus de capite vestro non peribit*, pro sua virili expleretur: nihil non moliti sunt, quo beatorum capitum exuuiæ, & fortissimorum Athletarum crines, à tyrannis ignominiosè attonsi maximo cum honore colligerentur, redimerentur, asseruarentur, atque adeo colerentur. O quàm studiosè collectam credas promissam illam B. Ioannis Euangelistæ cæsariem, quam ex virgineo eius capite demeti Domitianus Imperator iussit, siquidem Prochoro fides est, cur autem illi hac in re deneges, non admodum video, cùm me minimè lateat, Apollonium Tyaneum eodem ignominiæ genere ab eodem tyranno in carcere affectum fuisse, vt Philostrato placet? O quàm impigrè autumes Christianos prece, ac pretio sibi comparasse vtramque inuictissimæ Martyris, Charitenes comam? vnam quidem illi à natura donatam, alteram à Deo redonatam; illam à tyranno per summam ignominiam erasam, hanc à Deo vindice

Luc. cap. 21. v. 18. *Prochor. in vit. S. Ioan. Euang.* *Philostr. loc. supr. cit.* *Metaphr. apud Sur. 5. Octob.*

miraculo restitutam. Caput enim sanctissimæ heroinæ abrasum momento *comatum euasit*, vt memorat Metaphrastes: Quid referam B. Theonillæ cæsariem nouaculis iubente Lysia attonsam, vt magis magísque erubesceret? Quid eloquar *capillos semitonsi capitis horrescentes* (verbis vtor S. Cypriani) quibus Christiani ad metalla damnati per ludibrium exui consueuerant? Hos alióque huiusmodi capillos, ad extremam cutem, & pilum Martyribus abrasos quàm studiosè fideles olim collegerint, vix dici potest: tantum illis ad Diuorum qualescumque exuuias adipiscendas, asseruandas, & piè deuenerandas studium, & ardor fuit.

[illegible] Augusti. *S. Cyprian. ep. 77.*

Atque hinc factum puto, vt Christianorum vulgus tot diuorum capillos, vel à deperditis tabulis, erosísve patrociniorum chartis, vel à relatoriorum monumentis igne absumptis, vel heterodoxorum malitia interuersis, crines Christi, ac B. Virginis Deiparæ pio errore esse, séque possidere ob ipsorum similitudinem crediderint, atque etiamnum innocenter imperiti credant. Pium, & insontem religiosæ plebeculæ errorem, vel potius eximiam in Cœlites pietatem haud dubiè æqui, boníque consulit Deus, qui Apostolis, & in Apostolis, cuique fidelium affirmatè dicere non dubitauit: *Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui me misit*, aliàs *: qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*, & rursus*: Amen dico vobis, qui accipit, si quem misero, me accipit: qui autem me accipit: accipit eum, qui me misit*. Quid si iniuriam, vt sibimet illatam, vlturus est aliquando Christus in eos, qui suos arcta detentos custodia humaniter inuisere, solari mœstitudine affectos, inualetudine tentatos misericorditer recreare, reficere siti, faméque maceratos, aliísque id genus charitatis, ac misericordiæ muneribus piè subleuare destiterint? numquid multò iustiùs æquissimus rerum arbiter, Christus in Martyribus, qui se totos eius gloriæ, fideíque tuendæ deuouerunt, quos in vincula missos clausere carceres, mœrores abiecere, hausit ensis, inedia confecit, se pessimè habitum, dedecore affectum, & immisericorditer tractatum crediturus, & vlturus est? vel econtrà, si ritè, sanctéque colueris, si eorum exuuias ad vnum vsque pilum, tanquam suas, pio, innocentíque errore delusus fueris deueneratus, sibimet honorem habitum ducet, atque in omnem reponet æternitatem? Hoc igitur pacto, id est, ab istiusmodi capillorum similitudine, tot diuersis in locis, basilicis, aris, & Ecclesiarum fauissis Christi Seruatoris, eiúsque Genitricis crines piè creduntur asseruari, quos, si veteres extarent tabulæ, & antiqui Reliquiarum Iudices forent superstites, alicuius Martyris, aut sanctissimæ cuiuspiam fœminæ, quorum Cæsariem, vel tyrannus demessuerit, vel deciduos collegerint Christiani, haud dubiè capillos esse nosceremus, eósque multo dispari cultu, & honore prosequeremur. At in quo inuoluntarius hic, & innocens error Christianorum fidei, pietâti, cultuíue diuino incommodat?

Matth. cap. 10. v. 40. *Luc. c. 10. v. 16.* *Ioan. cap. 13. v. 20.*



CAPVT QVINTVM.

NOMINA COELITVM IGNOtorum exuuiis interdum imponi ſolita.

CAVSA QVINTA.



LONGE' certiſſimum eſt innumerabilium Sanctorum venerabiles Exuuias vbique terrarum, ac Gentium Chriſtianarum à Fidelibus aſſeruari, & religioſo cultu affici, quorum Sanctorum nomina perinde obſcura, nobíſque ignota iacent, ac ſi inter mortales vixiſſent nunquam. *Corpora ipſorum* (vt Eccleſiaſticus rectè præmonuit) *in pace ſepulta ſunt, & nomen eorum viuit in generationem, & generationem*, at ſcriptum *in cœlis*, non, vt impiorum, *in terris ſuis*, in quibus ſua nomina vanæ gloriolæ aucupes vocare, inſcribere, inſcriptáque relinquere fruſtrà (vt ſæpenumerò vſuuenit) ſtuduerunt. Illud enimverò altiſſimè proloquuntur quadraginta Martyrum muti cineres, quos veterum, ac recentiorum Patrum quàmplurimi ſuis panegyricis orationibus mirificè commendarunt, & quibus à mirabili, poſt ambuſta ipſorum corpora, cinerum ſupra niuem albicantium candore glorioſum *Maſſæ candidæ* nomen inhæſit. Illud ipſum deprædicant laureata decem millia Martyrum, qui pro Chriſti fide propugnanda, in Perſide crucibus offixi pependerunt. Idem conteſtatur ciuium Lugdunenſium vis longè maxima, quos Gentilium enſis, flammæ, rabiéſque, innocentes exhauſit, de quibus ſuperius variis de cauſis, vt ſeſe dedit occaſio, ſæpe meminimus. Iuuat tamen de iiſdem *Martyrum populis* ex S. Eucherio Archiepiſcopo Lugdunenſi aliquid hîc inſuper addere. Non illepidè minùs, quàm ingenioſè, ac verè vir eloquentiſſimus ſuos Martyres Lugdunenſes, cum infantibus Innocentibus ab Herode inauditâ laniená contrucidatis, eleganter componens nominatim meminit *in Bethleem ab Herode, dum Chriſtum perſequitur, millia fœlicium extincta eſſe puerorum.* At quot illorum infantium Bethleemitarum pro Chriſto peremptorum millia fuerint, non expreſſit, vt vides. Super illarum Innocentium victimarum non vna eſt diuinantium potiùs, quàm certi aliquid aſſerentium ſcriptorum ſententia. Sunt, qui mille tantum Infantes neci datos velint præeunte ipſis, vt putant Prudentio, apud

Eccleſ. cap. 44. v. 14.

Luc. cap. 10. v. 20.

Pſalm. 48. v. 12.

Theoph. Rayn. Indic. SS. Lugd. proleg. 2. 3. 4.

S. Eucher. hom. de S. Blandina.

apud quem mater infantis Christiani sic pupulum suum inter dirissima tormenta pene sibi exanimatum animo, oréque masculo compellat.

Prudent. hymn. de S. Roman.

Hic hic bibendus, nate, nunc tibi est calix,
Mille in Bethleem quem biberunt paruuli, &c.

Alij non mille, sed millia indefinitè, cum Eucherio proximè à nobis laudato, iugulata malunt, iisque à Salomone verbis prænuntiatum asserunt ingeniosiùs sanè, quàm solidiùs: *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* *Candidus* scilicet in S. Ioanne Euangelista; *rubicundus* in Stephano, *electus in millibus* in pueris Innocentibus, quorum cœlestes Natales terrenum Christi natalem ordine, festâque die subsequentes à Fidelibus celebrantur. In Calendario Græcorum, *sancti Innocentes in Bethleem ab Herode occisi ad millia quatuordecim* referuntur. Æthiopes, quos Abyssinos vocant, totidem Innocentium millia suo ritu, moréque deuenerantur, atque adeo sacerdos super incruentum Missæ sacrificium inter complures Cœlites, quorum nomina recitat, eo numero laureatos illos infantes adhibet apud Deum deprecatores. Bene multi beatissimorum huiusmodi Martyrum numerum ad centum quadraginta quatuor millia producunt, atque amplificant. Hoc cœlesti S. Ioannis Euangelistæ viso subnixi: *Et vidi, & ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus eius.* Quam Apocalypticam Cœlestium speciem, diuinúmque oraculum Ecclesia sancta *candidatæ plebi imbellis infantiæ Deo oblatæ* piè accommodat quidem, at certo illo numero soli Deo cognitam Infantium Martyrum multitudinem definire cogitauit nunquam. Vtvt se res habeat, æqualisne, an numerosior Bethleemitatum, quàm Lugdunensium Martyrum vis extiterit, incertum reliquit Eucherius, dum Bethleem in hunc affatur modum: *Dignè tecum, ô Bethleem, Lugdunus noster extaret, & super diuinis circa vtraque beneficiis, velut collato tecum sermone contenderet, ita dicens: O Bethleem, in Martyrum nostrorum titulis tu numero fortasse præcedas*, & reliqua. Vox enim (*fortasse*) dubitantis est, maiórne fuerit Bethleemitarum, quàm Lugdunensium pro asserenda Christi fide cadentium numerus? Gregorius certè Turonensis tantam tunc cæsam Lugduni Christianorum vim scribit, *vt per plateas flumina decurrerent sanguinis Christiani, nec numerum, nec nomina martyrum inire licuerit.* Ad vltimum S. Hieronymi literis Chromatij, & Heliodori Episcoporum ad se datis respondentis vel vna testificatio (licet non me fugiat mutuas illorum epistolas à Molano, & Baronio vocatas in dubium, sed à Biuario potenter, ac iure vindicatas) satis esse potest, vt omnes intelligant innumerorum Cœlituum, quorum reliquias veneramur, illustrissima nomina *in cœlis scripta, æternitati picta*, Deo, superísque duntaxat cognita, nos miseros, indignósque mortales latere. Ipsius hæc sunt conceptissima verba: *Quoniam per singulos dies, diuersarum Prouinciarum, di-*

Cant. cap. 5. v. 11.

Kalendar. Græc. 28. Dec.

Missa Æthiop. orat. benedict.

Eucher. hom. cit.

Greg. Turon. lib. 1. hist. Franc. cap. 29.

Biuarius in Chron. Flau. Dextr. Comm. n. 3. ad ann. Chr. 384.

uersa

uersarúmque vrbium plusquam octingentorum, & nongentorum Martyrum sunt nomina nominata: vt nullus dies sit, qui non intra quingentorum numerum reperiri possit adscriptus excepto die Kalend. Ianuariarum. Ex quibus verbis duo colligas velim; vnum est, D. Hieronymum nequaquam affirmare, Kalendis Ianuarij nullum Martyrem fecisse martyrium, (quod tamen sapientissimo, & perquàm oculato Patri falsò imponitur) sed ipsum duntaxat ire inficias eo die quingentos vitam pro Christo profudisse, qui tamen numerus in reliquis anni diebus, apud Eusebium in suo de Martyribus libro, teste Hieronymo reperiatur: Esto, eodem die, hoc est, Kalendis Ianuariis, triginta quatuor annotentur Martyrium subiisse. Quid hoc ad quingentos? Alterum, quod ex laudato beati Doctoris loco consequi potes, erit hoc ipsum, quo de agimus, nimirum vbique terrarum, ac Gentium Christianarum asseruari, colíque Reliquias Sanctorum, quorum veneranda cœlo, solóque nomina non magis nobis sint nota, quàm Angelorum, quibuscum illæ innumeræ Beatorum myriades vitam viuunt, beatam; æternúmque perennaturam.

Si veteres vrbis catacumbas, aliarúmque ciuitatum toto Orbe Christiano dissipatarum cœmiteria, & subterraneas specus, quæ in potestatem Infidelium secreto, & inscrutabili diuinæ mentis consilio iampridem concesserunt, animo libet, cogitationéque circumcursare; tot sanctorum Martyrum, Confessorum, Virginum & aliorum id genus Cœlituum fœta exuuiis cœmeteria reperies, vt ne vel minimæ partis beatorum illorum Athletarum nomina siue literatis Memoriarum inscripta marmoribus, siue Ecclesiasticis annotata Fastis, siue sacris Annalium monumentis consignata fuisse, necesse habeas confiteri. O quot à tot retro antè sæculis vbique Gentium ex humo effossa eruti sunt Diuorum cineres? O quot etiamnum in Vrbe sola è Catacumbis bona cum summi Pontificis venia eductæ Sanctorum exuuiæ, Regibus, viris, fœminísque Principibus, aliísque primariis hominibus post summas, infimásque preces conceduntur? O quot in variis Basilicis Cœlituum lipsana custodita monstrantur, quorum nomenclaturam & appellationem vel temporis edacitas exedit, vel labentium sæculorum diuturna detriuit varietas, vel titulorum iactura subtraxit, vel Infidelium Auernalis malitia, rabies, impietásque penitus aboleuêre. Verùm quid pluribus rem longè clarissimam vrgeo? cùm nec humanæ industriæ, quanta quanta est, nec studij, nec piæ contentionis, nec peruigilis diligentiæ, nec sedulitatis Christianæ esse potuerit, aut esse vnquam possit in subitis desæuientium persequutionum procellis, ac frequenti Fidelium laniena, (quales olim fuerunt, erúntque deinceps plus æquo plurimæ) singulorum, quibus pro Christo mori lucrum, & vita fuit, victricia nomina stylo excipere, referre in fastos, atque Annalium sacrorum adscripta monumentis posteritati transmittere, ac religiosa veneratione colenda commendare.

Hinc factum imprimis est, vt interdum Maiores nostri inuicto-

rum, & triumphantium suorum Athletarum nomina maximo suo dolore ignorantes, ex re nata ignotis affingere nomina minimè dubitarint. Extemporalem Martyrem, sibíque penitus ignotum, Christiani *Adauctum* dixerunt, de quo hæc lego. *Inter viam oblatus quidam Christianus, cùm Felicem agnoscens ad martyrium duci videret. Ego quoque, clarâ voce inquit, eadem, quâ iste lege viuo: ego eundem Iesum Christum colo. Itaque Felicem osculatus cum eo securi percutitur tertio Kalendas Septembris: cuius nomen cùm ignotum esset Christianis, is Adaucti nomine nobilitatus est, quòd sancto martyri Felici adauctus sit ad coronam.* Huic comites, ac suppares adiunge quatuor alios Christi Athletas, Christianis primùm à sua fide, constantia, & fortitudine, quàm de nominibus suis notiores, de quibus Fasti Ecclesiastici in hunc modum meminerunt. *Extat in Vrbe Ecclesia sub nomine sanctorum quatuor Coronatorum, quorum diu* ignota nomina, diuinitus posteà patefacta sunt; Meritò sanè *Coronatorum* illis nomen inditum fuisse dixeris, quòd suo cruore russati roseâ & immortali gloriæ corona in Cœlorum Stephanite ab Agonotheta Christo meruissent redimiri. Maiores suos in hac religiosa imponendorum nominum consuetudine vsurpanda imitati sunt posteri, cùm à se inuenta, effossáque ignotorum sibi de nomine sanctorum corpora, sacrósque cineres meritis afficiendos honoribus decreuissent. Indéque postmodum pio, & innocenti errore effectum est, vt eædem in indiuiduo Reliquiæ diuersis in locis asseruari à rudi plebecula crederentur. De quo tolerabili errore, vel potius religiosa fide, antequam pluribus disseramus, operæ pretium visum est priùs anquirere, quorum sit, ignotis Reliquiis nomina affingere, appingeréque.

viu. & Martyrol. Rom. 31. Aug.

Ibid. 8. Nouemb.

ARTICVLVS PRIMVS.

An, à quibus & quomodo certa nomina ignotis, & incertis Diuorum Reliquiis imponi possint.

TRia nobis proponimus impræsentiarum breuiter excutienda. Primum esto: possíntne certa quædam nomina incertis, ignotísque Diuorum pignoribus, potissimum nouè inuentis nota, & vetera licitè affingi, imponique?

Hoc primâ fronte, non Lipsanomachi solum, verùm etiam è Catholicis nonnulli rigidiores fortè Censores graui supercilio, ac voce, nefas, & impium esse pernegent; & quidem, vt videtur, non leuibus ad ita sentiendum adducti argumentis. Primo quòd docente S. Augustino in rebus, *quæ ad Christianam religionem pertinent*, mendacium committere, crimen longè grauissimum; &, vt ita dicam, sacrilegij

S. Aug. lib. de mendac. c. 14.

crilegij genus eſt. Cuius axiomatis rationem ſi de me audire cupias, cum Angelico Doctore hanc tibi paucis repono. *Eſt enim mendacium, cùm aliquis exteriùs ſignificat contrarium veritati*; vti tum maximè fit, cùm incertas, tibíque penitùs incognitas Reliquias de illius Cœlitis nomine, falſa nuncupatione non dubitas vocitare, ad quem attinuere nunquam. Agedum amabo te, ecquæ illa tua religio eſt, qui contra rerum veritatem Diui Petri, Ioannis, aliúſque Apoſtoli exuuias eſſe dictites, quæ ad quempiam infimæ claſſis, notæque Confeſſorem reipſa ſpectent? Quàm verè Beatis Agneti, Cæciliæve virginibus adſcribas lipſanum, quod ſanctis Mariæ Magdalenæ, Ægyptiacæ, Pelagiæue, à violata virginitate reſipiſcentibus omnino tribuendum eſſet? Hoc ſi mendacium non eſt, haud ſatis intelligo, quid ſit *aliquid exterius ſignificare contrarium veritati?* Secundò certa nomina incertis, nota ignotis appingere Diuorum pignoribus aliud eſt nihil, quàm innocentis plebeculæ fidei perquam impudenter imponere, ſacros Eccleſiæ miniſtros mendacij reddere adminiſtros, vno verbo, toti Eccleſiæ nefandum in modum illudere. Tertiò quia hæc nominum impoſitio plane ſuperuacanea eſt, quod in rebus ſacris (quas inter non vltimas tenent Reliquiæ) minimè ferendum eſſe Diuus Thomas pereruditè demonſtrauit. Id enim eodem ſuaſore *ſuperfluum* exiſtit, & *ſuperſtitioſum*, quod *præter Dei, & Eccleſiæ inſtitutionem, vel contra conſuetudinem communem (quæ ſecundum Auguſtinum pro lege habenda eſt)* exercetur. At quàm ſit ſuperfluum & ſuperſtitioſum certa Diuorum nomina incertis, & nota ignotis lipſanis adſcribere nemo non videt, cùm illud neque ad amplificandam Dei opt. max. gloriam, neque ad augendam erga Sanctorum exuuias venerationem quicquam conferat, vt ex eo vel maximè conſtat, quòd quamplurimorum Cœlituum cineres, quorum nomina duntaxat in cœlis ſcripta & nota ſunt, ſine nomine à Chriſtianis magno cum ſenſu pietatis aſſeruentur, & colantur. Atque hæc ſunt religioſorum (ſi ſuperis placet) hominum firmiſſima rationum momenta, validiſſimíque arietes, quibus piam, & veterem Eccleſiæ conſuetudinem incertas, ignotáſque Diuorum glebas certis nominibus afficiendi, ornandíque, quatere moliuntur, & ſe funditus labefacturos ſperant. At lactent ſe illa ſpe, inanis eſt; ampullas iaciant, & ſeſquipedalia verba, in ſonum, & ventos abeunt; rationum ſuarum momenta venditent, plumbea, plumea, imò & nulla ſunt; ſi quidem ipſa ſigillatim enucleatiùs expendas.

D. Thom. 2. 2. quæſt. 93. art. 1. in corp.

Ibid. art. 2. in corp.

S. Aug. epiſt. 16.

Mendacium eſſe dictitant, incertas, & ignotas ſanctorum reliquias certis nominibus inſignire. Ita enimverò illius generoſiſſimi Martyris, qui S. Felici ſe martyrij, triumphíque ſocium adiunxit, & *adauctus eſt ad coronam*, venerabilibus exuuiis *Adaucti* nomen tribuiſſe, mendacium extiterit? mendacium omnino fuerit, quatuor inuictiſſimis Chriſti athletis, ſuo ſanguine laureatis, *Coronatorum* ſeu *Diadumenorum* nomen indidiſſe? Mendacium ſit Theophili, Chriſtophori, Victoris, Macarij, ſeu Felicis, aliáque id genus Diuorum nomina

ignotis Martyrum, vel Confessorum pignoribus adscribere, quos Deum summopere dilexisse, Christi mortificationem semper in corporibus suis circumtulisse, retulisse de carne, mundo, dæmonéque victoriam, ad vltimum æterna in cœlis fœlicitate perfrui, & cumulatos scias. Fateor tamen, & cum Baldello nostro quàm libentissimè concedo mendacium lethiferum, & superstitionem longè grauissimam fore, si quis cuiuspiam infimæ notæ, ac sanctitatis Diui lipsanum, de nomine B. Virginis Deiparæ, sanctorum Apostolorum, aliorúmve primæ notæ, ac sanctimoniæ Cœlitis audeat appellitare: propterea quòd auctor existeret vt ipsi (quod consequens est) indebitus, & supra merita, prætérque sensa, simul & consuetudinem Ecclesiæ augustior cultus, honor, ac veneratio multò sublimior à Fidelibus deferretur. *Posset verò fortasse* (laudati Theologi verba sunt) hoc *mendacium censeri minus perniciosum, si quis pro vno Apostolo substitueret alium Apostolum; & pro Martyre, aut Pontifice, alium Martyrem, aut Pontificem; & pro vno sancto alicuius certi ordinis substitueret alium, quem certo sciret verè esse eiusdem ordinis: quia reuera minus illuderetur Ecclesiæ ritibus, & deceptio solùm esset, quoad indiuiduitatem, & conditiones indiuiduales personæ adorandæ; non autem, quoad dignitatem, & sanctitatem, vel quoad meritum, & modum adorationis: sed etiam in hoc casu certissimum est, quod sit illicitum. Neque potest satis excusari per hoc, quòd nomina sint ad placitum, & possint pro arbitratu imponi, &c. Cnntra enim est, quia non pertinet ad vnumquemque imponere nomina rebus, aut personis sed solùm ad eos, qui ad id habent potestatem.* Hactenus Doctor Theologus. At quibus ea potestas insit, mox dicemus.

Baldell. tom. 2. Theol. moral. lib. 3. disp. 16. n. 15.

Ex his, & aliis paulò superiùs à me prolatis, aduersariorum argumento, secundo loco, in medium adducto satis supérque factum reor. Tertio hæc breuiter repono, Minimè superfluum esse certa nomina incertis sanctorum Reliquiis attribuere; quòd experientia, vsúque quotidiano videamus Fideles multò minori affectu, studio, ac pietate affici, & ferri erga Diuorum illorum exuuias, quorum nomina mortales latent; quàm aduersus eas, quæ certis nominibus indigetantur. Potentiùs enim nobis nota & certa, quàm obscura, ignota, & incerta solent mouere animos: ideóque maior diuinæ gloriæ, atque Cœlituum cultus, ac venerationis plerunque decessio fit. Quid? quòd huiuscemodi certa nomina incertis sanctorum lipsanis aptandi ratio, nec præter Ecclesiæ Catholicæ institutionem, nec contra eiusdem consuetudinem, vllo pacto est. Esto simile nihil à Deo super hac re à Deo, Christóve seruatore sit institutum, satis est, quòd suis in terra Vicariis, & administris id definiendum reliquerit, quod è maiori sua gloria, & amicorum suorum cultu prudenter, ac ritè iudicauerint factitandum. Quanquam longè certissimum est, vti superiùs præmonuimus, olim, atque etiamnum in moribus Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, ac Romanæ receptum fuisse, certa quædam incertis, ignotis notissima

notiſſima itentidem accommodari ſolita Diuorum cineribus nomina, quò ſuauiùs, atque potentiùs Fideles ad eorum venerationem impellantur. Auctor tamen ſim, vt cùm vel ex Romanis catacumbis, vel ex aliarum Vrbium cœmeteriis, cryptis, ſpecubúſque ſubterraneis eruuntur ſanctorum nobis de nomine penitus ignotorum, corpora ſacríue cineres, certiſque nominibus à legitimis Eccleſiæ præſulibus donantur, Chriſtiana plebs ad omnia credenda nimiùm ſæpe cerea, & ſequax edoceatur, id nominis Anonymorum Cœlituum pignoribus inditum fuiſſe, ne per innocentem ipſius inſcitiam, incuriam Myſtarum, ne dicam, per ſacrilegam Lucripetarum auaritiam in errorem inducatur.

Secundum huiuſce noſtræ diſputationis caput eſto, à quibus certa, & nota ſanctorum nomina incertis, atque ignotis Reliquiis ſint appingenda?

Non cuilibet pro arbitratu, ac libidine hanc ineſſe facultatem, ac poteſtatem: ſed Epiſcopis, ſummíſque Pontificibus duntaxat, potiſſimum cùm nouè inueniri lipſana contigerit, certo certius eſt. Duo dixi obſeruatu digniſſima. Vnum eſt, *non cuilibet, ſed Epiſcopis, ac ſummis Pontificibus* eam poteſtatem competere, quòd communi Theologorum, & Iuris Canonici callentiſſimorum Doctorum ſententia, conſensúque liqueat eorum eſſe muneris ac poteſtatis incertas ſanctorum exuuias certis ornare nominibus, quorum ſunt partes eaſdem ſuis calculis approbare, approbatáſque Fidelibus proponere adorandas: cùm autem ea poteſtas, & cura in ſolos Antiſtites, ac ſummos Pontifices incumbat; conſequens eſt ipſis duntaxat ineſſe poteſtatem certam incertis, & notam ignotis Reliquiis adhibere nomenclationem: tùm ne fortè multò illuſtrioribus decorentur nominibus, quàm merita, ius, & veritas ferant; deinde ne improborum Myſtarum auaritia, vel impiorum malignitate vſu veniat, vt ex ampliſſimi nominis celebritate indebitus ad eas colendas ardor, concurſus frequentior, auguſtior Eccleſiis, ſacellíſve ſuis gloria, & (quod peius, ac deteſtabilius eſt) copioſior pecuniarum, ac donariorum, anathematúmque vis, vt fit, crumenis ſuis, ac templis accedat. Denique ne immeritus, vt ſuperius attigimus, ignotis, incertíſque huiuſcemodi Reliquiis cultus, & ſupra Diuorum merita multò auguſtior, ſublimiórque deueneratio impendatur.

Infr. lib. 2. part. 1. cap. 5. Baldell. tom. 2. Theol. Moral. lib. 3. diſp. 16. &c. quos citamus.

Alterum obſeruatu digniſſimum puto, *ſummorum Pontificum duntaxat* partes eſſe, ſanctorum lipſana *nouè inuenta*, certis nominibus donare, niſi de ipſorum nomenclatura vel ex Eccleſiarum traditione, vel ſacris earum diptychis, vel ex ipſiſmet memoriarum literatis marmoribus, aliáue ratione explorata certò conſtiterit. Quod autem ſummorum duntaxat Pontificum ſit venerabiles Diuorum reliquias recèns adinuentas, effoſsáſque approbare, non ſemel vno loco iam diximus, deincépſque dicturi ſumus; ergo & illis certa nomina indere propter rationes, & incommoda proximè à me curſim delibata, eorundem

Infr. loc. ſupra cit.

Baldell. loc. cit. n. 16.

est partium, & *plenariæ* (vt vocant) *potestatis. Et hi quoque* (sic sapienter Pontifices vniuersos monet Baldellus) *cauere debent à mendacio, & à deceptione : neque possunt hanc Reliquiam, verbi gratia, cuius nomen ignorant, appellare S. Petrum Apostolum, aut S. Laurentium Martyrem, vel S. Franciscum Confessorem, quæ essent manifesta mendacia, & pessimæ deceptiones Fidelium; sed possunt nomine aliquo appellatiuo appellare S. Felicem, S. Fortunatum. S Deodatum, S. Theophilum, aut Dei amicum: & hoc modo certissimi sunt, quòd neque mentiuntur, neque decipiunt; cùm omnes sancti sint verè Felices, & verè Fortunati, & Deodati, & Theophili, vel Dei amici, &c. Et solùm in eo ordine debent talem sanctum reponere, in quo sciunt eum esse; aut debent, verbi gratia, præcipere, quòd colatur vt Martyr, vel vt Pontifex; & si fortè imponunt nomen, quod sit commune alicui alteri sancto eiusdem ordinis, debent simul apponere, vel adiungere signum aliquod distinctiuum, quod nomen illud commune approprie thuic determinatè, & tollat occasionem erroris, & accipiendi vnum sanctum pro alio, vel occasionem confusionis, aut perplexitatis, & ignorandi qui verè sit vnusquisque illorum.* Sic ille.

Ad tertium, quod excutiendum superat, caput, quid respondendum sit, ex his manifestiùs patet quàm vt operæ ac necessitatis pretium sit in illo explicando diutiùs immorari. Vnum tamen magmenti ergò additum velim: scilicet, vt scripto in eum finem à Pontifice summo, vel à singulis Episcopis in sua diœcesi, aliisve ex Papæ veniâ sibi concessâ, diplomatè constet, quandónam, qua occasione, quámque ob causam ea nomenclatura incertis illis Reliquiis imposita fuerit : ne (vt nimiùm frequenter vsuuenisse querimur) temporum varietate, improborum hominum malitiâ, mystagogorum incuriâ, alióve id genus casu tam necessariæ rei notitia sensim veniat in posterorum obliuionem, è qua deinceps memorata superiùs incommoda, malesanæ superstitionis occasio, atque adeo malè feriatorum, sciolorum, & pugnacium ingeniorum tricæ, ridiculáque (ne dicam) noxia cauillationum minus religiosarum vis, tanquam ex equo Troiano in Reliquiarum contemptum, ac Religionis decessionem proficiscantur.

Baldell. cit. L. vnica. C. de mutatione nominum.

Postremò non est, quòd quis obiiciat vnicuique fas, iúsque esse secundum iura, proprium sibi nomen, cognomen, aut prænomen commutare, quando non fit in alterius fraudem, ac damnum; admitto. Si autem huiuscemodi mutatio in damnum, fraudémve cuiuspiam vertatur; tu vicissim admittes vtramque pœna falsi ex legum præscripto iustissimè castigari. Agedum verò túne præfidenter ausis affirmare eam nominis seu mutationem, seu impositionem, quâ vnius Cœlitis exuuiæ hactenus mortalibus incognitæ, nedum incertæ, à Pontificibus de alterius sancti nomine indigitantur, nihil huius gloriæ, ac venerationi officere? potissimum si adeò illi sit proprium, quod alteri adscriptum est, nomen, vt nulli sine sui iniuria, & gloriæ iam adeptæ decessione communicari non possit? Haud equidem reor id se ausurum.

L. falsi nomina ff. de falsis.

Fatearis

Fatearis ergo necesse est, certum & notum Sancti cuiuspiam nomen, obscuris, & incertis Diuorum reliquiis appingi prudenter non posse, nisi ea sit illius nominis impositi nomenclatura, & significatio, vt commodè ipsis aptari, & in easdem cadere apprimè queat. Iam vlterius progrediamur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

A nominibus impositis ignotorum Cœlituum exuuiis, earundem multitudo.

EX his, quæ proximè diximus, haud difficulter nec immeritò probabilis trahi potest coniectura, multitudinem earundem numero Reliquiarum, quæ in diuersis Basilicis, sacrariisque custoditæ & adorandæ Fidelibus exhibentur, oriri aliquando, & alicubi potuisse à nominibus, quæ ignotis Sanctorum pignoribus indita sunt, vel ab Episcopis, vel à summo Pontifice, quando ex Vrbis cœmeteriis, & Catacumbis Martyrum corpora eruendi cuilibet copiam fecit.

Hanc coniecturam fulcit quàm maximè Nominum identitas, & similitudo, de quâ superiùs à nobis est disputatum, cùm *homonymiam*, pij Christianorum erroris originem extitisse, probaremus. Cùm enim pleraque illa nomina, quibus ignotæ Diuorum exuuiæ donantur, eam habeant, vel saltem habere debeant significationem, quæ cuilibet è Cœlitibus commodè aptari possint; illisque complures alios indigitatos fuisse legamus: contigisse potuit, nisi aliquod signum, quo inter se secernantur, appositum fuerit; vt Fideles tolerabili errore, quem per Mystarum suorum ignorantiam, incuriam, vel etiam (quod absit) per sacrilegam auaritiam minimè potuerint deponere, vt tolerabili, inquam, errore sibi mentem induxerint huiuscemodi exuuias ad quempiam Sanctum sub eodem nomine iam vindicatum, maximæ sanctimoniæ famâ percelebrem, & Ordinis, dignitatísque præstantiâ in domo Dei præcellentem potiùs, quàm ad incertum & ignotum mortalibus Cœlitem (vt reipsa est) attinere. Ita enimverò plerunque Fideles sunt comparati, quemadmodum olim præmonuimus, vt nescio quâ plus æquo religiosa ambitione, ac persuasione perfacili, sacra, quæ possident, lipsana primariis illis Diuis qui illud idem nomen prætulerunt, adscribere non dubitent, quando contrarium illis non liquet.

Indiderint Pontifices Christophori, Felicis, aliáque id genus nomina ignotis, incertísque Reliquiis: cùm illustria hæc nomina in complures, imò & in vniuersos Cœlites indiscriminatim, vi primæuæ significationis, possint cadere, haud dubiè rudis, facti nescia, & in Ecclesiarum

Ecclesiarum suarum gloriam, & commendationem nimiùm quantùm credula Fidelium plebs ignotos sancti cineres, quos B. Christophori nomine donatos seruat, ad celeberrimum Christophorum Martyrem (quem frendentibus licet Hæreticis, monstro similem, & *gigantæam Laruam* impiè occlamantibus, vbique gentium ab Orthodoxis coli, & ad templorum parietes depingi certum est) tolerabili ambitione, animíque inductione religiosâ, persuasissimum habebit, reipsa pertinere, nisi aliter à suis mystagogis credere doceatur. Felicem dixerint Pontifices alterius sancti exuuias recèns inuentas, vix è possessoribus ipsarum inuenias vllum, qui vel ad D. Felicem Pontificem maximum vel ad Beatum Felicem Nolanum, à S. Paulino numquam satis quà solutâ, quà strictâ oratione laudatum, illas non credat referendas: Et sic de reliquis ignotorum Cœlituum pignoribus, quæ de SS. Theophili, Victoris, Fortunati, Benedicti, Amatoris, Macarij, Theodori, Amabilis, similiúmque sanctorum appellatiuis nominibus Pontifices vocitarint, si placet, philosophare.

Serar. lib. 2. Litan. quæst. 20. & cum illo omnes Controuers. tractatores.

Hinc ergo nonnunquam euenisse vero simillimâ coniecturâ adducor, vt credam easdem in indiuiduo Diuorum Reliquias pluribus, diuersísque in locis creditas asseruari, atque adeò maxima animorum contentione iactari. Quod certè nemini mirum, aut temerarium, aut insulsum videri debet memoriâ præsertim repetenti, in quot, quámque variantes sententias distraxerit vniuerso, penè sacrarum paginarum interpretes, vel vna nominis appellatiui, *Barachiæ*, nomenclatura, quæ adeò promiscuè fortunatissimis, & optimis quibusque viris accommodari, & conuenire potest, vt ex communi voculæ, seu nominis illius significatione, quisnam extiterit ille Zacharias, quem Christus Dominus *occisum* fuisse *inter templum & altare* testatus est; perobscurum, ac penitùs inexploratum sit. Auscultemus tantillum præ omnibus S. Hieronymo tum suam, tum aliorum sententias promenti in hæc verba: *Quærimus, quis iste sit Zacharias filius Barachiæ: quia multos legimus Zacharias. Et ne libera nobis tribueretur erroris facultas, additum est: quem occidistis inter templum, & altare. In diuersis diuersa lego, & debeo singulorum opiniones ponere. Alij Zachariam filium Barrachiæ dicunt, qui in duodecim prophetis vndecimus est; patrísque in eo nomen consentit: sed vbi occisus sit inter templum, & altare, scriptura non loquitur; maximè cùm temporibus eius vix ruinæ templi fuerint. Alij Zachariam Patrem Ioannis intelligi volunt ex quibusdam Apocryphorum somniis approbantes, quòd propterea occisus sit, quia Saluatoris prædicauerat aduentum.* In eorum autem numero fuerunt Origenes, Basilius, Gregorius Nyssenus, Geometra in catena Patrum Græcorum in Lucam, aliíque non pauci tam è Græcis, quàm è Latinis Patribus, quos vulgus interpretum memorando obtendit. Pergit D. Hieronymus: *Alij istum esse volunt Zachariam qui occisus est à Ioas Rege Iudæ inter templum, & altare, sicut Regum narrat historia. Sed obseruandum, quòd ille Zacharias non sit filius Barachiæ, sed Ioiadæ sacerdotis:*

Matth. cap. 23. v. 35. Luc. 13. c. 34. S. Hieron. lib. 4. in cap. 23. Matth. Orig. infra citat. id negat esse admittendum. Origenes mox citandus traditioni adscribit. Orig. tract. 19 in 23. Matth. Basil. hom. de hum. Christi generat. Caten. PP. Græc. in cap. 11. Luc. n. 72. 2. Paralip. cap. 24. v. 22.

cerdotis: vnde & Scriptura refert: Non fuit recordatus Ioas patris eius Ioiadæ, quia sibi fecisset bona. Cùm ergo & Zachariam teneamus, & occisionis consentiat locus; quærimus, quare Barachiæ dicatur filius, & non Ioiadæ? Barachias linguâ nostrâ, Benedictus Domini, dicitur, & sacerdotis Ioiadæ iustitia Hebræo nomine demonstratur. In Euangelio, quo vtuntur Nazareni, pro filio Barachiæ, filium Ioiadæ reperimus scriptum. Hactenus D. Hieronymus. Iam de te libenter audiam, num æquè benè, appositéque nomen *Barachiæ*, in alios Zacharias, prophetam illum, hunc S. Ioannis Baptistæ progenitorem cadat, atque in Zachariam filium Ioiadæ sacerdotis, nisi alia clarè obstarent, vt fusè notauit Echius? Nonne & illi vitæ sanctimoniâ claruerunt? nonne illorum *iustitia* sacrarum paginarum consignata monumentis commendatur? nonne, vno verbo, *Benedicti Domini* pariter vocari possunt? Atque hanc ceteras inter causas non vltimam fortè extitisse probabiliter crediderim, cur in tot, támque variantes sententias Interpretes sacri distracti discesserint. Quin igitur idem Fideles inter vsuuenisse verosimillimè coniiciendo dixerim, vt ab identitate (vti Theologorum loquuntur exedræ) ac similitudine nominum quæ ignotis impacta fuerunt Reliquiis, & notis quodammodo innata, Fideles impositæ nomenclaturæ inscij peræquè de Cœlitibus ipsis, ad quos ignoti cineres pertinent, ac de possessis iampridem eorum pignoribus pia ambitione, simul & animorum contentione, tolerabilique errore inter se committantur? dum singuli credula, & innocenti mentis inductione adducti se easdem in indiuiduo alicuius Cœlitis exuuias asseruare, monstrare, ac venerari gloriantur; siue quòd illum in eandem classem & album, verbi gratia, Martyrum, vel Confessorum relatum, siue quòd eodem appellatiuo nomine cum aliis persimilis nomenclaturæ sanctis donatum, & nuncupatum vulgò coli, & à Fidelibus in vota vocari, pro Maiorum more, videant, & ipsimet deuenerari pergant. Cœterùm viderint, quorum interest, & quos inter de iisdem in indiuiduo lipsanis controuertitur, nùm tota rei difficultas in nominum identitate, ac similitudine posita sit (nam *facilè æquiuocantur,* vt loquitur Anfossius) &, *cùm antè omnia*, eodem suasore, *veritas sit attendenda, omissis cauillationibus, & ramusculis æquiuocationis & syllabarum obstructionibus,* vt iura præscribunt, satagant pro virili, discussis sedulò nominis appellatiui, proindéque ancipitis, tenebris, quæ à natiuâ & primæuâ ipsius significatione offundi solent, vnitatem suarum Reliquiarum in sua multiplicitate singularem, &, quod consequens est, earundem veritatem ex antiquis monumentis, aliísque præsidiis (de quibus suus erit dicendi locus) sagaciter indagare. Antè verò quàm de nominibus ignotorum Cœlituum exuuiis imponi solitis supersedeam edissertare, non erit, vt spero, iniucundum, nec, vt reor, inopportunum, hîc alteram, eámque singularem veterum Christianorum in nominibus sanctorum sibi assumendis consuetudinem attexere, quæ non parum potuerit contulisse ad pium Fidelium errorem, & religiosas super iis-

Echius in cap. 23. S. Matth. cit.

Anfoss. sæpè cit. §. 9. n. 19. & 28. Cap. quisquis. 13. quæst. 3. ita legatum ff. de condition. & demonst.

dem numero Reliquiis contentiones excitandas, alendas, confirmandas, & in consequentes ætates magis, magisque propagandas. Enimverò sæpe sæpius vsuuenit, vt Martyrij candidati nomina ab Idolis desumpta, quæ sibi parentes ab ortu indiderant, priùs abiicere, nouáque sibi sanctorum nomina religiosè arrogare studerent, quàm descenderent in arenam cum feris, ferro, flammis, carnificibus, mortéque ipsa depugnaturi. In Actis sancti Pamphili Martyris apud Nouarinum, hæc de illo habentur: *Vbi pro proprio nomine, Prophetæ cuiusdam nomen ab eo acceperat (hoc enim ab illis factitatum erat) quòd, pro nominibus Idolorum, quæ erant fortè à parentibus ipsis imposita, noua nomina factâ mutatione ipsi sibi adsciuissent.* Ex pia istiusmodi Martyrum consuetudine meritò suspicer accedere nonnumquam potuisse, vt primis Christianis, qui laureatas illas fortissimorum Christi Athletarum exuuias clam subduxerant, vel à Carnificibus prece, pretióue, tanquam pretiosissimum thesaurum, sibi perquàm auidè compararant, nomináque ipsorum tùm certò nouerant, tandem vita functis, sensúmque rerum præteritarum obliuione gliscente: posteri nominum similitudine, vel identitate innocenter delusi sacros, quos reuerebantur, cineres cognominibus Martyribus adscriberent, ac veros, germanósque (qui alibi reipsâ seruabantur) se obtinere gloriarentur. Atque hoc pacto confirmatâ post aliquot sæculorum curricula mentis inductione, ac fide, vel, si malis, pio, & innocenti errore magis, magísque conualescente dederint occasionem iactitandi easdem in indiuiduo Reliquias diuersissimis in locis asseruari, monstrari, adorari. Coniecturam simpliciter, ac nudè promo, hanc si tuo comprobaueris calculo, veritas indubitata euadet: stylum deinceps aliò conuertamus. Sit Igitur.

Nouar. lib. 6. schediasm. cap. 12. n. 65.



CAPVT



CAPVT SEXTVM.

DEPERDITA VETERVM tabularum, & titulorum monumenta, & suppositio.

CAVSA SEXTA.



NTIQVORVM monumentorum, quæ vel in Ecclesiarum tabulariis, vel in templis asseruabantur iactura non adeò parum rebus Ecclesiasticis incommodauit, quin sanguineis deflenda sit lacrymis. Eheu! quot inde venerandæ antiquitatis abolita sunt vestigia? quot ritus sacri desuetudine abrogati? quot rerum mirabilium euenta obliuione obsita interciderunt? Atque, vt reliqua sileantur, sacrosancta venerabilium Reliquiarum cimeliarchia non leuiter ea pestis afflauit. Enimverò cùm in veteribus Ecclesiarum tabulis, in memoriarum marmoribus, in Beatorum lipsanorum titulis, quænam in earum singulis Diuorum pignora custodirentur ad posterorum memoriam, & consolationem, ipsorúmque cœlituum gloriam nominatim consignatum foret, illis siue temporis edaci dente corrosis, siue infidelium rabie corruptis, ac dissipatis, siue summa Clericorum ac Præsulum, quorum intererat incuria neglectis, vitiatis, deperditis, siue hostili flamma in cinerem redactis, siue alio quouis calamitatum casúsve genere miserandum in modum pessumdatis; posteri in tantam, támque deplorandam sacrarum Reliquiarum obliuionem alicubi venerunt, vt sola Diuorum nomina suis à maioribus docti nossent, eorúmque, vt fit, similitudine tandem delusi, easdem numero Reliquias in pluribus locis, ac diuersissimis Ecclesiis asseruari simpliciter dixerint, & crediderint innocenter. Hanc Chartophylaciorum ab incendio iacturam queritur S. Gregorius Pontifex Maximus, dum rescribens Recharedo Visigothorum Regi postulanti, vt pacta, quæ in Pontificio Chartophylacio seruabantur, requireret, quæ dudum inter Iustinianum Principem, & regna sui iuris fuerant emissa, vt ex his colligeret, quid sibi seruandum esset; respondit, illius votis vt satisfieret, obstitisse, quia *Chartophylacium prædicti piæ memoriæ Iustiniani Principis tempore; ita surripiente subitò flamma incensum est*, *vt omnino ex* S. Greg. lib. 7. ep. 126.

eius temporibus nulla charta remaneret. At quænam nobis næniæ concipiendæ essent? si antiquarum tabularum, ac titulorum, quæ Caluinianorum, ac Lutheranorum plusquam diabolicus furor nostris solùm temporibus corrupit, ac perdidit, iactura iteratò deflenda foret? Verum quocumque sæculo similes huiuscemodi iacturæ contigerint, ex iis quam maximè ortam reor suspectam earumdem Reliquiarum pluribus in templis asseruatarum multitudinem, quæ Lipsanomachis nostris stomachum tam impotenter mouit. De tabularum, & titulorum deperditis monimentis paucis dicamus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Earundem Reliquiarum, à tabulis deperditis multitudo.

QVanta sit, sempérque fuerit in rebus omnibus, seu priuatis, seu publicis, tabularum fides apud Respublicas benè constitutas, imò & apud Nationes omnes aliquâ humanitate imbutas, ignorare nemo potest, si homo est: eapropter veterum tabularum iactura hoc plus contulit ad easdem numero Reliquias, vulgi saltem Christiani opinione, persuasione, ac fide multiplicandas, quò certius de illis posteritati constitisset, ni à variis casibus earumdem tabularum monumenta intercidissent.

Non me latet, in ipsis Ecclesiæ vix primùm in lucem editæ cunabulis, aut (vt verius dicam) continentes tyrannorum carnificinas non licuisse Christianis singulorum Martyrum, & Confessorum res gestas, nomine, neque loca, vbi ipsorum victrices exuuiæ sitæ forent enucleatiùs in tabulis referre: Simulac tamen eæ persecutionum procellæ tantillum posuêre, Fideles in iis per notarios, vel pro temporum opportunitate per Clericos, & quosvis alios sigillatim annotandis, scribendísque omnem deinceps nauarunt operam, ne inuictissimorum Athletarum nomina, memoriæ, lipsana in obliuionem hominum venirent. Huc refero hæc S. Gregorij Nysseni verba, prudentissimum sibi cognominis Gregorij Nazianzeni, beatissimi præsulis institutum de præmissa ab eo in Natalitiis Martyrum populari lætitia collaudantis: *Descendit rursus in vrbem, & omni circà regione vndique peragratâ, & perlustratâ, additamentum, & quasi corollarium studij sui erga numen diuinum instituebat, apud omnes vbique populos sanciens, vt nomine eorum, qui pro fide certassent, dies festi atque solemnes conuentus celebrarentur: cúmque alium in alium locum corpora Martyrum diduxissent, per anniuersarij circuli ambitum congregati lætabantur, in honorem Martyrum ferias agentes,* &c. Agedum verò quî fieri

S. Greg. Nyss. in vit. S. Greg. Nazianz.

fieri poterat, vt Christiani per anniuersarij circuli ambitum lætarentur in honorem Martyrum, nisi fastis, & tabulis Ecclesiasticis eorum nomina fuissent consignata? quémque in locum sancta corpora iam deduxissent, & transuecta seruarent? Excitatâ quondam ab Hugone Assisiensi Episcopo basilicâ, & S. Rufino Martyri pro more dedicata, *cœpit non parua inquisitio fieri*, (inquit beatus Damianus Cardinalis) *quo die inuictissimi triumphatoris Christi, Ruffini deberet Martyrium celebrari, nullis siquidem apud eos extantibus historiæ monumentis, sola erant eatenus annuæ dedicationis solemnitate contenti. Tandem, auctore Deo, repertâ Passionis historiâ constituit venerabilis Pontifex, iuxta tenorem videlicet, quem literæ testabantur, vt tertio Kalendas Augusti eiusdem gloriosè Martyris festiuitas coleretur.* Viden' vt ab historiarum monumentis negligenter habitis, & amissis contentiones super festa luce S. Ruffini cœperant exoriri: quod agonis ab eo feliciter consummati vniuersos Assisienses lateret dies? Viden' vt postmodum ab iisdem repertis, omnes animorum motus temerè concitati de subitò conquieuerint; suúsque Athletæ inuictissimo redditus fuerit honos? vt inde intelligas quanti Ecclesiæ, bonique publici Fidelium intersit, ne veterum tabularum monumenta intercidant, sed in Ecclesiæ cuiúsque tabulario sedulò custodita, integráque habeantur. *Pet. Damian. serm. 30.*

Quod cùm in festis diebus Martyrum celebrandis tantum tabularum Ecclesiasticarum integritas conferat, noceátue iactura; non minus certè ad venerabilium Reliquiarum venerationem in illis inest momenti, ne adulterinæ pro veris, incertæ pro certis, multiplices pro singularibus Fidelium pietati obtrudantur. Quid verò subesse possit periculi, si fideliter singularum suarum Reliquiarum nomina tabulis consignata, Ecclesia quæque habeat, & studiosè conseruet? Ea prouidentia superiori sæculo tenuit S. Carolum Borromæum non minus vitæ sanctitate, quàm sanguinis nobilitate, & Cardinalitiâ purpurâ spectabilem, ac venerandum, cuius hoc decretum est. *Quâ omni recognitione factâ, diligentiáque adhibitâ librum præcipuum, certúmque Episcopus curet, in quo singulæ, quæ in Ecclesiis, & vrbis, & diœcesis sunt, Reliquiæ sacræ rectè, atque ordine describantur; notatis etiam diligenter non solùm iis ipsis Ecclesiis, vbi reconduntur; sed scriptis etiam Annalibus, tabulis, aliisue monumentis, è quibus illarum testimonium constet. Is vero liber in Archiuio Archiepiscopali certo loco custodiatur, & asseruetur perpetuò. In eo item libro rectè referantur, si quas deinceps sacras Reliquias comperiri, aut aliunde asportari contigerit, vbi primum ab Episcopo illæ recognitæ & probatæ fuerint.* O legem prouidentissimo Præsule, & sanctissimo Cardinale dignam! Tanti Antistitis exemplum sequutus Palæottus, & ipse Archiepiscopali, & Cardinalitia dignitate præfulgens in Concilio Prouinciali laudabiliter à se Bononiæ coacto eandem legem tulit. *Mandat Prouincialis Synodus, vt quisque Episcopus omnes sanctorum Reliquias, siue in ciuitate, siue in diœcesi quamprimum exquiri & recognosci studeat, vt certæ ab incertis & probatæ ab* *Concil. Prouinciale Mediol 4. ann. 1576.* *Concil. Prou. Bonon. 4. part. de inuocat. & Reliq. SS.*

 aliis

aliis subobscuris omnino separentur, omnésque ordine, nominibúsque distinctis diligenti inuentario conscriptæ in Archiuio Episcopali excipiantur. Non minore, quàm illi studio in eam curam Episcopi Prouinciæ Tholosanæ in Synodo habita 1590. incubuere, quando in hæc verba iusserunt. *Singulas Diœceseos suæ Reliquias viris spectatæ integritatis, & doctrinæ, prudentiáque conspicuis, visitandas, notandásque quamprimùm Episcopi committant, earúmque nomina, numerúmque amplissimis testimoniis obsignatum, libro in Episcopali Archiuio diligenter asseruando, describi curent; nullásque deinceps, quas ipsi præmissa sollicita inquisitione non approbarint, populo venerandas proponi sinant.* Vtinam par cura & sollicitudo vniuersos præsules toto dispersos orbe, tùm veteribus olim sæculis tenuisset, tùm hoc nostro in paucis æuo, & vigentibus hæreseon factionibus occuparet. Haud dubiè non tanta foret (vt reor) earumdem numero Reliquiarum multitudo, ex qua sectarij *animalem spiritum habentes* laudabilem Catholicorum in asseruandis, & colendis, eiusdem generis Diuorum lipsanis religionem, ac studium subsannandi, traducendíque occasionem non malitiosè minùs, quàm pueriliter, & insulsè sumpserunt.

Bochell. lib. 4. decretor. Eccl. Gallic. tit. 5. cap. 15.

Vix ausim affirmare an Concilium Bracarense duobus illis Conciliis Prouincialibus exemplo præluxerit, cuius luculentum monimentum Lucius Flauius Dexter edidit. Ea Synodus sub Pancratiano coacta fuit: in qua ipse, cùm pro suo munere, Patres Conscriptos rogasset, *quid agendum esset de Reliquiis?* quòd Hispaniam barbari populabundi vestarent, Respondens Elipandus omnium primus, suam sententiam in hæc verba dixit. *Proficiscatur vnusquisque in locum suum, & confortet Fideles, corporáque sanctorum honestè abscondat, & de locis, & speluncis, vbi posteà fuerint, Relatorium vobis mittat, ne per cursum temporis in obliuionem veniant.* Hæc ille: Dixit, & perorauit. Iuerunt pedibus in eius sententiam vnanimi consensu Reliqui deinceps Patres omnes, solutóque Concilio singuli in suam Diœcesim profecti diligenter in eam curam certatim incubuere. En tibi sanctionem, decretúmque peruetus Hispani Concilij quàm simillimum in dissimili occasione decretis superiorum Conciliorum, quibus forsan, & documento, & vtili exemplo esse potuit, vt quidem mihi insidet suspicio. At quomodocumque res habeat.

Flau. Dexter. Chron. ad ann. 423.

Tria hîc velim ex Concilij Bracarensis sanctione obserues venerandæ antiquitatis monimenta. Primum est, quanta Christianos ingruente aliqua prosecutionis procella caperet sollicitudo pro venerandis sacrarum Reliquiarum thesauris, vt pro iis conseruandis Concilia ipsa consulerentur, ne fortè in hostium, barbarorum, & infidelium concederent potestatem. Vndénam verò tam anxia sollicitudo fideles tenuerit, in promptu causa est, eáque duplex: Odium videlicet plusquam vatinianum, & plus quàm Auernale, quo sacrosanctas Reliquias homines à Christiano dogmate alieni semper sunt prosecuti, & inexplebilis auri, argentíque cupido, atque rapacitas. Odium quidem

dem implacabile, à quo dies, noctéſque diabolo (quem ſanctorum pignora ſummopere ſemper torſerunt) vehementer inſtigante, ac per-urgente, infideles ipſius emiſſarij beatas Reliquias, quoad poterant, inceſtare, corrumpere, exterminare funditùs moliebantur. Inde per-mixta Sacroſanctis Diuorum exuuiis animantium oſſa: Inde ipſorum lipſana in vndas proiecta; Inde ambuſtorum corporum cineres in ventos ſparſi; inde alia ex aliis Sanctorum glebis illata ab infidelibus dedecora, quæ infinitum eſſet recenſere. Inexplebilis verò Infidelium rapacitas Chriſtianorum ſollicitudinem non leuiter ſemper auxit, quòd probè noſſent, quàm auidè omne Infidelium genus in pretioſiſſimorum loculorum, & capſarum, quibus ſacræ Reliquiæ condebantur diuitem prædam inhiarent. Etenim ea fuit peruetus religioſa, & conſtans Catholicorum in lipſanis ſeruandis, & ornandis ipſorum thecis, & capſulis liberalitas, & pia profuſio, vt non argento, non auro, non ebori, non cryſtallo, non electro, non adamantibus, non margaritis, non pretioſiſſimis quibúſque gemmis, nullis denique ſumptibus parcerent: quibus gazis, velut hamo piſces, nimiùm quantùm irritata Gentilium, ac hæreticorum auaritia nihil non moliebatur, vt de Chriſtianis, atque Catholicis, quaſi de hoſtibus reipub. detriumphatis, opima huiuſmodi ſpolia reportaret. Senſit (vt reliqua mittamus) poſtremum antè actum ſæculum, quanta fuerit Lutheranorum, Caluiniſtarum, aliarúmque id genus harpyarum erga ſacras Lipſanothecas cupido, atque rapacitas, quibus tandem eæ venerabiles thenſæ infando, immaníque ſacrilegio expilatæ, atque pollutæ in *aurum Tholoſanum*, & *Delphica Cimelia* conuerſæ ſunt. Atque ex eo toties pro Diuorum pignoribus Catholicos cura coxit, quoties ab hoſtibus Eccleſiæ, fideíque orthodoxæ deſertoribus timor, & metus fuit.

Hieron. lib. adu. Vigil. cap. 2. & 4. ep. 17. ad Marcell. c. 5. In Epitaph. Paulæ. cap. 5. S. Io. Damaſc. hiſt. Barl. c. 12. & cæteri PP.

Secundum obſeruatu dignum ex citatis Bracarenſis Concilij actis reor eſſe, diligentiam Maiorum noſtrorum in pretioſis ſanctorum exuuiis abſcondendis; quibus exemplo præiuiſſe Iudæos fortè non immeritò credas, dum tabernaculum, altare incenſi, arcam, ſacrúmque ignem ſuæ religionis Reliquias abdiderunt, ne in profanas infidelium, vt incircumciſorum manus, ac poteſtatem venirent. Vt vt ſit: Chriſtiani certè penitiſſimos ſpecuum receſſus, locáque inuia, & ignota quæritantes venerabiles Reliquias auro contrà ſibi pretioſas altè in terram defodere conſueuerant: quando grauius aliquod impendebat periculum, ne in hoſtium concederent poteſtatem. Cuius ſollicitudinis æternùm commendandæ non pauca exempla legas apud Scriptores ſacros, quæ breuitatis cauſa referre ſuperſedeo.

2. Macch. c. 2. v. 4. & ſeq. & cap. 1. v. 19. & ſeq.

Tertium, magíſque in rem noſtram, quâ de agimus notatu dignum occurrit *Relatorium*, vt Patres laudatæ Synodi loquuntur, *Commemoratorium* Optatus Mileuitanus, D. Auguſtinus & B. Gregorius Pont. Maximus vocitarunt. *Relatorium* verò, ſeu *Commemoratorium* appello tabulas, in quas referenda, & commemoranda cenſuere loca, qui-

Optat. Mileuit. lib. 1. contr. Parmen. S. Auguſt. lib. 3. contra Creſcon. c. 29. S. Greg. lib. 6. epiſt. 201.

bus

bus sanctorum Reliquiæ, pretiosissima Ecclesiæ bona, nominatim adscriptæ condi debebant; ne (quod nimium sæpe vsuvenit) tùm Diuorum exuuiæ, eorúmque nomina, tùm loca, vbi laterent abdita, *per decursum temporis in obliuionem venirent.* Huiuscemodi verò tabulas, seu commemoratoria, seu relatoria sacrarum Reliquiarum Episcopis mitti, & ab eis sedulò custodiri Synodus laudata imperauit; quòd penes eos rerum Ecclesiasticarum summa foret, eorúmque esset muneris veneranda Sanctorum pignora recensere, suis approbare calculis, & publicè fidelibus adoranda proponere, ne quid religio capere posset detrimenti ab inconsultâ, & temerariâ rudioris plebeculæ pietate, vt suo patebit loco. Eruditus æquè, ac pius Scriptor, Petrus Frizon in sua *Gallia purpurata* literas è tabulario Ecclesiæ Parisiensis depromptas transscripsit, quibus Ansellus (de quo superiùs meminimus) veritus ne memoria crucis è ligno S. Crucis compactæ à se transmissæ aliquando excideret Gualonem Episcopum Parisiensem, & Cardinalem, &c. in hæc verba monebat. *Itaque istud lignum nulli pretio comparandum, hac ratione pretio comparatum est; ecce illud vobis misi: precor habetote illud honorificè, sicut debetis; veruntamen, vt memoria sit posteris, & successoribus vestris, vnde, & quomodo illud habuistis, scribite in libris vestris: Ansellus clericus noster hanc Crucem de ligno S. Crucis Ecclesiæ nostræ, & nobis è Hierusalem transmisit.* Hactenus ille. Ceterùm easdem tabulas, seu potiùs *Relatoria*, video ab aliquibus vocitata fuisse *Chartulam patrociniorum.* Sic enim in Actis S. Othonis legere est: *Dum fortè in vico, qui dicitur Buchebach, diuinarum rerum studiosus Chartulam patrociniorum legisset, & in arca Ecclesiæ multas, & permaximas Sanctorum Reliquias reconditas agnosceret, ad nobiliora loca eas transferre cogitabat. Illam verò Chartulam patrociniorum,* cum Nouarino indicem, seu *Relatorium*, Reliquiarum interpretor, in quem indicem sacrorum lipsanorum nomina sigillatim collecta, exscripta fuerant. Hinc autem colligas in more positum fuisse apud veteres, vt in Ecclesiis, in quibus sacrarum exuuiarum inerat copia, singularum nomina in chartam referre, & in commeantium gratiam legenda exponere studiosè satagerent; quò Diuorum apud Deum patrocinia implorarent ardentiùs, & securiùs postulata illorum præsidio ab exorato numine obtinerent, Ansossius testatur, cùm Romæ versaretur, se vidisse in Ecclesia S. Sebastiani tabellam affixam, in qua index Reliquiarum exaratus erat. Atque hinc secundò colligas Diuorum Reliquias olim à scriptoribns *Patrocinia* fuisse nuncupata. Carolomanni nutu habita Synodus à S. Bonifacio Kal. Maiis, anno 742. sic loquitur: *Seruis Dei per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum, & hostem pergere omnino prohibemus; nisi illis tantummodo, qui propter diuinum ministerium, & Missarum scilicet solemnia adimplenda, & sanctorum patrocinia portanda ad hoc electis, id est, vnum, vel duos presbyteros cum capellanis, presbyteris princeps secum habeat.* Vide quàm piè SS. Reliquiæ in Castris, præliisque circumferri

Friz. in Gall. Purpur.

Act. S. Othon. lib. 1. cap. 39.

Nouarin. lib. 2. Sched. sacro proph. cap. 13. n. 69.

Ansoss. lib. de SS. Reliq. cultu, &c. §. 34 n. 6. Vide lib. seq. cap 1. art. 2. Capitular. Caroli Magni lib. 5. n. 2.

cumferri consueuerant, vt illi suo patrocinio exercitus tegerent, ac tuerentur. Sugerius Abbas S. Dionysij exhibet manibus Episcoporum, & Abbatum insignia Dominicæ passionis, *videlicet, clauum & coronam Domini, & Brachium S. Senis Simeonis, & alia sanctarum Reliquiarum patrocinia præferentes.*

De nomine, & officio Capellanorum. Videsis Vvalfrid. Strabon. lib. Officior. Ecclest. c. 31. & Filesac. Varior. p. 850. Suger. lib. de consecr. Eccl. S. Dionys. p. 354. apud du Chesne tom. 4. hist. Franc.

O vtinam! ea semper cura vniuersos Ecclesiarum moderatores, ac proceres sollicitos habuisset, dedissentque studiosissimè operam, tùm vt singularum Reliquiarum nomina Ecclesiasticis tabulis, seu commemoratoriis inscriberentur, tùm vt inscripta in suis tabulariis, & templorum chartophylaciis, ac fauillis, ne intercidérent, sedulò asseruarentur? Non iam vulgò iactaretur tanta earundem Reliquiarum vis, aliquibus plus æquo fortè suspecta, omnibus suspicienda, si earum veritas planè, plenéque per vetera tabularum monumenta constaret: à quarum tabularum iactura illam eiusdem generis Reliquiarum multitudinem in orbem inuectam fuisse vero simillimum est. Cùm nomina, & habitudo singulorum lipsanorum, vnà cum tabulis, quibus adscripta erant, fortè fortunâ periissent, Fideles partim ex maiorum fide, partim ex communi sensu, & famâ, partim ex religioso & inculpabiliter ore, illas ipsas, quibus fruebantur, reliquias iis adscripserunt Diuis, vel quos maximi nominis, ac sanctitatis famâ inter cognomines esse nouerant, vel quos nuncupari à maioribus solitos, quà nominum, quà Reliquiarum similitudine delusi meminerant. Quòd si Deus pro sua bonitate Fidelium pietati gratificaturus ad huiuscemodi sacra pignora dignatus fuisset miracula edere (vt fiebat non rarò) tùm illi conceptæ persuasioni tenaciùs adhærescere non dubitarent.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Earundem Reliquiarum, à titulorum exitio & interitu, multitudo.

CVm non vna fuerit apud Christianos *Tituli* significatio, monitum te primùm velim me tituli vocem hoc loco non sumere pro *æde sacra*, vni diuino cultui nuncupata, in qua Christiani rei diuinæ operari, Eucharistiam vsurpare, conciones audire, aliáque religionis obire munia consueuerant, vt pluribus noster Martinus de Roa secundum Eminentissimum Cardinalem Baronium, & Gretserum ex nostra Societate virum doctissimum, à quibus est mutuatus, iampridem tradidit. Neque hîc *tituli* voce *crucem* intelligo, quæ domibus, locísve aliis vbi templum erat excitandum, præfigebatur, vt ea loca è numero rerum profanarum exempta, diuiníque numinis cultui addicta esse,

Martin. de Roa lib. de die Natal. c. 21. Baron. tom. 2. Ann. Eccl. ad ann. 112. n. 4. & seq. Gretſ. lib. 2. de S. Cr. c. 7.

Crucis signo, tanquam regio vexillo, ac tutela monstrarentur. Neque sumo pro venerandis *imaginibus* (seu illæ simpliciter pictæ, seu argento, auróque incisæ, inclusæue forent) quas templorum foribus appendere morem olim fuisse, his versiculis significauit D. Paulinus.

D. Paulin.

Cedo, alij pretiosa ferant donaria, méque
Officij sumptu superent, qui pulchra tegendis
Vela ferant foribus, seu puro splendida lino,
Siue coloratis textum fucata figuris,
Hi laues titulos lento poliant argento,
Sanctáque præfixis obducant limina lamnis.

Quò spectasse credo Prudentium, apud quem sic ait Dacianus:

Prudent. hymn. 5. de S. Vincent.

Iam nunc, & ossa extinxero,
Ne sit sepulchrum funeris,
Quod plebs, gregalis excolat,
Titulúmque figat Martyris.

Id est, imaginem D. Vincentij, cui basilicam deinceps ponat. Nam præter Crucem nonnunquam imago alicuius Cœlitis loco consecrando præfigebatur, vt à Iudæo quodam Calaritano recèns ad fidem conuerso factitatum leges apud S. Gregorium Magnum, qui testis est Iudæum illum præter Crucis vexillum, etiam B. Virginis simulachrum Calaritanæ Synagogæ præferuido pietatis ardore intulisse, vt eam Christo consecratam fuisse Gentiles sui eo titulo intelligerent, ipsámque ingredi vererentur.

S. Greg. lib. 7. epist. 5.

Titulos ergo in præsentia duntaxat nuncupo, *elogia sepulchralia*, siue *epitaphia*, & *inscriptiones*, siue *epigraphes* cryptis, Mausolæis, lipsanothecis, ipsisque Diuorum pignoribus affigi solita, ex quibus certò, quæ, quorúmque illis conditæ forent exuuiæ, constare posset. Titulos autem illos, quos elogia, & epitaphia vulgò dicimus, Sanctorum memoriis inscribi consueuisse; non est quòd dicam, quòd me silente id lapides ipsi bene literati abundè proloquantur. At illa cryptarum parietibus incidi nonnumquam in vsu fuisse, aliquot exemplis probo. Vnum mihi subministrauit Gallicani martyrologij eruditus, & pius conditor Saussayæus, quem non piguit elogia *literarum, formâ vetustissimâ, inscripta lapidibus in crypta*, in qua SS. Sauinianus, Potentianus, Eoaldus, aliíque multitudine ingenti Senonenses martyres conditi fuerant, *vt titulos triumphales illorum gloriæ adscribere. Ad orientem hæc fixa inscriptio apparet. Huius ædis in receptaculo ambiuntur tumulati Christi martyres meritò, Sauinianus & Potentianus, ac Edoaldus. Corpus autem Serotini in altera Basilica, sed in isto cymeterio est positum. Ad occidentem verò. Felix ager, & inclytus, valde pulcher, & candidus, roseo sanguine Martyrum feliciter consecratus, orationúmque munere dignè adornatus est. Denique versus meridiem. Per flores rosei sanguinis sumpserunt coronas victoriæ, Martyres Christi, Sauinianus, & Potentianus cum multitudine ingenti, & ibi tumulati*

Brisson. lib. 7. de formul. pag. 780. & seq. fusiss.

Sauss. Mart. Gall. 31. Decemb.

Cymeterio, pro, cœmeterio, corruptè scriptum.

sunt pridie Kalendas Ianuarij. Alterum Serario ex ordine nostro, perquam illustri, ac erudito viro (cui & Eminentissimus Cardinalis idipsum acceptum referre dignatus est) debere me profiteor: Huiusmodi autem epitaphium rudi minerua, vt ferebat illorum temporum barbaries, lapideæ tabulæ intra sepulchralem cryptam incisum sic habet:

Serar. in not. ad Act. S. Kiliani & soc.

Baron. tom. 8. Annal. Eccl. ad ann. 689. n. 18.

Annis sexcentis, octogenisque nouenis
Isthic Killenam scimus fontis prope venam,
Et Colonatum, nec non Tothnámque beatum,
Ob Saluatorem proprium fudisse cruorem.
Hinc fuit, est, & erit salus illi, qui piè quærit,
Est cœcus, mutus, clandus, surdusque solutus.

Alia duo elogia ibidem inscripta, ne oculos auréſve tuas diutiùs versuum barbarie offendam, prætermitto exscribere, Auctor vitæ SS. Syri & Iuentij apud Surium refert B. Syrum accepta fortissimorum Martyrum Nazarij, & Celsi cæde confestim Iuentium misisse Mediolanum, qui Christianos ad laureatas ipsorum exuuias summo cum honore componendas hortaretur, atque inter cætera hæc illos admoneret: *Epitaphium certaminis eorum*, inquit, *sacris apicibus conscribentes simul recondite. Protasium autem, & Geruasium dignissimos Confessores, qui à pestefero præside clausi carcere detinentur, cùm pro Christi fide, & ipsi fuerint martyrio coronati debito honore, & merito condentes, certaminis eorum libellum pro futuris temporibus ad laudem Domini nostri Iesu Christi, & gloriam ipsorum ad capita eorum reponite*, &c. Audis, quæ cura, & sollicitudo sapientissimum æquè, ac sanctissimum Episcopum coqueret, vt glorioso defuncti Martyrij agone, elogio sepulchrali cohonestarentur, & ad posterorum memoriam, vnà cum ipsis honorificum Epitaphium separatim conderetur, ne tantorum Athletarum nomina confunderentur, vel obliterata temporis diuturnitate funditus interciderent ex hominum memoria.

Sur. tom. 5. vit. SS. 12. Sept.

Nonnunquam sola nomina Martyrum, & Confessorum cum passionis tempore cryptarum parietibus inscribebantur. Cuius rei peregregium habes exemplum apud Sigebertum, recensentem eos, qui sub Rictiouaro Treueris passi, & in cryptâ subterraneâ inuenti olim fuêre ad S. Paulini Confessoris; *Et cùm multi alij ibi iacerent*, inquit, *horum tantummodo nomina, & tempus, & dies passionis aureæ literæ in pariete scriptæ signabunt*, &c. Aliquando prætermisso passionis tempore, ac mortis die, sola nomina; aliàs ne nomina quidem, vbi vis aliqua Martyrum ceciderat. Clarissimè vtrumque titulorum modum, ad hunc morem, istis suis carminibus expressit Prudentius:

Sigeb. Chron. ad ann. 1071.

S. Gregor. Turon. lib. de glor. Confess. c. 36.

Prudent. hymn. 11. περὶ στ.

Innumeros cineres sanctorum Romula in vrbe
Vidimus, ô, Christo, Valeriane sacer,
Incisos tumulis titulos, tu singula quæris
Nomina, difficile est, vt replicare queam.
Tantos Iustorum populos furor impius hausit,
Cùm coleret patrios Troia Roma Deos.

Sic corrigen-

Cc 2 Plurima

dum, & legendum reor, non vt vulgares Codices (Troia Romana) licet Prudentius multâ, ne dicam, nimiâ in producendis breuiandisque syllabis vtatur libertate, vt omnes norunt eruditi.

Plurima literulis signata sepulchra loquuntur
Martyris aut nomen, aut Epigramma aliquod.
Sunt & muta tamen tacitas claudentia tumbas
Marmora, quæ solum significant numerum.
Quanta virûm iaceant congestis corpora aceruis
Nosse licet, quorum nomina nulla legas.
Sexaginta illic defossas mole sub vna
Relliquias memini me didicisse hominum.
Quorum solus habet comperta vocabula Christus,
Vt pote quos propriæ iunxit amicitiæ.
Hæc dum lustro oculis, & sicubi fortè latentes
Rerum apices, veterum per monumenta sequor
Inuenio Hippolytum.

Sur. tom. 1. vit. SS. 5. Feb. c. 32. Aliud tom. 5. 15. Oct. p. 858.

Infer. cap. seq. ex Baron. de Reliq. SS. Marij & Marthæ.

Hæc & alia Poëta Christianus. Vtriusque modi, ac moris luculentum aliud exemplum leges apud Surium ex Folcardo, Abbate Gaudanensi, in vita S. Bertulphi Abbatis, quod vt pote, longius. Breuitatis ergò pluribus referre supersedeo.

Verùm silere non possum, eandem consuetudinem inscribendorum titulorum paulò inusitatiori ratione confirmatam. Venit enim in mentem recordari legisse me, perrarò moribundos sibi ipsis titulos, nomina sua, imò & vitæ seriem chartis adscripta paulò antè, quàm desinerent viuere, diuinæ mentis, vt reor, afflatu posuisse. Duo perquam illustria huiusce rei suppetunt monumenta. Vnum Ioannes Moschus (ni Sophronium malis credere auctorem) mihi subministrat. Is differens de inuentis cœlestis ignis indicio S. Ioannis Anachoretæ, nomine *Humilis*, venerabilibus exuuiis, *ingressi modicam speluncam in eo loco vbi lumina videramus*, inquit, *inuenimus Anachoretam defunctum. Erat autem indutus cilicio, & pallio, tenebátque in manibus argenteam crucem. Inuenimus etiam chartam ita scriptam. Defunctus sum ego, Ioannes Humilis, indictione quintadecima. Computatis ergo annis inuenimus eum ante septem annos defunctum esse. Ita verò erat integer, ac si die eadem obiisset. Sublatum ergo in Ecclesia cum honore sepeliuimus.* Alterum Simeoni Metaphrasti acceptum refero, qui stupendam & omnibus sæculis suspiciendam inimitabilis Alexij vitam describens memorat paulò antè, quàm è viuis excederet totius vitæ suæ seriem literis consignasse, eóque in paterna domo clam parentibus vxore, domesticísque omnibus vita functo, cœlestium vocum monitu inuentum fuisse corpus exanime, chartam ambabus manibus arctissimè stringens, qua, post multas preces tandem emissa; parentum, coniugis, ipsiúsque nomina pij, religionis causâ, peregrinantis errores, aliáque anteactæ id genus vitæ præclara facinora literis commendata, magna totius vrbis demiratione, incredibilíque in paucis, cum suorum luctu, & comploratione inuenta, & perlecta sunt.

Mosch. prat. spirit. cap. 87.

Metaphr. apud Sur. tom. 4. vit. SS. 17. Iul. Baron. in not. Martyr. ad eund. diem.

Atque hæc fuit Christianorum peruetus consuetudo in titulis insculpendis,

pendis, inscribendis, incidendísque Diuorum memoriis cryptis, & lipsanis, ne ipsorum memoria interiret, néque nomina, vel Reliquiæ confunderentur, sed suus cuique honos haberetur. Age verò, quem tu prudentis huiusce moris auctorem fuisse putas? Si placet auscultare Sigebertò, non alius fuit, quàm D. Petrus Apostolorum Coryphæus illius hæc verba sunt: *Corpus S. Petronillæ Petri Apostoli filiæ, à Paulo Papa transponitur: in cuius marmoreo sarcophago ipsius Apostoli Petri manu sculptum legebatur. Aureæ Petronillæ dilectissimæ filiæ.* Ad Principis Apostolorum exemplum reliqui deinceps fideles se componentes Diuorum Mausolæis, capsis, pignoribus, confusionis, errorisque omnis vitandi causa, titulos, & epigraphes, & schedulas adscripserunt. *Sigeb. Chron. ad ann. 767.*

Huiuscemodi ergo titulis quoquomodo, vel deperditis, vel corruptis factum est, vt partim à nominum, & reliquiarum similitudine, partim ab inculpabili, & pro Fidelium errore, partim ex aliis iam suprà explicatis, explicandisve post paulò causis, earundem Reliquiarum diuersis in locis asseruatarum multiplicatio sensim in orbem Christianum irrepserit, itáque conualuerit, vt eam coërcere operæ non exiguæ sit, ne dicam, impossibile. Ad ipsam tamen minuendam, & ne longiùs serperet reprimendam, pro virili sua connisus est S. Carolus Borromæus cùm pro sacris pignoribus ab Episcopo recognoscendis inter reliqua hanc legem tulit: *Vt scripta, tabulæ, literæ, certi annalium codices, aliáue cuiusuis generis monimenta, quæ in iis ipsis Ecclesiis, earúmve atriis, atque ædibus, aut aliis locis extant, schedulæque vasculis, arcisve sacrarum Reliquiarum affixæ, inclusæve recognoscantur accuratè, ac diligenter. Vnde illarum vel translatio, vel collocatio ibi facta cognosci, aut alia eiusmodi notitia earundem haberi possit.* Gabriel Palæotus itidem Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, simul & Bononiensis Archiepiscopus beatissimi Præsulis exemplum sequutus (vt me dicere memini) hæc prudenter præscripsit: *Singulis reliquiis singulæ schedulæ cum sanctorum nominibus adiiciantur.* Neque hoc satis. Iussit insuper, vt *fiat omnium Reliquiarum, quæ probatæ, certæque fuerint, catalogus cum oratione, & Indulgentiis, quæ in sacello seu loco, vbi illæ repositæ fuerint, affigatur; vt accedentes quasi moneat quàm piè, quámque sanctè pro obtinendis sanctorum suffragiis, & intercessione ad illorum Reliquias venerandas accedere debeant.* Hæc illi. Quæ vtinam cura vniuersos Ecclesiæ Antitistes remorderet? sperandum esset fore, vt breui copiosæ illi earundem Reliquiarum multitudini aspersa suspicio funditus amoueretur, vel saltem non mediocriter minueretur. *Concil. Prou. Mediol. part. 3. de SS. Reliq.* *Concil. Prou. Bonon. 1. part. 4. de Inuoc. vener. & Reliq. SS.*

ARTICVLVS TERTIVS.

Earundem Reliquiarum à falsarum tabularum, &c. suppositione multitudo.

NOn minùs à subdola tabularum, rescriptorum, ac literarum suppositione, quàm à verarum exitio atque interitu, suspectam eorumdem lipsanorum multitudinem proficisci nonnunquam potuisse, prudentissimus quisque credat nonnemo. Quod in rebus ciuilibus sæpe sæpiùs vsu venire iure consulti, & omnia nouerunt fora: quin in re sacra idem contingere potuerit aliquando à præfracta, & sacrilega perditissimorum, & ad omnia per fas & nefas suscipienda proiectorum hominum audacia, euincit nihil. Sunt enimverò non pauci vsque eò caducæ fidei, & conclamatæ salutis nebulones, vt nihil pensi ducant, non solùm adulterinas tabulas. Sed etiam adulterina ipsorummet summorum Pontificum rescripta pro veris subiicere, ac venditare, vt illustrium Sanctorum exuuias oppidò sanè venerandas sibi mendaciter venditent, illisque candidæ, ac piæ Christianorum, & Catholicæ plebeculæ fidei fucum facientes suis Ecclesiis gloriam, concursum, & venerationem, sibique imprimis faciant quæstum, & lucra ingentia: quemadmodum deinceps inferiùs demonstrabo. Iam quem suspectæ huiuscemodi multitudinis earundem Reliquiarum fontem aperuimus, aliquot testificationibus velut digito commonstremus.

Quàm celebris, quámque diu iactata fuerit, inter nobilissimorum Cœnobiorum viros religiosos, vnius S. Dionysij Areopagitæ sacro corpore contentio apud Germanos, ac Nostrates Gallos omnibus in comperto est; at non æquè vniuersis exploratum fortassis est, vt eos huiusce controuersiæ caput audire non de me, sed de vetere rerum Gallicanarum scriptore pigeat. Codicem manu exaratum, è Thuana bibliotheca protulit, deditque in lucem publicam Andreas du Chesne, vir de historia Gallica sanè quàm optimè meritus, quo manuscripto codice, detectio SS. Corporum Dionysij, Rustici, & Eleutherij, quæ iussu Henrici primi Francorum Regis facta est anno millesimo, quinquagesimo. *Ad confutandam Germanorum vanam de S. Dionysij corpore assertionem,* pluribus explicatur. In eo legere est à Monachis Monasterij S. Hermentrami (quem alij Emmeranum vocitant) concinnatam fabulam, qui Monachi *cæcitatis, & ignorantiæ tenebris miserabiliter inuoluti* (totidem auctoris anonymi exscribo verba) *diuinique timoris obliti suum locum exaltare non erubuerunt, figmento cuiusdam mendacij arroganter verbosando, penes se esse corpus Beati Dionysij. Quod omninò friuolum esse veritas indicat præfatæ rei. Et quia eorum exterminanda garrulitas*

Andr. du Chesne tom. 4 de histor. Gall. script. pag. 157. & seq.

garrulitas est, prosequendo latius huic narrationis initæ serie censuimus inserere. Vnde huius exordium nequitiæ sibi dicantur arripuisse. Præfato loco succedentibus prosperis, rebúsque eius Deo fideliter adhærentium deuota munificentia ampliatis, probabile visum est Abbati, vt diruta scriptura operis vetusti, quoniam vilis erat pretij, in melius studeret honestando construere monasterium prædicti sancti Hermentranni; cui operi dum studiosius insudaret, priscorúmque fundamentorum loca diligentius inquireret, iuxta vanam assertionem eorum, vnius hominis mortui corpus inuentum est integrum, quem sub testimonio fallacium, & adinuentitiarum literarum non veriti sunt appellare, Areopagitam Dionysium. Hæc, aliáque pluribus peruetustus anonymi scriptoris codex, qui an per testimonium *fallacium, & adinuentitiarum literarum*, commentitias aliquas tabulas? an potiùs epigramma, siue inscriptionem, quam Saxo literato incisam Ratisponæ seruari volunt, velit intelligi haud satis scio: vt vt sit, inscriptio maiusculis Romanis characteribus exarata sic habet:

DIONYSIVS AREOPAGITA HIC REQVIESCIT, SVB ARNVLPHO IMPERATORE, ET OTTONE REGE, SVB EVBVLONE ABBATE MONASTERII S. DIONYSII: GISALBERTVS FVRATVS EST QVINTO NONAS IVLII. FVRTO SVBLATVS HVC VENIT PRIDIE NONAS DECEMBRIS, TEMPORE TVTONIS EPISCOPI.

Quâ verò ratione, modóque sacrilegum illud furtum commissum fuerit, legere poteris apud Auentinum, & Petrum Halloix, si te huiusce mendacij figmentum nosse delectat. *Auentin. lib. 4. Annal.*

Fallaces autem, & commentitias illas literas, atque adeò ineptissimam, & mendacissimam Auentini narrationem de furto sacrarum B. Dionysij reliquiarum perpetrato à nescio quo Gisalberto (quem ille *procerum locupletissimum, ac ex composito sacrilegij condemnatum vocitat.*) O locupletissimum testem, cui vel iurato credatur! *fallaces*, inquam, illas *literas*, & Auentini (quem suis coloribus graphicè depinxit Marcus Velserus, vir Augustanus) fabulam peregregiè noster Halloix refutat. Adulterinas enimverò istiusmodi literas extitisse, detectio earundem Reliquiarum superiùs delibata primùm probat. Cùm enim sub annum Christi 1502. ea controuersia exardesceret, Henricus primus Roberti Francorum Regis filius, ad Henricum, cognominem Imperatorem Oratores misit, qui suo nomine quererentur sibi, ac regno suo iniuriam non leuem gratis ab eo inferri, qui antè mendacissimæ fabulæ incautè aures accommodasset, quàm amicum sibi Principem monuisset, rogasétque, vt videret accuratiùs nùm sacra Beati Dionysij pignora, apud se haberet, an secus? A quo *Marc. Velser. lib. rer. Augustan. & Boiorum histor.* *Halloix infr. cit.*

cum

cum honorifica excusatione dimissis pro more legatis, Rex Henricus coram Episcopis, Abbatibus, & Francorum proceribus, post multas preces, ieiunia, fusásque lacrymas de venerandis S. Dionysij, ac sociorum exuuiis impigrè anquiri iussit: *Reuerenter itaque* (vt laudatus codex loquitur) *in medio delatum est argenteum scrinium, prisca adhuc subtilitate, artificiosissiméque munitum. Quo cum magna difficultate reserato, in adstantium præsentia, repentè pretiosissimi martyris Dionysij reperiuntur ossa, pallio tantæ vetustatis nimietate consumpto obuoluta, vt inter manus tenentium euanesceret in similitudinem telæ aranearum. Vnde perfusi suauissimi odoris fragrantia asseruerunt nullius ad hanc esse delectationis pigmentorum genera.* Pluribus vetus ille codex, qui nomina illustrium personarum, quæ sanctorum detectioni corporum interfuere, ad vltimum subiicit. Cui adstipulatur Rigordus antiquus scriptor natione Gothus, & sub Philippo Augusto iterum *aperto vase argenteo*, inquit, *in quo corpus sacratissimi Dionysij Martyris continebatur, assistentibus venerabilibus Episcopis, Syluanectensi, & Meldensi, & Adela Francorum Regina, & multis Abbatibus, & viris religiosis, totum corpus ipsius, cum capite, vt prædiximus, est inuentum, & vniuersis Dei fidelibus, qui de longinquis partibus orandi causâ conuenerant, deuotissimè commonstratum.*

Cod. manuscript. suprà cit.

Rigord. in vit. Philippi Aug.

Secundò earum literarum falsitas, & suppositio euincitur à Vvitichindo, Othone Frisingensi, aliísque scriptoribus, quos longum esset recensere, imo ex ipsomet Pontificio Leonis IX. rescripto, quo velut ineluctabili ariete nituntur aduersarij. Hoc enim spurium, & adulterinum esse complura demonstrant euidentissimè, vt acutùm vidit Petrus Halloix, atque (vt reliqua sileam) quî constare potest, vt ex Leonis sacra, *dicti doctoris, & Martyris ossa venerabilia, excepta particula vnica simul, & minima manus dextræ apud memoratum B. Emmerami cœnobium integraliter contineantur.* Quandoquidem (teste citato Rigorco) apertis reliquiarum thecis *totum corpus B. Dionysij cum capite inuentum est, exceptis duobus ossibus de collo, quæ sunt in Ecclesia Vergiacensi, & osse quodam de brachio, quod Stephanus Papa III. secum ad Romanam portauit Ecclesiam, & posuit in Ecclesia, quæ hodie, schola Græcorum vocatur.* Deinde quis ferat prudentissimum, & sanctissimum Pontificem ausum fuisse Christianissimum Francorum Regem hortari, vt *ablatoris attenderet dignitatem, simúlque Patris, & Apostoli sui gloriæ congauderet?* à quo se, totúmque suum regnum pretiosissimo thesauro, & potentissimo secundum Deum tutore, atque Palladio per summam iniuriam spoliatum videret? quis ferat execrandum Imperatoris sacrilegi caput à Pontifice vocari *deuotum ac pium furem, auro vtique, & topazio meliorem?* quem tot authorum testificationibus liquet infandorum criminum fuisse coopertum, & pediculis semirosum scelestam animam exhalasse? Quis ad extremum ferat tam perfidum dolum, tam iniustum *furtum*, támque *detestabile sacrilegium* ab Arnulpho Imperatore comprobatum, & pro maximo pietatis facinore,

Vvitichind. lib. 1. hist. Saxon. Otto Frising. lib. 6. Chron. cap. 11. Leo IX. apud Pet. Halloix quæst. 4. de vit. & oper. S. Dion. Areop.

nore,

nore, cum laude exceptum fuisse? cùm supposititio suo rescripto testetur Pontifex, eundem Imperatorem, *qui fures, atque sacrilegos erat solitus condemnare, furem ipsum tunc fieri, & sacrilegum non contempsisse?* Ex quibus nemo non videat, si mentis, ac sui compos existet, Bullam illam Leonis Papæ IX. non adulterinam, ac supposititiam modò, sed tanto etiam Pontifice indignam, sanctissimóque rerum sacrarum arbitro iniuriam esse, quàm quod maximè.

His tamen duobus caducis, ac seipsis ruentibus nixi fundamentis singulares B. Dionysij, & sociorum exuuias multiplicant Ratisponenses, quorum cæcam in rebus sacris fidem, eximiámque in sanctorum lipsana pietatem an laudare citiùs debeam, quàm mirari? vix satis scio. Non tamen me latet Cratepolium, qui Sanctorum Germaniæ indicem bene longum contexuit, dicam? an confarcinauit, eandem & Ratisbonenses de S.Dionysij Areopagitæ sacrosanctis exuuiis fidem fuisse complexum. Verùm hac in parte eum sua fefellit fides, nimiáque facilitas perinde ac, cùm scriberet, *S. Ignatium Loiolam fundatorem Societatis Iesu Romæ obiisse, canonizatum vnà cum sancto Ioanne Episcopo Roffensi; anno nati Christi millesimo quingentesimo, quinquagesimo octauo sub Paulo IV. Pontifice maximo.* Quod quàm sit ab historicâ simul, & Chronologicâ veritate alienissimum, non est quod eloquar, cùm seipsis tam fœdus error, crassáque inscitia, & incuria concedant; mirari tamen ac miserari magis placet, virum ceteroquin eruditum, & curiosum rerum Germanicarum indagatorem, in tam propudiosum errorem impegisse.

Cratepol. libell. de SS. German. verb. S. Dionys.

Idem lib. cit. verb. S. Ignat.

Ceterùm Baronius post adductam illam præsumptam Pontificis constitutionem, *non discutit litem, sed tanquam longo in opere fessus* (vt lepidè loquitur Halloix) *atque ad extrema anhelans, tantùm hanc de sancti Dionysij corpore altercationem ei comparat, quæ inter Cassinenses, & Floriacenses de B. Benedicti sacro pignore multa intercessit sæcula.* Ex eo tamen licet coniicere, suppositítias aliquorum Clericorum, aut nebulonum (vt veriùs loquar) literas, tabulas, rescriptáque Regum, Imperatorum, atque Pontificum penitus commentitia, potuisse occasionem dare piæ Christianorum fidei, per quàm facilè credendi se quorundam Cœlituum reliquias possidere, quarum, ne micam, vel puluisculum habent: at quî ea fraus detegi possit? næ quàm difficillimum est. Episcoporum, & Pontificis (vti suo dicemus loco) id muneri, & curæ relinquendum reor, hoc tamen interea seriò, & affirmatè dixerim fieri posse, vt è tot sanctorum lipsanis, quæ eadem in indiuiduo diuersis in locis esse venditantur, nonnulla sint, quæ nulla alia testificatione, ac fide nitantur, quàm ementitis quibusdam tabulis, confictis summorum Pontificum bullis, & suppositítiis literis, quæ per summam audaciam obtruduntur, dum illarum artifices Ecclesiis suis, aut vrbibus, oppidísve nimiùm quantùm obscuris, aliquam afflare nominis lucem, concursum populorum conciliare, quæstúsque ingentes facere connituntur, tam sacrilegi, quàm auari. Quæ verò in tanta earundem

Baron. tom. 11. Ann.

rundem Reliquiarum multitudine & copia subdolo huiusmodi artificio piæ Fidelium pietati proponantur adorandæ, hoc opus & labor est, nostrisque viribus impar augurari, multóque minùs inter dissidentes litem dirimere, & super earundem veritate, figmentóve certa definitione sententiam pronuntiare.



CAPVT SEPTIMVM.

FREQVENS RELIQVIARVM Translatio.

CAVSA SEPTIMA.



FACILE adducor, vt credam non parum contulisse vsitatam in Ecclesia Reliquiarum translationem, maximè si frequens extiterit, ad multitudinem eorundem numero lipsanorum inducendam; at quo tandem pacto id factũ sit, disquiramus.

Principiò monitum te velim non esse instituti mei de triplici Sanctorum translatione cum Signio disputare, quòd triplex illa translatio *de vitæ huius exilio ad tumulum, de tumulo ad altaria, de altaribus, terrísque ad cœlos*, nimis longè petita sit, & minus ad rei Reliquiariæ faciat argumentum. Sed animus solùm est agere de tralatitia venerabilium Reliquiarum transuectione, quæ vno è loco, pluribúsve in alium locum necessitatis, honoris, ac religionis causa fieri solet. *Signius Reliquiar. c. 10.*

Hanc verò duplicem vniuersim facio: publicam vnam, priuatam alteram. Publicam vocito eam, quæ auctoritate legitimâ solemni ritu, & publicâ totius populi Catholici coitione, concursúque celebratur. Priuatam illam nuncupo, quæ priuatâ religione, inconsultis, & insciis Præsulibus, nulla cum pompa solemnibúsque ceremoniis peragitur. Vtra tandem harum translationum? an vtraque? causa esse potuit præsumptæ earundem Reliquiarum multitudinis, quæ populorum persuasione, sermonibúsque iactatur? Vtramque, si frequens fuit, contulisse plurimum nulla mihi dubitatio est: licet priuatam transuectionem potiori iure huiusce rei fontem, & caput extitisse non immeritò credam. Dixi (potiori iure) quia cùm translatio sacrorum pignorum fit auctoritate publica, frequenti hominum concursu, ac ritu solemni, tùm maior & accuratior de transferendarum Reliquiarum veritate ab Episcopis initur disquisitio: docentur de illa clariùs, distinctiùs,

ctiùs, & diligentiùs populi, minus denique subest periculi, ne deinceps aliæ pro aliis æstimentur, & colantur. At in priuata tacitáque traductione secus omnino fit, atque in publica, quòd in illa, plerunque semper præferenda erga alicuius Diui exuuias, religio, & pietas, translationis negotium, plus æquo præcipitet, nec morosiorem (vt par est) super ipsarum veritate disquisitionem ferat. Vnde minimè mirum est, si aliæ pro aliis habeantur reliquiæ, atque adeo, quæ singulares reipsa sunt, reo, & culpabili errore fiant multiplices.

At videsis ne proinde religiosum, & perantiquum Reliquiariæ translationis morem, vitio, criminíue cum sectariis vertas: quasi verò hac in re Gentiles fuerimus imitati, quibus aliquando à fictitiis suis Diis (verius Dæmones dixeris) similes Idolorum translationes sunt imperatæ, vt Æneas Gazæus è classe philosophorum Christianorum Platonicus obseruauit, & aliquot confirmauit exemplis, cùm constet ex sacris literis omnium primam, & ab antiquitate sua summopere venerandam extitisse ossium Ioseph, & aliorum Patriarcharum ex Ægypto in Palæstinam à Mose factam transuectionem. Dixi (ex sacris literis) nam si Mosem Barcepham audire placet, primus Noa, siue Noemus *asportauit ossa Adami ex ea terra, quæ trans oceanum est, in Armeniam, vbi arca post diluuium resedit*. Alterum Reliquiariæ translationis exemplum simul, & figuram habes trinam, arcæ Dei factam à Iudæis diuersas in sedes traductionem, vt vel inde facile sit assequi coniectura, quàm semper fuerit Deo accepta rerum sacrarum transuectio, à quo & imperata fuit. At quantò magis noui testamenti lipsana, piè (vt fit) transportari Christo, noui testamenti Conditori optimo maximo, pergratum esse debet? cùm longè inferioris notæ sint, vetus illa Israëlitarum arca, sacríve aliquot antiquorum Patriarcharum cineres præ noui testamenti reliquiis, & potissimum præ triumphalibus Martyrum exuuiis, quos *in sanguine Agni, (* Christum intelligo *) super niuem dealbatos*, suóque cruore purpuratos fuisse constat. Si aliquos igitur fidelibus placuit imitari, Israëlitas potiùs nos æmulatos fuisse dicendum esset, quàm Gentiles, quos Dæmon, (vt est Diuinorum operum simius) compulit sacras Patriarchalium Reliquiarum, arcæ, tabernaculi, altaris incensi, aliarúmque id genus rerum traductiones ab Israëlitis, ex Dei iussu factas, impiâ imitatione vsurpare. Verùm ea est Lipsonomachorum erga fideles orthodoxos charitas, ea in Cœlites pietas, ea aduersus Deum fides, atque religio, vt venerabiles Christi, Deiparæ Virginis, Beatorúmque exuuias idolis, illorúmque religiosas, ac persæpe diuinitus imperatas (vt mox dicemus) transuectiones Ethnicis potiùs, quàm Israëliticis traductionibus malint æquiparare. At bruta illa fulmina nil orthodoxos lædunt, & mendacia illa Sycophantarum probra iisdem gloriosissimæ laudes sunt.

Æn. Gaz. in suo Theophrasto pag 410. edit. Græco-lat. Bibl. SS. PP.
Gen. cap. 47. v. 30.
Exod. c. 13. v. 19.
Act. cap. 7. v. 16.
1. Paralip. c. 13. v. 13.
2. Paral. c. 6. v. 11.
2. Reg. c. 6. v. 11. & cap. 16. v. 17.
Mos. Barceph. 1. part. de Parad. c. 14.

Audiant, & rumpantur inuidentiâ Lipsanomastiges Vigilantij, ac rediuiui Vvicleftæ, audiant, inquam, quâ sapientiâ diuinum numen

pias istiusmodi translationes in Apostolorum, & Euangelistarum pignoribus venerandis voluerit in paucis vsurpatas. *Si diligenter* (B. Damiani Cardinalis ista oratio est) *omnium Euangelistarum, in quibus defuncti sunt, loca percurrimus neminem eorum in eo, quem sortitus est, perseuerasse tumulo reperimus. In Ioannis scilicet sepultura post obitum, non corpus eius, sed manna repertum est. B. verò Matthæi corpore, non Æthiopia, vbi peremptus agnoscitur, sed Salernitana potiùs ciuitas decoratur. Sanctus etiam Lucas, cùm in Bythiniæ partibus, sicut historia testatur, obierit: Vicesimo anno Constantini Cæsaris de Achaïa Constantinopolim translatus est cum sacrosanctis B. Apostoli Andreæ reliquiis. Hic verò de quo nunc agitur S. Euangelista Marcus, de Alexandria transuectus est, Deo misericorditer disponente, Venetiam; vt qui tunc totum orientem, velut aureus Lucifer, illustrauerat, nunc per plagas occidui climatis præsentiæ suæ radiis enitescat. Per Ægyptum quippe sibi dedicat ortum, per Venetiam tenet occasum. Illic Alexandriæ sortitus est Ecclesiæ solum; hic renascentis Aquileiæ nouum statuit principatum. Est itaque, velut sydus aureum, toto orbe præclarum & celebri totius Ecclesiæ veneratione conspicuum.* Hactenus Beatissimus Cardinalis: ex quo intelligas, non posse non esse Deo acceptissimas sacrarum Exuuiarum translationes, quandoquidem ipso misericorditer disponente, beata suorum Euangelistarum corpora, aliò, quàm fuerant condita, longissimè sunt transuecta. Quid si dixero compluribus Cœlitibus non solum cordi fuisse istiusmodi suorum pignorum transuectiones, sed etiam (quod de sancto Hilario Pictauiensi Episcopo, & B. Ruffino martyre refert proximè laudatus Cardinalis) *ab illis ipsis viuacis imperij auctoritate fuisse mandatas?* luculentissimis profectò testimoniis comprobare non esset operosum, nî præscriptæ studerem breuitati.

B. Pet. Damian. serm. 16. de S. Marco.

Idem serm. 2. de translat. S. Hilarij. Et Serm. 36. de S. Ruffino.

Huius autem rei multiplicem extitisse causam video quibusdam Diuis aliò demigrandi. Causa fuit locorum conditio, quòd videlicet profana essent. Ea procul dubio quondam incesserat cogitatio, & cura Iacobum, & Iosephum patriarchas moribundos (licet aliis ad id adductos fuisse rationibus non ignorem) quando liberos suos adeò graui obtestatione adactos iureiurando rogarunt, vel potiùs iusserunt, vt è profana Ægyptiorum tellure in terram Chanaam diuinis promissis, ac beneficiis consecratam suas exuuias transportarent. Aliis incolarum scelera optandæ, imperandæque huiuscemodi translationis fuêre causa: Id supplicij Liparem insulam expertam fuisse sunt qui referant: quòd enim infandis cooperta esset flagitiis, D. Bartholomæus illam meritò detestatus est, & à Sarracenis occupatã, suis priuari pignoribus noluit: etenim cùm ab impiis eius ossa huc, illúcque contemptim fuissent dispersa, dissipatáque, & à quodam Monacho mox religiosè ac sedulò collecta, Beuenentum denique ab eodem transuecta sunt. Nonnullos præuisa barbarorum Infidelium, hostiúmve incursio, templorum ruinæ, oppidorum incendia, vrbium populationibus exhaustarum solitudo perpulerunt, vt suas exuuias ab imminentibus stragibus,

Gen. cap. 47. v. 30. cap. 50. v. 5. & seq. Idem. serm. 2. cit.

Sigeb. Chron. ad ann. 831. Io. Sign. cit. Vid. Sur. tom. 5. vit. SS. de transl. Reliq. S. Gummari. 11. Oct.

ſtragibus, per religioſam tranſuectionem ſubductas vellent. S. Benedictum ferunt ob prænuntiatum ſibi diuinitus cariſſimum, ſibi tot titulis Caſſinum à Longobardis aliquando ſuſdeque vertendum, fugandos Cœnobitas, ſacra, profanáque omnia peſſundanda, Mummolo Cœnobij Abbatis Floriacenſis per ſomnium in mandatis dediſſe, vt corporis ſui reliquias in Galliam deueheret, quòd ille per venerabilem monachum nomine Aigulphum, re demùm Martyrem, fideliter æquè ac ſtudioſè perfecit. Plures alias cauſas Signius delibauit.

Adreuald. de tranſlat. S. Bened. cap. 3. 4. & ſeq. Item. lib. 1. de miraculis eiuſd. cap. 11.

Sign. ſupr. cit.

Frequentiſſimæ ſi vnquam, tùm maximè obſeruantibus Baronio, & Azorio noſtro, factæ ſunt ſacrorum pignorum ab oriente in occidentem, & in noſtram in paucis Galliam, cùm à Perſis primùm, tum ab Arabibus, deinde à Sarracenis, denique à Mahometanis nobiliſſimæ Orientis ciuitates, Alexandria, Hieroſolymæ, Antiochia, & reliquæ circumiacentes prouinciæ fuiſſent ſubactæ ac poſtmodum ab eorum poteſtate ad id vnum (vt videtur) fuerunt vindicatæ Regum, ac Principum Chriſtianorum virtute. Addit Azor: *Ex eo tempore, quo Franci Longobardos bello victos ex Italia deiecerunt, cœpit introduci mos, vt etiam per occidentem oſſa, & corpora martyrum transferrentur aliò. Francorum enim Reges, ac cæteri Principes à Romanis Pontificibus vehementer efflagitabant, vti ex vrbe, & aliis locis eiuſmodi Reliquias è terra, vbi iacebant ſublatos, & erutos in Galliam, & Germaniam tranſportari permitterent; vt in templis à ſe ædificatis honorificentiùs recondi poſſent.* Ecce tibi, quàm ſtudioſi fuerint Franci ſacrorum pignorum conquirendorum, & ab exteris regionibus, in Gallias tranſuehendorum: Vix autem quemquam inuenias, qui plura ſanctorum lipſana tranſtulerit, & Gallia donarit, quàm Theodericus Epiſcopus Metenſium, & Regina Francorum Chriſtianiſſima, Radegunda. De Theoderico hæc refert Sigebertus. *Theodericus Metenſium Epiſcopus Imperatori ſanguine, dilectione, ac familiaritate ceteris deuinctior, dum in Italica expeditione per triennium ſub eo* (videlicet Othone) *militaret, multa corpora, & pignora Sanctorum de diuerſis Italiæ locis quocumque modo potuit collegit. Primum è Marſia S. Elpidium confeſſorem, cuius ſocium Eutychium Epiſcopum ipſe Imperator iam ſuſtulerat: ab Amiternis Eutychetem martyrem, cum Reliquiis Maronis, & Victorini ſociorum eius: A Sulginis Felicianum Epiſcopum, & Martyrem: A Peruſio Aſclepiodatum Martyrem: A Spoleto Serenam Martyrem cum Gregorio Spoletano Martyre. A Corduno pignora Vicentij M rtyris & Leuitæ: Ab Hiſpania olim à duobus Monachis Capuam, à Capuâ verò illuc deportata: à Meuania alterum Vincentium Epiſcopum, & Martyrem: à Vincentia Leontium Epiſcopum: & Martyrem: à Florentia Mineatem Martyrem: ab vrbe Tudertina Fortunatum Epiſcopum, & Confeſſorem: A Corfinio Luciam Syracuſanam Virginem, & Martyrem: A Foroaldo Duce Spoletanorum olim à Syracuſis illuc tranſlatam: A Sabinis partes corporum Prothi, & Hyacinthi Martyrum. Hæc omnia cum parte Cathenæ S. Petri Apoſtoli, cum capillis eiuſdem, & ſanguine S. Stephani protomartyris,* &

Baron. tom. 8. Annal. Eccl. ad ann. 637. n. 1.

Azor. tom. 1. Inſtit. Mor. lib. 9. cap. 8. quæſt. 11.

Sigeb. Chron. ad ann. 969.

& parte Craticulæ S. Laurentij Martyris à Papa Ioanne sibi donata, cum aliis multis Sanctorum pignoribus Præsul Theodericus in Galliam hoc anno transtulit. Hactenus Sigebertus. O qualem, quantúmque beatorum pignorum thesaurum Præsul piissimus coëgit! Verum sanctissima Radegunda, vt in dignitate, ita & in coaceruandis, & in Gallias traducendis Diuorum glebis studio, illum longissimo post se reliquit interuallo. Audi Bandominam, quæ *cum ea in monasterio coalescens, quæ vidit, de ipsa fidelissimè*, apud Surium, & Baronium *scripsit* his verbis. *Quantam illa, postquam in Monasterium se contulit, sanctarum Reliquiarum multitudinem precibus fidelissimis aggregarit? testatur Oriens, Aquilo, Auster & Occidens confitetur. Vndique enim gemmas pretiosas Cœlo reconditas, & quas Paradisus habet, & muneribus & precibus, vt adipisceretur, effecit: apud illas verò sine intermissione meditari psalmos, & hymnos sibi depromere videbatur. Perlatum est ad eam Mammetis,* (vel potiùs Mammantis) *Martyris sacros artus Hierosolymis quiescere; Illa instar hydropicæ mirè sitiens auidè hæc hauriebat: sicut enim qui hydropisi laborant, quantò plus bibunt, tantò maiori ardent siti, ita & ipsa rore Dei perfusa magis incaluit. Itaque virum venerabilem Regulum presbyterum, qui tum sæcularis adhuc erat, & hodie superest, ad Patriarcham Hierosolymitanum transmisit, petens B. Mammetis pignora sibi donari,* &c. Post hæc paulò inferiùs de alia legatione in Orientem ab ipsa ad Imperatorem Iustinum, pro ligno S. Crucis obtinendo missa eadem Bandomina, hæc habet. *Quod fecit S. Helena in Oriente, hoc fecit B. Radegundis in Galliis, sed quia nihil sine consilio facere voluit, quandiu fuit in hoc mundo; literis ad Sigebertum Excellentissimum Regem datis, (is est filius Clotarij Regis, qui vnà cum fratribus regnauit in Galliis) petiit ab eo, vt cum eius bona venia liceret sibi pro totius patriæ salute, & Regni ipsius stabilimento, lignum salutaris Crucis Domini ab Imperatore expetere. Illo clementissimè S. Reginæ precibus annuente, deuotione plena cum multo desiderio ad Imperatorem munera misit; Quippe quæ causa amoris Christi pauperem se fecerat, sed sanctos iugiter implorans, nuntios suos ablegauit, sanctorúmque suffragiis, quod optabat, adepta est. Imperator enim & beatum lignum Crucis Domini auro, & argento ornatum, multásque sanctorum Reliquias, quas Oriens obtinebat, ei per legatos transmisit, vna cum Euangeliis, gemmísque decoratas.* Asserit S. Gregorius eas fuisse Reliquias SS. Apostolorum, & Martyrum, quas incredibili cum animi voluptate, ac pietatis sensu sanctissima regina recepit. Eodem animatæ genio Galliæ videntur fuisse, *Regis*, enim, *ad exemplum totus componitur orbis*, de quibus in hunc modum doctissimus Baronius disserit, *Cæterùm admiratione maxima dignus est fidei Christianæ feruor, qui his temporibus erga sacrarum Reliquiarum cultum adeò ardebat in Galliis, vt licèt abundarent illæ prouinciæ sacris pignoribus sanctorum Martyrum, & Confessorum, nihilominus fame inhiarent ad peregrina: quorum gratia in Orientem profectum esse diximus sanctum Germanum Parisiensem Episcopum, qui factus pij voti com*

Bandomina lib. 2. vit. S. Radegondæ. Sur. tom. 4. vit. SS. 13. Aug. Baron. tom. 7. Annal. Eccl. ad ann. 566.

Baron. loc. sup. cit.

pos

pos ad ſuam Eccleſiam locupletatus hiſce diuitiis, eſt reuerſus Pariſios. Atque de hoc Noſtratium in SS. Reliquiis in Gallias inuehendis ardore abundè ſatis.

Cæterùm quacumque de cauſa huiuſmodi ſacrorum pignorum tranſlationes ſuſceptæ fuerint, aut etiamnum ſuſcipiantur, vero mihi ſimillimum eſt, ab illis frequenter factis eueniſſe, vt eædem SS. Reliquiæ, ſiue ipſæ integræ, ſiue tantùm ex parte, aliò fuiſſent tranſportatæ; duobus, pluribúſve ſimul in locis, maximè ſi tituli, memoriæve illis fuerint erectæ) aſſeruari à fidelibus tam piè crederentur. Si *magnis parua*, ſi ſacris profana, licet *componere*: annon & idem Oedipi lipſanis olim contigit? *Audis Oedipum* (inquit Æneas Gazæus ſuprà laudatus) *vt Colonis iacens Athenienſibus ſit viſus in Syro ſepultus eſſe?* probabile eſt idem accidiſſe Arcadibus, apud quos cùm Oreſtes, *quadam vrna conditus deliteſceret, Lacedæmonii, vt de illis* victoriam reportare poſſent, *ex Apollinis oraculo clam Oreſtis oſſa ſuffurati ſunt, ſicque vna cum ipſo victoriam ad ſe transtulerunt.* Igitur ſi Oedipus, & Oreſtes diuerſis in locis aſſeruari crediti ſunt, quòd eorum exuuiæ alibi vel conditæ reipſa, vel aliò perſuaſione vulgi tranſlatæ fuiſſent: Cur etiam a frequenti earundem SS. Reliquiarum tranſuectione, non cenſebuntur ſeu integræ, ſeu ex parte diuerſiſſimis in locis cuſtodiri, & coli? Quod licet in tranſlationes publicas poſſit aliquando, poſt aliquot ſæcula cadere, multò tamen faciliùs, & frequentiùs à priuatis tranſuectionibus (vt iam dixi) potuit proficiſci ea Chriſtianarum gentium, ac populorum æſtimatio, fides, & cultus: potiſſimum, ſi tot ab illa Reliquiarum tranſportatione fluxerint ſæculorum periodi, vt penitus in poſterorum deuenerint obliuionem.

Æn. Gaz. loc. ſupr. cit. pag. 410.
Ibid. idem.

Id accidiſſe in beatis SS. Marij, & Marthæ, Papiæ, & Mauri fortiſſimorum martyrum, pignoribus, Eminentiſſimus Cardinalis Baronius obſeruauit, & deceptum ſe peringenuè profitetur. Illorum enim corpora è via Cornelia Romam tranſlata, in notis ad Romanum Martyrologium ſcripſerat condita eſſe in inſula Tiberina ad S. Ioannis Chalybitæ, (*vt ferebat inſcriptio ſuper confeſſionem præfixa*) *qua tùm eorum, tùm etiam filiorum, ſcilicet* Audifacis, & Abachum, *ibi ineſſe corpora ſignificatur:* & tamen inuenta ſunt cum aliis præclaris Martyribus (*quorum omnium plumbeæ, & lapideæ tabulæ ſcriptæ indices erant*) in Diaconia S. Hadriani, quod factum eſſe videtur ex facta tranſlatione partis alicuius Reliquiarum Marij & Marthæ ab æde S. Ioannis Chalybitæ ad Baſilicam D. Hadriani. Horum autem, Papiæ videlicet, & Mauri Romanorum Militum veneranda pignora idem eſſe dixerat in titulo Equitij poſita eſſe, quæ tamen in eadem Diaconia S. Hadriani tandem inuenta ſunt in lapideo loculo, cui indita fuerat tabella pariter lapidea & hac inſcriptione, pro more literata: *In hoc loco requieſcunt corpora SS. Martyrum Papiæ, & Mauri.* At vndénam is error natus? niſi à veteri ſacrorum illorum pignorum tranſuectione? Memoriâ repete, quæ Alexandrinos inter, & Venetas ſuper S. Euangeliſtæ

Baron. tom. 2. Annal. Eccl. ad ann. 270. n. 9. & 10.

Marci

Marci exuuiis olim extitit contentio: tecum etiam reputa, si placet, quanta, quámque diuturna pro S. Benedicti corpore controuersia iactata sit? & adhuc sub iudice lis est? Recogita quandiu Massilienses, & Hedui pro S. Lazari lipsanis, & Vezeliacenses cum iisdem Massiliensibus pro D. Magdalenæ pignoribus pugnaciter rixati sint, ne referam Sancto-Dionysianos Cœnobitas, & Ratisponenses, de Beatissimi Areopagitæ reliquiis etiamnum contendentes. Non minor etiamnum viget contentio Indos inter, & Orthonenses in Apulia pro venerabili D. Thomæ Apostoli corpore sibi asserendo, ac vindicando. Legere me memini apud nostrum Maffeium de Ioannis Lusitaniæ Regis imperio refossa fuisse sanctissimi Thomæ, *immista calci, & arenæ candidissima specie ossa, & oppositam lanceæ cuspidem, & viatorij baculi frustum, itémque vas fictile*, in Coromandelio Gangetici sinus tractu, vbi ille dicitur fecisse martyrium; quæ omnia eximij operis arculâ argento cælatâ, recondita, Goam translata sunt. Quæ autem miracula in Indico D. Thomæ templo patrari consueuerant ex Gregorio Turonensi dicere prætermitto compluribus retro antè sæculis, ex India Edessam Mesopotamiæ translatas fuisse beatissimi Apostoli reliquias testatur tam Martyrologium Romanum, quàm Baronius, vt fortè propterea S. Chrysostomus Diui Thomæ sepulchrum Christianis sua ætate notissimum fuisse sic scribat. *Apostolorum plurimorum ossa, nescimus vbi iaceant, Petri & Pauli quidem, Ioannis, & Thomæ manifesta sunt sepulchra: aliorum verò, cùm tanti sint, minimè cognitum est vbi sint.* Denique eiusdem sacræ exuuiæ Edessâ Orthonam, apud Apulos transuectæ sunt. Atque hinc haud dubiè vero simillimum videri potest grauem illam de S. Thomæ lipsanis disceptationem originem traxisse, quòd non vniuersa quidem S. Apostoli lipsana, sed eorum aliquæ duntaxat portiones in memoratas proximè ciuitates distributæ, atque translatæ fuerint, à quarum possessione (vti fieri assolet) singulæ nationes se D. Thomæ corpore collocupletatas, non religiosè minùs quàm magnificè gloriantur. Frequentes huiuscemodi translationes, seu loci mutationes à Cistercensibus vsurpatas video, pio sanè consilio, & summa erga S. Brunonem pietate, ac studio, cuius vt sibi exuuias æternùm seruarent, Abbates, qui Cœnobio S. Stephani, cui per trecentos quinquaginta septem præfuerant annos, laudatísque lipsanis potiti fuerant, *tanta cura sacri corporis reliquias obseruasse, vt ossibus in diuersa, & occulta loca repositis iisdem locis crebrò mutatis, veritos ne Carthusiani eas repeterent, nemo præter Abbatem, & alium virum fide dignum quicquam de illis compertum habuerit*, narrat Carthusiæ Neapolitanæ Prior, cui sub Leone X. Pontifice maximo datum negotium est, sanctissimi Patriarchæ sui exuuias repetendi, vsque eò noui huiusce loci coloni Cistercienses (vt annotauit Manrique) *corporis sancti cultores fidelissimi, veneratorésque à piis filiorum S. Brunonis inuasionibus, quas aut timebant, aut suspicabantur, sedulam addidere cautelam; loci nimirum ignorantiam, & sepulchri occultamentum.* Sic ille.

Maffeius lib. 8. hist. Ind.

Greg. Turon. lib. de glor. Martyr. c. 32.
Martyrol. Rom. 3. Iul.
Baron. Ibid.
S. Chrysost. hom. 26. in epist. ad Hebr.

Manrique supr. cit.

Ad

vltimum quot Ecclesiæ eandem ob causam super iisdem numero lipsanis, amabili, piáque animorum dimicatione certent pluribus non edisſero: atque hinc disces persæpe ab illorum translationibus factum esse, vt singulares quasdam Diuorum exuuias facilior Catholicorum fides multiplices effecerit, atque adeò diuersis in locis crediderit asseruari. Quod minimè euenisset, si huiuscemodi reliquiarum transuectiones tabulis publicis fuissent consignatæ, vel si consignatas summâ curâ Clerici custodissent. Duo huiusce laudabilis sollicitudinis exempla hic paucis ex Surio, & Beda exscribere non pigebit. Vnum est super translatione SS. Euualdorum Martyrum, & sic se habet. *Gloriosos itaque Martyres Dei, Euualdos in neglectis, propter ignorantiam præcedentium, loculis positos, Ego peccator, & seruus seruorum Dei, Anno secundus Coloniensis Archiepiscopus transtuli*, & reliqua. Alterum pro translatis in Flandriam S. Donatiani Remensis Archipræsulis pignoribus eiusmodi est. *Ego Ebo indignus Rhemorum Archiepiscopus hunc thesaurum, super gemmas, & aurum pretiosum tibi gloriose Marchio, Balduine, nostrorum consilio Clericorum transmitto, Donatianum scilicet, septimum nostræ sedis Episcopum, miræ sanctitatis virum*, &c. A negligentia igitur frequentes Reliquiarum translationes in literas mittendi profectum est, vt multis in locis eædem haberi dicerentur.

Sur. tom. 5. vit. SS. 3. Oct. Beda lib. 5. hist. Angl. c. 11. Idem. 14. Octobr.

Ad illud incommodum vitandum præter alias fortè complures causas, autumo hanc legem ab Imperatoribus Valentiniano, Theodosio, & Arcadio latam fuisse, *Nemo*, inquiunt, *humanum corpus ad alium locum sine Augusti affatibus transferat.* A Patribus verò Concilij Moguntini hoc decretum non tàm factum, quàm confirmatum est, *Corpora sanctorum de loco ad locum nullus transferre præsumat sine Consilio Principis, vel Episcoporum, sanctæque Synodi licentia.* Hæc illi. In quibus edictis voces *Augusti, & Principis*, ab aliis Imperatores, & Reges, ab aliis Pontifex intelliguntur. Fauent *Imperatoribus, & Regibus* doctores bene multi, & glossa, quæ notat tum maximè requiri Principis facultatem, *cùm hoc*, (id est, Reliquiarum translatio) *esse non potest sine scandalo, si fieret sine consilio Principis, & specialiter de Ecclesiis, quarum est Patronus secundum Hugonem*: Cùm verò necessitas imminet, *tunc sufficit auctoritas Præsidis Prouinciæ*, qui Principis, seu Regis, & Imperatoris vices gerit. Ad Doctorum Auctoritatem accedunt eruta ex veterum annalium fauissis exempla luculenta. Egregium planè suppeditat è Gentilibus exemplum doctissimus Sauaro in libello, qui Seuero Imperatori oblatus fuit, pro inferendis in alium Sarcophagum coniugis, & filiorum exuuiis à Lubentino Celio Promagistro. E Christianis non illepidum Cleopatræ Christianæ matronæ facinus exhibet nobis Metaphrastes, quo facinore prius expugnato pecuniis Præside, per eum licuit S. Vari Martyris corpus in Palæstinam ex Ægypto transferre, quæ, ne longius euagemur, hic dare omitto, contentus intra Galliæ fines exempla producere.

L. Nemo. Cod. de Relig. & sumpt. funer.

Concil. Mogunt. c. 51. & Dist. 1. de Consecr. Corporal.

Sauar. in lib. 3. Sidon. Apoll. p. 8. p. 136.

Metaphr. apud Sur. tom. 5. vit. SS. 19. Octob. cap. 9.

Vnum peto ab Anonymo illo quidem, ac veteri Scriptore, vitæ S.

Genulphi Episcopi Cadurcensis, quem è Floriacensi bibliotheca transcriptum Ioannes à Bosco in lucem dedit. Is ergo disserens de translatione venerabilium Reliquiarum laudati Præsulis à Mainardo, Cœnobij Stradensis Abbate, de suorum fratrum Consilio decreta; *Super hoc negotio, inquit, Dominum Carolum Regem,* (*is Caluus* cognomine fuit) *adire decreuerunt, vt quod futurum ex illo foret consilio, illius celeberrimo fieret Imperio. Aliquantis igitur assumptis Abbas fratribus Aulam expetiit Domini Regis Karoli; cui cum adstitisset, & pro quibus ierat, intimasset: Cuius temporis, vel loci, vel auctoritatis idem vir Sanctus fuerit, Rex sciscitatus est. De quibus cùm edoctus ab Abbate fuisset, libentissimè quod petebat, concessit, & vt liberè faceret, imperauit.* Et post pauca: *Eo ergo fratres, exhilarati nuntio, auctoritate freti regia, Sanctorum cellam adeunt deuoto cum obsequio,* Beatique Præsulis exuuias succollantibus humeris transuehunt quàm possunt religiosissimè. Alterum eiusdem Francicæ consuetudinis esse potest, perquàm humilis illa Suessionensium deprecatio Carolo Magno porrecta pro suscipienda SS. Lipsanorum, quam mente agitabant, translatione. *Cùm enim Suessionicam vrbem peteret,* Augustus, (verba sunt Nithardi Angilberti) *monachi, de S. Medardo, occurrerunt illi deprecantes, vt corpora SS. Medardi, Sebastiani, Tiburtij, Petri, & Marcellini, Marij, Marthæ, Audifax & Abacuc, Onesimi,* &c. *in Basilicam, vbi nunc requiescunt, & iam tunc maxima ex parte ædificata erat, transferret. Quibus acquiescens inibi remansit, & vt postulauerunt beatorum corpora propriis humeris cum omni veneratione transtulit.* Præfidens omnino Monachorum illorum postulatio fuerit, si tam audacter sacra sua lipsana popoſcerunt ab Imperatore transportari; vsitata tamen, & iusta, si ab eodem duntaxat piæ transuectionis copiam sibi fieri postularunt. Vt vt sit, Memorabile profecto pietatis erga Diuorum Reliquias exemplum fuit, in quod vniuersi Principes, & Reges Christiani intueantur. Et ne id soli Christianissimos inter Reges Carolo Magno singulare fuisse credas, docebunt te Annalium Francicorum scriptores Carolum Caluum Imp. D. Ludouicum, Robertum, & superiori proximè sæculo Carolum nonum, SS. Eugeniæ, & Euphemiæ venerabiles Reliquias Diaconorum in morem Dalmaticâ tunicatum circumtulisse. Atque hæc in gratiam Regum, & Impp. atque adeo Principum omnium dicta suato.

Anonym. lib. 2. de vit. S. Genulphi cap. 15. & 16.

Nithard. lib. 3. de dissens. filior. Lud. Pij.

Vide alia exempla apud Io. à Bosco Antiq. Vienn. pag. 51.

Sunt autem aliqui iuris ciuilis quàmplurimi canonici doctores, qui vocem *Principis* in citatis legibus vsurpatam de *Papa* interpretentur, cuius facultas ideo in SS. Reliquiarum translationibns publicis requiritur, quòd ad eum rerum sacrarum administratio, & Reliquiarum in paucis cura summo iure pertineat. Quæ interpretatio maximè sapit Anastasio Germonio, eam confirmanti vetere Gentilium exemplo, & consuetudine, apud quos absque *Pontificis*, seu Principis imperio nefas olim erat, corpus effodere, aut aliò transferre, Alioquin ex responso Labeonis iniuriarum actio institui poterat; & ratio sumitur ex

Accurs. in leg. penult. Cod. de relig. & sumpt. funer.

Sanch. lib. 2. oper. mor. cap. 43. n 25,

August. Triumph. de potest. Eccl.

ex eo, quòd *Princeps & Pontifex vnus, idémque erat, alioqui iis se non immiscuisset.* Idem sensit eruditissimus Sauaro. Plinij iunioris Traianum consulentis epistola, ipsiúsque Traiani ad Plinium rescribentis literæ mirum in modum hanc sententiam, & interpretationem illustrant. *Petentibus* enim *quibusdam, vt sibi Reliquias suorum transferendi* venia fieret, *Plinius proconsul in hæc* verba cōsuluit Imperatorem. *Quia sciebam in vrbe vestra ex eiusmodi causis Collegium Pontificum adiri solere; te, Domine, maximum Pontificem consulendum putaui, quid obseruare me velis.* Ex illâ igitur veteri Romanorum consuetudine non ineptè Accursius, Germonius, Sauaro, aliique confecerunt, nefas esse pariter apud Christianos *sine facultate Principis*, hoc est, *Pontificis*, qui simul, & semel est in rebus maximè sacris Princeps, & Pontifex, venerabiles Diuorum Reliquias ex vno in alium locū transferre, quandoquidem penes ipsum vnum summa rerum sacrarum potestas, & administratio est. *Quod intelligunt doctores* (inquit Emanuel Rodericus) *esse verum, loquendo de corporibus Sanctorum traditis perpetuæ sepulturæ, siue perpetuis sedibus,* vt Sidonius Apollinaris loquitur, quas alij *domos æternas* nuncupare malunt, ad discrimen eorum sepulchrorum, quæ ad tempus aliquod posita, aut electa sunt, ideóque *perpetuæ sedes, æternæ domus, æterni lares*, aliisque similibus nominibus afficiuntur, *quòd ex iis cadauer in alium locum transferri non potest nisi iustis de causis, consultóque Pontifice*, vt explicauit Sauaro. *Quando autem non sunt tradita perpetuæ sepulturæ, bene transferri possunt, sine alicuius authoritate, ad alium locum religiosum, vt in alia lege conceditur.* Ita Rodericus, quæ licet vera sint in praxi, tamen aditum impiorum mangonum fraudibus aperiunt, & suspectæ earundem numero Reliquiarum multiplicationi occasionem præbent; Nam auctore, vel certè suasore Azorio, *ex quo Reliquiæ cœperunt ex vno loco in alium transferri, introductum est, vt plurimæ ciuitates affirmare non dubitent, se certi cuiusdam sancti caput habere, vel brachium, vel corpus etiam venerabile, quia scilicet habent aliquam certam particulam capitis, manus, brachij, vel corporis eius sancti*; Hæc ille & nos olim. Eam ob causam sæpe à summis Pontificibus censuræ promulgatæ sunt aduersus eos, qui ex vrbe reliquias aliò transferunt, absque ipsorum facultate, à qua lege, Censurísque Alexander Sextus venerabiles Ordinis S. Francisci fratres, ac nostræ Societatis homines Pius quintus exemptos, pro sua munificentiâ, voluerunt: vt Rodericus prudenter annotauit.

quæst. 17. art. 7. Nicol. de Ansino supplem. verb. Reliquiæ. Anast. Germon. lib. 2. de sacr. immunit. cap. 12. n. 12. & lib. 7. c. 8. n. 6. Sauar. loc. supr. cit. Plin. lib. 10. ep. 73. 74.

Emman. Roder. tom. 3. quæst. Canon. & Regul. quæst. 55. Art. 2. L. vlt. Cod. de relig. & sumpt. fun. Sidon. Apoll. lib. 2. ep. 8. Ibid. Sau. L. si necdum eod. tit. Azor. lib. 9. Institut. Moral. c. 8. quæst. 2.

Atque ex memoratis legibus, decretis, & censuris colligas, quàm sedulò Imperatores, Reges Christianissimi, atque Pontifices Conciliáque generalia studuerint, omnémque nauauerint operam, ne ob frequentiores venerabilium Reliquiarum translationes credula Christianæ plebis fides, ardénsque in Diuorum pignora religio, & pietas tolerabili, & inculpabili errore crederet easdem numero Reliquias diuersis in locis custodiri, & coli. His omnibus, si voles, addi possunt decreta Prouincialium Conciliorum, Mediolanensis, & Bono-

 niensis,

Bochel. lib. 4. decr. Eccl. Gall. tit. 5. c. 10.

niensis, quæ retuli, & aliorum quæ tu pro arbitrio consules, & laudabis: sat erit mihi è Prouincialibus Gallicanæ Ecclesiæ Synodis hunc Bituriacensis anno 1584. habitæ canonem hîc exscribere. *Non transferantur Sanctorum Reliquiæ sine auctoritate summi Pontificis, vel Episcopi, vel Concilij*, quibus vides coactos in ea Synodo Patres fauere illorum sententiæ, qui *Principem* in Concilio Moguntino memoratum non alium, quàm Papam sunt interpretati. Non ita multò postquam hæc scripseram in meas manus venere conditiones deditionis Theonisuillæ recens ad Serenissimum Principem *Ludouicum Borbonium*, *Ducem d'Anguien*, Poliorcetem fortunatissimum factæ, inter quas cõditiones secundo capite dedititiis vetabatur, ne Diuorum reliquias, & supellectilem sacram aliò demigrantes exportarent. Digna planè tanto, támque pio, ac Religiosissimo Christianissimi exercitus Imperatore, prouidentia! Aliò iam nostra se conuertat oratio.



CAPVT OCTAVVM.

SACRARVM RELIQVIARVM Furta.

CAVSA OCTAVA.



IVSTIS, & iniustis, piis & impiis sacrorum pignorum furtis, (quæ mea suspicio est) suspecta, & suspicienda earundem Reliquiarum multiplicatio potuit suboriri. At ne crede id criminis solum Christianorum temporibus fuisse perpetratum, longè ante ipsorum ætatem apud Gentiles vsitatum fuisse, horum loquuntur monumenta: vt est apud Æneam Gazeum à Platonico Philosopho Christianum, qui refert Lacedæmonios frequentibus præliis ab Arcadibus fusos fugatósque, Apollinem tandem aliquando consuluisse, quid facto opus esset? Is respondit *non armatos milites aduocandos, non cogendos Equites, sed vnum iam vitâ functum hominem, in belli societatem inueniendum. Et docuit obscurè quidem, sed docuit tamen, quòd in Chalcide Agamemnonis filius iaceret, eum illi clam surriperent; sícque vnà cum ipso victoriam simul ad se transferrent. Inueniunt igitur Orestem, eúmque suffurantur & deinceps semper vincunt.* Mirabere tamen forsitan à me venerabilium

Æn. Gaz. dial. Theophilus.

rabilium

bilium lipſanorum furta *iuſta* , *& iniuſta* , *pia & impia vocitari*. At non ſine cauſa id factum puta. Fuerunt enim quondam , & adhuc ſunt , ac eſſe poſſunt deinceps ſacrorum pignorum furta , ad quæ ſua pietas , ſanctorum honor , & inhonori iacentium Reliquiarum neglectus viros probos perpulere : Fuerunt & alia , ad quæ ſua impietas , auaritia , rapacitas , & ſacrilegus animus improbos , & ad omnem audaciam proiectos homines egerunt præcipites : De quibus furtis ſeparatim dicendum reor ad maiorem noſtræ diſputationis lucem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Pia SS. Reliquiarum furta.

CErtiſſimè conſtat non ſemper viros probos , vel etiam ſanctitate præſtantes , iſtiuſmodi furtorum religionem tenuiſſe , teſtibus Theodoreto , Sozomeno , aliiſque quàm plurimis rerum Eccleſiaſticarum tractatoribus. Theodoretus enim ſublato è viuis Marone , piæ ſolitudinis incolà, *Acre bellum* (inquit) *inter vicinos exortum eſt de corpore. Ex finitimis autem quidam vicus populo frequentiſſimus cum toto ſimul coacto corpore adueniſſet , alios quidem fudit , ac fugauit ; maximè autem expetendum illum theſaurum rapuit , & maxima æde exſtructa , ea quæ ex eo percipitur vtilitate fruuntur in hodiernum diem.* Sozomeno autem teſte, *Heſychius Reliquias Hilarionis clam abreptas deportauit in Palæſtinam , inque ſuo monaſterio ſepeliuit ; ex quo tempore dies feſtus maxima hominum frequentia , & ſummo ſplendore quotannis ab indigenis celebratus eſt.* Quàm verò piæ fraudis , ac doli machinam ad illud furtum faciendum adhibuerit, D. Hieronymus docuit in hæc verba. *Poſtquam Hilarionem mortuum , & ſepultum audiuit , perrexit ad Cyprum , & ſimulans ſe velle habitare in eodem hortulo , vt diligentis cuſtodiæ ſuſpicionem accolis tolleret , cum ingenti vitæ ſuæ periculo , poſt decem fere menſes corpus eius furatus eſt* , &c. Nicetius Epiſcopus Treuicorum datis ad Chlodoſuindam Longobardorum Reginam literis (inquit) *Gothi hodie ipſis Apoſtolis venerationem impendunt , & Reliquias eorum furtim tollunt*. Si forte in Gothis ea piorum furtorum audacia , dicam ? an religio laudabilis fuit ; non minus laude , & commendatione pietatis dignus fuerit Mediolanenſium in Sanctorum lipſanis ſublegendis ardor , atque contentio ; de qua ſic vno verbulo S. Ambroſius : *Perdiderat ciuitas ſuos Martyres , quæ rapuit alienos.* Eodem furti genere S. Marci Euangeliſtæ pignoribus locupletati ſunt Veneti , at quàm cautè illa pio furto ſuſtulerint Alexandrinis bene longa oratione Baronius ex tabulis bibliothecæ Vaticanæ recenſet , ex quo hæc pauca habeto. *Cùm ſtatuta dies veniſſet , euntes prædicti cuſtodes exuuiarum S. Marci , Stauratius & Theodoricus aperuerunt occultè ſepulchrum , quod erat ex*

Theodor. vit. Patr. cap. 16. in Marone.

Sozom. lib. 3. hiſt. Eccl. cap. 13.

S. Hieron. in vit. S. Hilarion.

Nicet epiſt. 2. Chlodoſu. apud Sirmōd. tom. 1. Concil. Gallic. pag. 323.

S. Ambroſ. epiſt. vlt. ad ſoror.

Baron. tom. 9. Annal Eccl. ad ann. 820. n. 41.

marmore, habens veluti incrustaturas per latera in modum capsellæ, per quas tabula desuper erat inducta. Iacebat autem beatum corpus vndique circumdatum chlamyde serica, & positum resupinum, habens à capite vsque ad pedes sigilla imposita per ea loca, quibus ora eiusdem chlamydis desuper iungebantur. Cúmque quid agerent, ignorarent: tandem præcipuum inuenerunt consilium. Vertentes igitur corpus sciderunt à dorso chlamydem, vt salua signa quæ fuerant remanerent, & adducentes B. Claudiæ corpus, quod erat in proximo tumulatum, in loco B. Marci reposuerunt, simili modo supinum, & chlamyde circundantes, sigillorum quoque impressiones in pectore statuerunt, vt si fortè diceret aliquis, quòd corpus B. Marci furatum esset, chlamydis signa, quæ ibi remanserant, verum non esse ostenderent. Hæc ibi Eminentissimus Cardinalis, qui deinceps pergit enarrare mirabilem odoris è corpore B. Euangelistæ manantis, & totam Alexandriam complentis suauitatem, atque fragrantiam, quâ pium illud furtum tantum non detectum fuit, modúmque, quo Sarracenorum oculis fucum fecere Veneti; Felicem denique Apostolicarum S. Marci exuuiarum Venetias transuectionem, nefas ducerem silentio præterire, quam diligentem cautelam, & studium Veneti deinceps contulerint ad venerandas B. Euangelistæ Reliquias occultandas, quod gentis nostræ religiosam adipiscendorum lipsanorum auiditatem commendet quam maximè. *Cum enim ingentem adeo Thesaurum Veneti essent adepti*, infit Baronius, *vt eum custodirent, omnem adhibuerunt industriam; sciebant enim Francos, penes quos erat in Occidente summa vis, atque potentia, Sanctorum corporum cupidissimos venari ea, iámque ex Italia complura ipsorum in Gallias transtulisse* (vt de Theodorico Metensi Episcopo memini me olim dicere) *ne quid igitur pati cogerentur inuiti, ita in sumptuosa recèns erecta Basilica eadem sacra pignora collocarunt, vt vbi locorum in ea posita essent, penitus ab aliis fuerit ignoratum.* Repete memoria, si placet, quâ veneratione simul, & contentione tùm Pontifices, tùm vniuersa plebs Arabum venerandas SS. Monachorum, quos Sarracenorum latrunculorum contrucidauerat furor, *Reliquias præripere, & pro sancta rapina* (vt loquitur Cassianus) *vsque ad gladiorum conflictum decertare non dubitarint*, huc enim referre illa pluribus in præsentia piget, attigisse sat est superiùs. De Chaldæorum pro metu, ac studio, ne sanctissimi Ezechielis prophetæ veneranda lipsana sibi pia, impiáve rapina subriperentur, hæc habet Epiphanius: *Multi ad monumentum eius confluunt ad precationem, & obsequium: sanè quando tanta eò frequentia vnà ad monumentum eius conueniunt, formidant Chaldæi ac metuunt, ne illum auferant: quapropter egredientes comitantur, & deducunt.* Hæc atque alia passim occurrunt piorum huiuscemodi furtorum exempla, quæ longiùs esset referre, quam instituta breuitas ferat.

Baron. oc. cit. n. 30.

Vid. supr. cap. 3. seu caus. 3 art. 1. Martyrol. Rom. ad 5. Kal. Iun. Baron. ibid. S. Epiph. lib. de vit. SS. Prophet. c. 9.

At vnde Pia illa furta meritò, ac verè dici possint? non æquè omnibus diuinare in procliui est. Aliquot tamen menti occurrunt rationes, ex quibus nonnemo intelligat, non iniuria illud nomen in ipsa cadere.

Principiò

Principiò quidem Pia, & iusta vocari, & haberi possunt SS. Reliquiarum furta, quando de ipsorum Diuorum monitu, & imperio patrata sunt.

Celeberrima est Floriacenses inter, & Cassinenses Monachos super S. Benedicti, & B. Sholasticæ lipsanis à multis iam seculis enata, ventilata, necdum dirempta controuersia, cui Pium illorum furtum originem dedit. Audi Adreualdum Floriacensem, de hoc ipso furto cœlitus imperato in hæc verba (provt ea ferebat ætas) minùs latina differentem. *Mummolus* Abbas Cœnobij Floriacensis *oraculo diuino admonitus præuidens futuros casus; prædixit illud monasterium* (scilicet Cassinense) *à Sarracenis, funditus euertendum: & quod ille spiritualibus oculis, iste oculis patratum carneis conspiciebat, misit ad prædictam prouinciam vnum ex Commilitonibus suis, nomine Aigulphum monachum: hic námque sibi fuisse diuinitùs reuelatum dicebat, vt prædictus vir illuc pergens corpus iam dicti transferret Benedicti,* &c. Non dispar Cœnomanensibus aliquot ciuibus apparuit visio, qui eodem, & Aigulphus fine Cassinum petiere, quid multa? *dum apud sacrum caput se pernoctare simulassent* (inquit Paulus Diaconus, paulò aliter quàm Adreualdus) *eiusdem patris, atque Germanæ ossa auferentes in suam patriam apportauerunt.* Vt autem orbi Christiano constaret, pium hoc Benedictinorum pignorum furtum ratum, sanctúmque habuisse Deum, innumera Floriaci diuinitus edere miracula pro sua infinita potentia, & in Gallos nostros pietate non est dedignatus. Dignum planè loco Floriaci nomen, vt potè quem tot *florere miraculis* voluit Deus, *quique priscis temporibus* (verbis vtor Aimoini) *non dissimilis gratiæ prærogatiua VALLIS nominabatur AVREA. Retinet enim in se aureum Paradisi florem, Sanctissimum Patrem Benedictum, qui gratantissimo florum odore, quosque remotissimos ad sui reuerentiam inuitat.* Sic Aimoinus, cui consentiens Ioannes à Bosco adiungit. *Hodie etiam est inscriptio, in arcu sacelli B. Mariæ, apud Ecclesiam Cœnobij Floriacensis ita habens: Hæc est vallis aurea.*

Vid. Baron. tom. 9. Annal. Eccl. ad ann 826. de SS. Marcellini, & Petri, & aliis reliquiis pio furto Romæ sublatis. n. 19. & seq.

Adreuald lib. 1. de Mirac. S. Benedicti cap. 11. & hist. de eiusd. translat. cap. 4. & 5.

Paul. Diac. lib. [illegible]. hist. Longob.

Aimoin. lib. 3. de miracul. S. Benedicti cap. 1.

Io. à Bosco ibid. ad margin.

Vid. inferius aliud exempl. ex Sur. 3. Oct. vit. S. Gerardi.

Secundò Pia, & iusta vocari possunt similia BB. Reliquiarum furta, cùm sæuientibus in Christianos tyrannis (vt proximè de hostibus, barbarísque Sarracenis dictum est) triumphales Martyrum exuuias clam, & inuitis persequutoribus fideles statim rapiebant, & recondebant, *Iam vero nec illud in postremâ parte reticemus* (inquiebat olim de quadraginta martyribus Cæsariensibus B. Gaudentius Antistes Brixiensis) *quòd cùm cineres exustorum corporum mandato persecutoris in fluuium iacerentur, non defuerunt religiosæ manus, quæ partem cineris, vel furto, vel pretio compararent.* Eloquenter æquè, ac piè Chrysostomus, post beatam illam cædem SS. Iuuentini, & Maximi inquit, *Quidam etiam cum salutis periculo athletas illos optimos rapuerunt, etiam ipsi viui Martyres, vt eorum Reliquias decenter curarent. Nam quamvis non occiderentur, optabant tamen mori potiùs, quàm vt corpora illa relinquerent inhumata, & ita ad eorum venationem festinabant.* O cœle-

Sigeb Chron. ad ann. 1087. de sacr. S. Nicolai reliq. à Barrensibus sublatis.

S. Gaudent. serm. supra sæpe cit.

S. Chrysost. hom. in SS. Iuuent. & Max.

stem

Vid. Act. Passion. S. Cyprian. Ruff. lib. 2. Eccl. hist. c. 28. Prudent. hymn. 6. de SS. Fructuoso, & soc. Sigebert. Chron. ad ann. 753. de S. Benedict. Reliq. Metaphr. apud. Sur. tom. 5. cit. 9. Oct. Halloix in vit. S. Dionys.

stem venationem! ô gloriosos Dei vertagos! Ecquis referat, quot similia venerabilium pignorum religiosa furta à Christianis facta sint? quæ cum passim apud sacros historicos occurrant omissis exteris aliquot à Nostratibus Gallis exempla delibemus. Iacuerant aliquandiu SS. Dionysij Areopagitæ, & sociorum Martyrum veneranda corpora, non tam neglecta, quàm feris & auibus exposita; quæ cùm insolenti sua abstinentia lictores humanitatem docere non potuissent, imo ècontrà, in ipsas furentes Diuorum exuuias homines in feras conuersi in profundum eas abiicere decreuissent, nè (quod horrebant quàm quod maximè) Christianis in honore, & Infidelibus in admiratione essent, Catulla perillustris matrona Christiana Basilicum facinus ad Pium SS. lipsanorum furtum faciendum commenta est. *Nam cùm sensisset eorum consilium*, vt loquitur Metaphrastes, *ea, quæ pretiosum martyris caput acceperat, mentem suam communicat Fidelibus, vt Deo gratam & acceptam. Et cùm splendidam, & lautam apparasset mensam, lictores accepit conuiuio. Interim verò dum ij conuiuium inibant apud mulierem, quidam ex Fidelibus accipiunt Martyrum Reliquias, & eas abscondunt. Deinde finito conuiuio cùm eam rem deprehendissent Lictores, ira erant valde perciti, sed feruorem sedarunt munera, & vehementem furorem mulier pecunia dissoluit.* Sic ille: prudentissimam omnino Heroinam! quæ Cerberos illos aureâ obiectâ offâ compescuit, & pretiosiora quouis auro pignora redemit, sibíque, imo nobis omnibus redempta comparauit, tanquam tutissimum Palladium Galliarum. Eusebius Lugdunensium nostrorum rapiendis SS. Martyrum lipsanis inhiantium dies, noctésque studium egregiè deprædicat: Ingenti enim mœrore conficiebantur, quòd *sex continentes dies iacentia sub dio beata corpora iniecta humo, ne quidem tegendi daretur facultas; neque enim nox ad hanc rem aliquid afferre præsidij: neque magna pecuniæ vis Lictorum animos flectere, neque preces vlla ex parte placare poterant, sed ne à Christianis furto auferrentur nulla non ratione, & via, corpora illa ab eis assiduè obseruabantur, & id quasi in magno lucro ponebant, si penitùs inhumata iacerent.*

Euseb. lib. 5. hist. Ecclesi. cap. 1. Idem lib. 4. c. 13. & 14. de S. Polycarpi exuuiis.

Tertiò non fuere minus Pia, & iusta illa lipsanorum furta, quæ in pœnam sacrilegi quæstus, cui harpyiæ quædam potiùs, quàm Clerici inhiabant, Deus passus est aliquando fieri. Perillustre huiusce pœnæ testimonium refert Surius ex Anonymo vitæ S. Gerardi scriptore, cuius hæc verba sunt pietate magis, quàm elegantiâ condita: *Erant aliquot ad Cellam, seu Vrsidongum, instituti, seu deputati Clerici in ministerium S. Gisleni, regularis disciplinæ prorsus ignari, nec, vt sunt hodie Canonici, sed quales sunt, quos matricularios vocant. Hi verò partim rei familiaris inopia compulsi, partim auaritiæ morbo incitati, sacra B. Confessoris ossa, siue artus, suis humeris per vicos, & plateas solebant cantitando quæstus causa circumferre. A qua temeritate cùm non cessarent, sed magis magísque in ea progrederentur, iustissima indignatione commotus, non passus est S. Confessor id eos impunè diutiùs ferre. Permisit itaque se à piis*

Sur. tom. 5. cit. vit. SS. 3. Oct.

piis (vt ita dicam) furibus auferri, qui quodammodo molestè ferebant eam SS. viri iniuriam, vel, vt dicamus id, quod est vero similius, qui plus delectabantur commodis suis, quàm alienis. Id vbi compererunt Cellenses illi Clerici, serò agnoscentes culpam suam, non mediocri sanè mœrore, & pudore sunt affecti. Verùm quia Melbedienses *indecorè* S. Gisleni corpus, quod furtim sustulerant apud se repositum habebant de ipsius imperio S. Gerardus diuinitus per visum edoctus sanctissimi viri exuuias suo loco magna cum pompa restituit. Longior sim, si alias causas, easque tùm à Dei, sanctorúmve imperio & approbatione, tùm à possidentium incuria, rapacitate, ac flagitiis, perquàm iustas persequi velim, ob quas aliqua sacrarum Reliquiarum *furta pia, & iusta*, censeri, & esse possunt. Atque hoc loco fortè non admodum imprudenter quis audiat Signium pro translatis aliò Diuorum pignoribus consulentem, *non bene fieri plerunque volentibus translatas reliquias* (adde & ex Dei Diuorúmve monitis furtim ab immeritis ablatas) *per vim, & furtum recuperare, quia si illorum essent, quandiu illas apud se haberent, postea verò quàm ex voluntate Dei sunt translatæ, & ablatæ in aliorum transierunt potestatem, ita vt non liceat eis referre, nec pro eis commutationem aliquam præstare.* Sic ille, quod consilium hoc securius erit, quò clariùs de diuina voluntate, vel de possidentium criminibus, per legitimam maximè summi Pontificis auctoritatem constabit. Possunt tamen per eandem auctoritatem pio furto ablata SS. lipsana, repeti, & recuperari: Vti factum à Cassinensibus pro recuperandis pretiosis SS. Benedicti & Scholasticæ pignoribus: Illi enim per sacra Zachariæ Pontificis, & Pipini Regis Christianissimi rescripta conati sunt ea à Floriacensibus recuperare, vrgente rem Carlomanno Pipini Fratre, eodémque Cassinensi Monacho, ardentes Medonis Floriacensis Abbatis, preces, lacrymæ, & facilis obsequendi voluntas à Deo videntur impetrasse, ne Galli nostri, pio, & iusto sublatis furto Reliquiis, vel potiùs sibi cœlitus donato thesauro priuarentur. Quare sacra lipsana auferre volentibus, nimiùm quantùm ob inflicta diuinitùs supplicia consternatis, ac præfidentiam suam grauiter incusantibus, veniámque multa prece mortales, & immortales orantibus, *Medo decerptas ex eiusdem pretiosissimi Christi confessoris corpore Reliquias benignissimè contulit, refertis autem & cunctis necessariis itineri dapsiliter attributis, illos ad sua remittit.* Vt pluribus Adreualdus est persequutus.

Signius Reliquiar. cap. 10.

Adreuald. lib. 1. de Miracul. S. Benedicti cap. 15. & 16.

Cùm ergo aliqui piâ rapinâ Diuorum exuuias fuissent suffurati, nihil admodum est, quod miremur existimatum ab rerum imperitis esse, easdem diuersis in locis Reliquias reperiri, asseruari, & coli: potissimum quandò piæ huiusmodi rapinæ, ingeniosâ aliquâ fraude, ac dolo fuere obductæ. Alexandrini, vt audiuisti, diu se D. Marci Euangelistæ pignoribus frui crediderunt, etsi Veneti furtim illa ingeniosè sublegissent. Nam cùm è suauissima odoris fragrantia, quæ è pretiosissimis eius lipsanis, longè, latéque spirabat, nescio qui venissent in

furti recèns facti meritam suspicionem, concitato cursu ad eius Basilicam contenderunt, & aperientes sacrophagum viderunt corpus B. Claudiæ, quod vice alterius suppositum, & pro more chlamyde inuolutum fuerat, & signa salua, & integra. *Quod cùm vidissent* (inquit Baronius scriptor) *creduli facti sunt, quòd D. Marci corpus ibi iaceret, sedato tumultu ad propria remearunt.* Piam populorum fidem, ac persuasionem augent, ac magis, magísque confirmant, quæ sibi fortè à pio furto superarunt Reliquiæ, vt simpliciter credant, & simpliciùs glorientur, se eadem quæ olim sanctissima pignora possidere: quæ fides pietate nixa non modò tolerabilis, verùm etiam laudabilis, apud orthodoxè sentientes videri potest. Et in ea naui esse possunt, qui etiamnum super iisdem numero Diuorum lipsanis, religiosâ dimicatione contendunt. Verùm quid pluribus, de piis istiusmodi furtis Reliquiarum pergo dicere?

Baron. loc. supr. cit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Impia sanctarum Reliquiarum furta.

IMpia vocitaui ea, ad quæ facienda, sua impietas, sacrilegus animus, auaritia, aliíve id genus fines viros improbos, & consceleratos præcipitarunt: *Quod genus est monstri sanctorum Reliquias suffurari?* Exclamat mirabundus vitæ S. Gerardi scriptor: horrendum esse, & infandum scelus inferiùs demonstrabo, sed antè aliquot immanis huiusce monstri exempla huc adducamus.

Sur. supr. cit.

Offerret sese omnium Princeps, sacrilegum illud furtum corporis S. Dionysij, à Gisalberto factum, quod Germani Auentino autore, homine scilicet æquè nouorum mendaciorum concinnatore, ac nouæ, & hæreticæ sectæ asseclâ, tantoperè iactitant. At quoniam purum putúmque mendacium est, & iam à me, & à nostro Petro Halloix peracutè, pereruditè, ac nimiùm quantùm feliciter ex vsflatum est, imò seipso funditus concidit: satis in præsentia mihi erit, ridiculam ipsorum persuasionem miserari, qui sacrilego, & hæretico Lipsanomachi commento audeant, velintque gloriari; Cùm SS. Agricolæ, ac Vitalis sepulchra Bononiæ humo defossa, & eruta fuissent, & *à multis* (vt fit) *vel manu tangerentur, vel ore oscularentur*, (verba sunt D. Gregorij Turonensis) *admonitus est æditnus templi, vt immundi ab his arcerentur: quidam audax, atque facinorosus operculum vnius tumuli remouet, vt scilicet aliquid de sacris auferret cineribus: missòque introrsum capite oppressus ab eo, vix ab aliis liberatus, confusus abscessit: sed cum maiori reuerentia Sanctorum adiuit sepulchra.* Sic nimirum prædo, præda factus est, & fur à suo furto, Dæmoni ablatus, Deóque, ac sibi restitutus. Non tam feliciter cecidit Victori Curiensis Rhætiæ Comiti

Hall ix quæst. 4. de S. Dionys. vit.

S. Greg. Turon. lib. 1. de glor. Martyr. cap. 44. Simile exemplum habes apud Sur. tom. 1. vit. SS. 17. Ianuar. p. 426

Comiti ſuum furtum, vt refert Vvalfridus Strabo Augienſis Abbas, quia inuidentiâ, maioríque ſacrilegio fuit ſuſceptum. *Cùm enim innumerabiles apud tumulum S. Galli per merita ipſius virtutes oſtendi creberrimè didiciſſet, inuidiâ pervrgente, tantâ nouarum generoſitate virtutum, noſtram Gentem inſigniri perdoluit: & vt tunc fama vulgauerat, latenter voluit per abdita eremi ſuperuenire, & pretioſi theſaurum corporis, ſi quo pacto potuiſſet, auferre*, &c. *Verùm Dei nutu citò repreſſus cognoſcitur: Nam eo momento, quo iter illud aggreſſus eſt, de Equo, cui inſidebat, corruit, coxáque illius eo caſu confracta eſt, Domino B. viri merita in hoc quoque remunerante, ne à loco, quem ipſe elegerat, auferretur, quem de vltimis Hiberniæ finibus ad ſalutem multorum Rhætiæ, & Germaniæ deſtinauit: vt vicini quidem exhibuerunt excubando, ſuæ deuotionis obſequia, Deus verò cunctorum cuſtos bonorum ibi etiam ad coërcendum raptorem vigilauit, vbi ſollicitudo alternantium non adfuit populorum, & hoc quidem egit, vt credimus ne fideles populi theſauro, quem feruentibus ſtudiis ambiebant, fraudarentur: & ne is, qui per malitiam hoc decus attingere voluit, ſuæ peruerſitatis potiretur effectu.* Hactenus Strabo. Quod de excubiis ad Diuorum exuuias agi ſolitis audiuiſti, mox pluribus confirmabimus. In agro Turonenſi S. Vincentij reliquiæ ſeruabantur apud Orbaniacenſes, cùm à furibus, referente ſuperiùs laudato D. Gregorio, ablatæ ſunt: mox ipſe qui eaſdem ſublegerat, cùm apud Biturigas *cuidam Abbati accepto pretio reliquiſſet, reuelatum eſt Abbati, vt loco, vnde dimotæ fuerant, reſtauraret: nihilominus & Archipresbytero huic monaſterio propinquo per viſum manifeſtatum eſt, ne penitus moras innecteret ad reſtituendum.* Paruit diuinis monitis Abbas, & acceptas Reliquias Eccleſiæ ſuæ fideliter reſtituit ſequentibus ſignis. Felix Malleolus apud Coccium aliud conſimilium furtorum exemplum memorat, quod, vti & alia multa, hîc exſcribere ſuperſedeo; vt de vigiliis, & excubiis ad ſacra lipſana olim haberi ſolitis, in tranſcurſu diſſeramus.

Enimverò ad huiuſmodi venerabilium Reliquiarum furta, ſeu pia, ſeu impia, cautiùs occupanda maiores noſtros, quos illarum maior coquebat cura, conſueuiſſe peruigiles excubias agere, Annalium Eccleſiaſticorum loquuntur tabulæ. Euagrius nobis exhibet Præfectum Præſidiorum Orientis, cum militum ducibus, & ceteris ordinibus ad Sacratiſſimum B. Simeonis exanime corpus excubantem, *ne vrbes vicinæ illud ſurriperent, quòd Antiocheni dicerent, quoniam ciuitas mœnibus caret (Imperatoris enim*, Leonis ſcilicet, *furor ea diruit) ſanctiſſimum Simeonis corpus huc apportauimus, vt nobis & muri, & munimenti loco ſit.* Et quando de S. Galli Abbatis pignoribus paulo antè facta eſt mentio, Vvalfridus Strabo teſtis eſt Rhætos illis aſſeruandis dies, noctéſque peruigiles excubias habuiſſe. Sic enim ait, *quâ malitioſi raptoris* (Victorem Curienſium Comitem intelligit) *intentione compertâ, hi qui in circuitu Cellæ viri Dei commanebant, cuſtodibus viciſſim per turmas deputatis, eandem locum ab hoſtili incurſione, ne videlicet tam chari fulgore*

Vvalfrid. Strabo lib. 2. vit. S. Galli apud Sur. tom. 5. 16. Oct. Idem. lib. cit. c. 1. & 2.

Greg. Turon. loc. cit. c. 90.

Cocc. lib. 5. ſupr. cit. art. 16.

Sur. cit. in vit. S. Quiriaci, idem in vit. S. Bertulphi autore Folcardo cap. 24. Giſlebert, lib. 1. de vit. & tranſlat. S. Romani c. 7. Anſoſſ libr. ſæpe cit §. 22. Euagr. lib. hiſt. Eccl. cap. 13. Vvalfrid. Strabo loc. ſupr. cit. cap. 2.

gore margariti carerent, omni sagacitate defensare studebant. Inusitatæ lucis prodigium vigilibus de nocte obiectum post paulò memorat, à quo cùm plurimùm de quotidianis excubiis remisissent, pene thesaurum suum sibi furto subductum viderunt. Quâ sollicitudine Tungrenses studuerint, ne à Coloniensibus vi auferrentur S. Euergisli Coloniensis Episcopi exuuiæ, tradit Surius, vti & de B. Dominici Loricati corpore, sanctissimus eius magister, & in spiritu parens Damianus Cardinalis. Eximia fuit Spyriorum pro conseruandis Ezechielis prophetæ lipsanis cura, quoties enim, ad Vatis sanctissimi apud ipsos compositi sepulchrum, magna vis hominum precationis ergò confluebat, toties iustissimus timor Chaldæos olim solebat occupare, veritos, ne illius exuuiæ piâ impiâve fortè rapinâ sibi clanculum sublegerentur; quare ingredientem, & egredientem semper comitari, ac reducere in moribus habebant, vt ex D. Epiphanio proximè superiùs annotaui. Non tantam prouidentiæ cautelam adhibuêre monachi S. Germani Antissiodorensis, quando veneranda S. Romani Abbatis pignora ab Heribaldo Præsule tandem multis precibus exorata in suum Cœnobium solemni transuectione deduxerunt. Nam presbyter nescio quis, nomine Aaron, ipsis apprimè notus, & familiaris, *cùm sanctæ reliquiæ* (inquit Giselbertus) *feretro componerentur, accessit, eisque quibus id officium deputatum erat, sese importunus immiscuit, ac nemine circumspiciente, os capitis, quo supernè cerebrum tegitur, quódque vulgò testa dicitur, furto sublegit, atque optimo potitus spolio ad suam trepidus repedauit Ecclesiam.* Sic ille.

Sur. 24. Octobr. Pet. Damian. vit. SS. Rodulphi, & Dominici Loric. cap. 13.

Sup. cap. huius art. 1.

Gislebert. lib. sup. cit. cap. 7.

Ad vltimum ab huiusmodi religioso metu video maiores nostros, non modò sub claue, verùm etiam partim sub altaribus, partim firmissimis sacrorum lipsanorum apothecis, partim ferreorum clathrorum munimine, partim obiectis ærearum portarum repagulis, aliisque id genus effractu difficillimis conseptis pretiosas, & venerabiles Diuorum Reliquias asseruare iampridem consueuisse. Prudentissimum iuxta ac piissimum Diaconum, nomine Pheidonem, refert Cyrillus Eremita, B. Euthymij pignora in Basilicam recèns à se constructam inuecta sacro inclusisse loculo, tabuláque desuper imposita firmiter obserato, *vt nunquam posset amplius aperiri, & ne vel minimæ eius auferri possent Reliquiæ*, solerter communiuisse. Hanc in auertenda SS. Reliquiarum deprædatione, prouidentiam præ se tulêre Patres Concilij Lateranensis, cùm decreuerunt, *ne antiquæ Reliquiæ amodo extra capsam ostendantur*; tametsi non me fugiat alias, eásque grauissimas huiusce decreti subesse causas, quarum aliquas delibat Panormitanus, hæc mea coniectura inter reliquas, si placet, adscribetur. Præter cetera exterarum Nationum Prouincialia Concilia, lego Gallicanum vnum, videlicet Turonense habitum anno à Christi ortu millesimo ducentesimo octuagesimo secundo in verba ista sanctè decernens: *Illos, & præcipuè sacerdotes, qui Ecclesiarum calices, libros, aut Cruces, Reliquias, vel alia Ecclesiastica ornamenta furtiuè subtraxerint, statuimus præsentis auctoritate Concilij excommunicationis sententiæ sub iacere, & per*

Cyrill. Erem. in vit. S. Euthym.

Concil. Lateran. sub Innoc. 3. Concil. Prouinc. Mediol. 1. & 4. Panorm. extr. eo. cap. 1. Bochell. Decr. Eccl. Gallic. lib. 8. tit. 62. cap. 1.

locorum Ordinarios, provt furti qualitas exegerit, corporaliter puniendos, donec restituerint sic subtracta, & competenter egerint pœnitentiam de commissis. Sic illius Concilij Patres. Ex horum decreto velim obsernes per transennam vnum, & alterum: Prius est, quam graue, quámque horrendum crimen Nostrates Episcopi esse duxerint, venerabiles Sanctorum exuuias, lipsanáve furtim subripere; quandoquidem in sacrilega huiusmodi capita excommunicationis fulmen intorquere non dubitarunt, neque antè Ecclesiæ sacris restituendos esse voluerunt, quàm sublectas Reliquias corporeis affecti suppliciis, & congruenti obita pœnitentia expiati reposuissent. Posterius est, hinc maximoperè illorum sententiam fulciri, confirmaríque, qui cum Azorio nostro censuerunt sacrarum Reliquiarum raptores excommunicationi subiacere. Quæ pœna, vt in Fideles vniuersim minimè cadat, quemadmodum suprà definiuimus, saltem in Prouinciæ Turonensis subditos locum habet, nisi desuetudine, aliâve quapiam ratione allatum proximè decretum sit abrogatum: quod illi viderint.

Ceterùm quàm graue sit scelus, & horrendum monstri genus venerabiles *sanctorum Reliquias suffurari*, Iuris Canonici, & Theologiæ doctores iampridem disputarunt. Archidiaconus censet eum hominem *sacrilegium* committere, & sacrilegij pœnam incurrere, qui sine auctoritate, & consensu possidentis, vel Ecclesiastici Præfecti, cuius fidei credita est SS. pignorum cura (vt Azor credidit) eorum aliquid furto subduxit. Iuit in eiusdem sententiam Cardinalis Turrecremata, S. Antoninus, Syluester, & ceteri. Quis fuerit Augustini Triumphi, super eadem re sensus, his ipse verbis testatissimum reliquit. *Absque iniuria corporum sanctorum, & ipsius Papæ fieri non potest talis furtiua subtractio: propter quod vtroque modo sacrilegium incurritur. Nam peccatum sacrilegij committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro vt dicitur quæst. 4. cap. quisquis. Caput Ecclesiæ similiter læditur, quia eius præceptum contemnitur, & reliqua.* Loquuntur in eam sententiam vniuersæ Theologorum scholæ, ex solo nostro ordine Azor, Sanchez, Fagundez, Layman, & quotquot de rebus ad conscientiæ forum pertinentibus scripserunt in eadem sententia sunt. Monéntque plerique omnes ad dignoscendum, num paruitas materiæ, sacrilegam Reliquiarum surreptionem excuset à mortali, spectandam esse non solùm ablatæ rei quantitatem, sed etiam (quod caput est) ablati lipsani raritatem, dignitatem & æstimationem moralem: qualis esse posset v. g. Dominicæ Crucis frustulum, venæ vmbilicalis eiusdem particula, Deiparæ capillus, &c. quæ Fideles pluris facerent, quàm integrum alicuius Cœlitis corpus. Non illibenter Fagundem audio scribentem *non esse peccatum mortale ex multitudine Reliquiarum, quæ permixtæ sunt, & non inclusæ thecis aureis, aut argenteis, tanquam eximiæ, ac singulares, paruam Reliquiam furtiuè accipere causâ venerationis, non quia non æstimetur à domino, sed quia abundantia, quam habet, in causâ est, vt rationabiliter iudicemus illum non*

Archid. de Consecr. dist. 1. cap. corpora. Turrecr. Card. 3. part. de Consecr. dist. ead. S. Antonin. 3. part. tit. 12. cap. 8. Sylu. verb. Reliquiæ. August. Triumph. sup. cit.

Azor. lib. 9. Instit. Mor. cap. 8 quæst. 9. Sanchez lib. 2. Moral. quæst. 43. n. 23. Fagund. tract. de præcept. Eccl. lib. 1. cap. 4. n. 20. Laym. lib. 4. tract. 7. cap. 5. quæst. 5 & r liq. quos citant. B ldell tom. 2. Theol. mor. lib. 3. disp 17. n. 24. & se

esse inuitum. Quòd si inuitus fuerit, videtur irrationabiliter esse inuitus. Sic ille. An verò sacrarum Reliquiarum expilatores incurrant excommunicationem? Variant eorumdem auctorum sententiæ; plerique tamen autumant cum Suare ex nullo Canonum textu constare (vt censuit Azor,) imò neque hodie incurrere (quæ Sanchez, & Fagundez, & Baldelli sententia est) quibus ego pedarius accedo.

Suarr. tom. 5. in 3. part. disp. 22. sect. 2. n. 9. Sanch. supr. cit. n. 24. Fagund. cit. Sign. Reliq. c. 14. Halloix quæst. 4. de S. Dionys. Areop. Baldell. loc. cit. n. 28.

Denique, vt paucis huiuscemodi furtorum improbitatem perstringam; peccatur contra sacrorum pignorum dominum, quia illi auro, ac gemmis pretiosior thesaurus sublegitur: peccatur contra eorundem custodem, de cuius fide ad istiusmodi expilationem potest fieri decessio: peccatur contra Diuum, ad quem subducta furto lipsana pertinent, tùm quia ille in ipsa dominium illibatum etiamnum obtinet, vti olim dum vitam viueret, tùm quia illis, quibus vellet per suas exuuias beneficia conferre aliquo modo præpeditur: peccatur contra particulares Ecclesias, & Congregationes, quia ipsis surripiuntur maximè inuitis eæ sanctorum Reliquiæ, quas vel sibi diuinâ benignitate impertitas, vel per modum liberalis mutui ab ipsis sanctis sibi facti concreditas possidebant, in suorum corporum tutelam, & animorum solamen: peccatur contra totum fidelium cœtum, quia sanctorum corpora ad eum spectant, velut membra ad totum corpus, *vt idipsum pro inuicem sollicita sint membra. Et si quid patitur vnum membrum compatiuntur omnia membra, siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra.* vt appositè philosophatur D. Paulus. Haud aliter fideles, & sancti, velut Ecclesiæ membra, mutuam sibi fœnerantur opem, operámque, dum illi hos religioso cultu, & virtutum imitatione deuenerantur. Hi vice versâ illos amore prosequuntur, patrocinio tegunt, beneficiis demerentur, quod hoc verius est, quò certiùs constat sanctos, ad quos sublecta pignora spectant, illius populi vrbísve patrocinium suscepisse: peccatur aduersus sacrosanctam Synodum Moguntinam, quæ hac de re decretum fecit: Et in Apostolicam sedem, quæ factum confirmauit. Ad extremum peccatur in publicam Christianæ plebis fidem, quæ sacrilego ausu à raptoribus delusa, ibi venerabiles illas Diuorum Reliquias, quibus antè fruebatur semper asseruari credit, & pro more, innocenter adorat, vnde furtim siue integræ, siue ex parte fuerint subductæ & aliò tacita transuectione traductæ.

1. Corinth. c. 12. v. 25. & 26.

Restaret de subreptarum venerabilium reliquiarum restitutione disputare, at id foret oleum & operam perdere; cum inficias eat nemo sacrilegas huiusmodi harpyias obligari addiuorum exuuias iniustè abs se exportatas legitimis suis possessoribus reddere. Maior autem videretur esse necessitas anquirendi, an eadem sacra lipsana iusto bello sublata, rebus iam compositis, pacéque reuocatâ, debeant prioribus dominis ab hoste victore, fideliter reponi: quam difficultatem cùm à nemine hactenus, saltem ex professo, exagitatam viderim; operæ non inutilis erit, illam hoc loco enucleatiùs versatam in examen vocare, sit ergo

ARTICVLVS

ARTICVLVS TERTIVS.

An Sanctorum Reliquiæ iusto bello ablatæ, prioribus dominis restitui debeant.

IN vtramque partem occurrêre mihi non paucæ, nec eæ leues rationes, quas huc conuehere, atque strictim in litteras mittere, in gratiam eruditi lectoris, non grauabor.

Affirmantem sententiam hæc videntur argumenta suadere.

I. Christianos, & Catholicos inter (nam de illis mihi tantùm sermo est, quòd heterodoxos Lipsanomastygas nulla restitutionis angat, tangátve cura) inter Catholicos, inquam, & Orthodoxos acie decernentes in bello iusto, victori nullum in res sacras ius competit: quid enim iuris sib[i] m[e]ritò, iuréque vendicet inferior in superiorem se? mortalis in cœlites immortales? homulus in Deum? quid humana in diuina? profana in sacra habere possunt auctoritatis, dominij, & potestatis? quandoquidem longè diuersissimi sunt ordinis, & infinito penè interuallo abs se mutuo absunt. Cùm ergo communi Catholicorum, ne dicam Theologorum omnium consensu certum sit, Sanctorum reliquias ad Ecclesiasticam rempublicam, ad Cœlites, Deúmque ipsum attinere, vtpote quæ ad illa omnia intrinsecam (vti Theologicæ loquuntur exedræ) habitudinem, ac relationem obtinent: consequens omnino est, vt victor exercitus, qui ipsas sui Iuris fecit, alióque exportauit, sacrilegi ausus reus sit, eásque legitimis dominis, tanquam iniustus rei alienæ possessor, restituere teneatur.

II. Homines Deo sacri, imo & Ciuium vulgus, iusto bello subacti eo ipso, quòd victi sunt, non exciderunt legitimo dominio, quo in diuina Lipsana diuinitus sibi concessa, ante bellum sibi illatum fruebantur; tùm quia ciuitatis, prouinciæve sceleribus Ecclesiastica respublica minimè astringatur, tùm quòd ipsamet ciuilis, & politica respublica ob commissum delictum, iure in res sacras sibi diuina benignitate tradito, ab hominibus priuari non possit, ob rationem superiùs allatam. Æquissimum igitur est, vt iniustè sibi ablatæ Reliquiæ ab iniustis possessoribus reponantur.

Theoph. Rayn. Heterocl. piet. sect. 3. punct. 5. n. 24. Suar. mox. cit. A Castro Palao, part. 1. oper. mor. tr. 6. disp. 5. punct. 4 n. 18. Filiucc. tract. 29. in præcept. decal. c. 9. n. 187. Bonac. disp.

III. Bona, & facultates, omnes ad quoscumque pertineant, si in templis, Ecclesiæque fide ad custodiam, deposita tantùm fuere, gaudent priuilegio Immunitatis, eáque fures, atque raptores legitimis dominis reddere obstringuntur, vti in confesso est apud omnes Iuris vtriusque scientissimos; quantò magis sacræ Diuorum reliquiæ, tanquam

2. de restit. quæst. ult. sect. 1. §. 3. n. 18. & quos citat.

quam propria Ecclesiæ bona, & potissimæ facultates, à victore exercitu subreptæ hostibus subactis, templisque expilatis, reponi debent?

Suar. disp. 13. de Charit. sect. 7. n. 14. Sylu. verb. Bellum.

IV. Ad vltimum Ecclesiasticos rempublicam à Ciuili distinctam conflare liquet: quo igitur iure ipsis sua bona, & imprimis Cœlituum venerabiles reliquiæ quàm maximè inuitis subripi possint, atque sine religione, restituendique obligatione retineri?

Suar. & à Castro Palao citati. Valent. 2. 2. disp. 3. quæst. 16 p. 13. Cromer. lib. 13. rer. Polon.

V. Accedit diuinæ Iustitiæ iniquam, & sacrilegam sacrorum Lipsanorum expilationem, retentionémque in hostibus victoribus miraculo damnantis, testificatio. Quàm propudiosis, cruentísque suppliciis Philisthæos Deus subegerit Arcam fœderis in bello captam Israëlitis restituere, imò & maximâ cum pompâ in Silo reuehere, ne captiua inter gentiles vilesceret, consultò non placet hoc loco meminisse. Cromerus rerum Polonicarum scriptor non infimæ notæ memorat, quàm inusitato prodigio Lithuanos venerabilium reliquiarum raptores mulctauerit olim Deus: cùm enim illi de Polonis, quibuscum internecinum gerebant bellum, prædas egissent, atque Monasterium montis Calui sacrilegâ direptione præ cæteris exhausissent; redibant in patriam triumphabundi & in gloriosam lætitiam effusi, *sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia*; iámque ad extremos Poloniæ fines, portione Crucis Christi expilatâ onerati potiùs, quàm ditati peruenerant, cùm illis Crux Dominica in aurum Tolosanum derepente versa est, prædáque prædonibus crux euasit. Stat plaustrum, quo sacer thesaurus subuehebatur, penitùs immotum, nec quamtumvis accito, admotóque iumentorum, hominúmque collaborantium nisu dimoueri loco vnquam potuit: imò equi, boues, atque adeò milites benè lacertosi, cùm primùm plaustro mouendo propiùs accedentes adhibebantur, veluti occultâ vi exartuati, & penè exanimati extemplo concidebant: tenuit illos tandiu id infortunij, dum agnitâ suscepti facinoris atrocitate, & remissâ perquàm reuerenter ad legitimos possessores cruce, incolumes, patrium solum versùs, iter capessiuerunt. Et deinceps vir emunctæ naris integrum esse victori militi reputabit venerabiles Diuorum reliquias, iusto quantumvis bello sublectas exportare, illásque apud se sine religione, ceteroqui religiosè, retinere? atque hæc sunt præcipua quæque, ac firmissima (quantum consequi meditando potui) affirmantis sententiæ fundamenta.

Isaiæ c. 9. v. 4.

Negantem contrà, vt pote multò veriorem adstruunt, simul, & planè, plenéque hæc rationum firmamenta videntur euincere.

I. Inter Christianos, (de quibus duntaxat institutus est sermo) omnia bona in bello iusto capta ad capientes iure pertinent: quandoquidem

quidem ea lex, & Ius belli apud omnes Gentes receptum est, vti ex historiis, philosophia, theologia, iurísque vtriusque scientiâ testatissimum esse concedit nonnemo: hæc enim interPrincipes, Respublicas, nationes, & populos vniuersos, quâ infideles, quâ Christianos, communis consensio tacitè per consuetudinem inducta est, vt bona, quæ in bello iusto capiuntur, capientis sint, neque is profligato bello ad restitutionem obligetur, nisi si inter præliantes exercitus, pactis conuentis aliter cautum fuerit: tunc enim pacis initæ conditionibus religiosè standum est, bonáque expilata legitimis dominis vtrinque reponenda sunt, ex regulâ iuris, quâ res aliena restituenda est domino. Consequens igitur est, vt veneranda Cœlituum lipsana quæ in bello iusto inter Christianos gesto, ab hoste victore capta exportatáque sunt; ad ipsum iure attineant, vtpote legitimum eorum possessorem, ac dominum, nisi aliter inter imperatores fuerit conuentum (vt hoc nostro æuo factitatum legere est Hispanos inter, & nostrates Gallos) ac proinde ad eorundem restitutionem minimè teneatur.

Xenoph. lib. 5. Cyrop. &c. passim. Aristot. lib. 1. Polit. cap. 4. S. Thom. lib. 3. de Regim. Princip. Adrian. in 4. sent. tract. de restit. § aggredior. Maior &c. Theol. Sylu. Verb. bellum &c. Casuit. Nauarr. lib. 5. Consil. de iniur. & damn. consil. 2.

II. Dominium rerum habitarum pro derelictis (vt fert communis, & vna, eadémque Theologorum, & vtriúsque iuris Doctorum sententia) acquiritur capienti, quòd eas Dominus abiecerit absque vlla spe, ac voluntate recuperandi: quantò citiùs earum rerum Dominium quæ pro deperditis habentur, ad capientes pertinere censendum erit?

Couarr. 2. part. &c. Canon. Ioan. de Lignano tr. de bell. cap. 62. & 64. Petr. Greg. li. 20. Syntag. iur. cap. 4. n. 5. &c. Iurisc. in l. si quid in bello. ff. de capt. l. naturalem §. vlt. ff. de acq. rer. domin. Alph. à Castro lib. 2. de iusta hær. punit. cap. 14. &c. rerum controu. scriptores.

At in harum numerum venerabiles Diuorum exuuias, quæ ab hostibus Christianis bello iusto inter se decernentibus sublatæ, atque exportatæ sunt, hoc iustiùs referas; quò certius est ipsos ita in prælium descendisse, vt crederent victorem exercitum à sacris minimè sibi temperaturũ, atque imprimis in Sanctorum inuolaturum pignora (quæ auro contrà pretiosa à fidelibus ducuntur) absque vllâ penitus spe illa recuperandi, si maximè velint. Quid enim æquè Principes Christiani iusto bello superiores ambiunt, quàm Sanctorum reliquias ex deuictis hostibus reportatas in suas transuehere regiones, tanquam tutissima suorum regnorum præsidia, futuras? ne fortè in hac parte, vel ipsismet Ethnicis de religione, ac pietate concedere videantur. Etenim hi plerumque in vrbium expugnatione, atque excidio tam victi, quàm victores secum Deos Penates efferre consueuerant.

Hector Troïa de nocte à Græcis captâ Æneam vrgens fugâ se flammis eripere, sic ait:

Sacra, suósque tibi commendat Trojas Penates,
Hos cape fatorum comites, his mœnia quære,
Magna pererrato statues, quæ denique ponto.

Virgil. Æneid. 2.

Quod quàm piè factitatum ab Ænea fuerit, ipsamet Iuno Troïanis infensissima, & apud Æolum queribunda his verbis attestatur.

Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor,
Ilium in Italiam portans, victósque Penates.

Idem. lib. 1. Æneid.

Ne scilicet in Græcorum manus, ac potestatem captiui venirent. Vnde

Minut. Felix in Octau. de Minutius Felix *captiua Numina*, prudenter vocitauit: quapropter Christianis iusto bello inter se commissis, certum est venerabiles reliquias ab hoste victore sibi ereptum, atque exportatum iri, sine vlla spe ipsas recuperandi, nisi fortè inter ipsos super sacrosanctis Reliquiis fideliter restituendis, ante initum, vel post confectum bellum (vt superiùs dixi) mutuâ pactione conuentum fuerit. Quo igitur iure victor exercitus ad eas victis reddendas se obligatum putet? cùm ablatarum dominium, vel ipso hoste quodammodò volente, ac consentiente, ad se translatum sciat. Dixi, *hoste quodammodò volente, ac* *Suar. loc. supr. cit. n. 22.* *consentiente*, tùm quia, Suarezio nostro rectè annotante, *vtrique voluntariè vtrinque pugnant, nam suppono quasi ex pacto, & condicto pugnare: tùm quia hoc ipso, quòd ita conueniunt, quasi cedunt iure suo, & paciscuntur, vt Vincens Victæ partis bona accipiat*, non tantùm profana, sed etiam sacra, quibus abuti nolint in modum, morémque Infidelium, imò quibus religiosam sint delaturi venerationem, vel certè æqualem, vel forsitan augustiorem, vt Christianos, piéque de sacris pignoribus sentientes decet.

III. Occupatis Iusto bello Prouinciis, Vrbibus, oppidis, villísque ab altervtrâ decertantium acie, templa, ædesque sacræ omnes, in victoris dominium, potestatémque concedunt, nec tenetur ea victo hosti restituere, vt in confesso est apud omnes, constátque Gentium vniuersarum, etiam Christianorum quotidiano vsu. Quin & venerabiles sanctorum exuuiæ, in quarum gratiam, & venerationem Basilicæ, & sacella plerumque fuerant exædificata, vel quæ saltem in illis compositæ, depositæve religioso antè cultu colebantur: non enim potior est ratio, cur templis victorum potiatur victor exercitus; sacris reliquiis non item? seu directè, seu indirectè vtraque iure capi potuisse, ac possideri velis. Neque vel hilum interest, quòd templa, ædesve sacræ sint immobilia; Reliquiæ verò bona mobilia censeantur, si iam neutra sint bona aliena, sed propria legitimè capientum, eáque, Iure belli iusti, & fortè voliti, sine religione facta sunt possidentium. Quænam ergo Reliquias restituendi obligatio ipsis incumbit?

IV. Adde quòd sacrosancta istiusmodi pignora populis, vrbibus, oppidisve duplici hac in paucis conditione à Deo Optimo Maximo concredita, & condonata fuisse videntur: vna, vt æquè illa subirent aleam belli, & reliqua ciuium bona, vti sunt prouinciæ, vrbes, vici, oppida, & Basilicæ ipsæ, quæ absque restituendi onere semel capta ab hoste retinentur. Altera, vt sacræ Diuorum exuuiæ populis, vrbibúsque possidentibus diuino vlciscente numine eriperentur, si peccatis liberiùs se dederent. Coniecturam hanc nostram diuinarum *1. Reg. cap. 2. v. 12. 13. & seq.* litterarum monimenta manifestè, magnificéque confirmant. Cùm enim Heli Iudicis simul, & Pontificis filij ab auita Maiorum pietate, paternáque virtute desciscentes fœdissimarum libidinum, iuxta, ac sacrilegij longè impiissimi cœno altissimè se immergerent: Patérque plus

plus nimio, vel potiùs longè minùs, quàm pium decere t parentem, liberorum suorum amans, impudentissimos, ac profligatissimos iuuenes solâ verborum censurâ molliter castigatos sineret in suscepta flagitia magis magisque in dies agi præcipites; neque effrenatos exquisitissimis retineret suppliciis; neque ipsos in gyrum rationis virtutisque reuocare sedulò allaboraret (*erat ergo peccatum puerorum*, imò & parentibus plus æquo indulgentis, *grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines à sacrificio Domini*) Deo vltore, ac permittente *Arca Dei*, hoc est, Iudaïci populi Reliquiarum, sacrorúmque pignorum augustissima portio à Philisthæis *capta est*, & ab iisdem, vti optima, opimáque spolia, Azotum exportata. Perquàm appositè in hanc rem Theodoretus inquit: *Deus Allophylis Arcam tradidit, populi*, non tantùm Heli, ac filiorum, *iniquitatem arguens. Nec enim oportebat legem, propugnatorem suum facere eos, qui legem*, (Arcæ scilicet inclusam) *palam transgressi fuerant.* Nihil illo minus, imò maius aliquid in hæc verba scripsit Pelusiota Isidorus: *Annon rabidus venter, & carnium ereptio, & crapula, & insanus mulierum amor effecit, vt Ophni, & Phinees sacerdotio, & Arca, & tribuum imperio, & gloria, & honore priuati hostili gladio trucidarentur?* Tunc ergo auctore D. Basilio, *Arca ea pertulit, quæ ante illam memoriam, nunquam fuerant audita.* Cœterùm an Arcæ Iudaicarum reliquiarum sanctissimæ, hæc vltima fuerit captiuitas adeò vt postquàm à Philisthæis restituta fuit, nunquam deinceps exportata captiuitatem subierit, sacrarum literarum eruditis interpretibus excutiendum, definiendúmque in præsentia relinquo. Certè Adrichomius, referente Mendoza nostro, secundum Iosephum, & Diuum Hieronymum asserit Arcam fœderis post excidium Hierosolymitanum exigentibus Iudæorum sceleribus iterùm captam, exportatam, & in Vespasiani triumpho Romam fuisse traductam, & transuectam, vnàque cum vasis templi, & vniuersis donariis ibidem in templo Pacis consecratam. Consentit Adrichomio Comestor, qui addit insuper eandem Arcam Romæ sub altari Ecclesiæ Lateranensis etiamnum asseruari religiosissimè.

Theodor. serm. 10. de Prouid.

Isid. Pelus. lib. 1. epist. 69.

S. Basil. orat. 3. de peccat.

Mendoz. in lib. 1. reg. cap. 5. n. 1. Annot. 15. sect. 1.

Ioseph. lib. 7. de bell. Iud. cap. 24.

S. Hier. in cap. 3. Ioël.

Comest. in cap. 46. Exod.

Neque tantùm Arca, è Iudaïcis pignoribus augustissimum propter nefanda populi, sacerdotúmque flagitia barbaris dedita fuit, sed etiam illorum scelerum vltor Deus, infit Isidorus Pelusiota, *vt sanctæ Arcæ minimè pepercit, ita, & Vrbem Sanctificationis, & Cherubin gloriam, vt stolam, & prophetiam, & Vnctionem, & Thumim*, Reliquias oppidò venerandas, *gentibus addixit* Chaldæis scilicet, & Romanis, túncque reuerà multis cum lacrymis iacturam sacrorum pignorum deflente, ac longè antè præuidente Ieremia, *manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius.*

Isidor. Pelus. cit. lib. 1. ep. 73.

Ierem. thren. cap. 1. v. 10.

Idem planè Christianis accidit, at eheu! quàm sæpe? quàm luctuosè, vt de diuino numine ipsorum crimina nimiùm quantùm acerbè, at meritò vindicante illud optimi poëtæ vsurpans appositè cecineris.

Gg 2 ---*ferus*

Virgil. lib. 2. Aen.

--------ferus omnia Iupiter Argos
Transtulit, incensâ Danai dominantur in Vrbe

Ecquæ habitabilis orbis Christianæ nationes funestum illud sacrarum Reliquiarum deprædationis genus, non sunt aliquando expertæ? atque (vt vetera, & à nostra memoria longissimè semota silentio præteream) cùm superiori seculo, tùm hoc nostro infelicissimo æuo Gallia, Germania, Britannia, Belgium, Pannonia, & aliæ id genus Europæ prouinciæ, vrbes, oppidáque sanctissimis collocupletata reliquiis, hæreticorum armis, Deo irato expugnata, sacrilegísque expilata populationibus, parem sacrosanctorum pignorum iacturam flebilibus complorationibus prosequuntur.

Ioan. à Bosco tract. de conseru. corp. S. Bened. Gabr. de Saconay Apolog. pro vrbe Lugd.

Verùm non ab hæreticis, Ethnicisque modò, sed etiam à Christianis ipsis iusto bello inter se commissis, permisit Deus Fidelium vlturus noxas ab exercitu victoria potito sacras deuictarum vrbium Reliquias, tanquam opima spolia, interdum diripi, & exportari (vti historiæ loquuntur omnes) vt vel inde coniecturâ consequeremur venerandas illas Cœlituum exuuias ipsis à benigno Numine donatas, vel commodatas tandiu fuisse, quandiu à peccatis abstinerent, vel commissa voluntariis eluerent, ac expiarent pœnis: si secùs faxint, fore vt Ciues tam prophani, quam sacri pretiosis huiusmodi thesauris, & veris Rerumpublicarum Christianarum Palladiis inuiti spoliarentur. Exempla luctuosæ huiusce direptionis huc conuehere, otiosi, & chartas opplere duntaxat studentis esset. Maneat Igitur firmum, ac ratum eos, qui iusto bello sacras Diuorum Reliquias adepti sunt, videri à Deo, summo Domino, & arbitro, in ipsorum possessionem fuisse missos, ac proinde ad easdem victis reponendas nullo iure astringi debere, ac posse. Atque hæc sunt sententiæ negantis firmissima quæque rationum momenta, vt alias sileam in præsentia, quas aduersariarum partium, & argumentorum contrà prolatorum depulsio pererudito Lectori subministrabit.

Solutio Argumentorum pro Affirmante sententia.

Vt à principe omnium ratione ordiar. Esto, in iusto bello nullum sit exercitui victori in venerabiles Reliquias, vti & in reliquas res sacras, ius, & potestas, directè, ac per se (vt loqui amant Theologi) at illum nihil omnino in ipsas iuris, indirectè saltem, ac per accidens obtinere, id enimverò affirmatè nego, ac pernego. Ecquis Theologicis initiatus mysteriis ignorat templum, ciúsque supellectilem sacram, quamvis Deo, Cœlitibúsque dicatas, religiosis inaugurata ritibus, immunitatis priuilegio munita, veréque sancta sint, iusto tamen occupata bello per accidens, ac indirectè diripi, comburi, deuastari posse, si hoc opportunum, ac necessarium fuerit ad finem belli consequendum, pacem firmandam, hostémque vel puniendum, vel in officio continendum? Nulla igitur affulget ex hoc capite rationis lux, quâ victor

Molin. disput. 122. de Iust. & iure. Suar. disp. 13. de Char. supr. cit. Valent. & cæteri supra citati.

victor exercitus veneranda sanctorum pignora à se iure expilata, & in patrium solum deportata hosti perdomito restituere debere videatur; quandoquidem, indirectè saltem, ac per accidens, illorum legitimus tùm euasit possessor, cùm à Deo volente, aut permittente aut vlciscente, Cœlitibúsque annuentibus, quin etiam fortè promouentibus, victoriâ est potitus. Neque minus Ecclesiastica respublica iisdem pœnis, ac respublica Ciuilis obnoxia est, licet iisdem criminibus minimè fuerit inuoluta, cùm etiam in vna, eadémque republica innocentes (qui sæpenumero sunt bene multi) eandem belli aleam, & iacturam subire videamus. *Castro Palao supr. cit. n. 20. Bonac. cit. n. 17. &c. supr. cit.*

Iam secunda ratio, quàm sit infirma, &, vt ita dicam, elumbis, ex proximè dictis satis, supérque constat. Etenim vt longè verissimum sit bona in templis, & Ecclesiæ fide ad custodiam deposita gaudere priuilegio Immunitatis, & per se, ac directè, ab hoste victore rapi, & exportari non posse; possunt tamen per accidens, & indirectè: ita & venerabiles Diuorum Reliquiæ.

Tertiæ rationi plus roboris nihil inest; Cùm ex primis politicæ disciplinæ principiis certò constet ex vtrâque republicâ, Ecclesiasticâ, & Ciuili vnam conflari rempublicam, etsi ex naturâ rei illæ sint diuersissimæ; haud aliter, quàm ex corpore, & animâ inter se longissimè dissitis, vnus homo conflatur. Quin ergo Ecclesiastica respublica eandem bonorum suorum (è quibus sacerrima portio sunt Reliquiæ) iacturam, æquè ac respublica Ciuilis in suis, patiatur: maximè si iustum sit bellum, si voluntarium; si diuinitus immissum? & quemadmodum Deo volente, integrum fuit Hebræis vasa aurea, argenteáque, aliámque id genus pretiosam suppellectilem ab Ægyptiis mutuo acceptam, imò & Gentibus eorundem Hebræorum Arcam, propitiatorium, vestes sacerdotales, candelabrum, & reliquas, vt dixi, templi Hierosolymitani reliquias in commissorum ab ipsis scelerum pœnam expilare, exportare, & ducere, tanquam opima spolia, in triumphum: neque propterea ad illa omnia referenda, & reponenda iure potuerunt obstringi: Cur inter Christianos id iniusti oneris imponas, velísque exercitum, penes quem stetit victoria, sacras Diuorum Reliquias sibi, Deo, Cœlitibúsque annuentibus condonatas, hosti subacto, & iniustè in pœnam suorum criminum iisdem priuato restituere debere? quandoquidem à Deo humanorum facinorum iustissimo vltore, simul, & ab ipsismet Cœlitibus iratis, & auersis expoliati populi, nullum amplius in venerabiles Reliquias obtinent ius, quarum victor exercitus ab adeptâ victoriâ legitimus possessor euasit. *Tostat. Perer. Cornel. &c. interp. in c. 3. Exod.*

Quid? quòd (vt censet, ac loquitur Signius) *non bene fit similiter plerunque volentibus* Sanctis *translatas Reliquias per vim & furtum recuperare, quanquam sint locorum suorum propriæ. Quia, etsi illorum essent, quandiu illas apud se haberent, postea verò quàm ex voluntate Dei sunt translatæ, in aliorum transierunt potestatem, illorum, inquam, ad* *Sign. reliq. cap. 10.*

quos translatæ fuerunt, ita vt non liceat eis referre, nec pro eis commutationem aliquam præstare. Multò minus licebit, cùm iisdem volentibus bello iusto à victoribus Orthodoxis fuerint exportatæ.

Restat postremæ rationi facere satis, quam petitam vidimus ex Iustitiæ diuinæ in victorem exercitum, sacrarum Reliquiarum expilatorem, exercitâ vltione; quâ vltione luculenter videtur euinci Diuorum lipsana iusto etiam bello exportata prioribus Dominis restituenda esse. Verùm rem accuratiùs perscrutanti huiuscemodi ratio nullius, aut certè perparui momenti est. Idcircò enim diuina Iustitia in raptores desæuiit, vel quòd illi à rectâ fide forent extorres, siue secùs de rebus Catholicæ fidei sentirent, siue fictitiorum numinum cultui efflictim addicti essent: vel quod auri sacrâ fame potiùs, quàm religione subacti venerabiles Reliquias expilassent; vel quòd nimiùm quantùm irreligiosè (vt olim Philisthæi, Chaldæi, & non ita pridem Heterodoxi, & Lipsanomachi omnes) aut certè admodum indecorè (vti aliquot Orthodoxi) easdem haberent: vel ad vltimum, quòd sacrarum Reliquiarum direptores marte minùs æquo decreuissent, quamvis stolidè sibi de belli æquitate adblandirentur. Quas ob res Diuorum exuuiis, iure, iniuriave adeptis, diuino vlciscente numine, spoliari debuerunt, sacráque pignora prioribus Dominis, ac possessoribus legitimis reponi. At quid hoc incommodat hosti victori, cui Deus, ipsíque Cœlites domitarum gentium, vrbiumve Reliquias, earúmque possessionem iustâ victoriâ partam addixerint, & qui illas tam religiosâ fide, quàm meritâ deueneratione prosequatur?

Sign. Reliq. cap. 10.

Quocirca schismatico in Ecclesiam Latinam, & maleuolo in Gallos animo Georgius Corcyrannus apud Allatium impudenter, maledicè, ac mendaciter scripsit. *Deuicta à Francis Regina vrbium* (Constantinopoli) *thesaurísque omnibus, non tantum in Regia, & reliquo populo, sed & in ædibus Domini* (*vt quondam Nabuchodonozor, & Nabuzardan eiusdem archicoquus Hierosolymitanos exhauserant*) *conquisitis in magni palatij Sacrarium irruentes, prædonum more, in quo reposita erant, veneranda crucis Ligna, ex spinis corona, Saluatoris sandalia, clauus, fasciæ, quæ & nos postmodum nostris hisce oculis vidimus, multa quidem ibi inuenerunt. O tolerantiam tuam, Domine, & inter ea eum ipsum panem, quem immaculatis manibus Christus meus discipulis in cœna distribuit, in vase quodam aureo, margaritis, & lapidibus pretiosis onusto. In eo inscriptio, quod intus erat, literis Græcis significabat hoc modo: Hic iacet diuinus Panis, quem Christus discipulis, tempore Cœnæ distribuit, dicens: Accipite, manducate, hoc est corpus meum.* Sic ille agens de controuersia Latinos inter, & Græcos super Azymo ac fermentato, quem Christus, Apostolos sacris ordinibus, & sacerdotio in paucis initians, creditur consecrasse. Nec tamen credas vnam Constantinopolim diuino hoc pane gloriatam, lego enim Ouetum in Asturibus, eodem pane se beatulum ducere, vt est adud Lucium Marinæum, qui sigillatim recensens sacra lipsana, quæ ibidem in principe templo religiosè asser

Georg. Corcyran. tract. de Commun. Allat. dissert. 2. de lib. Eccles. Græc. pag. 222.

Luc. Marinæus lib. 5. de gest. Hispan.

asseruantur, inter *reliqua meminit, de pane cœnæ Domini, item de pane, quo Dominus hominum millia quinque satiauit.* Sic figura in rem figuratam eodem in loco incurrit.

Quibus è verbis, licet felle puro, putóque madentibus, suauia, & vtilia pauca iuuat elicere. Primum id ipsum, quod in præsentiâ disputamus, confirmatur euidentissimè. Deus enim fidei Pelasgæ, & (vt alia sileam crimina) Græcanici schismatis vltor æquissimus perfidam illam nationem sacrosanctis huiusmodi lipsanis, quibus ipsam ornauerat, & ditarat, iustis nostratium armis orbauit, victorésque Francos talium gazarum nimiùm quantùm auidos, in ipsarum possessionem induxit, tùm ne in sacrilegas, & impiatas Barbarorum manus captiuæ venirent, tùm vt meritâ veneratione, à religiosioribus cultoribus afficerentur. Secundum quod inde consequitur, est: iusto bello victores posse, Deo, diuísque annuentibus, sacrorum lipsanorum thesauro tutâ conscientiâ frui: Græculúmque hominem Francis nostris stylo plusquam Lycambæo detraxisse, quando illos, cùm Nabuchodonozore, Nabuzardano, paganis expilatoribus, impudentissime mentitus composuit. Tertium victores nullâ lege obstringi ad restituenda sanctorum exuuias, quas è deuictarum Prouinciarum, vrbiúmque sacrariis, & Hierophylaciis exportatas penes se habent, & Catholico ritu religiosè deuenerantur. Et de his hactenus satis.

Ceterùm ex hisce iustis, iniustísque, piis, & impiis sacrilegorum hominum furtis, vides quàm facile, quámque innocenti errore tam copiosa eiusdem generis Reliquiarum multitudo potuerit suboriri.

ARTICVLVS QVARTVS.

An sanctorum Româ delatæ Reliquiæ, furto sublatæ, certæ, incertæve habendæ sint.

ANtequam de furto sacrarum Reliquiarum disputare supersedeam, propositam mihi curiosam magis, quàm difficilem quæstionem superiori placet annectere: quæ cùm bipartita sit, vt vides, singula eius capita excutere certum est.

PRIMVM est. Illáne Sanctorum lipsana, quæ in varias Orbis Christiani Prouincias ex Vrbe deuehuntur, censeri debeant sacrilego furto fuisse sublata & (quod consequens est) an illa sciens, prudénsque debeat, posśitque retinere, ne dicam, deuenerari?

Suspicionem simul & dubitationem iustissimam consulentibus creauerant

Bulla Clem. VIII. ann. 1603. 1604. Pauli. V. 1613. 1614. Vrbani VIII. ann. 1624. Bonac. tom. 3. Theol. moral. disp. 2. de excom. extra Bull. Cœnæ quæst. 3. punct. 13. §. Incidens. Baldell. tom. 2. Theol. Moral. lib. 3. disp. 17. n. 29. & seq.

uerant edicta sæpe sæpiùs Romæ per Eminentissimos Vrbis Vicarios, de mandato Clementis Octaui, Pauli Quinti, & Vrbani Octaui, summorum Pontificum edita, promulgata, & renouata: quibus edictis sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ, solique Papæ reseruatæ, extra mortis articulum, aliisque pœnis corporalibus, pecuniariis, arbitrariisve intentatis, sanctissimè cautum est, ne quis è cryptis, cœmeteriis, Catacumbis, & Arenariis, Romanis extrahere compositas Sanctorum exuuias audeat. Regulares insuper mulctantur *priuatione vocis actiuæ, ac passiuæ, & inhabilitate ad dignitates, & administrationis suorum Ordinum similiter incurrendæ ipso facto, & reseruatæ soli Papæ, & pœna exilij à toto statu Ecclesiastico.* Addidit Paulus V. diplomate anno 1614. emisso, ne quis sine facultate suæ Sanctitatis ingrederetur Cœmeteria, cryptas, aut Catacumbas intra, vel extra Vrbem existentes, & ne ab illis extraheret vllas reliquias, siue pro se, siue pro aliis, vel ad eas extrahendas daret auxilium, & fauorem: hæc verò prohibitio omnes vtriusque sexus, & cuiuscumque status, & gradus, & conditionis personas comprehendit. Vrbanus autem Octauus plus vltrà progressus cautione sua eos, quorum nisu, studio, & contentione tentata, peractáque fuerit sacrarum Reliquiarum eductio, implicitos esse voluit; tum admissæ noxæ conscios; deinde illos, qui absque summi Pontificis, eiúsve gerentis vices facultate, ac veniâ extracta exceperint lipsana; postea eos, qui tabulas super eorundem eductione, donatione, atque adeo traditione publicas, priuatásve confecerint, dictauerint, exararint, obsignarint, denique vniuersos, penes quos locorum piorum, cryptarum, Cœmeteriorum, ædiúmve sacrarum cura est, qui Diuorum exuuias extrahi permiserint, memoratis superiùs pœnis obnoxios esse iussit. Necdum satis: sacro Pauli quinti rescripto cautum est, vt qui eductarum è cryptis Cœmeteriis, vel Catacumbis Reliquiarum conscij forent, aut de iis quidpiam inaudiuissent, id suæ sanctitati vel eius Vicesgerenti aperire obstringerentur: si secus faxint, in ære, aut corpore arbitrio luerent.

At ne causare Pontificiis huiuscemodi rescriptis, siue diplomatibus tantùm vetari, ne integra Sanctorum corpora vel ossa, ossiúmve partes è recensitis educerentur locis: propterea quòd Pauli V. edicto vel minimæ quæque particulæ, imo quidquid speciem & vmbram sacrarum Reliquiarum præse ferre potest, Clementis VIII. diplomate penitùs extrahi prohibitum est: simul & facultates omnes ipsorúmmet Pontificum manu firmatæ quibus educendorum sacrorum cinerum fuerat facta potestas, rescissæ, abrogatæ, ac funditus sublatæ sunt. Quæ cùm ita sint, nemo non videt iure Reliquias, quæ Româ in varias Orbis Christiani Prouincias exportantur, ne dicam, distrahuntur thecis inclusæ, in suspicionem sacrilegæ subreptionis vocari; cùm tot tantísque summorum Pontificum edictis, tot, támque grauibus pœnis, ipsóque Excommunicationis latæ sententiæ horrifico fulmine ipsarum

ipsarum raptores, fautores, participésque percellantur omnes, omnes: siue illi Romæ commorentur incolæ, siue aduenæ, vti sapienter censuit Bonacina, *quia* subripiens *delinquit in rem* (eius verba sunt) *Bonac. cit. loc.* *in territorio Romæ existentem: delinquens autem in rem existentem in loco Legislatoris, subiicitur legibus Legislatoris.* His in hunc modum propositis, positísque non est arduum difficultatis nodum soluere, quod pauculis effatis expedio.

Effatum primum. Nisi certò constiterit à summo Pontifice, vel ipsius vices in Vrbe gerente factam fuisse de nouo copiam sacros, de quibus erit controuersia vel suspicio, Diuorum cineres è cryptis, cœmeteriis, & Catacumbis eruendi, illos ego furto sublectos, aut potiùs suppositítios, & adulterinos censuerim habendos. Ratio sole meridiano clarior est 1. quia ex memoratis, Clementis Pauli, Vrbanique diplomatibus adeò seuerè cautum est, ne quis è religiosis illis locis sacras Sanctorum exuuias absque veniâ summi Pontificis, aut Vicegerentis non extrahat modò, sed etiam ne extrahendis quoquo modo adminiculetur, imo ne quidem extractas sciens, volénsque recipiat; vt nemo vnus prudenter reuocare in dubium possit exportata ex Vrbe Diuorum pignora, furtiuè sublata fuisse, aut nulla esse. *Accedit Greg. XIII. Constitutio, qua excommmunicatione Pontifici reseruatâ eos afficit, qui sine summi Pontificis veniâ, ex Vrbe in Mediolanensem Prouinciam sacras Reliquias asportauerint, & ab vna Ecclesia in aliam transtulerint,* vt *Castro-palao* notat Castro-palao. 2. Vndénam de concessa eruendarum aut eru- *2. p. oper.* tarum Reliquiarum facultate liquebit, si nulla tabularum auctoritate, *Moral. disp.* vel locupletium testium asseueratione fides accesserit? Dixi autem (nisi *1. p. 6. n. 2.* *de nouo* factam potestaté constet) propterea quòd datam ab aliis summis Pontificibus, educendi ex Vrbis catacumbis sanctorum glebas, veniam, eorundem etiam manu firmatam penitus rescissam, & abrogatam inaudiuisti. Adde quod, si nefas esse voluit, iussítque Paulus quintus quemquam vel solùm pedem inferre, sine Sanctitatis suæ facultate, in cryptas, cœmeteria, catacumbas intra, vel extra Vrbem existentes, qui fieri potest, vt verbo tenus asserenti, nulláque authenticarum tabularum, testiúmve omni exceptione maiorum auctoritate destituto prudenter fidem adhibeas, à se transuectas ex Vrbe Reliquias, minimè furto sublectas expilatásque fuisse, vel potiùs adulterinas pro veris fraudulenter, mendacitérque venditari?

Effatum secundum. Reliquias, quæ è cryptis, cœmeteriis, & catacumbis Romanis feruntur depromptæ, furtiuè sublatas fuisse vix crediderim, quando illas vel ante memorata summorum Pontificum edicta, vel ab illis promulgatis, factâ legitimè potestate, illinc erutas liquidissimæ, ac firmissimæ auctoritatis scripto, testiúmve fidissimorum, & locupletissimorum testificationibus longè compertissimum extiterit. Ecquis enim tùm iustæ dubitationi locus? Enimverò ante laudata Pontificum diplomata multò faciliùs olim fieri consueuerat sacros Diuorum cineres è religiosis illis locis depromendi potestas, quàm à quo illa fuerunt

edita, & promulgata: nec sanctè asserentibus, ac ritè probantibus se, bonâ cum summi Pontificis, eiusve Vices gerentis veniâ, Reliquias, quibus de agitur, extraxisse, deneganda est fides.

Effatum tertium. Illa lipsana, quæ thecis affabrè factis inclusa atque ex Vrbe per Orbem Christianum transuecta vulgò, passímque distrahuntur, plerunque subdititia, adulterina & nulla esse autumo; vtpote quæ nullo planè testimonio constet non tam veras, & germanas alicuius Cœlitis exuuias, quàm reipsâ Reliquias esse. Replicandæ duntaxat erunt memoriâ sacrilegæ quorundam Clericorum conclamatæ conscientiæ fraudes, improbissimorum Sycophantarum strophæ, atque adeò detestandæ aliquorum Mangonum nundinationes (de quibus sequentibus capitibus erit dicendi locus) vt exportatas sine legitimâ potestate, fide certâ, locupletibúsque testibus, ex Vrbe Reliquias, simul & diuenditas nullo in pretio habeamus. Non tamen negauerim semel concessâ cuipiam à summo Pontifice, vel ipsius vices gerente sacra Diuorum pignora è Romanis cœmeteriis, & catacumbis depromendi, posse ipsum aliis ea donare, cáve aliò, provt visum fuerit, transferre; diuendere non item.

Azor 1.p.lib. 9.cap.8.quæst. 10. Castro-palao. part. 2. Oper. Moral. disp. 1. punct. 6. n. 21.

Verùm hîc de me sciscitetur nescio quis; quid causæ sit, cur summi Pontifices tot, támque seueris edictis cauerint, ne Fideles è Romanis cryptis, catacumbis, ac cœmeteriis sanctorum refodiant cineres, quibus subterraneæ, ac religiosæ illæ specus abundant quàmmaximè? Quàm multorum enim inuictissimorum Martyrum, Confessorum, Virginum, omnísque generis Christianorum, felicem iam in cœlis viuentium vitam, obscuræ, & inhonoræ iacent exuuiæ, quibus effossis, & hac luce redonatis maxima veneratio deferretur? An cum Signio, eiúsque verbis dixerim? *quòd non permittit hoc Deus, cùm velit id pietatis officium semper vigere inter Christianos, gratiámque suam huiusmodi occasione pluribus, aliquando vni, aliquando alteri ex amicis suis demonstrare.* An quia metus fuit, ne Fideles peregrinas sanctorum Reliquias (vt persæpe plus arrident peregrina, quàm nostratia) tanto haberent in pretio, vt ipsis patriæ vilescerent, & minore ab eis veneratione afficerentur? An quia cautum voluere Pontifices, ne cùm in Vrbis cœmeteriis indiscriminatim sint composita Christianorum cadauera, prophanorum hominum cineres pro Sanctorum exuuiis, populo adorandi obtruderentur? An ea cautio singulari eorum prouidentiæ adscribenda est, meritò veritis, ne passim effossis è sacra illa humo Diuorum lipsanis, tantus, támque proficuus venerabilium Reliquiarum thesaurus aliquando exhauriatur, itáque Roma, *caput mundi*, perillustri *Sanctorum populo* (vt ita loquar Eucherij verbis) depauperata, seipsâ minor euadat? Alias ex aliis comminiscere rationes, qui voles, cuique per otium licebit, dum ad alterum disputationis nostræ caput stylum, animúmque conuerto.

Sign. Opusc. de reliq. &c. SS. cap. 4.

SECVNDVM igitur propositæ difficultatis esto: An sanctorum Reliquiæ Româ delatæ, à Fidelibus certæ, incertæve habendæ sint.

Gauisus sum maximopere incidisse me in censuræ Theologicæ centurias, quas noster Turrianus publici iuris fecit, mihique in his tenebris præluxisse. Rogatus enim *an mereatur censuram, qui diceret Reliquias, quæ ex vrbe Romana adducuntur, non esse certas?* in hunc modum, & verba scribit: *Ratio dubij est, quia antiquitus non solum Sancti insignes, & Martyres; sed omnes Fideles in eisdem locis sepeliebantur, & ita mixtim, & confuse habentur eorum omnium ossa.* Hinc *κοιμητήρια* Eusebius, Græcique scriptores Christiani vocitauerunt loca, in quibus Fidelium corpora sepulturæ mandabantur, origine à verbo *κοιμάω*, quod *dormire* significat, deducta: vnde *Dormitorium* pro sepulchrali Christianorum area, vti & *Recubitorium* dicere plerique amauerunt. *Cœmeterium*, inquit Vvalfridus Strabo, *Recubitorium, vel Dormitorium est mortuorum, qui & ideo ab Ecclesia Dormientes dicuntur, quia resurrecturi non dubitantur.* Consueto enim sacrarum paginarum loquendi vsu, *Dormire* idem est ac mortuum, & sepultum esse: quod pluribus velle probare, chartâ, otio, & Lectoris patientiâ esset abuti. Qui *septem fratres Dormientes* celebrari non inaudiuerit: næ! ego illum in rebus Ecclesiasticis planè hospitem, & peregrinum duxerim. Illos certè cum Eminentissimo Cardinali Baronio, eiúsque sequace, La Cerda nostro, vt credam adducor dictos fuisse, *Dormientes*, quòd ferreo Decij sæculo hi septem fratres intra spelũcam occlusi Martyrium fecerint, ac demum ostio specus reserato, inuentis ipsorum corporibus, veluti rediuiui, atque etiamnum *Dormientes* post aliquot sæcula apparuissent, dictos inquam Dormientes, vt credam perquam facilè adducor. Minus enim animo sapit meo illorum sententia, qui cum Gregorio Turonensi, Metaphraste, Cedreno, aliísque non paucis censuerunt, fratres illos, genere ac martyrio germanos, *Dormientes* fuisse vocitatos, quòd somno capti ad ducentos fere annos mirabiliter perdurarint: Licet non me fugiat Paulum Diaconum de aliis septem in Germania fratribus æquè arcto, & mirabili somno detentis meminisse. Olao pariter fabulanti sua etiam ætate *septem Dormientes* in Daniâ visos esse parem somnum capere, qui volet, habebit fidem. Sed à diuerticulo ad viam, & ad Vrbis Cœmeteria (quæ Areas, *Cryptas*, *Arenarias*, *catacumbas*, *seu catatumbas* vocitari à scriptoribus Ecclesiasticis certũ est) vnde aberrarat oratio, se recipiat. Cùm ergo in Romanis Cœmeteriis indiscriminatim Fideles humo mandare mos esset, ecquis certò affirmet eas omnes exuuias, quæ illic eruuntur, veras esse Sanctorum Reliquias?

Luis. Turr. cent 3. Theol. censura, dub. 21.

Euseb. lib. 7. hist. cap. 12.

Vvalfrid. Strabo.

Baron. in not. ad Rom. Martyr. 27. Iul. La Cerda Aduers. sacror. cap. 133. n. 8.

Paul. Diac. lib. 1. de gest. Longob. c. 3.

Quapropter *aliqui* (sic loqui pergit Turrianus) *nimiâ facilitate, sub specie pietatis omnes Reliquias probant. Alij nimia seueritate omnes reprobant, non sine detrimento Christianæ pietatis.* Et verò tam hi parùm religiosè, quàm illi plus æquo religiosè, ne dicam superstitiosè, & imprudenter mihi videntur sentire. Nam, vt Prudentius testis oculatus egregiè panxit de Cœmeterio Cyriacæ in agro Velano.

Sunt & multa tamen tacitas claudentia turbas
Marmora, quæ solum significant numerum.

Prudent. περὶ στεφ. hymn. de S. Hippolyto. Baron. tom. 2 Annal. ad ann. Christi 226.

Quanta virûm iaceant congestis corpora aceruis
Nosse licet, quorum nomina nulla legas.
Sexaginta illic, defossas mole sub vna,
Relliquias memini me didicisse hominum.
Quorum solus habet comperta vocabula Christus,
Vtpote quos propriâ iunxit amicitiâ.

Idem ad ann. 130. n. 2.

Hæc pius vates de vno duntaxat Cœmeterio: quot amabo te in quadraginta tribus aliis, quæ Baronius sigillatim recenset, Christianorum millia promiscuè condita fuerint, ex solius Cœmeterij Priscillæ incredibili penè amplitudine colliges. Audi Eminentissimum Cardinalem de illa sic scribentem. *Mirabile dictu vidimus, sæpiùsque lustrauimus Priscillæ Cœmeterium haud pridem inuentum, atque refossum, viâ Salariâ, tertio ab Vrbe lapide, quod nullo magis proprio vocabulo dixerimus præ eius amplitudine, multísque, atque diuersis eiusdem viis, quàm subterraneam ciuitatem.* & post aliqua subdit: *Obstupuit Vrbs cum in suis suburbiis abditas se nouit habere ciuitates, Christianorum tempore persequutionis olim Colonias, modò autem sepulchris tantùm refertas,* &c. Hæc cùm ita sint, nisi emotæ mentis hominem, fore neminem puto, qui audeat certò, & affirmatè asserere omnia Christianorum cadauera, quæ identidem è subterraneis illis ciuitatibus veriùs, quàm cœmeteriis eruuntur, esse veras & germanas Cœlituum exuuias; vel contrà penitùs esse nullas: Par enim foret temeritas, ne dicam, dementia, in tantâ compositorum corporum multitudine, reíque incertitudine velle aliquid certi in alterutram partem affirmare, vbi nullum nomen, titulus nullus, nullum elogium, aut epigramma extiterit. Quapropter sapientissimè Turrianus noster opinatus suam in hæc verba sententiam pronuntiauit. *Ego verò existimo, nec facilè omnes* Reliquias ex Vrbe transuectas *probandas, nec facilè reprobandas, par est vtriusque periculum: Sed consideranda esse fundamenta, ex quibus colligitur eas esse Reliquias Sanctorum, consideratis historiis, & Vrbis traditione.* Sic ille. Addiderim non illibenter ego exigendum esse Pontificis Maximi, vel eius Vices-gerentis diploma, quo diplomate certâ fide, & indubitatâ auctoritate constet bonâ cum veniâ, & facultate ipsorum, Reliquias Sanctorum, de quibus aliqua suboriri posset dubitatio, tùm ex Vrbis catacumbis depromptas, tùm reipsâ veras esse Cœlituum exuuias. Alioquin huiuscemodi lipsana vel furtiuè subrepta, vel subdititia, vel adulterina, vel citiùs nulla meritò credas, quandoquidem de ipsorum veritate certi nihil haberi potest.

CAPVT



CAPVT NONVM.

CLERICORVM CVLPA.

CAVSA NONA.



CLERICORVM nomen in præsentiâ generatim sumo, eósque omnes intelligo, qui ex antiquorum Patrum interpretatione *de sorte Domini* sunt, vel quorum *hereditas sors, & pars Dominus* est, siue illi sacris ritè obeundis in Ecclesiâ muneribus solemni inauguratione præfecti sint, siue vltrò eiuratis sæculi pompis, priuatâ sui deuotione vni Deo, & sibi viuant. Ab illorum hominum culpâ, duplici, vt reor, ratione, præsumpta eiusdem generis Reliquiarum multiplicatio, potuit proficisci. Incuriam loquor, & auaritiam, de quibus separatim disputandum, sit ergo

D. Hieron. epist. ad Nepot. Tertull. lib. de Monog. cap. 12. Orig. hom. 7. in Ierem. Vid. Bellarm. lib. de Clericis. cap. 1. Petr. Gregor. lib. 16. Syntagm. iuris. cap. 1. &c.

ARTICVLVS PRIMVS.

Clericorum Incuria.

OB propudiosam Clericorum aliquorum indiligentiam, & rerum sacrarum ignorationem, multis in locis easdem numero Reliquias custodiri existimatum est. Enimverò è tot Clericorum infinitâ penè vi, quàm paucos inuenias, qui euoluendis suarum Ecclesiarum monumentis operam nauent? quàm multos è diuerso in rebus sacris, hoc est, suis peregrinos offendas, qui non ab exteris modò, sed etiam à prophanis hominibus, domestica propè, atque Ecclesiastica doceantur? In quos iure contorqueas illud effatum Posthumiani de S. Martino Episcopo Turonensi à nostratibus solis penè ignoto, cùm exteris omnibus esset notissimus, in hunc modum disserentis, *quò miserior est regio ista nostra, quæ tantum virum cùm in proximo habuerit, nosse non meruit. Nec tamen huic crimini miscebo populares; soli illum*

Seu, Sulpit. dialog. 1. de virtut. Monach Orient cap. 18.

Clerici, soli nesciunt sacerdotes. Nec immeritò nosse illum inuidi noluerunt, quia si virtutes illius nossent, sua vitia cognouissent. Eheu! *Soli* nonnunquam, *Clerici*, *soli nesciunt sacerdotes* quæ in suis Ecclesiis, Cœnobiisve Diuorum pignora habeantur, seruentur, colantur: nosse verò illa non inuidi, sed incurij nolunt, vel quia omnia alia curant, & student, quàm quæ sacra, hoc est, sua sunt, vel esse debent: vel quia *si virtutes Sanctorum*, quorum lipsanis ditantur dicam? an gloriantur? ex veterum monumentorum lectione, & meditatione nossent; *sua*, suorúmque *vitia cognoscerent*, euasuri, Deo fauente, sanctiores. Ex illa ergo probrosa aliquorum Clericorum indiligentia, & incuria factum fuisse vero simillimum est, vt aliquando rerum Ecclesiasticarum, & domesticarum imperiti, eorum Diuorum exuuias habere se crediderint, aut etiamnum possidere se reputent, quorum præter nomen nihil, vel cum nomine ab aliis ob similitudinem indiscreto, perexiguas ad summam particulas habeant, cùm alij reipsâ integris, verísque pignoribus glorientur: à qua spontanea, & vincibili (vt aiunt) ignorantia & persuasione se, fidelésque omnes eximerent, si veteres suarum Ecclesiarum tabulas, fastos, & Ecclesiasticos annales, multo fortè situ obsitos excuterent? Scio equidem, nec sine maximo doloris morsu memini, temporum iniuriâ, bellorum immanitate, furore hostium, atque adeo Hæreticorum aduersus SS. Reliquias immortali odio, & sacrilegâ rabie complures Ecclesiarum commentarios, codices, tabulas, monimentáque excidisse, conflagrasse tabularia, Reliquias abiectas, distractas, comminutas, exustas, in vndas, ventósque dissipatas euanuisse: ac, si quæ pio fortè Catholicorum zelo, impiis ereptæ manibus, clam fuerunt asseruatæ, maioribus nostris harum consciis, tandem ex hac vitâ sublatis, apud posteros alia omnia cogitantes, ac studentes pretiosorum huiuscemodi thesaurorum funditus concidisse memoriam. Hæc, inquam, scio, & memini: mihi tamen pro comperto est, proh dolor! magistrâ experientiâ aliquòs Clericos tam parum de suarum Reliquiarum thesauris esse sollicitos, vt euiusnam nominatim sint Cœlitis sua lipsana certò ex veteribus tabulis cognoscere, ac piam plebem edocere, vel dedocere (si habere se credant, quæ non habent) nihil pensi ducant, quòd iis potissimum summopere vitio verti debere nemo inficias eat, quibus sacrorum Gazophylaciorum, & Ecclesiasticarum fauissarum demandata est cura; quorúmve sunt partes, Sanctorum pignora Fidelibus spectanda, & adoranda exhibere. Quid enim amabo te responsi dent indiligentes hi mystagogi, & Lipsanodochiorum præfecti blandissimè simul, & piè percunctantibus, quibus argumentis cognitum habeant has esse alicuius Diui Reliquias, quas alibi diuersis in templis monstrari, & coli passim constet? si ipsi in veteribus excutiendis monimentis incuriosiùs se gesserint?

Iam cogita quàm sibi grauem infamiæ notam Ecclesiarum Præsules, & Cœnobiorum Præsides inurant quos nulla tangit cura, venerabiles

les suæ diœceseos, & suorum templorum Reliquias perlustrandi, disquirendi, expendendi, approbandi, qualis ea fuit superiori sæculo S. Caroli Borromæi, Cardinalis sanctitate, & purpura Eminentissimi, de quo recurret sermo: & Honorij Bononiensis olim Episcopi, cuius gloriosam sedulitatem S. Petronij inuentis exuuiis Deus voluit remunerari. Nam B. Præsulis corpus in Ecclesia S. Stephani Bononiæ sepulchrum, & multis post sæculis diuino consilio ciuitati ignotum, *Innocentio secundo Pontifice, dum sacras Reliquias Henricus Episcopus recenseret, quas in ea Ecclesia extare à maioribus traditum erat*, Superis fauentibus inuentum est. O quibus incurios Præsules, & Cœnobiarchas verbis Glaber incesseret, quem non puduit aliquorum sui temporis Antistitum incuriam, & sacrilegam cupiditatem incusare! quòd sui muneris negligentes nihil curassent improbissimi nebulonis adulterina, nescio quæ, ementiti Martyris lipsana venditantis audaciam, & impietatem coercere. Hæc aliáque non pauca cùm improbissimus Sycophanta præfidenter mentiretur, *non tamen Morienna* (inquit ille) *vel etiam Cotica, vel Gratinona vrbium Præsules, in quorum diœcesibus talia profanabantur, diligentiam huius rei adhibuerunt quin potius Conciliabula statuentes in aliquibus nihil aliud, nisi inepti lucri quæstum à plebe, simul fauorem fallaciæ exigebant*. At necdum improbitati factum satis: adeò non illorum Præsulum personæ potiùs, quàm veri Præsules, nebulonis sceleratissimi fraudes detegere, & compescere studebant: quin potius basilicam à Mainfredo *Marchionum ditissimo* recèns ædificatam rite inaugurantes *cum cæteris Reliquiarum pignoribus* (vt idem loquitur) *ossa illius profani astu adiuncta, non tamen magnà vtriusque plebis exultatione intromiserunt*. At quo tandem modo fraudem detexerit, alibi opportunior erit dicendi locus.

Car. Sigon. in vit. S. Petron. & Sur. tom. 5. vit. SS. 4. Octob.

Glaber lib. 4. cap. 2.

Demus igitur hoc Caluino veratum Reliquiarum, si diis placet, quàm studiosissimo id voluptatis, vt seriò visitentur, dispiciantur, & recognoscantur Sanctorum lipsana; tùm, ne suppositita pro legitimis, adulterina pro veris, ectypa pro prototypis obtrudantur; tùm maximè, ne tanta earundem Reliquiarum diuersis in locis seruatarum vis siue nocenti, siue in nocenti Clericorum errore inducatur. Perplaceret omnino, mihi crede, zelus, si esset orthodoxus; attamen, vt vt est, etiam ab hoste consilium audire non erit inutile, erit & sequi fructuosum. Quàmquam quid Hæresiarchæ opus consilio, vbi sanctissimorum Ecclesiæ magistratuum decreta satis altè inclamant, prudentes consulunt, facinora potentissimè id persuadent?

Caluin. Admon. sæpe ci.

Non ita pridem canones Concilij Prouincialis Mediolanensis quarti à Carolo Borromæo notissimæ sanctitatis Archiepiscopo, & Cardinali Eminentissimo coacti, strictim attigi: nunc copiosiùs hic exscribere operæ pretium duco: *Sanctorum corpora & sacras Reliquias, Episcopus à Religiosis peritisque sacerdotibus, quos eo potissimum nomine deligat, tùm in vrbe, tùm in diœcesi sua, quibuscunque in Ecclesiis, locisve illa sint, recognosci quàmprimum iubeat. Quâ in cognitione hæc præsten-*

Concil. Prou. Mediol. 4. c. de SS. Reliq.

tur.

tur. Primò, vt scripta, tabulæ, literæ, certi Annalium codices, aliáve ciúsvis generis monimenta, quæ in iis ipsis Ecclesiis, earúmve atriis, atque ædibus, aut aliis locis extant, schedulæque vasculis arcísve sacrarum Reliquiarum affixæ, inclusæue recognoscantur accuratè, ac diligenter. Vnde illarum vel translatio, vel collocatio, ibi facta cognosci, aut alia eiusmodi notitia earundem haberi queat. Testes præterea conquirantur, si qui sunt, qui testimonium dent antiquæ constantísque traditionis, ex qua certà earum cognitio constet, aut alia, sicut opus erit, id generis diligentia ad rei perspicientiam adhibeatur. Deinde, vt singulæ ipsæ sacræ Reliquiæ, quas extare compertum est, reipsà cernantur; Ita tamen, vt vbi sub altaribus, aliísve subterraneis eiusmodi locis corpora Sanctorum collocata, reconditáue sunt; nec ostium, neque fenestra insit, vnde inspici queant, non aperiantur, aut effodiantur; nisi ob causam, aliter Episcopus aliquando faciendum censuerit. Quâ omni recognitione factâ, diligentiáque adhibitâ librum præcipuum certúmque confici Episcopus curet, in quo singulæ, quæ in Ecclesiis, & vrbis, & diœcesis sunt, reliquiæ sacræ, rectè atque ordine describantur, notatis etiam diligenter, non solum iis ipsis Ecclesiis, vbi reconduntur; sed etiam scriptis Annalibus, tabulis, aliísve monumentis, è quibus illarum testimonium constet. Hæc, & alia præclarè facta decreta ibi: hæc sanctissimi Præsulis in SS. Lipsanis recognoscendis, & disquirendis diligentia, & studium singulare fuit, quale in omnibus ac singulis Episcopis sacro-sancta Tridentina Synodus exigit, exoptátque: vt suo loco commodiùs dicemus: & quale Gabriel Palæotus Bononiensis Episcopus, & Cardinalis, S. Caroli virtutum, & piorum facinorum æmulus, vt in se laudabiliter expressit, ita & suis Conciliis, legibúsque sanciuit perquàm sapienter.

Concil. Trid. sess. 25. Concil. Bonon. Prou. supr. cit.

Iam si ad exempla prouocemur, quàm multa suppetunt? vno verbo tot in recognoscendis suarum Ecclesiarum reliquiis impigros habemus Episcopos, & Clericos, quot sui Officij bene scientes, suæ, suorúmque salutis studiosos, & sanctos habemus. At stricti m aliquorum delibemus, & promamus exempla. Cœcilianum Africanæ Ecclesiæ Archidiaconum memorat Optatus Mileuitanus grauiter inuectum fuisse in Lucillam, nescio quam, *fœminam factiosam, quæ ante spiritalem cibum, & potum, os nescio cuius Martyris (si tamen Martyris) libare dicebatur, & cùm præponeret calici salutari, os nescio cuius hominis mortui, & si Martyris, nec dum vindicati, & correctionem Archidiaconi Cæciliani ferre non posset, correpta cum confusione irata discessit.* Peregregium sanè exemplum! in quod semper Clerici intueantur, tùm in SS. Reliquiis magno cum delectu approbatis publicè populo exhibendis, tùm in coërcenda nescio quarum muliercularum præfidentiâ, quæ dum veræ pietatis personam malunt gerere, quàm faciem, in superstitionem planè ridiculam præcipites ruunt, *à qua si eas coneris dimouere correptæ cum confusione* (quâ superbia, & vesaniâ sunt) *iratæ abscedunt*, & spiritu vertiginis abreptæ omnia templa circumeunt, vt in aliquem eorum incidant, quos graphicè suis coloribus apud Timotheum D. Paulus

Optat. Mileuit. lib. 1. adu. Parmen.

lus expressit, *proditores, proteruos, tumidos, & voluptatum amatores magis, quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes*, quos illæ, si quid in diuinis saperent, angue peius vitarent, eos tamen, pro suo genio, sui amantes mulierculæ vnos venantur. *Ex his enim sunt, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis.* Deus bone! quàm ineptis, quàm ridiculis, quàm vanis, quàm periculosis? *Semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes*: & istos hæ pietatis simiæ, vt suæ obsecundantes superstitioni, peruicaciæ, & Beguinicis, seu Lucillicis deuotionibus adblandientes aucupantur, deprædicant, ac tantum non, tanquam à se vindicatos colunt. Atque hæc per transennam incautos præmonuisse sit satis: à diuerticulo rursus ad viam. 2. ad Tim. c. 3. v. 1. & seq.

Quàm accuratè verò Antistites Africani S. Augustini ætate præuiderint, vt non nisi bene certis, exploratísque Sanctorum pignoribus memoriæ martyribus consecrarentur, néve inanibus superstitionibus, & anilibus reuelationibus (quas Catholica semper Ecclesia est auersata) plebs ignara deluderetur: docet Canon Concilij Carthaginensis olim à me laudatus, nec hac in re vmquam satis laudatus, cuius hæc iteratò sunt verba. *Placuit, vt altaria, quæ passim per agros, & vias, tanquam Memoriæ martyrum, condita probantur, ab Episcopis, qui eisdem præsunt locis, si fieri possunt, euertantur; si autem hoc propter tumultus populares non sinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequententent, vt qui rectè sapiant, nullâ ibi superstitione deuincti teneantur. Et omnino nulla Memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ Reliquiæ sint, aut ibi originis alicuius habitationis, vel possessionis vel passionis, fidelissima origine traditur. Nam quæ per somnia, & per inanes quasi reuelationes quorumlibet hominum vbique constituuntur altaria, omnimodè reprobentur.* Totidem verbis, idem sapienter de integro Concilium Africanum decreuit. At quo modo Episcopis certæ reliquiæ esse possint, si veteres Ecclesiarum super his tabulas anquirere, atque examinare contemnant, aut pigritentur? Sed quid Africana loquimur, cum in Europa gloriosæ huiusce Pontificum, & Præsulum sollicitudinis illustria habeamus exempla? Alterum Augustinum Britannia; Martinum Gallia; Italia præter Henricum Bononiensem, Palæottum, & S. Carolum Borromæum memoratos, D. Gregorium Papam dabunt in disquirendis veris, germanísque Diuorum pignoribus, & in euoluendis pro eruenda ipsorum veritate tabularum Ecclesiasticarum monumentis nimiùm quantùm peruigiles, quos ego huc lubenter adducerem, nisi ad sequentis causæ confirmationem ipsos essem aduocaturus. Concil. Carthag. 5. c. 14. Concil. African. cap. 30. Canon. Placuit. de Cõsecr. dist. 1.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Sacrilega quorundam Clericorum auaritia.

QVid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames contra ius, fásque tentare? Proh dolor! ea est mortalium oculorum infirmitas, vt iis inoffensis auri, argentíque nitor affulgere non possit, quod (vt in omni hominum genere dolendum sit) in iis tamen vel maximè deplorandum puto, quibus cùm Deus solus, sua sors, sua hæreditas, suæ diuitiæ, sua possessio debuisset esse, nihilo tamen minus exigui lucelli faciendi cupiditas, & libido nonnumquam eorum aliquos, vsque eò dementauit, vt non modò ex sacrarum Reliquiarum exhibitione quæstum facere, (quod ferendum fortè esset, si ob solum nauatæ operæ laborem à religiosis, piisque Fidelibus vltrò, gratuitóque dantibus acciperetur potiùs aliquid stipis, quàm exigeretur) verùm etiam lucri addendi causa (quod cœlum solúmque detestetur) aliquando subditias sanctorum Reliquias venditare, execrandâ prorsus audaciâ, & impudentiâ non dubitarint. Nec nouum, nec mirum cuipiam videri debet id sacrilegij genus, cùm etiam, aureo Apostolorum sæculo fuerint in Ecclesia Dei aliqui falsi fratres, qui D. Paulo ingemiscente *existimarent quæstum esse pietatem.* Quales ab illo tempore fuere illi, de quibus S.Gislenum grauissimas apud ducem Gislebertum querelas deposuisse apud Surium leges.

Fagund. Sanch. &c. alij loc. supr. cit.

1. ad Tim. cap. 6.

Fr. Io. Bunderius scut. fidel. tit. 46. cap. 3.

Sur. tom. 5. vit. SS. 3. Oct. in vit. S. Gerard.

Toti sunt Sectariorum buccinatores non tam in quorundam Clericorum auaritiâ, & rapacitate nigro theta (vt sic loquar) damnandâ, quod ferendum, & laudandum esset, quàm in Ecclesiâ Catholica perquàm mendaciter traducendâ, perinde ac si diuorum Reliquias, earúmque venerationem vnius lucelli citiùs faciendi, quàm pietatis ergò promouendæ commenta esset: Hinc ansam arripuit Sleidanus Caluinum suum, vel ipsum (vt præfert nomen) Lucianum in Caluino rediuiuum deprædicare, quòd in sacrarum Reliquiarum religionem, & cultum mordacissimo inuectus sit stylo, quasi de Ecclesiâ vniuersâ istiusmodi sacrilegiorum autore potiùs, quàm hoste, & (vt reipsà est) vindice acerrimâ trophæum ære perennius erexisset. Amphibium animal, Erasmus modò catholicè probans sacrorum lipsanorum cultum, modò hæreticè improbans, semper tamen paulò modestiùs, quàm plerique alij symmystæ sui, eorum Clericorum duntaxat sacrilegam damnat cupiditatem, qui in Diuorum pignoribus exhibendis emolumentum venantur. *Si gestare lignum crucis* (inquit perperam) *est superstitiosum, quid dicendum de nobis, qui viles, aut etiam fictas SS. Reliquias non tantum veneramur* (*quod esset pio affectui condonandum*) *sed ostentamus, & obtrudimus ad quæstum?* & post pauca profitetur se tales Reliquias (vt vocat)

Sleidan. lib. 5. suor. Comment.

Erasm. in respons. ad lib. 24. Alberti Pij Carpensis Episc. cap. de vener. Reliq. Veluanus idē obtrudit Orthodoxo apud citat. Bunderium.

vocat) *sordidas*, impudenter obtrusas ad lucrum, non alias, damnare, quas postquam aliquot huiusmodi se vidisse narrauit, (haud scio, an iurato credendum sit) continenter addit, *sed pius semper pius vixit, nihil harum rerum vidit, aut audiuit*. Haud dubiè, non enim pro suâ eruditione, ac diuini honoris zelo id tulisset re, & nomine Pius Antistes. Denique alibi velut è tripode sic fatur: *Ego verò non tam damno eos, qui hoc simplici quadam superstitione faciunt, quàm qui emolumentum suum secuti, ea, quæ tolerabilia fortasse sunt, pro summâ, & absolutâ pietate efferunt, & suo commodo fouent imperitiam plebis, quam ne ego quidem omnino condemno; Verùm non feram, vt media pro summis, media pro maximis habeantur*. Hæc ille ambidexter. Audiamus & alterum, quem veritatis lux ad fauendum sacrarum Reliquiarum venerationi quodammodò inuitum subegit. Is est Henricus Cornelius Agrippa, cuius hæc oratio est. *Fatemur nec quisquam negare poterit*, Obseruatu dignissimam vocem! *fatemur*, inquit, *nec quisquam negare poterit sanctas esse sanctorum Reliquias, & quæ æternitatis gloriâ fulgebunt aliquando; ideóque à nobis summâ reuerentiâ colẽdas. Fateamur etiam Sanctos ipsos, licet in omnibus locis exaudiant, piè inuocantes; magis tamen, vbi aliquid Reliquiarum suarum, velut pignus, habent*. Hactenus Catholicè & piè: Vox illa, vox Iacob est; en iam tibi manus Esau, cùm pergit scribere: *Sed quia non omnium certitudo eadem est, cùm variis in locis putantur sanctorum eorundem, eadem retineri pignora, necesse est horum, aut illorum stultam* (prudentiùs dixisset, *Piam*) *confidentiam esse oportere. Ne igitur in Idololatriam, vel superstitionem incidamus, tutius est fidem rebus visibilibus non affigere, sed colere Sanctos in spiritu, & veritate, per dominum nostrum Iesum Christum illorum opem implorantes. Certiores itaque Reliquias, & digniores non habemus Sacramento corporis Christi* (bellè hoc quidem, & verè) *quod vnicum Sanctum Sanctorum in omnibus templis nostris seruatur, qui coram Christum veneramur & adoramus præsentem, qui licet vbique præsens sit, vt Deus, ibi tamen etiam corporaliter præsens est, vt homo Deus, sed auarum sacerdotale genus, auari homines, non modò ex signis, & lapidibus, sed etiam ex mortuorum ossibus, & sanctorum Martyrum Reliquiis materiam auaritiæ captantes suæ rapinæ instrumenta fecerunt*. Viden' vt duplicem auaritiæ fomitem aperiat Agrippa? videlicet subdititia mortuorum ossa, & venerabiles martyrum Reliquias, quibus aliquæ Clericorum pestes ad explendam suæ rapacitatis inexplebilem sitim abutuntur, & hoc non inuiti damus: at quod calumniam toti *Sacerdotali generi* impudenter impegit crimen, & pernegamus verè, & falsi iure damnamus. Quod autem de Eucharisticâ Christi Seruatoris presentiâ verissimè professus est, audiant, & profiteantur aliquandò Heterodoxi.

Erasm. in Enchirid.

Henr. Cornel. Agrip. de Vanit. scientiar. cap. 73. & rursc. 97. & 143.

Idem ex Clichtoueo videtur mutuatus. infr. lib. 2. cap. & art. vlt.

Ab illâ tamen aliquorum Clericorum) si tamen Clerici, ni potiùs extra Clerum, & sortem Dei) ab illa, inquam, impotenti, & sacrilega nonnullorum Clericorum auaritia, & lucri faciendi libidine fieri potuisse non diffiteor, vt eædem omnino Reliquiæ diuersis in locis

monstrari, custodiri, & coli existimarentur; quòd illa Clericorum monstra, & orthodoxæ fidei pestes ad maiorem quæstum sibi comparandum, Diuorum (quos maximi apud Orthodoxos omnes nominis esse nouerat) venerabiles Reliquias, pro aliis obscurioris notæ, & famæ pignoribus asseruare se iactitarent, vel quas nullas habebant (quod omnibus diris est deuouendum) sacrilegâ impudentiâ, & mendacissimâ improbitate obtruderent.

Ex hac hominum fæce, potiùs quàm classe prodiit olim seductor ille, atque (vt verius loquar) Clericus personatus Burdegalâ oriundus, de cuius incredibili præfidentiâ, & impietate scribit in hæc verba Sanctus Gregorius Turonensis: *Hic Colobio indutus erat, amictus desuper Sindone crucem ferens, de quâ dependebant ampullæ quas dicebat oleum Sanctum habere. Aiebat enim se de Hispanis aduentare, ac Reliquias Beatissimorum martyrum, Vincentij leuitæ, Felicísque martyris exhibere. Sed cùm iam vespere ad Basilicam S. Martini Turonos aduenisset, & nos conuiuio resideremus, mandatum misit dicens: Occurrant Reliquiis Sanctis. Cui nos, quia hora iam præterierat, diximus. Requiescant Beatæ Reliquiæ super altarium, donec mane procedamus ad occursum earum; Sed hic primo diluculo consurgens, nec expectatis nobis, aduenit cum cruce suâ, & in cellulâ nostrâ adfuit.* Hæc, & alia Clericus personatus, & de illo sanctissimus Antistes, quæ sequenti capite reddemus. Ei sanctitate, doctrinâ, & nomine suppar, dignitate maior, Gregorius Papa Græcorum Monachorum abominandas fraudes memorans: *Quidam* (inquit) *Monachi Græci, huc ante biennium venientes nocturno silentio iuxta Ecclesiam sancti Pauli corpora mortuorum in campo iacentia effodiebant, atque eorum ossa recōdebant, seruantes sibi dum recederent. Qui cùm deprehensi, & cur hoc facerent, diligenter fuissent discussi, confessi sunt, quòd illa ossa ad Græciam essent, tanquam sanctorum Reliquias, portaturi.* Sic ille. Quis iam dubitet impios illos corporum effossorum pro sacris Reliquiis nundinatores suis mendaciis effecisse, vt Romæ, & in Græcia, & in variis Græciæ locis eædem eorundem Sanctorum pignora crederentur asseruari? Vigebat & S. Augustini ætate in Africa impiissimorum eiusmodi monachorum, an citiùs nebulonum? sacrilega perfidia & rapacitas, quos velut Dæmonis emissarios egregiâ oratione ita depingit: *Tam multos hypocritas sub habitu monachorum vsquequaque Dæmon dispersit, circumeuntes Prouincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedētes. Alij membra Sanctorum martyrum (si tamen Martyrum) venditant. Alij fimbrias, & philacteria sua magnificant*, &c.

S. Greg. Turon. lib. 9 hist. Franc. cap. 6.

S. Greg. Pap. lib. 3. epist. 12. & 30.

S. August. lib. de oper. Monach. cap. 28.

At quàm graui odio, atque execratione, quà summi Pontifices, quà Imperatores Christianissimi, quà Ecclesiæ Carthaginensis, Gallicanæ, & præ omnibus Romanæ Patres istiusmodi Sycophantarum citiùs, quàm Clericorum imposturas fuerint semper prosequuti, non erit inutile ex singulorum sanctionibus intelligere, vt, vel sic *obstruatur os loquentium iniqua*, & ab Ecclesiæ Catholicæ sensis quàm longissimè aliena. S. Gregorij Pontificis maximi eâ in re studium, ex his suis ad

Augustini

Augustini Cantuariensis Episcopi responsis cognoscere licet. *Fecimus, quod petisti quatenus populus, qui in loco quodam S. Sixti martyris corpus duxerunt venerari: quod tuæ fraternitati nec verum, nec veraciter Sanctum videtur, certa Sanctissimi & probatissimi Martyris beneficia suscipiens colere incerta non debeat. Mihi tamen videtur, quia si corpus, quod à populo cuiusdam martyris esse creditur, nullis illic miraculis coruscat, & neque aliqui de antiquioribus existant, qui se à parentibus passionem eius audisse fateantur: ita reliquiæ, quas petisti, seorsum condendæ sunt, vt locus in quo præfatum corpus iacet modis omnibus obstruatur, nec permittatur populus certum deserere, & incertum venerari.* Quid autem diutissimè post S. Gregorium super eadem re statuerit Innocentius Papa III. habes in Concilij Lateranensis canonibus, vti & ea, quæ Paulus III. in Concilio Tridentino decreuerit: consules, vt breuior fiam, citatum locum.

S. Gregor. Pont. lib. vii. ep. ad 9. August. interrog. cap. 9.

Concil. Lateran. cap. 62. Concil. Trident. sess. 25. sub fin.

Theodosius Imperator religiosissimus lege latâ coërcuit Pseudomonachos, nescio quos, qui circumeuntes prouincias subdititiorum Martyrum lipsana de loco in locum (vt dixit Augustinus) transferebant, distrahebant, mercabantur: dabo inferius verba: Cuius Zelum æmulatus Christianissimus Imperator Carolus, re, ac nomine Magnus consentaneè Concilij Africani decretis sanctè vetuit *ne falsa nomina Martyrum, & incerta Sanctorum memoriæ venerentur.* Haud dispari zelo Synodus, Turoni anno quingentesimo octuagesimo tertio supra millesimum, habita hæc prudenter decreuit. *Cùm seditionum rabie, & bellorum vi, & iniuriâ iam ab aliquot annis multæ sanctorum Reliquiæ combustæ, aliæ disiectæ fuerint, atque nonnulli ex his, quasdam pietate, & religione moti exceperint, nonnulli etiam auaritiâ, aut alio impio quæstu inuitati aliunde ossa desumpserint, quæ Sanctorum esse Reliquias ementiuntur. Hæc Synodus ad tollendam omnem Idololatriæ speciem, & occasionem, ne quid Reliquiarum nomine, nisi adhibitâ diligenti cognitione, & consultatione, iuxta canonicas Sanctiones populo nouiter colendum exhibeatur sub eâdem anathematis pœnâ prohibet, & si quæ à dictis annis fuerunt proposita, à conspectu hominum auferri, & recludi iubet, donec Episcopi illa verè esse Sanctorum iudicauerint. Sacris quippe sanctionibus magis aduersari certum est impurorum & sceleratorum ossa aliquo honore colere, quàm veras Sanctorum Reliquias debita veneratione carere.*

Capitul. Caroli M. lege 42.

Bochell. lib 4. decr. Eccl. Gallic. tit. 5. cap. 8.

Non repeto Concilij Africani sanctionem olim citatam quam Synodus Carthaginensis quinta posteà confirmauit, vt Patrum Ecclesiæ Gallicanæ sententiam hic reddam. In Franciæ Synodo (teste Sirmondo) Bonifacius Archiepiscopus primùm damnauit Adelbertum, & Clementem nequissimos Reliquiarum propolas, quos deinde Zacharias Pontifex maximus, in Concilio Romano anathematis fulmine perculit, vniuersum autem concilium dixit: *Adelbertus cuius nobis actus, & nefaria commenta relata sunt; quia se Apostolum censuit nominare, & capillos, atque vngulas suas pro sanctuario exhibuit, seducens populos diuersis erroribus, & reliqua, Ab omni officio sacerdotali deponatur agens pœnitentiam.*

Concil. African. cap. 30. cit.

Concil. Carthag. c. 42.

Sirmond. tom. 1. Conc. Gallican. pag. 556.

nitentiam pro commissis: Sin autem in his erroribus perseuerauerit, & amplius populum seduxerit. Sit anathema, & æterno Dei iudicio condemnetur. Hoc fuit in sacrilegum Sycophantæ impurissimi caput contortum anathematis fulmen.

Illustrissimum est D. Martini facinus, & singularis sagacitas, ac prudentia in detegenda fraude aliquorum Monachorum, Clericorum, & Presbyterorum sacrilegis lucris inhiantium, Do S. Sulpitij Seueri Episcopi Bituricensis rem enarrantis verba: *Erat haud longè ab oppido proximus monasterij locus, quem falsa hominum opinio velut consepultis ibi martyribus sacrauerat; Nam & altare ibi à superioribus Episcopis habebatur: Sed Martinus non temerè adhibens incertis fidem, ab his, qui maiores erant natu, presbyteris, vel Clericis flagitabat sibi nomen Martyris, vel tempora passionis ostendi, grandi se scrupulo permoueri, quod nihil certi constans sibi maiorum memoria tradidisset. Cùm ergo aliquandiu in loco illo se abstinuisset, nec derogans religioni, quia incertus erat; nec auctoritatem suam vulgo accommodans, ne superstitio conualesceret: quodam die paucis secum adhibitis fratribus, ad locum pergit. Deinde super sepulchrum adstans orauit ad Dominum, vt qui esset, vel cuius meriti sepultus ostenderet. Tum conuersus ad læuam, vidit prope assistere vmbram sordidam, trucem: imperat nomen, meritúmque, vt loqueretur: nomen edicit, de crimine confitetur: latronem se fuisse ob scelera percussum, vulgi errore celebratum, sibi nihil cum Martyribus esse commune: cùm illos gloria, se pœna retineret. Mirum in modum vocem loquentis, qui aderant, audiebant, personam tamen non videbant. Tum Martinus, quod vidisset, exposuit: iussitque ex eo loco altare, quod ibi fuerat, submoueri: atque ita populum superstitionis illius absoluit errore.* O Sanctissimi Præsulis vigilantiam! quam in Diuorum lipsanis recognoscendis insigniter contulit. O paternam in suos pietatem! quâ eos præsumptâ pignorum religione delusos adeò prudenter innocentem suum errorem dedocuit. O zelum! in quem omnes Ecclesiæ Præsules non sine fructu possint, ac debeant intueri, quo suspectam eiusdem generis Reliquiarum, quæ tot diuersis in locis feruntur seruari, multitudinem ex aliquorum Clericorum supinâ indiligentiâ, incuriâ, & rapacitate nonnunquam sacrilegâ, fortè profectam, vel accidant funditus, si fictitiæ & nullæ sint; vel magis, ac magis confirment, si veræ fuerint, atque germanæ.

Sulp. Seuer. lib. de vit. S. Mart. cap. 8.

CAPVT



CAPVT DECIMVM.

IMPIA SYCOPHANTARVM Improbitas.

CAVSA DECIMA.



ON in postremis causis numeranda est quorundam aliorum nebulonum, & impostorum impia omnino, proiectáque audacia. *Multi enim sunt*, inquit Gregorius Turonensis, *qui has seductiones circa Sanctorum lipsana exercentes, populum rusticum in errorem ponere non desistunt; de quibus, vt opinor, & Dominus in Euangelio ait, consurgere in nouissimis temporibus Pseudochristos, & Pseudoprophetas, qui dantes signa, & prodigia, etiam electos in errorem inducant.* Hæ similes generis humani, ac Religionis Christianæ pestes (licet fortè iam nullæ sint, licet contrà Lipsanomachi censeant, loquantur, scribant) fuere tamen olim, & esse deinceps possunt, à quibus ea multitudo earundem Reliquiarum originem sumere potuit, vt quidem mea sententia est, nec immeritò. Quo autem pacto illud contigerit, duas sequentibus articulis suggero rationes.

Greg. Turon. lib. 9. hist. Franc. cap. 6.

Matth. cap. 24. v. 24. Marc. cap. 13. v. 22.

Caluin. Bez. Erasm. Agripp. & alij citati hæret.

ARTICVLVS PRIMVS.

Adulterinæ SS. Reliquiæ pro veris venditæ.

PRimus hic modus esto, cuius non vnum exemplum scriptores sacri suppeditant. Ex illorum sycophantarum numero fuit infamis ille, de quo proximè memini; Adelbertus, natione, heu! Gallus, at degener, & sectâ hæreticus, quem in hunc modum Bonifacius ad Zachariam Pontificem scribens natiuis coloribus depingit. *In primæuâ ætate hypocrita fuit, dicens, quòd sibi Angelus Domini in specie hominis, de exteris finibus mundi miræ, & tamen incertæ sanctitatis reliquias attulerit, & exinde posset omnia, quæcumque*

Sirmōd. supr. cit. pag. 553.

à Deo

à Deo posceret impetrare, & post pauca: *Vngulas quoque, & capillos suos dedit ad honorificandum, & portandum cum Reliquiis S. Petri Apostolorum Principis*, & post aliqua rursus: *Quis aliquando Apostolorum, aut quilibet Sanctorum ex capillis suis, aut vngulis Sanctuaria populis exhibuerunt, vt ille sacrilegus, & perniciosus Adelbertus.* Ecce tibi, vt sceleratissimus nebulo suos Harpyiæ vngues, & capillos pro sancti cuiuspiam (vt est credibile) nominatissimi pignoribus vnà cum S. Petri (si diis placet) lipsanis, quò maiorem faceret quæstum, venditare non verebatur. Amiantus tãtam cum ligno, & quidem crucis similitudinem habet, *vt non desint Impostores, qui eam simplicibus mulierculis ostendant, vendántque pro ligno Crucis Saluatoris nostri*, vt loquitur, testatúrque Matthiolus: Insignem præstigiatoris Burdegalensis in eadem Reliquiarum adulterinarum venditatione fraudem superiùs perstrinximus; quo autem pacto impudentissimi Sycophantæ fraus, atque præstigiæ à Ragnemodo Parisiensium Episcopo detectæ fuerint, disces ex Gregorio Turonensi, ex quo tantum audies hîc, quas ille circumferet Reliquias. *Sacerdos eum intelligens seductorem, iussit eum recludi in Cellulam; perscrutatísque cunctis, quæ habebat, inuenit cum eo sacculum magnum plenum de radicibus diuersarum herbarum, ibique, & dentes talpæ, & ossa murium, & vngues, atque adipes vrsinos; vidénsque hæc maleficia esse cuncta iussit in fulmen proiici, ablatáque ei cruce iussit eum à termino Parisiacæ vrbis excludi. Sed hic iterum factâ alterâ cruce, cœpit, quæ gesserat, exercere: captúsque ab Archidiacono, & catenis vinctus, iussus est custodiri.* Hæc, & aliqua alia eiusdem scelestissimi Sycophantæ facinora pluribus Gregorius est prosequutus. Pari sacrilegio, & audaci auaritiâ fuisse nescio quem sacerdotem Annales Cistercienses memorant ex Cæsario Heisterbacensi cuius hæc verba sunt: *Miles quidam prædictum martyrem B. Thomam Cantuariensem ardentissimè diligens, si quid de illius posset habere reliquiis, circumquaque inuestigauit. Hoc cùm audisset quidam dolosus sacerdos, in cuius domo hospitabatur, ait illi. Ego frænum, quo vsus est B. Thomas, penes me habeo, & sæpe virtutes eius expertus sum, quod miles audiens, & ita esse putans sacerdoti pecuniam postulatam lætus obtulit, & frœnum cum multâ deuotione recepit. Deus verò, cui nihil est impossibile, fidem militis remunerare volens ad honorem sui martyris multa per idem frænum facere dignatus est miracula, quod miles considerans in honorem martyris Ecclesiam condidit, loco Reliquiarum frænum sacerdotis pessimi in eâ reponens.* Sic ille, qui tamen silentio pressit, quâ demùm ratione huiusce sacrilegi mangonis potiùs, quàm sacerdotis fallacia, & nundinatio detecta fuerint, intereà mirari satis non possum infinitam Dei opt. max. bonitatem, quâ *diligentibus eum omnia cooperantur in bonum.* Quid veras inuictissimi Martyris Reliquias patrasse putes, si vel adulterinis ea procudendorum miraculorum diuinitùs affusa, & donata vis fuit? Non multùm huic absimilem, alterius impudentissimi lipsanorum propolæ fraudem, atque longè impiissimam auaritiam proximè consequenti articulo, pro D. Augustini exuuiis falsò

Matthiol. in lib. 5. Dioscor. cap. 13.

Gregor. supr. cit. lib. 9. hist. Franc. cap. 6.

Manrique Annal. Cisterc. ad ann. 1171. cap. 3. n. 3.

Rom. cap. 8. v. 28.

falsò diuendendis deinceps dabo. An ab eodem sacrilegæ cupiditatis, aut potiùs supinæ ignorantiæ fonte profecta fuerit canini cadaueris adoratio, quam Viennæ olim vsurpatam strictim attigit piissimus Academiæ Parisiensis Cancellarius Ioannes Gerson, haud equidem scio. Certè Præsulis illius, qui tùm *sanctæ Ciuitatis*, Ecclesiæque flectebat gubernacula, nunquam satis vituperandam socordiam non possum non damnare, ni vecors sim, qui nihil pensi duceret in peruigilem Ciuicarum suarum Reliquiarum visitationem incumbere, ne quid religio, piarúmque mentium in Cœlites studium caperet detrimenti. Mitto dicere sacrilegum Reliquiarum propolam à Deueardo, religiosissimo Sacerdote, ad Patres Concilij Romani delatum fuisse, quòd epistolam mentiretur, & ostentaret, nescio quam à Iesu Hierosolymas è cœlo delapsam, à S. Michaele ad Portam Effrem inuentam, atque adeo à Leorâ exscriptam: mendacia mera, nugas maximas. Polydorus Virgilius in gyrouagos quosdam Sycophantas iure inuehitur, qui quæstus faciendi causâ, *Ideæ Sacerdotes gnauiter æmulantes insidiosam pietatem, tanquam Diuorum omnium ministratores*, adulterinas haud dubiè *Sanctorum Reliquias è pyxide depromebant*, contra Conciliorum Sanctiones, *& magnâ veneratione offerentibus osculanda porrigebant*. Nec minus lepidè fiber Erasmus eosdem nebulones inuadens, illos Sycophantas cum circumforaneis, & seplasiis quibusdam circulatoribus componit, *qui mensâ in foro positâ ostentant dentes eductos, lapides è vesicis erutos, diplomata magnatum, quos à morte reuocarint, magnáque vanitate denarrant sua præclara gesta quæstus causâ. Horum non dissimiles sunt, quos nimium diu mundus tulit, qui circumferunt Reliquias* (scilicet adulterinas) *& statuas Sanctorum, offerúntque simplicibus osculandas; ostendunt è foro sumptos carbones mentientes his assum fuisse Laurentium.*

Gers. tract. 8. super Magnificat. partic. 3. Sirmond. loc. supr. cit. p. 555. Polyd. Virgil. lib. 7. de rer. inuent. cap. 7.

Erasm. Colloq. peregr. cit. & lib. 2. Ecclesiastæ.

His proximum annumero Londoniensis plebeculæ facinus solo, cœlóque detestandum, quod Neubringensis in literas missum posteritati transmisit. Cùm sceleratissimum hominem sua scelera egissent in malam crucem, incerto, vt fit, auctore sparsa, & falsò iactata iuit in vulgus fama, ægrum nescio quem à solo catenæ, quâ Sicarius ille in custodiâ fuerat oneratus, contactu momentò conualuisse. Insana extemplò plebecula sparsum rumorem auidis pro more auribus ebibens, cruciarium, Guilielmum nomine, patriâ Lundoniensem, vulgi errore martyrem acclamare, cadauer eius, dignam vulturibus prædam, venerationi habere, crucem, è quâ pependerat, diripere, demum ipsammet humum, in quâ patibulum depactum fuerat, sedulò, & certatim pro se quisque defodere, ac proh scelus! reliquiarum loco asseruare, simul & piâ prosequi veneratione. Hinc discant Præsules quo studio peruigiles videre, & accurare debeant, ne quisquam vitæ sanctimoniâ clarus, & nullo planè modo adhuc ab Ecclesiâ, summôve Pontifice vindicatus cœcâ vesanæ plebeculæ religione colatur, publicè vocetur in vota, votiuis ornetur donariis, aliísque id genus venera-

Neubring. lib. 5. cap. 20. & 21.

tionis insignibus afficiatur; néve vnquam adulterinæ Diuorum exuuiæ habeantur pro veris, cum maximo verarum reliquiarum contemptu, & honoris, cultúsque iisdem debiti perquàm iniquâ iacturâ: quem honorem & cultum Lipsanomachi Cœlitibus *inuident*, vt de Arianis refert Ambrosius, Dæmones auersantur, & (quod per se ipsi non possunt) per suos emissarios, funditùs exterminare moliuntur.

S. Ambros. serm. cit. de SS. Geruas. & Protas.

Ad istam hominum pestem, & fraudes ab Ecclesiâ, & populo Christiano longissimè submouendas, penitúsque abolendas, quid moliti fuerint Imperatores Christianissimi, Pontifices summi, atque adeò Concilia ritè coacta, capite proximo retulimus. Quapropter Petrus Gregorius, Medina, Puteanus, cum reliqua Theologorum schola iure censent Reliquias esse venerandas, *si authenticæ sint, & ab Episcopis, & sede Apostolicâ, vel à viris fide dignissimis habeant testimonium. Sunt enim multi circulatores, qui commentitias ferunt reliquias, vt simplici populo imponant.* Incubuit in eam curam impensè S. Carolus Borromæus, cùm in quarto à se coacto Mediolanensi Concilio primùm decreuit, vt in vnum librum in Archiuio Episcopali seruandum referatur, *Si quas deinceps sacras Reliquias comperiri, aut aliunde asportari contigerit, vbi primum ab Episcopo recognitæ & probatæ sunt. Nec verò sine scripta Episcopi probatione etiam Regularibus, & aliis exemptis vllas nouas Reliquias euulgari, aut populo exponi, venerandásque proponi patiatur Episcopus, antequam à se recognitæ, & probatæ illæ sint.* Secundò cùm sanciuit: *Quia plerumque fit, vt vulgi concursu populique clamore aliquid pro miraculo, aut sacrâ Reliquiâ euulgetur, quod reuera non est, studeat hoc summopere vbi eiusmodi occasio se obtulerit, vt vulgi clamoribus piè obsistat, donec rei veritas legitimè comprobata constet.* Nouerat videlicet Sanctissimus Cardinalis permultos esse quibus (vt Tacitus loquitur,) *noua, & ancipitia præcolere auida, & plerunque fallax ambitio est.*

Petr. Greg. lib. 2. Synt. Iuris, cap. 12. Medin. in 3. part. quæst. 25. Putean. Ibid. art. 2.

Concil. Prou. Mediol. 4. c. 2. de SS. Reliq.

Non minor super hac re sollicitudo, ac studium Gallicanæ Ecclesiæ Præsules tenuere. Synodus Turonensis ab illustrissimo, iuxta ac reuerendissimo Domino Simone à Maillé Archiepiscopo coacta, & anno millesimo quingentesimo octuagesimo tertio habita (vt est apud Bochellum) quid olim sanciuerit, suprà retulimus. Vno, alteróve antè sæculo, nempe millesimo, trecentesimo octuagesimo septimo, Reuerendissimus Pictauiensis Episcopus Simon de Cramando, celebratâ Synodo hæc decreuerat pari aduersus adulterina lipsana odio, & detestatione inflammatus. *Quod ad nostram notitiam peruenerit populum simplicem ad exhortationem, & prædicationem quorundam infidelium hominum, corpora mortuorum de nouo reperta sæpe adorare, & ipsa corpora pro Sanctis venerari: præcipimus Rectoribus Ecclesiarum Parrochialium sub pœnâ excommunicationis, quòd talia in suis Parrochiis de cætero fieri nullo modo permittant. Si qui verò sint, qui contra inhibitionem ipsorum prædicta corpora venerari, vel honorare præsumpserint, nobis, vel Vicario, seu Officiali nostro significent, & Deo dante eos taliter puniemus, quòd cæteris cedet in exemplum.* Hactenus Synodi Prouinciales Nostratium.

Bochell. lib. 4. decret. Eccl. Gall. cit. 5. cap. 8.

Idem ibid. cap. 13. & 15. ex Synod. Tholos. ann. 1590.

Noſtratium Epiſcoporum. Iuxta illos Ioannes Lucius in ſupremâ Pariſienſium Curiâ Procurator generalis inter cætera ſic infit. *Sacerdotes aliquando fuiſſe non negauerim eò cupiditatis, & auaritiæ perductos, vt Diuorum reliquias ementirentur, eorúmque rumore hominibus accitis, & vndique confluentibus vim æris ingentem contraherent, piis interim mentibus imponentes egregiè. Quod ſanè inter cætera, quæ iamdiu à multis ſacerdotibus contra ius, & fas deſignata ſunt, quæque à religione deſciſcentibus anſam calumniandi præbuiſſe videmus, argumentum fuit nec leuiſſimum meâ quidem ſententiâ. Ante annos centum quadraginta quatuor inter Cœnobitas Diuorum Petri, & Lupi ſuborta eſt controuerſia, quòd vtrique Diui Lupi reliquias apud ſeſe eſſe prædicarent, ſtipémque cogerent eo nomine. Tertiò Nonas Octobris anni milleſimi quadringenteſimi quinti placuit vtroſque quidem ſtipem poſſe cogere, ſed ſi à Reliquiarum iactatione temperarent. Decretum interim Archiepiſcopum Senonenſem Præſulibus aliquot Prouincialibus in conſilium adhibitis, de reliquiis inquiſiturum, ac relaturum.* Hoc Pariſienſe prudentiſſimum Senatuſconſultum fuit, hæc Præſulibus fortè incuriis impoſita prouincia, ne qua de ſacrarum Reliquiarum veneratione, auctoritate, veritatéque fieret apud Fideles deceſſio. Io. Lucius lib. 1. Placitor. apud Bochell. cit. cap. 14.

Incubuiſſe in eandem curam quàm ſtudioſiſſimè Beatum Anſelmum, Galliæ peræquè, ac Britanniæ micantiſſimum lumen, ſatis ſupérque produnt, & probant huiuſmodi ad Stephanum Diaconum datæ literæ. *Mando vobis, vt eatis ad Rumeſei, & dicatis, & dicendo præcipiatis Dominæ Abbatiſſæ & Sanctimonialibus ex noſtrâ parte, & ex parte Epiſcopi & veſtrâ, vt ſi nolint me prohibere, illis diuinum officium facere, tunc ex toto prohibeant, vt nullus honor, qui alicui Sancto exhiberi debet, exhibeatur ab illis, aut permittant ab aliquo exhiberi mortuo illi, quem quidem volunt pro Sancto haberi. Filium autem ipſius mortui propellite à villâ, nec ampliùs conuerſetur in illâ.* Audin' quàm ſeueræ ſententiæ fulmine ſanctus Antiſtes percellat Antiſtitam Rumeſienſem, & filium demortui, cui religioſus cultus à virginibus Rumeſienſis Cœnobij nimis temerè, inconſultíſque Præſulibus exhiberi occœperat. Ecquis autem extiterit ille, qui pro ſancto habebatur, docet Picardus S. Anſelmi operum ſcholiaſtes totidem verbis. *Homo ille quorundam opinione ſanctus, à cuius cultu, & honore Anſelmus præcipit Rumeſienſes Virgines abſtinere, eſt Valdeoſus, Valtheoſus, Valdeſus, ſeu Veldeoſus* (ea eſt in ipſius nomenclaturâ opinionum varietas) *Comes nobiliſſimus, quem Guilielmus Nothus ob leuiſſimam coniurationis ſuſpicionem capite damnarat. Innocentiam verò eius multa, eáque præclara miracula ſignificarunt*, teſtibus duobus Anglicanis Scriptoribus, quos citat. Papæ! ſiccine vir ſanctitate, animi moderatione, atque doctrinâ præſtantiſſimus Comitem natalium ſplendore conſpicuum, vitæ ſanctimoniâ commendabilem, innocentiâ præſtantem, atque adeò fortiſſimi (vt ita dicam) martyrij ſpecie, miraculorúmque luce ſuſpiciendum promeritis priuari honoribus velit? Virginibus ipſius fœlicitatem deuenerantibus

S. Anſelm. lib. 3. ep. 52

Io. Picard. in epiſt. cit. S. Anſel.

grauissimas intentet minas? simul & filium parentis innocentissimi (vti par erat) studiosissimum è patrio solo exturbari iubeat indictâ causâ, vel potiùs sine causâ? Idne leges humanæ? Christiana mansuetudo? æquitas iudicis? Pontificis pietas ferant? Absit, absit, vt adeò sinistrè, ac improbè de tanto Antistite sentiamus? sapienter contrà, déque Pontificiæ prudentiæ præceptis, & disciplinâ Ecclesiasticâ gesta ab ipso fuisse omnia meritò credendum est. Enimverò Rumesiensis Antistita, vel Comitis innocentis iniquâ nece, vel cuiuspiam miraculi permota rumusculo (vt ad credendum omnia cereum est fœminarum genus, atque imprimis fraudium inscia virgo) publicas fundebat preces, & vota nuncupabat ei, quem ob initam conspirationem capite damnatum sciebant omnes, innocentem perpauci, & quem nondum Ecclesia retulisset in Diuos. Anselmus, quo erat religionis integerrimæ aduersus Sanctorum lipsana studio, iure optimo iussit piam cœteroquin Antistitam ab eiuscemodi hominis nondum vindicati cultu sibi penitùs temperare. Non enim publici Cœlituum, sacrarúmque reliquiarum honores ab ardente, præcipitíque insanæ plebeculæ zelo, ac pietate, sed à maturo Apostolicæ sedis, & Catholicæ Ecclesiæ iudicio, ac definitione pendent. Veniebat vigilantissimo Præsuli in mentem, ac recordationem editum à Synodo Londini habita æræ Christianæ anno 1202. decretum, quod in hæc verba Picardus refert. *Ne quis temerariâ nouitate corporibus mortuorum, aut fontibus, aut aliis rebus (quod contigisse nouimus) sine Episcopali auctoritate reuerentiam Sanctitatis exhibeat.* Quo interdicto S. Anselmus animatus subitaneas & cœcas plebeculæ superstitiones compescere sategit, quas præcox nimium religio, & immaturior pietas pepererant: non autem antiquam, laudabilem, Deo, & Cœlitibus omnibus acceptissimam Ecclesiæ consuetudinem in apotheosi Sanctorum, & venerabilium reliquiarum cultu religiosè obseruari solitam aspernari, atque damnare tentauit. Ad extremum historiæ scientissimus Antistes probè nouerat contigisse aliquando, vt improbissimi quidam Sycophantæ commentitiis lipsanis quæstum facturi credulæ Fidelium pietati fraudulenter imponere non dubitarint: ex quo verarum Reliquiarum veneratio non leue iam subiisset, essétque deinceps subitura detrimentum, ni maturrimè gliscenti malo austerior adhiberetur medicina.

Picard. loc. cit.

Illius autem vestigiis, sacrísque institutis, si vniuersi Præsules religiosè insisterent, non admodum difficulter Sycophantarum miracula, & adulterinas Reliquias præposterè ostentantium Strophæ (si quæ hac nostrâ ætate paulò cultiori, etiamnum conualescunt) impedirentur, ne in vulgus erumperent, vel saltem iam eruptæ confestim eliderentur; ne tot vnius eiusdémque generis Reliquiæ in maximum fidei, & Religionis imminutæ detrimentum venditarentur.

ART

ARTICVLVS SECVNDVS.

SS. Reliquiæ ſeu veræ, ſeu falſæ diuenditæ.

POſteriorem hunc adduco Reliquiariæ ſtrophæ modum ab improbiſſimis nebulonibus excogitatum, & (quod peius eſt) non infrequenter vſurpatum. Vnde non temerè puto effectum, vt tot diuerſis in locis eadem alicuius ſancti Lipſana ſeruata fuiſſe dicerentur, ſiue ſacrilegi SS. Pignorum propolæ veras, & germanas Diuorum Reliquias furto ſubductas, integras, aut particulatim diuiſas, ſiue adulterinas pro veris ſubſtitutas deteſtanda nundinatione diſtraxerint, quibus lipſanis non dubium eſt, (vt ex dictis olim nouiſti, & ex dicendis poſt paulò intelliges) quin illi nomina indiderint eorum Cœlitum, quos maximi inter Catholicos nominis eſſe cognouerant.

Fuiſſe verò tam proiectæ audaciæ, ac conclamatæ conſcientiæ nebulones, qui veras, germanáſque Sanctorum exuuias, etiam furtim ſublegerint, vt ex his ſacrilego, nefandóque commercio maximos quæſtus, & prædas inſtituerent, non eſt quod in dubium voces; niſi ſi ſummorum Pontificum decretis, & Imperatorum Sanctionibus fidem detractam velis.

Auſcultemus Innocentio III. ceteríſque Concilij Lateranenſis conſcriptis Patribus. *Cum ex eo, quòd quidam Sanctorum Reliquias exponunt venales, & eas paſſim oſtendunt, Chriſtianæ religioni ſit detractum ſæpiùs, ne detrahatur in poſterum præſenti decreto ſtatuimus, vt antiquæ Reliquiæ amodo extra capſam non oſtendantur, neque exponantur venales.* Nihilominùs antè ſanciuerat piiſſimus Imperator Theodoſius cuius hæc verba ſunt. *Humatum corpus nemo ad alterum locum transferat, nemo martyrem diſtrahat, nemo mercetur.* Iam abominandam huiuſmodi ſacrorum pignorum nundinationem ab impuriſſimo Sycophantâ deſtinatam animo, & tantum non exercitam primùm dabo, tùm ab altero reipsà factam exhibebo. *Quidam Britanniâ oriundus, nomine Electus, officio ſacrilegus, ad ſubripiendos Sanctiſſimi Bertulphi artus locum obſeruabat, & tempus* (verbis Folcardi Abbatis loquor) *qui tandem improbi voti compos effectus, illos quadam calliditate adeptus eſt, nam tempus ſacrilegio, quod mente conceperat, opportunum nactus, ad locum, in quo ſancti Confeſſoris membra repoſita erant temerè accedit, ruptóque ſigillo, ac operto locello corpus ſanctiſſimum omni theſauro pretioſius furto arripiens clam diſceſſit. Nec ſolùm B. Bertulphi membra abſtuliſſe ſat habuit, ſed etiam multorum ſanctorum pignoribus pariter ſublatis, ad id vſque veſaniæ proceſſit, vt quas furto ſubripuerat Reliquias locello reponeret, ac in villa Otidigem reconderet, pretio eas (vt putabat, & volebat) Adelſtano Regi Anglorum venditurus, detrimento quippe illorum, qui*

Concil. Lateran. cap. 62. ſupr. cit. Sanch. lib. 2. oper. moral. cap. 43. n. 21. 22.

Cod. Theodoſian. l. vlt. de ſepulcr. Viol.

Folcard. in vit. S. Bertulphi, cap 24. 25. 26. 27. apud Sur. tom. 5. vit. SS. 5. Febr.

eas amiserant, lucrum suum decreuerat facere; Sed dispositione Dei intentio sacrilegi nullos habuit effectus. Elusit enim eum per Sanctum hunc virtus Dei, ac sæpe iam memorati Marchionis Arnulphi, qui tempore sacrilegij Bononiam veniens de re publicâ solemnem cum suis conuentum habuit. Quâ verò sagacitate delusus fuerit à pientissimo Marchione sceleratissimus lipsanocleptes & venerabiles Reliquiæ in suum locum fœliciter sint reuectæ, memorare supersedeo, quòd ad rem nostram in præsentiâ faciat nihil. Luuisonem nescio quem ex eâdem Mangonum classe memorat Eginhardus. *Pauperem, ac proinde cupidum oblatis quatuor nummis, quinisque argenti solidis, & acceptis,* O monstrum! *arcam in quâ corpus B. Marcellini erat à Deusdona depositum, atque inclusum aperuisse, & nequissimo nebuloni presbytero Hilduini Abbatis Romam* conquirendarum Reliquiarum causâ misso, *auferendi ex eâ, quod vellet, qualem ipse optauerat, potestatem fecisse.* At de veris Sanctorum pignoribus sacrilegâ nundinatione diuenditis satis. Perfricatâ verò fronte, ac conculcatâ conscientiæ religione alios Reliquiarum nundinatores, iam à multis sæculis ausos fuisse Sanctorum lipsana, pro veris adulterina distrahere ad corradendas pecunias, tùm Sectariorum factio, tùm nostri meminere. Vnum huiusce sacrilegi commercij ex Baronij Annalibus, vel potius cum illo ex Vvilielmi Malmesburiensis, & Glabri commentariis produco luculentissimum testimonium. Impostor nescio quis, cùm famâ, & auditione accepisset Cnutum, nomine *Magnum*, Angliæ, ac Daniæ Regem piissimum, Româ domum redeuntem, *apud Papiam S. Augustini Doctoris brachium centum talentis argenti, & talento auri comparasse* (inquit Vvilielmus) apud se constituit simul, & instituit nefariam ex ementitis Diuorum exuuiis exercere mercaturam. Vide, amabo te, quâ ratione consceleratus nebulo ex pio Regis facinore sacrilegij sui suscipiendi arripuerit occasionem. Quo autem modo id sacrilegæ fraudis patrauerit, & quâ ratione impiam illam Sycophantiam contrà detexerit Deus, humanorum scelerum vindex æquissimus, sic accipe ex Chronica D. Iosephi Pamphili Episcopi Segniensis. *Vir quidam nobilis genere Senẽsis, cùm aliquam particulam corporis D. Augustini quam coleret, habere apud se vehementer exoptaret, Ticinum profectus à Sancti corporis custode, eam efflagitauit magna vi pecuniæ illi proposita: custos id se facturum respondit, sed non ausus quicquam de sanctissimo corpore detrahere, viro illi operam dare dissimulans, ad sepulchrum cuiusdam, qui paucis antè diebus humatus fuerat, accessit; illiúsque cadaueris dextræ abscissum pollicem Serico inuolutum, viro illi nobili porrexit asserens eum esse D. Augustini digitum, quem patricius ille reuerenter accipiens religiosissimè colebat, modò ori, modò oculis admouens sæpe eundem sinu refouens. Nocte quadam in ædibus suis non plenè dormienti D. Augustinus viro apparuit in luce multâ, dixitque illi: quiddam, fili, apud te Reliquiarum mei corporis habere credis, sed falleris; quem enim digitum veneraris, non est meus, sed alterius vitâ functi; vtque reipsa verba comprobem, manus meæ integræ sunt; vide,*

Eginhard. olim cit.

Baron. tom. 11. Ann. Eccl. ad ann. 1127. Vvill. Malmesbur. lib. 2. de gest. Anglor. c. 11. Glab. l. 4. c. 2.

Ioseph. Pamphil. Chron. FF. Eremit. S. August. ad ann. 1477. Iordan. de Saxon. serm. 59. de S. August. translat.

de, sed ne tua fides vana sit, accipe digitum hunc meum, statimque ademptum dexteræ suæ pollicem ei dono dedit, euanuitque ab oculis illius. Multa quidem vbicumque aderat vir ille, signa, & prodigia sacro digito faciebat. Quod audiens Longobardorum Rex, Sancti corporis custodem in carcerem coniici iussit, voluitque rem penitus cognoscere. Custode verò affirmante se alterius cadaueris pollicem abscissum patricio tradidisse, Rex vbi D. Augustini corpus asseruabatur locum patefieri iussit, sanctóque corpori dexteræ pollicem, præterea nihil deesse comperit. Hæc ex Paulo Veronensi, & eo antiquiore Iordano de Saxonia laudatus Episcopus Segniensis: hic digitus hodie summâ cum veneratione asseruatur, in templo S. Augustini montis Alcini in Hetruriâ, *digito verè sic obtento*, inquit Iordanus proximè citatus, *post multa tempora, mihi tãquam abortiuo, vna particula est collata.* Ex hac, & superiori historiâ videre est sacrilegos sacrarum Reliquiarum nundinatores nonnumquam ausos fuisse ex piorum fidelium religione occasionem arripere profanas pro sacris, adulterinas, & ementitas pro veris Diuorum exuuiis per summam impietatem distrahendi. Nam sapienter, & prouidè lectorem monuit D. Antoninus, vt quæ à laudato Vvilielmo scripta sunt, *sanè intelligat: Reliquias enim Sanctorum vendere, & emere non licet, quia Simoniacum est*, (Sed de hac re paulò post pluribus) *gratis tamen oblatis, licet ob gratitudinem aliqua donantibus condonare liberaliter.* Censuit igitur Archiepiscopus, æquè conditione, ac vitæ sanctimoniâ spectatissimus Regem Angliæ brachium Sancti Doctoris sibi liberaliter donantibus tantam pecuniæ vim munificentissimè redonasse, ne videretur ingratus, aut Papiensibus de amore, gratiâ, & liberalitate concessisse. Verùm nihil tale cogitans, aut curans sacrilegus Sycophanta non destitit nefandam suam, vt animo conceperat, exercere nundinationem. Imò, *vt erat homo plebeius, & mangonum callidissimus* (inquit Glaber) *ignoti tamen nominis & patriæ, quoniam pro diuersitate locorum quærens latebram, ne agnosceretur; fraudulenter imponebat sibi vocabula vel de quà foret prouinciâ. Custodiebat quoque è tumulis clanculò ossa euellens è cineribus nuperrimè defunctorum hominum, sicque imposita in diuersis apophoretis venditabat apud plurimos pro Sanctorum Martyrum, seu Confessorum Reliquiis. Hic verò post innumeras illusiones in Galliis patratas, perfuga venit ad loca Alpium, vbi persæpe bruta gentes inhabitant habentes in arduis plurima domicilia. Ibi nempè se Stephanum nuncupauit, qui aliàs Petrus, aliàs Ioannes dictus fuerat. Illic ergo more solito noctu colligens è loco abiectissimo ignoti hominis ossa, quæ posuit in capsella, & feretro dicebat sibi Angelicâ ostensione reuelatum fuisse, quem fingebat esse Sanctum Martyrem, nomine Iustum. Mox quoque vulgus (vt in talibus se habere solet) ignauum quidquid Rusticanæ plebis fuit, totum ad hanc famam confluit.* Quod mirere magis, hisce commentitiis pignoribus nonnulla patrata prodigia referuntur, non multum absimilia ab illis, quæ Magi Ægyptiorum, Mosaïcæ virtutis æmuli feruntur edidisse. Subdit tandem Glaber mirabilem Dei præpotentis in similibus Sycophantarum

fraudibus

Iord. de Saxon. supr. cit. serm.

Idem serm. 64.

S. Antoninus 2. part. tit. 16. c. 7. §. 3.

Glab. supr. citat.

fraudibus detegendis, & aperiendis prouidentiam, nè diutiùs simplex Fidelium pietas hisce Dæmonum cassibus irretita, & dementata perduraret. *Intereà Mainfredus Marchionum ditissimus huiusmodi famam comperiens* (verba sunt Glabri) *misit è suis, qui vi rapientes illud, quod colebatur simulachrum, sibi deferrent quem æstimabant Martyrem venerandum. Imperat idem Marchio constituere Monasterium in Scutiæ castro, quod est antiquissimum inter Alpes, in honore Dei omnipotentis, eiusdémque Genitricis Mariæ, semper Virginis. In quo etiam post expletionem operis illum cum aliis quamplurimis Sanctorum Pignoribus locare decreuerat.* Quid multa? (nam reliqua fusiùs referre supersedeo) nefandissimus Sycophanta factus Marchioni longè carissimus, Angelicas sibi obiectas species mentitus viro piissimo fucum facit: perfecta consecratur solemni ritu ab Episcopis basilica, in eam cum reliquis Diuorum pignoribus ossa illius profani adiuncta pro more inuehuntur; *quòd huius erroris fautores assererent esse eadem Iusti martyris ossa, qui eo die in Bellouaco passus vrbe, colebatur: nocte denique insecutâ* (pergit oculatus testis Glaber edicere,) *visa sunt à quibusdam Monachorum, seu aliorum Religiosorum monstruosa in eadem Ecclesia phantasmata, atque à locello, in quo inclusa habebantur ossa, formæ nigrorum Æthiopum exisse, necnon ab Ecclesiâ recessisse. Sed licet plures sanæ mentis detestabile figmentum abominandum clamarent; vulgus tamen rusticanæ plebis iniusti nomen pro Iusto venerans olim in suo errore permansit.* Hæc ille, verè magis, quàm eleganter, & latinè. Audistin'? quâ fraude Mangonum ineptissimus, vnas, easdémque S. Iusti Martyris exuuias per singularem Sycophantiam geminare satagebat? nisi si de subitò diuinitùs fuisset exsufflata.

Sanch. tom. 1. Decal. lib. 2. cap. 43. n. 22. Fagund. lib. 1. de Eccl. præcept. cap. 4. n. 27. Sign. Reliq. c. 15. &c.

Quanquam hîc velim obserues per transennam, non licitè modò, sed etiam piè, ac laudabiliter non raro à Christianis eruptas, vel potius redemptas fuisse Sanctorum glebas, siue Reliquias, cùm periculum imminebat ne à tyrannis, vel infidelibus turpiter, & impiè haberentur. *Luitprandus audiens*, referente Paulo Diacono, *quòd Sarraceni depopulatâ Sardiniâ, etiam loca illa, ad quæ ossa S. Augustini Episcopi, propter vastationem Barbarorum olim translata, honorificè fuerant condita, fœdarent; misit eò, & dato magno pretio accepit, & transtulit ea in vrbem Ticinensem, ibíque cum honore tanto Patri debito condidit.* Laudabilem Christianorum Principum in conquirendis, & redimendis Diuorum Orientalium lipsanis, ardorem, ac studium narrat in hæc verba Matthæus Paris. *Expugnatâ Hierosolymâ collegerunt omnes Christiani omnes Reliquias Sanctorum, quas in locis sacrosanctis poterant inuenire, & posuerunt eas in quatuor magnis eburneis capsis, quas Saladinus intuens, & quid in iis contineretur diligenter inquirens, iussit Baldach referri, ne Christiani de ossibus mortuorum gloriarentur vlteriùs, & crederent eos habere intercessores in Cœlis, quorum ossa venerarentur in terris. Princeps autem Antiochenus, & Patriarcha, cæterique fideles tanto thesauro nullo modo defraudari volentes promiserunt sub iuramento se eásdem*

Paul. Diac. lib. 6. de gest. Longobard. cap. 48.

Matth. Paris hist. Angl. ad ann. 1191.

dem Reliquias redempturos quinquaginta duobus millibus Bisanciorum. Confirmat idem vel inuitus, at non sine mendacio Beza, ne suum videretur ingenium exuisse, dum scribit plerasque Christi Reliquias Christianis in terram Sanctam arma infesta ferentibus fuisse *à Sarracenis carissimè diuenditas* (hactenus bellè, & verè: pergit) *& ab iisdem meritò ipsorum stoliditatem ridentibus confictas*, & hoc pro suo ingenio deformiter reformato de suo adiecit, quod præter ipsum comminisci veterum Scriptorum ausus est nemo. Et quamvis hæc vera forent, nùm meritò Christianorum laudi citiùs, verti deberet, quàm probro? & religio, quàm *stoliditas* appellari. Quibus, Christi Seruatoris erga mortales amor tanti fuit, vt ipsius, vel præsumptas exuuias omni auro ambire, ac redimere non dubitarint. Verùm quid facias? nimirum Antichristi prodromus, Christi Reliquias redemptas ferre non potuit sine conuicio, nec sine magno, & impudenti mendacio, bellus homo, qui totus ex fraude, ac mendacio compositus, & conflatus fuit. Verùm quàm diuersissima, multóque saniora, & religiosiora fuerint ab illius ranæ Gebennensis coaxatione Ruperti sensa ipsius hæc prodit oratio, æquè ingeniosa, & pia: *Dixerunt ergo ad inuicem* (inquit ille, disserens de militibus, qui Christum egerant in malam crucem) *non scindamus eam, sed sortiamur de illâ, cuius sit*, nimirum *tunica inconsutilis desuper contexta per totum*, quâ Seruator, dum vitam viueret, amiciri consueuerat; *Videlicet, quia lucrosè venundare poterant vestimenta eius, idcirco pro magnæ victoriæ spoliis, eâ sorte milites acceperunt. Non enim vilia putabantur vestimenta, de quorum fimbriis contactis, virtus exire consueuerat. Non vtique tunc in illo spectaculo deerant, qui ad comparandum ea certatim se ingererent. Nam (vt taceam de matre & discipulo, quem diligebat Iesus stantibus iuxta crucem eius.) Stabant, inquit Lucas, omnes noti eius à longè, & mulieres, quæ sequutæ eum erant à Galilæa hæc videntes. Adeò tanquam reus, & peccator proscriptus Dominus, vt nec vestimenta sua charis suis pro magno thesauro seruaturis diuidere sibi licuerit. Sed in corpore suo saturatus opprobriis, sua quoque vestimenta vidit cedere interfectoribus suis.* Hactenus pientissimus Abbas, ex cuius verbis vides profani hominis impietatem, & sacrilegas in Christianorum Principum religionem, eructatas voces, haud immeritò sanè damnatas. Quidni enim adorandas Christi Seruatoris exuuias, à diuini corporis contactu, viuificas, consecratas, & omni auro contrà pretiosas certatim redemerint Christianissimi Principes, quas ex orbe vniuerso sanguine suo, ac vitâ ipsâ B. Virgo Deipara, Sanctissimus Ioannes, Magdalena, cæterique Christi consanguinei, asseclæ, familiares, ac noti sibi comparare, beneficio singulari, & lucro duxissent inæstimabali, si tùm temporis milites, lucri cæteroquin appetentissimi, vænum potiùs illis dare, quàm inter seipsos sortiri maluissent, vti deinceps ab iisdem factum, non sine diuinæ mentis consilio, videmus, miramur, exultamus; ne quid à Gentilibus, & recutitis Apellis sacrorum Christi vestimentorum sanctitas, & veneratio caperet detrimenti?

Beza serm. 27. de Pass. Christi.

Rupert. lib. 14 comm. in cap. 19. S. Ioan.

Ioan. 19. v. 23.

Luc. 23. v. 49

Eheu! quibus amabo te, oculis, Virgo tristissima, inconsutilem filij sui longè carissimi tunicam, quam virgineis suis ipsa manibus *diligenter contexuerat*, (vt idem Rupertus asserit) aspicere poterat carnificum manibus contrectari? Quibus luminibus? quóve animo B. Ioannes diuinæ illius tunicæ sinus, quibus frequens accubuerat, videre poterat sortitu, à nebulonibus mandari, cerni, auferri, nec eam posse sui ipsius pretio, & religiosâ redemptura comparare?

Cæterùm ad Simoniacam venerabilium reliquiarum nundinationem referri debere non fortè immeritò quis suspicetur pactionem illam Clerici cuiusdam Angli (quem Balduinus Imperator Constantinopolitanus suo sacrario præfecerat) cum monachis Bromholmiensibus factam, & à Matthæo Paride in hunc modum descriptam. Rem paulò altiùs à capite non inutiliter repeto. *Hic itaque cùm casum cognouisset de morte, vt omnes prædicabant Domini sui Imperatoris, ab vrbe Constantinopolitanâ cum dictis Reliquiis & annulis, & rebus aliis multis, cum lapidibus pretiosis recedens ad Angliam vsque peruenit: Veniénsque ad S. Albanum, cuidam ibidem monacho quandam Crucem argenteam, & deauratam, cum duobus digitis de sanctâ Margaretâ, & annulis aureis, lapidibúsque pretiosis vendidit; quæ omnia nunc in Monasterio S. Albani in magnâ veneratione habentur.* En tibi primùm à sacrilego Reliquiarum nundinatore diuenditos D. Margaritæ digitos. *Deinde dictus Capellanus* (pergit Paris) *de manticâ suâ quandam Crucem ligneam extrahens ostendit eam quibusdam monachis, de quâ etiam affirmauit cum iuramento, quòd indubitanter erat ex ligno illo, in quo Saluator mundi pro redemptione generis gumani pependit: sed quia non credebatur dictis eius ibidem, recessit inde, thesaurum impretiabilem, licet ignotum, secum gerens. Habuit autem idem Sacellanus duos paruulos filios, de quorum sustentatione, & curâ nimis erat sollicitus: quâ curiositate ductus in pluribus Monasteriis tali conditione prædictam obtulit Crucem, vt ipse, & filij eius reciperentur ad Ordinem monachatus. Qui cùm multis in locis inter diuites repulsam passus fuisset, venit tandem ad cellam quandam, quæ Bromholm nuncupatur, pauperrimam, & ædificiis destitutam commodis, in territorio Norfolcensi sitam, & accersito ad se Priore cum quibusdam fratribus, ostendit eis Crucem suprà dictam, quæ duplici ligno ex transuerso fuerat fabricata, habens fere longitudinem manus humanæ, & rogauit humiliter, quatenus cum ipsâ Cruce, & aliis Reliquiis, quas habebat, ipsum, & filios suos reciperent ad Ordinem monachorum. Prior verò, & fratres eius de tanto exhilarati thesauro, illicò procurante Domino, qui honestam semper amplectitur paupertatem, dictis Capellani habuerunt fidem, & lignum Dominicum reuerenter accipientes detulerunt illud in Oratorium suum, & cum quantâ potuerunt veneratione in loco honestissimo seruauerunt.* Hìc iam videant, quibus per otium licebit, nùm istiusmodi pactio, & Clerici simul, ac filiorum in monachos admissio Simoniæ labe sordescant? Certè nullam intercessisse Simoniacam pactionem, sacrilegum irrepsisse nihil, videtur Deus multorum prodigiorum mirabilitate

Matth. Paris hist. Anglic. p. 307. edit. Paris.

bilitate conteſtatus prodidiſſe. Eodem enim anno (is fuit milleſimus ducenteſimus viceſimus tertius) *cœperunt diuina celebrari miracula ad laudem, & gloriam viuificæ Crucis in Monaſterio prædicto, vbi mortuis vita, cæcis viſus, claudis greſſus reſtituitur, Leproſis caro munda donatur, obſeſſi à Dæmonibus liberantur; & quicunque infirmus cum fide ad lignum prædictum acceſſerit, incolumis, & ſanus recedit.* Enimverò ſi quid ſacrilegæ labis in illa pactione interueniſſet, quo pacto humanorum ſcelerum, & ſacrilegæ ſimoniæ in paucis vindex acerrimus, Deus ferre potuiſſet ad hoc viuificæ Crucis lignum (in quo *purgationem peccatorum faciens* pependerat Chriſtus) tam ingentia, & tam numeroſa miracula perpetrari? *Humiliter* igitur *rogauit* ille ſeipſo tùm factus melior, vt ſe ſuáque lipſana, vnà cum filiis piè oblata Monachi ſupplicabundum in ſuam familiam reciperent, ſpontaneè, atque, vt decebat, religiosè ipſis donauit omnia, viciſſímque monachi in tanti theſauri & acceptæ gratiæ teſtificationem eoſdem monachatus candidatos vltrò in ſuorum album tranſcripſerunt. Itaque è ſceleratiſſima ſacrarum reliquiarum nundinatione in piiſſimum Cœnobitam, ac religioſiſſimum earundem deueneratorem euaſit. Atque hæc noua Crucis victoria fuit.

Heb. 1. v. 3.

Extra memoratum periculum abſque Simoniâ SS. Reliquias diſtrahi pecuniis non poſſe docent vulgò Theologi ad vnum omnes; nullo enim pretio ſunt æſtimabiles, *vtpotè ſuo modo Spirituales* (vt loquitur Suarez acutè, ac doctè) *quia partes ſunt hominis Sancti, qui fuit templum viuum Spiritus ſancti.* At in hoc argumento pluribus tractando ſunt Theologi, & Iureconſulti doctiſſimi, quos, dum tibi per otium licebit, ac lubebit, non erit infructuoſum conſulere, vnum tamen placet hìc te monere; videlicet, Reliquias etiam aliquo modo dici vendi, vt ex Abbate iampridem obſeruarunt laudati Scriptores, quando exponuntur publicè adorandæ propter bonum quæſtum, &, vt indè copioſiores eleemoſynæ colligantur potiùs, quàm, vt ad pietatem populus magis magíſque accendatur, nam quando ſpectatur lucrum, tanquam finis principalis, & pretium rei ſpiritalis, non velut ſtipendium laboris pro Reliquiarum exhibitione ſuſcepti, vel tanquam eleemoſyna gratis à fidelibus oblata, tùm in ſimoniæ crimen incurritur: Secùs autem ſi aliorſum verbi gratia; ad Gloriam Dei, Sanctorum venerationem, Chriſtianæ plebis ſolatium; deinde ad aliquam corporis ſuſtentationem, ea SS. Reliquiarum exhibitio referatur. Hinc tamen æui noſtri Apoſtatæ (Huguenotos intelligo Eccleſiæ deſertores) ſiue per fas, ſiue per nefas ſumpſerunt occaſionem venerabilium Reliquiarum cultum Vigilantij animo, ac ſtylo traducendi. In quibus non vltimus fuit execucullatus Lutherus, cuius hæc pura, putáque mendacia, & meræ nugæ ſunt. *Vndecima Anti-Chriſti facies eſt, Reliquiarum veneratio: bella planè, & lucri feraciſſima facies.* Quid tu ad hæc, Corneli Agrippa? quæ tua eſt ſuper hoc tui Symmiſtæ oraculo ſententia? Audite: *Quemadmodum Reliquiarum abuſus execrabile ſcelus*

Suar. tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 14. n. 24 & tom. 1. in 3. part. diſp. 55. ſect. 2.

Auguſt. Triumph. lib. de poteſt. Eccl. quæſt. 17. art. 6. Sanch. Azor. Filiucc. Reginald. Layman, Fagund. & cæt. è Soc. noſtra, & alij, quos citant Dian. reſol. moral. part. 4. reſol. 223. Redoan. tom. 15. tract. DD. cap. 4. de Simonia mentali pag. 33.

Luther. reſp. ad libr. Am-

brеſ. Catharini. Cornel. Agrippa cit. lib. de vanit. ſcient.cap.73.

eſt; ita earumdem irreuerentia deteſtanda hæreſis eſt, quæ quondam à Vigilantio Gallo progenita, ab Hieronymo profligata; Nunc rurſus vnà cum imaginum expugnatoribus à proximis annis apud Germanos repullulaſcere cœpit. Sic ille hac in parte Catholicis, quàm hæreticis congruentiùs loquutus.

Porrò hunc abuſum, & ſimoniam in SS. Reliquiarum mercaturâ, & nundinatione à Sycophantis, & proiectis ad omnem audaciam, & impietatem hominibus vſurpatam meritò deteſtati SS. Patres, vt ipſam ab Eccleſia longiſſimè ſubmouerent, aliquot tulere leges. Reuoca in memoriam ſacroſanctarum Synodorum Lateranenſis, & Tridentinæ decreta (ne Concilia Prouincialia loquar, quæ olim me laudare memini) quibus vetatur *Inuentas de nouo Reliquias publicè venerari niſi priùs auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ.* Pro inferendis intra templorum ſepta Diuorum pignoribus, hæc Leonis Imperatoris lex eſt. *Cum religioſæ ædes non deſint, ibi conſultis priùs, vt oportet, Religioſiſſimis Epiſcopis, Reliquiæ SS. Martyrum, non quorundam vſurpatione, ſed arbitrio Reuerendiſſimorum Antiſtitum collocentur.* Sunt nec infimæ illi quidem notæ Doctores Theologi, qui ſuperſtitionem, & ſacrilegium per exceſſum eſſe putent, Sanctorum Reliquias, necdum à ſummo Pontifice approbatas publicè deuenerari. Atque ita ſe piè ſentire Carolus Imperator re, ac nomine Magnus olim præ ſe tulit, cùm perlatâ ad ipſum famâ de Chriſti ſanguine recèns Mantuæ inuento, ad Lonem III. Pontificem Maximum oratores miſit, qui ſuo nomine ipſum rogarent, anquirere ne grauaretur de tanti theſauri nuper inuenti veritate. *Quâ acceptâ occaſione Pontifex* (inquiunt Annales Francici apud Pithœum, & Baronium) *primo in Longobardiam quaſi pro inquiſitione prædictâ profectus eſt; inde arrepto itinere ad Imperatorem vſque peruenit, vnde abſolutus Romam repedauit.*

Suar. tom. 1. de relig. lib. 3. cap. 7. n 7. Filiucc.tom. 2. tract. 24. cap. 4. quæſt. 7. n. 264. & alij.

Annal. Fräc. apud Pith. pag. 17. Baron.tom.9. Annal. ad ann. 8[illegible]4.

Iam quid cauſæ fuit, amabo te, cur Imperatores æquè ac Pontifices tantum ſtudij contulerint, ne ſine Synodi licentiâ, Præſulum conſenſu, & Pontificis Romani auctoritate venerabiles Diuorum Reliquiæ aliò transferrentur, aut de nouo inuentæ colerentur, niſi, vt ſacrilegâ illarum nundinatione procul ſubmotâ, & pœnis ſeuerè coercitâ, tanta, & ſuſpecta tot eiuſdem generis Reliquiarum multiplicatio, à nefandiſſimorum Sycophantarum impiâ, proiectâque audaciâ, & rapacitate luxurians, ferro, flammâ, excommunicationis, æternique anathematis fulmine compeſceretur. Atque hinc eſt, cur Durandus, vir doctrinæ, & Anicienſium inſularum luce ſpectabilis, negligentiæ circa diuinum cultum, obſequiúmque maximæ tribuat; *Quòd Prælati permittant Reliquias Sanctorum teneri à laicis, atque etiam oſtendi.* Quod ſanctum Carolum non latuit, cuius hoc decretum eſt, *ne ſacræ Reliquiæ per Laicos etiam cuiuſuis ordinis, & dignitatis homines vllo modo tractentur, nec verò tangantur, cùm hoc ſacrilegum, ac minus propterea ferendum eſſe ſanctus Gregorius Pontifex ſcribat.* Quâ de re non pauci recentiores Theologi diſputant pluribus. Certè non iniuriâ prudentiſſimus

Petr. Gregor. 1. parte Syntagm. Iuris, lib.2.cap. 12. n.3.4.& ſeq.

Duräd. tract. de modo Gener. Concilij Rubr. 59. tom.13, tract. DD.pag. 183. S. Carol. Borrom. in Concil. Mediol. ſæpe cit.

tissimus Doctor ita censuisse mihi visus est, quòd hac facultate profanis hominibus datâ; tùm facilis ad sacrilegos quæstus, nundinationes, & fraudes; tùm ad suspectam earundem numero Reliquiarum copiam tacitè inducendam aditus latissimus consceleratis lipsanorum propolis aperitur, cui fortiter præcludendo sacrorum pignorum disquisitio, recognitio, & approbatio à Præsulibus, & summo imprimis Pontifice ritè facta non mediocriter conferre potest. Antè verò quàm finio, placet ex Beato Audoeno Rhotomagensium Antistite hîc exscribere horrendum diuinæ iustitiæ in auarum quemdam clericorum Ecclesiæ Niuiomensis exercitæ exemplum. *Vir quidam non longè à Rhemis habitans* (verba sunt Episcopi sanctissimi) *religiosæ mentis studio voluit in prædio suo in B. Eligij honorem Basilicam construere. Eâ autem absolutâ Reliquiis sancti viri ornari eam cupiens ad Nouiomenses profectus est, & ab illis optatum munus impetrauit. Sed cùm inde recedere vellet, Clericus quidam cupiditatis œstro percitus, vi eum detinuit dicens se non passurum, vt cum reliquiis abeat, nisi priùs aliquo dato munere. Ille, vt posset ex eius manibus euadere, munusculum quoddam tristis ei largitus est. Quod clericus auidissimè complectens mox in sinu abscondit. Et ecce repentè immisso diuinitus igne pectus eius cum vestimentis ardere cœpit, ita, vt altâ voce exclamans diceret: Parce, sancte Eligi, Miser ego nihil tale deinceps faciam. Mox illi, qui aderant properè ei vestimenta fumantia detrahunt, munúsque acceptum reddunt ei, qui dederat: illum iam dolentem & multum lacrymantem ad B. Eligij monumentum adducunt: vbi oleo vnctus, vix tandem ab incendio ille liberatus est. Equidem nihil dubito idcirco hoc ei accidisse, vt pudefaciat, & reprimatur similium improba cupiditas, qui non verentur exactâ pecuniâ sanctorum Reliquias venundare. Cesset igitur, obsecro, locis omnibus hæc contagio, ne simile quid accidat similia facientibus.* Hactenus Præsul non sapienter minùs, quàm piè. Faxit Deus, vt extremum ipsius votum sanctum, ac ratum fiet, atque alieno saltem damno dediscant, & auersentur Clerici *quæstum facere pietatem*, ni Cœlestium iras in se armatas serò sapientes velint aliquando experiri, dum vel Diuorum Reliquias postulantibus largiuntur, vel fidelibus eas adorare ambientibus lucelli potiùs, quàm charitatis, ac religionis studio exhibent visendas, & religioso cultu deuenerandas.

S. Audoen. in vit. S. Eligij lib. 2. cap. 56.



CAPVT VNDECIMVM.

INFIDELIVM MALIGNITAS.

CAVSA VNDECIMA.



ÆC mihi vltima causa est tantopere hinc, & inde iactatæ, ac decantatæ earumdem Reliquiarum multitudinis, Infidelium malignitas. Infideles autem eos omnes intelligo, qui non solùm Christo fide, professionéque numquam sunt auctorati; Sed etiam, qui Christianorum sacrorum desertores in Hæreticorum castra transfugerunt: Bellè enim à Tertulliano pronuntiatum est, *si hæretici sunt, Christiani esse non possunt: non à Christo habendo, quod de sua electione Sectati hæreticorum nomine admittunt. Ita non Christiani, nullum ius capiunt Christianarum literarum, ad quos meritò dicendum est. Qui estis? quando? & vnde venistis? quid in meo agitis, non mei?* Hæc ibi, & alibi Septimius, & cum eo S. Hieronymus, & Cyprianus. Vniuersim verò Infideles, & omnes fidei Christianæ Apostolicæ, & Romanæ exortes, vt Christianorum, & Catholicorum in colendis sanctorum Reliquiis perantiquam pietatem faciliùs labefacere, ac funditùs pessundare possent; multo fraudium, & calumniarum ariete illam verberare, succutere, atque deiicere ad hanc vsque diem, pro virili suâ, sunt connisi, vt ex sequentibus constabit.

Beda serm. de S. Benedicto.

Tertull. lib. de præscript. aduers. hæret. cap. 7. & c. 7. 14. & Pamel. ibid.

S. Hieron. lib. contra Luciferian.

Cypr. lib. 1. de vnit. Eccl.

ARTICVLVS PRIMVS.

Gentilium, & Hætericorum Malitia.

PRincipio quidem Gentiles ad martyrum nomen, & gloriam insuperabilis fortitudinis abolendam, multa impiè molitos S. Gregorius Nazianzenus suis temporibus, ob funestissimam Iuliani Apostatæ necem, congratulans, in hæc verba subindicat. *Non iam Gentiles Martyrum sepulchris ignem admouebunt, vt per eorum ignominiam alios à certa*

S. Greg. Naz. orat. 3. in Iulian.

à certamine deterreant: non iam sanctorum Reliquias cum vilissimis ossibus per contemptum permixtas flammis absument, aut in ventos spargent, vt eo honore, qui huiusmodi hominibus debetur, ipsos priuent. Audis quo, quámque impiato animo pagani sacrosanctas Diuorum exuuias vilissimis ossibus intermiscerent, tùm ne veris, certis, & indubitatis illorum lipsanis honor deferretur, tùm saltem, ne internosci posset ad quosnam propriè illa spectarent, indéque ducerent calumniandi materiam, si à Christianis (quæ illorum erat pietas) honoris causâ colligerentur, collectáque adorarentur. Eusebio gloriosum inuictissimi Martyris S. Polycarpi agonem pluribus describenti auscultemus. *Æmulus* (inquit) *& inuidus, ac versutus generis iustorum aduersarius, cùm martyrij huius amplitudinem, & conuersationem eius inde à principio irreprehensibilem incorruptionis coronâ ornari, & incomparabile brauium acquirere cerneret, hoc curauit, ne corpusculum illius à nobis acciperetur. Erant enim multi, qui hoc facere, & sanctæ eius carunculæ participes fieri cupiebant. Itaque suggesserunt nonnulli Nicetæ patri Herodis, & fratri Dalces, vt proconsulem moneret, ne corpus illius traderet, ne Christo, inquit, relicto hunc colere incipiant. Et hoc dixerunt, Iudæis submonentibus, & vrgentibus, qui etiam nos obseruabant, ne ex igne illum eriperemus.* Et post pauca subdit: *Cùm ergo Centurio contentionem Iudæorum cerneret, positum corpus in medio, sicut mos ipsis est, combusserunt, atque ita nos tandem ossa illius pretiosis lapidibus pretiosiora, & auro probatiora nacti condidimus, vbi id fieri decebat.* Sic nimirum Gentiles, ac Iudæi meritos generossimis Christi athletis honores, pro suo in Seruatorem nostrum odio, semper inuiderunt. Gazenses Paganorum non vltimi extiterunt, quos, vt olim dixisse me memini, eadem ossium permixtione famosissimos refert Sozomenus in hunc modum. *Gazenses accenso rogo Martyrum corpora comburunt, reliqua ossa, quæ ignis neutiquam assumpserat, ossibus camelorum, & asinorum, quæ ibi proiecta erant, admiscent, adeo vt perdifficile esset ea inter ossa reperire.* Iuliani Apostatæ temporibus ethnici apud Sebastem referente Rufino *S. Ioannis Baptistæ sacratos cineres pulueri mixtos, per agros, & rura dispergebant*, ne à Christianis internosci, colligi, ac coli possent.

Euseb. lib. 4. Eccl. hist. cap. 16.

Sozomen. lib. 5. hist. Eccl. cap. 9.

Rufin. lib. 2. hist. Eccl. cap. 28.

Quid memorem Constantinum Copronymum odio potiùs in Cœlites, & veneranda ipsorum pignora, quàm terreno dominatu Imperatorem? *Qui temerariâ vsus audaciâ noctu ingressus ædem sacram, cum quibusdam, qui erant sectæ suæ, impetum fecit in Reliquias omni ex parte benedictæ Euphemiæ, & cùm arcam aperuisset abstulit Reliquias Benedictæ Martyris cum loculo, qui eas continebat. Cùm autem parata haberet ad manum alia ossa mortui exsiccata, ea iecit in arcam, & cùm eam rursus texisset, recessit.* Vt ex Metaphraste, ac Theophane refert Baronius. Diuam Euphemiam in Cœlis triumphantem in terris triumphasse sibi videbatur execrandus hæreticorum, atque Magorum veriùs, quàm Romanus Imperator, cùm Orthodoxis insultans ad suæ impietatis socios, & administros diceret. *Abite, & videte quantum errabant, qui dicebant*

Baron. tom. 9. Ann. Eccl. ad ann. 766. n. 11.

dicebant esse saluas, & integras benedictæ Euphemiæ Reliquias; & eas aiebant effundere vnguenta: Illi autem cùm abiissent, & vidissent non esse in carne pretiosas Euphemiæ Reliquias, sed arida, quæ ab ipso proiecta fuerant ossa, ea conspuerunt, & maledictis sunt insectati; cùm fraudem, & ludibrium, & meras nugas dixisset esse curationes, euerterunt arcam, & cum ea arcam sanctam, templúmque destruxerunt. Verùm quàm irritos eorum conatus, calumnias, & sacrilegam improbitatem Dominus virtutũ reddiderit, ex Theophane pluribus nos idem Eminent. Cardinalis

Idem. ibid. n. 13. docere pergit. Enimverò *Dum ea iactata sunt in mare, prouidentiâ Dei summè misericordis cymba quorumdam duorum fratrum virorum egreditur è portu Sophiarum, vt dum ipsi parum quid è portu nauigant; Ecce loculus, quem ligneum fuisse dictum est, qui cum fluento descendebat, fuit prope nauem. Extractus itaque fuit à viris illis piis, & repositus in nauigio ipsis existimantibus se mundanum aliquem ferre thesaurum. Sublatis autem velis nauigarunt vt exirent ab ostio Abydi; Cùm autem aperuissent loculum, vident Reliquias, & suaui odore repleti sunt admirati, neque sciebant quid agerent; nisi quod solummodò inuocabant Dominum, vt eis reuelaretur sanctúmne esset? Illâ autem nocte vident gloriam maximam, & lumina, & cereos, & viros candidis vestibus indutos, & Christum laudantes. Rursúsque bono odore repleti nautæ agnouerunt eas esse sanctas Reliquias. Magno ergo gaudio affecti, clam profecti sunt propter metum tyranni, vt thesaurum ferrent in patriam suam.* Quid multa? vitato tandem diuinitus naufragio cœlestibus monitis post multas preces edocti huiusmodi pignora non alterius Martyris esse, quàm S. Euphemiæ exuuias didicere: itáque improbissimi, & de suo cognomine, *Stercorei* Imperatoris conatus irriti ceciderunt, triumphante triumphabundum tyrannum Martyre, & reflorescente aduersus pretiosissimas ipsius Reliquias religione, & cultu Christianorum. Nihilominus Gentilium, & Copronymi rabiem, & impietatem redintegrantes Hugonotti nostrâ in Galliâ, Diæ, Rupellæ, Geneuæ, aliísque id genus locis, quæ in ipsorum olim venêre potestatem impotenti furore præstiterunt. Nam & Diuorum exuuias flammis tradiderunt, & sublatis tacitè veris Reliquiis non adulterinas modò, sed etiam infames per incredibilem improbitatem substituerunt, eásque, vt improuidæ plebi facerent fucum, ipsámque in suarum fraudium, & hæreseon inducerent casses, per ludibrium ostentarunt vicatim, raptarunt, &, vt *Stercoræ sectæ alumni*, in

1. Mach. cap. 1. v. 38. foricas, & cloacas abiecerunt. *Et factum est hoc ad insidias sanctificationi & in diabolum malum in Israel.* Vt, de arce atque præsidio ciuitati Hierosolymitanæ ab Antiochi emissariis imposito sacra Macha-

Ibid. v. 47. 49. bæorum narrat, & loquitur historia. Eo præclaro facinore se præstantes impiissimorum hominum Antiochi, & Pilati exhibuerunt imitatores; dum ille per suos iussit *coinquinari Sancta, & carnes Suillas, &*

Luc. 13. v. 1. *pecora communia:* hic *Galilæorum sanguinem miscuit cum Sacrificiis eorum.* Isti verò rediuiui Antiochi & Pilati, venerabiles Sanctorum exuuias, impurissimis felium, equorum, asinorum, & cruciariorum membris,

&

& ossibus tacitè intermixtis, & in ipsarum locum sublectis infandum, ac diris omnibus deuouendum in modum incestarunt. Ad vltimum quò se illorum impietas, atque malitia inferre non potuit, eò sese Catholicæ fidei traducendæ libido, calumniandíque prurigo, & porrigo, linguâ, & stylo longè, latéque porrexit: vt iam iam dicturi sumus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Hæreticorum calumniæ.

ERgo lipsanomachi, cùm primùm aduersus Ecclesiam Catholicam, Apostolicam, & Romanam vexillum defectionis extulerunt, in Clerum, & Antistites Catholicos, tanquam in nobiles Sycophantas, eos suo modulo metientes, falsâ, & iniustâ criminatione inuehi cœperunt: quòd illos dicerent, ac vulgò iactitarent, easdem, vnásque Diuorum Reliquias sine numero multiplicare subdolè, subdititias & adulterinas pro veris obtrudere rudi plebeculæ adorandas. Eò spectabant Lutheri verba, *ibi Deus suam libertatem exeruit, vt aliquoties de patibulo pars recisa pro sanctâ cruce adorata sit*, Age verò, Sycophantarum audacissime, vndénam amabo nosti partem de *patibulo recisam pro S. Cruce*, vsquam fuisse ab Orthodoxis adoratam? An tu, cùm Monachi personam gerebas, id sacrilegæ impietatis, & fraudis exercuisti? Facinus Græcorum pseudomonachorum, & famosissimi illius præstigiatoris Burdegalensis æmulatus, vel potius exuperans improbitatem? vnde, inquam, nosti, qui tam præfidenter illud asseueras? Quid si tibi tam certò constabat, cur locum non indicasti? cur tempus non designasti? cur personam tanti flagitij artificem Pontifici, aut Imperatori, Regibúsve Christianissimis non indicasti? vt tuis quinti Euangelistæ dictis maiorem apud Orthodoxos conciliares fidem? Hæc cum omnia silueris, meritò iisdem ego te verbis inuadam, vt Prudentissimus Daniel in senes Susannæ Calumniatores inuectus est, *Rectè mentitus es in caput tuum: inueterate malorum, nunc venerunt peccata tua, quæ operabaris prius*: cùm singulari tuâ improbitate, & auaritiâ adulterina lipsana, pro veris, quæ subiiciebas, quæ mendaciter geminabas impostorum antesignanus longè maximus. Verùm hoc Hæresiarcharum ingenium est, hæ fraudes: hæ in Orthodoxos concinnatæ calumniæ, vt Ecclesiæ Catholicæ, tanquam Susannæ innocentissimæ, tanti, támque nefarij sacrilegij calumniam pro suo ingenio, & conscientiâ conclamatâ impingant si possint; atque adeò Catholicorum piam erga Diuorum beata pignora religionem, fidem, ac venerationem infringant, ac funditus pessundent.

Luther. in Postill. de Cruc. exaltat.

Daniel. cap. 13. v. 55. & 52.

Idem calumniandi ingenium, & præfractam audaciam in Caluino

famosissimo Sycophantâ obseruare est ex ipsissimis illius verbis. *Nec contenti eo, quòd imperitis, & rudibus imposuissent vulgare lignum pro ligno Crucis ostentando; sed definierunt etiam esse adorandum.* Hæc ille. *At rectè & tu mentitus es in caput tuum.* Verùm impudentiùs antè mentitus fuerat in caput suum, cùm scriberet, *Quæcumque ossa asini, aut canis, quæ quiuis Sycophanta vice ossium Martyris sufficere voluit, non admodum ægrè magna religione accepta sunt.* Annon saniùs, ac magis piè, atque Catholicè scriptoris sacri *aperuit Deus molarem dentem in maxillâ asini*, cum Ruperto de gloriosissimis Martyribus interpretatus dixisses. Nihil veriùs, nihil iustiùs. *Prostratis enim in mortem Sanctis Apostolis, & Martyribus sepulchra illorum viuas aquas emanauerunt* (quod de S. Andreæ, S. Matthæi Apostolorum, S. Felicis, S. Nicolai, & aliquot aliorum memoriis fert fama) *& corpora illorum miraculorum gratiam profuderunt*, &c. Atque hi sunt molares, & maxillæ Asini, sed instar *Issachar asini fortis, qui accubant inter terminos* temporis, & æternitatis. Quandoquidem verò impurissimum Hæresiarcham, & eius asseclas pro suâ reformatâ modestiâ, & pietate minimè puduit tam grauem, támque sacrilegam iniuriam sacrosanctis Diuorum exuuiis simul, & Orthodoxis omnibus calumniam impingere: nih il verebor eruditissimâ Gretseri nostri spongiâ, vtramque inducere. Sic ergo ille: *Videntur mihi Hæretici illi renouare, & ab Inferis excitare veterem Ethnicorum calumniam, quorum aliqui mentiebantur Christianos, vt & Iudæos, asinum pro Deo colere: alij asini caput. Quare & per ludibrium Christiani nuncupabantur Asinarij. Et quidam in frustrandis bestiis mercenarius noxius, inquit Tertullianus, picturam proposuit cum huiusmodi inscriptione. Deus Christianorum Ononychites. Erat auribus asininis altero pede vngulatus, librum gestans, & togatus. Risimus, & nomen, & formam, rideamus & nos vanissimas istorum Sectariorum de caudâ asini calumnias ex Taciti, Plutarchi, Apionis, & aliorum Idololatrarum officinâ depromptas, qui, vt in aliis criminationibus contra Orthodoxos, gentilibus sese libenter conformant, ita & in hac. Quis tam stultus est, (Vtor verbis Minutij) vt hanc colat? quis stultior, vt hanc coli credat? Apud Athanasium, seu quisquis auctor est, libri quæstionum ad Antiochum Principem, proponitur hæc quæstio, an quia Christus vectus est asino, asinos honorificè venerari debeamus? Respondet auctor his verbis, Christus per asinum non deuicit diabolum, neque in eo salutem operatus est, sed in cruce. Vnde Asinum quidem, si vident Dæmones, non horrent, neque metuunt; videntes verò Crucem, terrentur, fugiunt, & euanescunt: ac proinde Crucem, & quidquid Crucis est, honorandum esse asserimus, non autem asinos.*

Hoc Responsum à nobis quoque criminatores, Lutherani, & Caluiniani habeant. Hæc ex abundanti, vt cum Tertulliano solutionem huius argumenti concludam, ne calumniæ irrepercussum, quasi de conscientiâ prætерissemus, & , (vt quod de Apione dixit Iosephus) ego de Caluino dicam.

Caluin. in Admonit. sæpe cit. Auctor Apiar. 4. part. c. 3.

Iudic. cap. 15. v. 19.

Vid. Thom. Boz. lib. 15. de sign. Eccl. signo 66. cap. 10. Sur. tom. 1. vit. SS. 9. Ianuar. in fine vit. SS. Iulian. & Basilicæ.

Genes. c. 49. v. 14.

Grets. lib. 1. de S. Cruce cap. 59.

Ioseph. lib. 2. contra Apion.

Tertull. Apolog. cap. 16.

Minutius Fæl. in Octau.

Tertull. loc. supr. cit.

Ioseph. loc. cit.

cam. Hæc Caluinus debuit respicere, nisi cor asini ipse potiùs habuisset, & impudentiam canis.

Illud fortassis mirandum cuipiam videatur hæreticos se tam libenter occupare cum Asinis, nescio nùm cognatione morum, & indolis. Quapropter vt, apud Tertullianum bestiarius ille, Deum, ita illi Dei vicarium, summum Pontificem formâ asininâ depingunt. Nam monstrum quoddam nostro sæculo, vt aiunt, in Tyberi repertum (Papasellum indigetant) nihilque aliud esse volunt, quàm Papam supremum Ecclesiæ caput, de quo Melanchton, pro suo de asinis bene merendi studio, integrum commentarium scripsit, imaginémque portenti illius explicationibus suis plusquam asininis illustratam ad posteros transmisit. Et alij sectarij Orthodoxis, aspectabile in Ecclesiâ caput agnoscentibus, passim caput asininum obiiciunt: mutuantur videlicet ab Hæreticis veteribus, & Ethnicis non modò impietatem, sed & calumnias, & criminationes; & quod Iosephus de Apione scitè ait: Asinos, hoc est, semetipsos grauant, & faciunt stultitiâ simul, & mendaciis oneratos. Hactenus cum Tertulliano, Minutio, & Iosepho, Gretserus, Age verò sis, an tu leniùs? quòd Ethnico illo mendacio, atque calumniâ, hanc impudentissimam Caluini criminationem autumes esse mentiendo scribentis: *Quæcumque ossa asini, aut canis, quæ quiuis Sycophanta, vice ossium Martyris sufficere voluerit, non admodum ægrè magna religione recepta esse* ab Orthodoxis nostris? Qui hæc credat, næ illi asini frater, aut Apuleianus, & Lucianæus plusquam asinus est.

Luther. tom. 2. oper.

Caluin. sæpe citatâ admonit.

Bezam non maior mentiendi, & calumniandi Catholicos religio tenuit, quàm Caluinum Symmistam suum. Nam eum non puduit sic scribere. *Quid dicemus de ossibus, & Reliquiis & de sigillis, quibus aras onerant ad canes, equos, & sues, quos ipsis imponunt; diuinam, ac spiritalem facultatem eis adscribendo, qua extraordinariè omnia morborum genera depellant.* O bone! quos tu hic canes? equos, & sues memoras aris impositos? An tu fortè volueris D. Martinum equo insidentem, S. Eustachium, aut D. Hubertum dantes operam venationi, S. Antonium à Dæmone suis speciem induto tentationibus appetitum, anaglypho, seu planâ vndique picturâ ob memorabile aliquod facinus expressos meminisse? Sed hæc quid ad rem? quid hæc ad Diuorum Reliquias, de quibus orsus eras dicere, & de quibus religiosè habendis, asseruandis, & colendis agitur?

Beza serm. 25. in Pass. Christi hist.

Pari omnino religione Vertumno, & Protheo quovis versatilior Erasmus commentitium Ogygium inducit asserentem à se S. Petri Apostolorum Principis, visum, & exosculatum in Angliâ digitum, qui, *à magnitudine articulus gigantis* videri poterat. Post pauca suo peregrino narranti nonnihil è lacte Virginis Deiparæ conspectum à se libens occinit: *At ego vereor ne talia multa fingantur ad quæstum.* A suis commilitonibus egregiè mentiri didicit Ioannes Spanbenhergius apud Northusianos Verbi minister, interpolator, & sacerdotum criminator eximius, quos impudenter superstitionis insimulat. *Quæ superstitio*, inquit,

Erasm. Colloq. sæpe supr. cit.

quit, *causa fuit, vt quæuis ossa pro sanctorum Reliquiis adoranda proponerent.* O liberaliter mendacem! qui *quævis ossa* non sanctissimorum virorum (quòd apud eum nulli sint) sed ne hominum quidem (quòd hominem ipse exuerit) pro sacris Reliquiis ad cultum, & venerationem proposita comminiscitur. Eodem modo crocitant malorum coruorum mali corui, Henricus Bullengerus, Antonius Sadeel, Cornelius Agrippa, du Moulin, Plessæus denique, Mornæus eodem se afflatum œstro, per impudentem calumniandi libidinem scripsit, Ecclesiam Remensem venditare simul, & ostentare calicem, quem Christus in vltimâ cœnâ discumbentibus Apostolis propinandum, atque ex eo suum sanguinem libandum dedit. Cuius intolerandam mentiendi licentiam felicis memoriæ P. Cottonus Regi Christianissimo, (cui tum erat à Confessionibus & concionibus sacris) egregiè detexit & oculis regiis vsurpandam exhibuit. Nam ex literato eius calicis pede constitit eum vnum esse, in quo D. Remigius facere consueuerat. Debebat nimirum Plessæus meminisse Caluini magistri sui, qui sacram illam Christi pateram ad D. Virginis in Insulâ Barbarâ (vt vocant) haud procul à Lugduno, vel in Albigensi agro (quæ aliorum sententia est) apud Patres Augustinianos simul, & semel seruari, monstraríque scriptis tradiderat suis. Sit penes auctorem fides, si quæ fides à fide extorri habenda est.

Henr. Bulleng serm. 2. de hist. Passion. Sadeel, &c. supr. cit.

Steph. Rousselet parang. du Lys sacré, chap. 2 sect. 1.

Caluin. Admon. supr. cit.

Hinc coniice quisquis es, quid fidei adhibendum sit Caluino infensissimo Ecclesiæ Catholicæ, fideíque Orthodoxæ hosti affirmanti (refugit stylus scribere) horret animus cogitare, *cerui pudendum pro D. Antonij brachio, & pro D. Petri cerebro silicem Geneuæ fuisse asseruatum*, & cultum: *Caudam asini*, quem Christus Hierosolymam triumphantis in morem inuectus insedit, *lipsanum factam*, & Geneuæ monstrari, *S. Michaelis pugionem*; *eiúsque clypeum*, quo cum Dæmone depugnauit *Carcassonæ, & Turoni ad S. Iuliani ædem custodiri.* Quis deinceps audiat Sycophantæ impudentissimi has, aliásque id genus fabulas, meras nugas, & mentis à suâ sede motæ deliramenta? Hìc vnum te rogo, mi Lector, cuínam homini cordato mirum de cætero videri possit, ac debeat? si tam numerosa de genere eodem Reliquiarum multitudo ex Infidelium calumniandi, & Orthodoxos traducendi libidine, atque audaciâ toto orbe Christiano inualuerit, volante, ac vires eundo acquirente famâ? Id nimirum student quàm quod maximè nostri Lipsanomachi, vt suis terriculamentis Fideles à sacrarum Reliquiarum cultu, ac veneratione tanquam pauitantes Aniculas terriculis, & inani formidine *à cucumerario deterreant.* Cornicantur nimiùm quàm ineptè nos *sexcentimanos Briareos, multicorpores Geryones*, imò nos non alios Diuos deuenerari, *quàm è genere Geryonacæo*, omnes, omnes, vt tot in locis ipsorum artus, & ossa seruari, monstrari, & coli possint, aut certè centuplicatis iisdem Diuorum exuuiis imperitam, brutámque plebeculam in fraudem deduci ad raucim occlamant Stentores Auernales.

Idem. admon. cit.

Del-rio tom. 1. Adag. sacr. 886.

Baruch cap. 6. v. 69.

Nugæ, nugæ, quid enim vnas, easdémque Diuorum Reliquias in

suâ

suâ vnitate multiplices, & in suâ multiplicitate singulares dici, vel esse vetet? si res ad decem, vndecimve illas causas in medium à me prolatas, velut ad Lesbiam regulam exigatur? nullum enim earum genus inuenias, quod commodè intelligi nequeat tribus, quatúorve, vel etiam pluribus ex illis causis, vnum, idémque diuersissimis in locis existere, & asseruari posse. Vis adorandæ Crucis fragmina sexcentis in locis esse? habes infinitam diuinæ benignitatis potentiam; diuiduam pretiosissimi ligni naturam; eiusdem cum tot Martyrum crucibus similitudinem; Synecdoches, & metonymiæ licentiam; aliásque quamplures causas, si reliquas sigillatim excutias, tuæ fidei, ac pietati patrocinantes. Vis D. Martini pluribus in locis ostentari lipsana? Quidni verò id meritò possit ab eius pignorum particulis, puluere, vestimentis? quidni ab innumeris ipsius memoriis, & brandeis? quidni ab eiusdem nominis similitudine? frequenti translatione, & reliquis id genus memoratis causis id piæ persuasionis, ac fidei possit apprimè sustentari? An propterea *Sexcentimanos Briaræos & multicorpores Geryones, Diuos* colimus? an propterea easdem Diuorum Reliquias de ridiculo centuplicamus? an propterea imperitæ, ac brutæ plebeculæ fucum, ac fraudem nequiter facimus? an propterea mendacia plusquam Homerica, & cantandas puppis nænias cautibus potiùs, quàm hominibus venditamus? Verùm esto, placet hoc etiam cum doctissimo simul, & piissimo Bozio liberaliter hostibus dare: *Esto, vt incidant aliqui interdum in fraudem* che'qui illi? *atque hoc tantillum mali tanti non est, quanti bona innumera, quæ ex honore Martyribus, aliisque Diuis dato consequuntur: alioquin tollite ignem è mundo, quo fit, vt aliquando vrbes integræ inflammentur? tollite vinum, quo vos hæretici sæpius ad ebrietatem replemini? tollite pleraque fere omnia, quibus humanum genus sæpe ad malum abuti solet? Nobis neque vestra, neque aliorum stoliditas tanti est, vt à cultu sanctarum Reliquiarum & primariæ Ecclesiæ consuetudine desciscere vnquem latum velimus. Oppida enim* (vt piè philosophatur Theofridus Abbas) *& castella, vicos, & vrbes, quæ omnia iam magni tenuere principes, exiguus Sanctorum puluis possidet, locuples rerum copia illorum Reliquiis subiacet. Animæ in cœlesti iubilant palatio, Reliquiæ eorum exaltantur in subdito sibi sæculo: non poterunt tam profundè in terræ recondi visceribus, quin super terram per miraculorum effectus effulgeant ipso sole lucidiùs: Has singulis Prouinciarum, & ciuitatum populis dedit in solatium, vt dum importunis vrgentur incursibus hostium visibilium, & inuisibilium per harum defensentur meritum.* Denique (vt omnia vno verbo cum eodem complectar,) *Terrarum sunt munimenta, & æternæ retributionis, diuinæque magnitudinis documenta.* Vti inferiùs sequenti proximè capite bene multis sumus demonstraturi.

Thom. Boz. lib. 15. de sign. Eccles. cap. 17.

Theofrid. Abb. serm. de SS. Reliq. venerat.

Sed de causis earundem Reliquiarum perquàm suspiciendæ multitudinis hactenus satis.



CAPVT XII.

DE IDENTITATE, PARTITIONE, ac pia sacrarum Reliquiarum diribitione.

CAVSA XII.



VM hactenus semper suppofuerimus toto huius nostræ Disquisitionis curriculo, easdem in indiuiduo Sanctorum Reliquias diuersis in locis asseruari, nec verbulo quidem vno docuerimus, quì constare possit easdem reipsâ esse Reliquias? neque recténe? an secus illas partitè diuidamus? nec denique quem ob finem voluerit Deus easdem per varias Orbis Christiani prouincias, vrbes, oppidáque distribui, ac seruari? (quod tamen strictim saltem attigisse par erat) operæ videtur pretium esse ad vltimum hæc tria inuestigare, ne quod in dubio esse, ac meritò anquiri potest, & quod vnum in hac Disquisitione desideret nonnemo, vel omissum, vel neglectum, vel intactum casu, consultóve fuisse videatur. Sit ergo

---

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm sacrorum Lipsanorum identitas probari debeat.

Bifariam considerari possunt Diuorum Exuuiæ, & quâ *veteres*, & quâ *nouæ*. *Veteres* nomino illas, quæ ad Christum, Deiparam Virginem, Apostolos, aliósque pertinent Cælites, qui primis adhuc lallantis, vt ita dicam, Ecclesiæ temporibus floruere; vel quæ, licet ad multò recentioris æui Sanctos reuerà spectent, pluribus tamen antè actis sæculis aliquo certo in loco custodiri, monstrari, colíve memorantur. *Nouas* autem vocito eas, quæ necdum diuturnam longi temporis tulerunt ætatem, quarúmque satis recens apud Fideles etiamnum extare potest memoria: siue illam à Patribus suis ipsi coràm hauserint; siue

siue à testibus oculatis, auritísve, fidéque dignissimis acceperint; siue ex indubitatâ tabularum auctoritate, alióve id genus modo collegerint. De his verò disputationem instituere, non superuacaneum modò foret; sed etiam tempus, oleum, & operam perdere: propterea quòd harum sacrarum Reliquiarum identitas (si quidem meritò, ac prudenter vocari possit in dubium) nullo negotio non tam probari valeat, quàm haberi. De *veteribus* ergo Sanctorum lipsanis, quæ eadem in indiuiduo pluribus in Basilicis iactantur asseruari, in præsentia disserendum restat.

SECTIO PRIMA.

An veterum sacrarum Reliquiarum identitas probari debeat.

LAconicè respondeo, minimè gentium id opus esse. Suffragatorem meæ sententiæ, virum iuris Canonici scientissimum, iuxta ac piissimum, Anfossium lego, qui venerabiles Sanctorum Ticinensium Reliquias, carúmque veritatem simul & identitatem bellatore stylo fortiter propugnans, *in materiâ Reliquiarum maximè*, negat esse *necesse probare identitatem quæ in re tam pia præsumitur:* quo subadiuuâ non erit mihi laboriosum definitionis nostræ constabilire veritatem. *Anfoss. sup. cit. §. 20. n. 26. & seq.*

Facit enim in hanc rem vnanimis Iuris vtriusque peritissimorum consensus, apud quos secundum Baldum *difficilis dicitur probationis identitas in antiquis.* Multò magis in antiquissimis, hoc est, in iis rebus, quæ memoriam hominum excedunt, & quarum initij recordatio funditus excidit, illísque aduersum extat nihil. Idem enim quod olim fuit, hodie pariter existere præsumitur, nisi directò, vel obliquè id ipsum vel in se, vel saltem in loco, vbi hactenus constiterat, probetur desiisse. Quod in Diuorum lipsana sua vetustate in paucis veneranda hoc veriùs cadit, quò certiùs, exploratiúsque vulgò est, illa summo studio custodiri, nec sine pio quodam horrore à Fidelibus tangi, imo ne quidem extra capsam ostendi, nec loco plerunque moueri, alióve transuehi sine maxima necessitate, iacturæve periculo consueuisse; quam transuectionem aliò factam si probes; bene id quidem: sin minùs, eadem superesse lipsana, cur neges? & si negare non potes, quid opus probatione? *Bald. Concil. 265.* *Mascard. conclus. 873. n. 1. de probat. & cat. quos citat.*

Non est necessarium (quæ secunda est ratio) *probare identitatem, quando concurrunt tot circumstantiæ, ex quibus iudicari debeat identitas*, inquit Thuscus æquè doctrinâ iuris, ac purpurâ Eminentissimus. Quoties igitur istiusmodi circumstantiarum genus erit reperire, quibus circumstantiis vero simillimè liquebit inuariatas; easdémque existere cuiuspiam *Thusc. tom. 4. pract. Concl. Iur. verb. Ident. conclus. 4. n. 1.*

cuiuspiam Diui vindicati exuuias, ipsarum identitatem probare pluribus, superuacaneum omnino fuerit. Quin autem perantiquis Christi, Beatæ Virginis, aliorúmque veterum Sanctorum pignoribus ita constabiliendis opportunæ confluere valeant circumstantiæ, non equidem video, quid obstet? quibúsve opus sit argumentis ad eorundem identitatem iam satis validè iudicatam magis magísque euincendam?

Quanta verò foret rerum Ecclesiasticarum perturbatio? quantum religio detrimentum caperet? quanta fieret Christianæ pietatis decessio? si in veterrimis Diuorum Reliquiis comprobanda esset identitas? cùm vix vlla sit Ciuitas, Basilica, Ecclesiáve antiquitate spectabilis, quæ se aliquibus sacris pignoribus diuitem non dictitet, & optimo iure glorietur? imo (quod mirabilius est) cùm tot Ecclesiæ toto Orbe Christiano dispersæ, vt iam sæpiùs vidimus, eadem numero Sanctorum lipsana se possidere contendant? *Apud Martyrologium Romanum vetus*, inquit Ansossius suprà laudatus, *Venetiis in Ecclesia sancti Zachariæ adest corpus S. Gregorij Nazianzeni, quod supra diximus venerari Romæ, in Basilica Vaticana, verè Vrbis ornamento, & Orbis miraculo, de cuius translatione adest elegantissima oratio Reuerendissimi Patris, D. Panigarolæ, Astensis Episcopi.* Sic ille; qui de sacro S. Thomæ Apostoli corpore persimilem Edessenos inter, Indósque piam contentionem subiungit. Infinitum esset ire per singula; sat fuerit pares super iisdem veteribus Cœlituum lipsanis Ecclesiarum disceptationes nunquam, vt arbitror, componendas cursim indicasse, ac leuiter attigisse, vt vel ex vno capite intelligas, quanta rebus sacris necessario importaretur confusio, quámque inutilis suscipiendus, & deuorandus esset labor, si veterrimarum Reliquiarum identitas probatu sanè quàm difficillima, certis, manifestísque argumentis euincenda foret.

Ansoss. loc. cit. n. 29.

Pergit Ansossius dicere, *si identitate quorumcunque Sanctorum corporum, & Reliquiarum probandum esset, quis posset probare corpora, quæ in hac ciuitate* (Ticinensi videlicet) *coluntur, illa esse eadem numero, dato, quòd de eorum translatione constaret, nisi præsumptiuè? ea scilicet ratione, quod olim tale corpus fuit huc translatum, illud ipsum esse præsumi.* Hæc vir doctus, quæ pluribus Iureconsultorum auctoritatibus confirmat, eóque imprimis vulgato iuris axiomate, *qui diu possedit, præsumitur adhuc possidere.* Fieri tamen potest, vt corpus alterius Sancti in locum sacrilego furto subrepti corporis sit suffectum, vti in sacris Beati Marci Euangelistæ exuuiis olim retulimus factitatum. Venerandum Sancti Theodulphi corpus cùm ad Excliacenses loco B. Ermini exuuiarum (vti postulatum ab illis fuerat) Pelasgâ fide transmisissent Lobienses, Deus magna miraculorum luce fraudem parum religiosam detexit, vt narrat Molanus. Quo igitur pacto euinci possit veterrimarum Reliquiarum identitas? nisi si Deus prodigiorum mirabilitate, vel cœlestibus monitis, pro suâ in Ecclesiam prouidentiâ, & in Fideles charitate, ipsam dignatus sit comprobare. Non repeto, quæ in hanc rem superiùs à me allata fuerunt in medium exempla: vel quæ deinceps

Ansoss. cit. n. 31. & seq.

Archidiac. in c. Pontifices. 7. q. 1. Tiraquell. tract. de præscript in verb. continuè in gloss. 5. Molan. in Indicul. SS. Belg. lit. T. Verbo Theodulph.

ceps libro proximè ſubſequenti proferentur. Mitto hîc referre infandum illud Epiſcopi Metenſis facinus, qui cùm vice Popponis Treuirenſis Archiepiſcopi, peregrè in Palæſtinam profecti, ſacros Ordines haberet impertiri, clauum Dominico ſimillimum altari, in quo faciebat, impoſuiſſe, verúmque in ſinum abdidiſſe fertur: cuius dolum malum, & ſacrilegam ſubreptionem exoſus Deus, eam inſigni prodigio detexit, vt quidem ex catalogo Treuirenſi obſeruauit, retulítque Anfoſſius, penes quem ſit fides. *Anfoſſ. qui ſupra, n. 45.*

Deinde, quid amabo te opus eſt aliis probationum firmamentis ad perantiquarum Reliquiarum identitatem ſtabiliendam, vbi conſtans, ac diuturna Eccleſiæ vniuerſalis, aut cuiuſpiam particularis acceſſerit traditio: & cuius præſidio, ac longâ complurium ſæculorum ſerie iampridem eadem fuerit ſatis ſupérque confirmata? Quantâ verò auctoritate polleat traditio, aliàs opportuniori loco dicturi ſumus, ne ſæpius eamdem recinamus cantilenam. Certè, teſte Anfoſſio, *id vel ex fidiſſimâ veterum traditione prædeceſſorum didiciſſe, Iuris eſt explorati*; cuius ratio manifeſta eſt, quòd maiores *de hac veritate certiores cæteris præſumantur*, quemadmodum ex variis Iuris ciuilis effatis cum ipſo probare facillimum eſſet, niſi res foret compertiſſima. Atque hoc, inter reliqua, iuris oraculo idem Author ſubnixus, Iobi, Tobiæ, Saræ venerabilium pignorum identitatem ſimul & veritatem ſolidè fulcit, ac roborat enumerans ad ſeptuaginta circiter Ticinenſis Eccleſiæ Præſules, qui longâ ſerie, ordinéque ſibi ſuccedentes, illas ipſiſſimas eſſe Diuorum memoratorum exuuias conſtanti, & interruptâ traditione, atque adeo perſcriptis ſuarum inquiſitionum commentariis teſtatiſſimum reliquerunt. *Lib. ſeq. cap. 1. art. 3.* *Anfoſſ. cit. §. 22. n. 35.* *L. quanquam. ff. ad S. C. Velleian. &c.*

Ad vltimum ſi in rebus profanis, *identitas in antiquis*, vti ſuperiùs conſentientibus Iuris vtriuſque peritiſſimis à nobis demonſtratum eſt, probari vix poſſit, aut debeat: quantò minus in rebus ſacris, & potiſſimum in veteribus Sanctorum lipſanis; in quibus falſi quidpiam ſuſpicari, ne dicam, affingere vetat religio, Eccleſia refugit, deteſtatur Deus?

Verùm Lipſanomachis obſtinatis mori potiùs, quàm vt in eius rei fidem, ſententiámque concedant, vltro, ac liberaliter demus neceſſarium eſſe venerabilium Reliquiarum identitatem probare, perueſtigemus deinceps (quod vnum reſtat) an? quóve id modo præſtari, conficíque poſſit?

SECTIO SECVNDA.

An, & quomodo sacrarum veterum Reliquiarum identitas probari possit.

QVanquam perarduum, & nimiùm quantùm difficile sit firmis rationum momentis non tam euincere, quàm probare easdem etiamnum in indiuiduo existere Sanctorum exuuias, quas aliquo in templo à tot antè actis sæculis reipsa custoditas fuisse compertissimum hactenus fuit: non iuerim tamen inficias vero simillimis saltem argumentis earundem numero reliquiarum identitatem stabiliri, & confirmari posse.

Principio iisdem argumentis probare illam potes, quibus suprà diximus probari non debere: videlicet æqua, congruentíque præsumptione, possessione diutina, debitis circumstantiis, traditioneque constanti siue vniuersalis, siue priuatarum Ecclesiarum, quæ perantiquis cuiuspiam Cœlitis pignoribus se collocupletatas esse iampridem religiosè gloriantur.

Secundò *Identitatem in antiquis probari posse per* semiplenam probationem docebit Mascardus, Cardinalis Thuscus, & alij complures, quos laudant: si enim in rebus profanis, & vulgaribus semiplena probatio tanti est, quantò magis in sacris; cuiusmodi sunt veteres Diuorum exuuiæ?

Thusc. cit. loc. n. 27. Mascard. de probat. conclus. 874. n. 10.

Tertiò, *quando sumus in antiquis* (verba sunt Cardinalis Thusci) *sufficit probatio de auditu, & per famam & per coniecturas.* Famam verò eam intelligo, qualem Baldus depingit, *solidam, inconcussam, excellentem, non vagam, non leuem, non contrariam*, non vulgarem vno verbo, qualem natiuis suis coloribus expressit in hunc modum Virgilius.

Thusc. cit. loc. Mascard. cit. conclus. 749. n. 3. & seq. Ansoss. cit. §. 6. n. 6. & 7. Bald. consil. 77. n. 6. lib. 3. Virgil. 4. Æneid.

Fama malum, quo non aliud velocius vllum
Mobilitate viget, virésque acquirit eundo.
Parua metu primo, mox sese attollit in auras
Egreditur solum, & caput inter nubila condit.

Quo loco aduersus Ethnicos falsis rumusculis Christianam religionem iniustissimè traducentes vsus olim Tertullianus, qui popularis huiusce famæ versatile ingenium, & fidem infidam multò illustriùs, explicatiùs, & propiùs ad ipsius indolem descripsit in hæc verba. *Natura famæ omnibus nota est, Vestrum est, Fama malum, quo non aliud velocius vllum. Cur fama malum? quia velox? an quia plurimum mendax? quæ ne tunc quidem quum aliquid veri affert, sine mendacij vitio est, detrahens, adiiciens, demutans de veritate. Quid? quòd ea illi conditio est, vt non nisi*

Tertull. Apolog. cap. 8.

nisi cùm mentitur, perseueret, & tandiu viuit, quandiu non probat. Siquidem vbi probauit, cessat esse, & quasi officio nunciandi functa, rem tradit: exinde res tenetur, res nominatur. Nec quisquam dicit, verbi gratia, hoc Romæ aiunt factum; aut fama est illum Prouinciam sortitum: sed sortitus est ille Prouinciam, & hoc factum est Romæ. Fama nomen incerti, locum non habet, vbi certum est. An verò famæ credat, nisi inconsideratus? quia sapiens, non credit incerto. Hæc ille, vt ostenderet ea, quæ in Christianos vulgò iactabantur, nullo alio subnixa fuisse fundamento, quàm vanâ, & mendaci quadam famâ, quæ hoc faciliùs in Gentilium animos irrepsisset; quò libentiùs ab hostibus combibitur, conseruatur, spargitur, & vbique gentium propagatur. Istiusmodi autem famâ sacrarum Reliquiarum identitatem probari nolim, sed eâ solâ, quæ profecta sit à personis certis, grauibus, fide dignis, &, vt loquitur Mascardus, *iuridicis, & de quarum commodo non agitur, & appareat, à qua ratione & causa ortum habuerit*, quàm fieri poterit exploratissimè. *Mascard. cit. concl. 748. n. 9.*

Verùm licet sola ex se fama planè, plenéque sacrorum lipsanorum identitatem non probet, saltem ad illam muniendam non leuiter confert, præsertim, si viri graues, & authoritate præstantes pro famâ, & constanti opinione testimonium dicant. Qui autem censeri, & esse possint locupletes in hac re testes, disputandum relinquo Iuris vtriusque scientissimis, illisque in paucis, quos superiùs laudaui, & quos ipsi pedarij sequuntur, ac citant. Ansossius Diuorum Ticinensium Reliquias easdem existere satagens comprobare, Gualphæ, Morbiique testificationibus vtitur, *quoniam*, inquit, *in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum.* Additque, *fas quæso sit recensere alterum testimonium personæ religiosæ* (Bertolini videlicet æquè pij, ac *docti sacerdotis*) *testis omni exceptione maioris, cuius testificationi plurimum iura deferunt.* Vt pluribus pergit confirmare, quæ verbo tenus indicasse sat mihi. *Thusc. Mascard. &c. Ansoss. cit. §. 13. n. 11. 12. & 17. & auct. quos citat. Ibid. n. 18.*

Eodem suasore sublata est omnis super venerabilium Reliquiarum identitate probanda difficultas, quando pro illa extat scriptura publica, *cùm iure cautum sit*, inquit, *plurimum præsumi in factis antiquissimis, pro scripturis ipsis, eisque standum esse, in præiudicialibus, vbi agitur de alterius interesse, & damno, & eo magis, quando huiusmodi scripturæ essent reposita in Archiuio publico, quo in casu omnimodam eis fidem esse adhibendam omnia iura clamant.* Sic ille, vt autem habeatur fides scripturis publici tabularij, tria video à Iureconsultis desiderari: primum vt repositæ sint in publico tablino; secundum vt eidem Præfectus, & custos à Republica sit constitutus; tertium, vt inter tabulas, & commentarios rerum publici iuris huiuscemodi scripturæ numerentur, quæ tria cùm in scripturam publicam cadunt, tùm illa tantam suæ ex sese auctoritatis vim, fidémque præfert, vt quamvis neque Libellionis manu subscripta, munitáque esset, nulla de ipsius auctoritate, ac fide penitùs fieret decessio. Quidni ergo scripturâ è communi *Idem Ansoss. §. 32. n. 3 & seq.* *Felin. in c. cum causam cel. 3. n. 7. de probat.* *Ansoss. cit. n. 6. & reliq.*

cuiuſpiam Eccleſiæ tabulario deprompta probari poterit veteres ſanctorum Reliquias, quæ inibi ſeruantur, eaſdem omnino etiamnum ſupereſſe, quæ extiterant olim, cùm eiuſcemodi commentarij, ſeu ſcriptura perſcripta, in tabulis Eccleſiaſticis recenſita, recondita in communi tabulario, atque adeo ab eodem publico cuſtode, ac Præfecto aſſeruari cœpta ſunt?

Huc nec incommodè, nec incongruè referas vetera Manuſcripta, vt vocant, ſeu Codices antiquâ manu exaratos, quibus peruetuſtas Diuorum exuuias confirmes eaſdem in indiuiduo ſuperare. Præiuit tibi in rebus ſimillimis exemplo doctiſſimus Cardinalis Baronius, qui paſſim tam in notis ad Romanum Martyrologium, quàm in Annalibus ſuis non dubitauit ex peruetuſtis Manuſcriptis quamplurima ad Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, ſimul & Antiquitatis lucem, ignota eruere, dubia, nutantiáque firmare, expungere adulterina, ſuppoſititia retegere, ad ſummam controuerſa ſolidè extricare, extricatáque conſtabilire. Illum conſulant, quibus per otium licebit ex fide verba ipſius exſcribere. Hunc ſequutus Anfoſſius non vno aut altero duntaxat loco, ſuperiùs memoratarum Ticinenſium Reliquiarum identitatem, veritatemque confirmari poſſe probauit. Cur igitur cuilibet integrum non ſit, cùm ſe dabit occaſio, vel neceſſitas poſtulabit eâdem probationis formâ vti?

Baron. in not. Martyr. Rom. & Annal.

Anfoſſ. qui ſupr. §. 12. n. 1. § 22. n. 9. & §. 32. n. 15.

Longior ſim, quàm præfinita mihi breuitas ferat, ſi vniuerſas probationis ſpecies, quibus veterum Reliquiarum identitas fulciri poteſt, ſigillatim tentem percurrere: abundè ſatíſque muneri & inſtituto fecerim meo, ſi per ſaturam aliquot aliàs ſtrictim delibem. Eaſdem igitur in indiuiduo Reliquias, quas olim alicubi ſeruatas, & cultas conſtans fama, vel traditio eſt, etiamnum extare, demonſtratu facillimum duco, ſi patrios Annales, ſi antiquas literatorum marmorum reſcriptiones, ac titulos, ſi viſitationum Epiſcopalium commentarios, ſi priuilegia, Baſilicis, locíſve, vbi creduntur cuſtodiri, quondam conceſſa, ſi Confeſſiones, memoriáſve in ipſorum honorem exædificatas, ſi ſacrariorum Præfectos, æditu óſve ſacramento rogatos, ſi denique (vt vno verbo cuncta complectar) humana, diuina, & ex vtriſque mixta præſidia (quæ ſequenti libro ad vera Sanctorum lipſana ab adulterinis ſecernenda prolaturi ſumus) pro rerum neceſſitate, arbitrióque pro ſe quiſque malit adhibere ad venerabilium Reliquiarum identitatem comprobandam.

ARTI

ARTICVLVS SECVNDVS.

Rectène Sanctorum Reliquiæ plures in partes à Catholicis diuidantur.

PRæfractè pernegant Lipſanomachi, dicam? Vigilantio duce? an Sereniſſimo Britanniæ Rege, Iacobo, eorum anteſignano? Certè tralatitiam hanc ſacrarum exuuiarum partitè diuidendarum conſuetudinem nigro theta damnatam fuiſſe à Vigilantio iure credas, cùm ſic tam acriter in Catholicum inueheretur. *Quid neceſſe eſt te tanto honore non ſolùm honorare, ſed etiam adorare illud neſcio quid, quod in modico vaſculo transferendo colis? Quid puluerem linteamine circumdatum adorando oſcularis?* minimas videlicet particulas è ſacris Diuorum exuuiis deciſas, ſerico, lineóve velamine obtectas, atque adeo pretioſis thecis incluſas, quas Orthodoxi vel in templis ad cultū expoſitas, vel religionis causâ ſecum geſtitatas, ſuſpenſáſque è collo piis oſculis appetebant. Manifeſtiſſimè Sereniſſimus Britanniæ Rex, religioſam hanc venerabilium corporum in paucis partitionem, velut infamem, Diuíſque propudioſam maximopere improbauit. Audiamus in hæc verba loquentem: *Quoad Reliquias Sanctorum, ſi quos huiuſcemodi haberem, quas conſtaret Sanctorum corporum partes eſſe, eas ego honorificis tumulis ſolemniter inferrem.* Hactenus bene, atque Catholicè, ſi verbis in ſpeciem Orthodoxis, & inſigniter piis animus Orthodoxus, & catholicè pius ex æquo reſponderet. Enimverò vera, & Catholica fides aliud docet nihil, quàm non modò integras beatorum Cœlituum exuuias, ſed etiam minimas earum portiones, ad puluiſculum vſque, perquàm honorificis componendas eſſe monumentis. Hoc ſanctorum Patrum vnanimis conſenſus, hoc Conciliorum Oecumenicorum ſanctiones, hoc ſacrarum ædium parietes, hoc Theologicæ Orthodoxorum Doctorum exedræ; hæc Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, ac Romanæ veterrima conſuetudo, hoc ad vltimum primorum mortalium religioſum facinus, & Fidelium vbique terrarum, ac gentium pietas prædicant, hortantur, perſuadent. Verùm reliqua Britannici Monarchæ ſenſa, verbáque patienti aure combibamus. *Nec committerem*, inquit, *vt ſupremis defunctæ funeribus ad eius infamiæ imaginem ſeruarentur, quam perditis hominibus, publicóque iudicio damnatis conſtituimus in pœnam vltra mortem duraturam.* Sic ille Lipſanomachorum è tripode, & cortinâ *Rex ſacrorum.*

S. Hieron. aduerſ. Vigilant. cap. 2.

Iacob. Britan. Rex in Βασιλ. δῶρ.

Agedum verò ecquis mortalium hîc non obſtupeſcat, è ſolio Regio virum Principem, atque è Pontificio (ſi ſuperis placet) throno vt ſeſe Anglicanæ Eccleſiæ caput, ſimul & *Fidei verè Catholicæ, Apoſtolicæ, ve-*

teris, ac primitiuæ Ecclesiæ, tot Episcoporum, aliorúmque Fidelium martyrij gloriâ coronatorum sanguine illustris Propugnatorem, ac Defensorem basilicè iactitat (sed quàm id verè, ac rectè viderint Becanus, Gretserus, Suarez, Coëffeteau, & Cardinales Eminentissimi Perronius, & Bellarminus) ecquis inquam, non obstupescat eâ dignitate, eo zelo, & religione præpollentem Anglicanorum *sacrorum Regem, atque Pontificem* tam abiectâ, plebeiâ, prophanâ, &, ne quid grauiùs dicam, ineptissimâ comparatione vsum fuisse in re vsque eò augustâ, sanctâ, religiosâ, Ecclesiæque Catholicæ, Apostolicæque venerabili pertractandâ, vt sacram Sanctorum corporum partitionem, eorúmque in varias Christianorum Prouincias, ciuitates, ac templa piam distributionem, cum infami Cruciariorum, ac furciferorum lanienâ, quorum propudiosa cadauera membratim discerpere, diuersáque in loca, & terras ad maiorem ipsorum ignominiam, terrorémque mortalium exportata suspendere mos est, turpiter componere non dubitarit. Sic nimirum *Fidei verè Catholicæ* (si fas est credere) *propugnator, ac defensor* acerrimus ipsius adulterat dogmata, vt credi velit Beatorum venerandas cœlo, solo, inferísque exuuias ad infamiam, *& in pœnam* ipsorum *vltra mortem duraturam* ab Orthodoxis Mystagogis partitè diuidi, & in sexcentas orbis Christiani Prouincias, vrbésque transmitti, custodiri, monstrari.

Becan. opusc. de primatu Regl. Angl. Gretf. comm. exeget. in Βασιλ. δῶρον cap. 8. Suar. lib. 2. contr. Anglic. sect. error. cap. 9. 10. Coëffet. resp. ad epist. monitor. Regl. Angl. Perron. in eand. Bellarm. Apol. in eand. cap. 1.

Nullus enim (verba sunt Suarez nostri indignam hancce collationem refellentis) *Reliquias Martyrum* (idem de aliis quibuslibet sacris lipsanis Cœlituum dictum puta) *ad infamiam in publico collocat, nisi, qui Fideles persequendo, Martyres facit, & posteà gloriam martyrij per similem infamiam, & pœnam obscurare conatur. Quapropter non immeritò possumus Hieronymum imitando exclamare. Nósne sumus, qui Sanctos honoramus? an ille, qui honorantibus illos viuis habitaculum, mortuis sepulchrum negat? qui fratrum* (vtique Fidelium) *exilia postulat?* Et paulò inferiùs: *Quis ossa Sanctorum, & innoxios cineres hucúsque verberari ab imbribus sinit? Profectò, vt dixi, non nisi ille, qui Fideles persequendo, Martyres facit. Ecclesia autem Catholica non ad infamiæ imaginem vt Rex ludificatur, sed ad maiorem honorem, & ad ostensionem amoris, & ad fidem, & deuotionem excitandam Reliquias Sanctorum illo singulari modo conseruat, suísque Fidelibus videndas, & tangendas proponit.* Hactenus tam piè, quàm solide pereruditus Theologus, qui extremæ suæ periodi verbis tria nobis suppeditat potentissima rationum firmamenta, ex quibus liquidissimè conficias, contrà quàm Serenissimus Princeps scripsit, ritè, sanctéque beatorum corporum exuuias membratim, ac partitè à nostris Mystagogis diuidi consueuisse.

Suar. loc. supr. cit. n. 14. Baldell. lib. 3. de Dei adorat. disp. 15. n. 10.

Bellarm. Apolog. pro resp. de libr. Iac. Brit. Reg. cap. 8.

Primum est, *maior*, qui exinde in Diuos ipsos redundat, *honor*, etenim *Honoro*, inquiebat olim mellifluus Ambrosius, *in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices, honoro vinentis memoriam perennitate virtutis, honoro in cineribus semina æternitatis, honoro corpus, quod mihi Dominum meum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem*

S. Ambros. serm. 14. in Festo SS. Nazar. Cels. MM.

mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud Fideles, quod reuerentur & Dæmones? quod & afflixerunt in supplicio, sed glorificatur in sepulchro? Honoro itaque corpus, quod Christus honorauit in gladio, quod cum Christo regnabit in cœlo. Ab eadem æstimatione, & Fidelium erga sacra Diuorum pignora veneratione, *qui ea intuentur*, teste B. Gregorio Nyssenæ ciuitatis Antistite, corpus *quasi per se viuens & florens amplectuntur, oculis, ori, auribus, omnibus sensuum instrumentis adhibentes: deinde officij, & affectionis lacrymas Martyri, quasi integer esset, & appareret superfundentes, vt pro ipsis precator intercedat, supplices preces offerunt, tanquam satellitem Dei, quasi accipientem dona, cùm velit, inuocantes. Ex his omnibus, ô popule pie, discite, quòd pretiosa, & honorata coram Domino sit mors Sanctorum eius. Nam vnum quidem, & idem corpus omnium hominum est, ex vnâ massâ conflatum, Verùm id, quod simplici morte dissolutum est, vt res qualibet vilis proiicitur. At quod martyrij affectione gratiosum effectum est, ita est amabile, iucundum, & à multis desideratum, & expetitum, vt superior oratio demonstrauit.* Ergo cùm Diuorum exuuiæ sint omnibus veræ, catholicæque fidei professoribus perquàm *amabiles, ac iucundæ*, atque adeò à quamplurimis, ne dicam, vniuersis Orbis Christiani prouinciis, nationibus, populisque nimiùm quantùm *desiderentur*, ecquis integri iudicij, ac mentis compos, immanitatis, diræque lanienæ meritò nostros incusare mystagogos audeat, si ad religiosam Beatorum corporum partitionem identidem descendant, quò infinitis, si fieri posset, in locis singulæ ipsorum particulæ à Fidelibus summo studio conquisitæ, comparatæ, exceptæ honorentur, & *vt* (quod alter Gregorius scribendo rectissimè annotauit) *exiguus etiam puluis, vel ossium veterum quæpiam particula, aut paululum comæ, vestisve, aut sparsi sanguinis quædam notæ, cultum parem habeant, atque integrum corpus.* Et hoc tamen Britannico Ecclesiæ propugnatori deinceps erit, Sanctorum exuuias *supremis defunctas funeribus ad eius infamiæ imaginem seruare, quam perditis hominibus, publicóque iudicio damnatis constituimus in pœnam vltra mortem duraturam?*

S. Greg. Nyssen. or. in S. Theodor.

Greg. Naz. or. 3. contra Iulian. & iamb. 18.

Secundum religiosæ Sanctorum corporum quàm plurimas in partes, imò & fragmenta minutissima diuisionis firmamentum est, eximius erga beatos Cœlites vitâ functos amor, ac studium, cuius non leue reor esse argumentum ardentissimam illam cupiditatem, quâ Christiani vbique gentium, ac terrarum partem quampiam, vel certè tenuissimum quid corporum beatorum appetunt, & satagunt aliquando nancisci. Vbi verò illud adipisci contigerit, recogita quanto in pretio, & quàm charissimum idipsum habeant? vilescunt, imo sordent illis funditùs præ exiguo sacrorum corporum puluisculo argentum, aurum, margaritæ, ac pretiosissimæ quoque gemmæ, quandoquidem ad eum includendum, ornandúmque honorificentiùs, vniuersa illa profundere ipsis non tam parcimonia, quàm lucrum est. Et verò si *paterna vestis* (vt Augustini verbis vtar) *& annulus, & si quid huiusmodi tantò*

S. August. lib. 1. de ciuit. Dei, cap. 13.

charius est posteris, quantò erga parentes maior affectus extiterit, in dubio esse non potest, quin Diuorum exuuiæ in summis amoribus, & pretio sint Christianis, quibus adeptæ auro contrà, & gemmis pretiosiores existunt. At si eas membratim, & minutatim discindere, partiri, diribere ac seruare, *infamiæ imaginem* præ se ferat, *quam perditis hominibus, publicóque iudicio damnatis constituimus in pœnam vltra mortem duraturam.* Deus bone! quænam illa fuit ab Ecclesiæ lallantis cunabulis ad hæc vsque tempora, Fidelium erga Sanctorum exuuias studij, *& amoris ostensio*? ea tamen haud dubiè fuit, vt neque maior, neque pretiosior, neque augustior, neque sanctior aduersus Cœlites à mortalibus expromi possit.

S. Ambros. supr. cit. serm. de SS. Nazar. & Celso.

Tertium caput; ex quo Suarez euincit non licitam modò, sed etiam laudabilem, ac Sacrosanctam esse sacrorum corporum partitionem, insitum est, quòd illa permagni conferat ad Orthodoxorum *fidem & deuotionem excitandam* tot in Orbis Christiani prouinciis, quot vel exiguâ venerabilium illorum pignorum portione collocupletari possunt. Peregregiè, ac eloquenter more suo D. Ambrosius inSit. *Hæc est Sanctorum martyrum gloria, quorum etsi per vniuersum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo. Veneramur ergo in tanto Christi milite fidem nostram: mater namque Martyrij fides Catholica est, in qua iste illustris Athleta sanguine fuso mortem pro ipsâ calcauit, mater, inquam, martyrij fides est. Veneremur ergo in Sanctorum gloriâ fidem nostram. Quomodo fidem nostram? Ab istis enim dum mortis tolerantia indubitanter excipitur, spes immortalitatis euidenter asseritur. Nunquam enim hanc vitam tam constanter expenderent, nisi esse alteram incomparabiliter beatiorem perfectâ definitione sentirent. In Sanctis itaque præconibus veritatis, resurrectionis auctoritas est. Prompti enim pereant in melius reparandi, quibus per angustias tribulationum aperitur exitus ad amplitudinem gaudiorum.* Alio autem loco, *cuncti Martyres,* inquit idem mellifluus Doctor) *deuotissimè percolendi sunt; sed specialiter ij venerandi sunt à nobis, quorum Reliquias possidemus. Illi enim nos orationibus adiuuant, isti etiam adiuuant passione.* Quid ita? *Martyr enim cùm patitur, non tantum sibi patitur, sed & ciuibus, sibi enim patitur ad præmium, ciuibus ad salutem. Exemplo enim eorum didicimus contumeliis vitam æternam quærere, mortem didicimus non timere. Videte ergo quid martyribus debeamus, in quo alter tortus est, vt alius saluaretur: alter carnificem pertulit, vt Christum alter cognosceret: alter morte addictus est, vt alter vitâ potiretur æterna: & ad postremum Sanctus occisus est, vt peccator euaderet. Beati igitur Martyres nec sibi vixerunt, nec sibi sunt mortui. Exemplum enim nobis reliquerunt, bene viuendo, conuersationis; tolerando fortiter, passionis. Nam ideo Dominus per totum mundum diuersis in locis pati* (liceat & mihi addere, eorundem diuisa beatorum corporum membra seruari), *voluit, vt tanquam idonei testes nos præsenti quodam fidei exemplo suæ confessionis vrgerent, vt humana fragilitas, quæ prædicationi Dominicæ aditu longiore vix credit, vel præsenti,*

Idem serm. in Festo SS. MM. Octau. Aduent. & Solut. Idem paulò antè.

ſenti oculorum, martyrio crederet beatorum. Quantum præſidij ad diuini amoris igniculos in Fidelium animis magis magíſque accendendos à particulis exuuiarum S. Stephani, quas Oroſius in Hiſpaniam tranſuehebat, olim acceſſerit, par eſt de Seuero Præſule Minoricenſi accipere; Eius ad Fideles vniuerſos ſcribentis hæc ſunt apud Coccium verba. *Tunc beati Stephani reliquias, quæ nuper reuelatæ ſunt, cùm ad Hiſpanias portare conſtituiſſet, ipſo ſine dubio Martyre inſpirante in memorati oppidi Eccleſiâ collocauit. Quo facto protinus ille ignis, quem Dominus venit mittere in terram, & quem valde cupit ardere, charitate eius accenſus eſt: Statim ſiquidem tepor noſter incaluit, & factum eſt cor noſtrum (ſicut ſcriptum eſt) ardens in via.* Hactenus in hanc rem viuus, præſens, oculatus, ac religioſiſſimus teſtis. Quod autem de fide, ſpe, mortis tolerantiâ, & contemptu, atque adeo de charitatis feruore à ſacrarum reliquiarum per orbem Chriſtianum factâ diribitione mirandum in modum augeri ſolito ſtrictim à me ediſſertatum eſt, de reliquis itidem virtutibus Chriſtiano, & Orthodoxo homine dignis dictum puta: vt vel hinc intelligas Sereniſſimum Britanniæ regem toto cœlo, terráque aberraſſe, cùm à Catholicis ſanctorum perbeatas exuuias *ad infamiæ imaginem, quam perditis hominibus, publicóque iudicio damnatis conſtituimus, in pœnam vltra mortem duraturam* membratim, & minutatim diuidi, variíſque in Prouinciis diſtributas ſeruari ſcriptis conſignatum reliquit. *Seuer. ep. Minor. ad omn. Fid. Cocc. theſ. Cathol. controu. lib. 5. art. 16.*

Hæc enimuerò ſi vel vero ſimillima forent: non in Cœlites modò, ſed etiam, in Deum ipſum à primis penè mundi conditi cunabulis ſanctiſſimi quique viri giganteâ pluſquam audaciâ & impietate peccaſſent: quippe qui beatorum animarum exuuias, & *indumenta organa & vaſa Spiritus ſancti, Chriſti*, & ipſiuſmet *Dei membra* (vt SS. Auguſtinus, Paulinus, Chryſoſtomus, Gennadius, aliíque quam multi Patres veneranda Sanctorum corpora vocitare amauerunt) nefandâ, immaníque lanienâ membratim diſcerpere, ſimul & in ſummæ *infamiæ imaginem, & in pœnam vltra mortem duraturam*, haud aliter, quàm abominanda Latronum, homicidarum, aliorúmque id genus cruciariorum hominum cadauera, in diuerſas Orbis plagas exportare non dubitarunt. Sacrilegus fuiſſet ſanctiſſimus ille generis humani reparator, Noëmus, qui primus omnium, quantum memoriâ repetere poſſum, longiſſimè, partiendorum venerabilium corporum religioſam conſuetudinem tum in mundum, Eccleſiámque inuexit, cùm auitas protoplaſtæ Adami exuuias liberis ſuis (vti ex Moſe Barcephâ referre me olim memini) in poſſeſſionem Orbis propediem à ſe mittendis piâ liberalitate diuiſit, donauítque. Sacrilegus extitiſſet Beatus Ambroſius, à quo Diuus Paulinus veneranda S. Nazarij lipſana ſe dono accepiſſe pauculis hiſce verſibus manifeſtiſſimè teſtatur. *Supr. cap. 2. art. 3. & c. 7.* *S. Paulin. Natal. 9. de S. Fœl. vit. S. Ambr. Greg. Turon. de glor. Mart. c. 47. &c.*

Hic & Nazarius martyr, quem munere fido
Nobilis Ambroſij ſubſtratâ mente recepi;

Culmina Felicis dignatur & ipse cohospes,
Fraternásque domos priuatis sedibus addit.

Pelag. epist. ad Sapaud. Ep. Arelat. Vitalian Pap. ep. ad Osuuin. Sax. reg.

Sacrilegi audissent Pelagius, & Vitalianus, sanctissimi, maximíque Pontifices, quorum ille datâ ad Sapaudum Arelatensem Episcopum epistolâ memorat se *Legatis gloriosissimi Regis Childeberti, beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & aliorum sanctorum martyrum reliquias poscentibus* esse impertitum. Hic verò Osuuinum Saxonum Regem per sacros suos apices sic affatur: *Veruntamen gerulis harum nostrarum literarum vestris Missis, & beneficia sanctorum Martyrum, hoc est, Reliquias beatorum Apostolorum, Petri, & Pauli, & sanctorum Martyrum, Laurentij, Ioannis, & Pauli, Gregorij, atque Pancratij, eis fecimus dari, vestræ excellentiæ profectò omnes contradendas.* Verùm vt sacros homines pluribus referre supersedeam, è Regibus Christianissimis, vnum duntaxat attigisse satis supérque mihi compendia sectanti fuerit: Carolus quartus sacrilegus fuisset, quòd per oratorem suum Henrico Imperatori *manum pretiosi Martyris Dionysij auro, gemmisque inclusam* transmiserit. *Hoc*, inquit, *habeto pignus fœderis perpetui, & amicitiæ*, vti Vvitichindus memorat, subditque: *Rex autem munus diuinum cum omni gratiarum actione suscipiens, prosternitur Reliquiis sanctis, & deosculans eas summa veneratione veneratus est.* Hoccine honoris genere sacrilegi Regis nefandum munus excipi debuit, si reuerenter auulsa è reliquo sanctissimi Areopagitæ corpore manus, *infamiæ summæ* imaginem præ se tulit? *pœnamque sapuit vltra mortem duraturam*?

Vvitichind. lib. 1. Annal.

At inquiet Lipsanomachus nescio quis, quandoquidem Dionysij Areopagitæ mentionem habuisti, opportunè venit in mentem de te percunctari, téne fugerit, quot, quantis, quámque funestis cladibus propudiosam, & crudelem corporis Dionysiani lanienam, & partitionem haud multùm à proximâ supparem in Galliis vestris vltus sit Deus? Audi quid de hac referat Aimoinus. *Eo tempore Clodouæus brachium Beati Dionysij martyris abscidit, instigante diabolo. Per idem tempus concidit regnum Francorum casibus pestiferis.* Nefandum hoc facinus longè ante Aimoinum confixerat Ado Viennensis licet molliore stylo, cùm scriberet, *Clodouæus rex temerè agens brachium sancti Dionysij martyris abscidit. Ab eo tempore, sicut Franci tenuerunt, regnum ipsorum cadere cœpit variis casibus molestatum.* Agedum ergo eánc tibi religio est, vt Cyclopum, & Busyridis lanienam in beatorum corporibus immaniter exercitam, tu licitam, tu sanctam, tu Deo gratam, & acceptam dictites, quam *instigante diabolo* susceptam, & confectam audisti? Haudquaquam, mi homo, menti ea insedit cogitatio, cùm iis fuerit moribus Clodouæus secundus, vt ad id facinus audendum alium habuisse auctorem credi vix possit, præter Dæmonem, sanctarum reliquiarum osorem maximum, & immortalem hostem. Fidem habebis Aimoino, quam abs me ei adhiberi vo-

Aimoin. lib. 4 cap. 43. Ado Vien. Chron. ætat. 6. ann. 686.

luisti

luisti: his vero colorum pigmentis deplorandum hac in parte Regem exprimit, nobísque repræsentat. *Fuit autem ipse Clodouæus omni spurcitiæ deditus, fornicarius, & illusor fœminarum, gulæ, & ebrietati operam dans.* Sic ille: iures ipsum nostri æui Lipsanomachum quempiam depingere; non ouum ouo similius est. Nihil igitur admodum est, quod mirere tantum in conclamatæ conscientiæ principem, tunc Dæmonem potuisse, vt eum in superuacaneam, cæcam, & irreligiosam beatissimi corporis dissectionem, & vt tute loqueris, lanienā egerit præcipitem: quid tum? an ideo credi velis beatorum Cœlituum exuuias ad infamiam potiùs, quàm ad ipsorum honorem; ad horrorem terrorémque potiùs mortalium, quàm ad pietatem, & præsidium eorumdem; ad immanem potiùs crudelitatem condiscendam, quàm ad Fidelium fidem, deuotionémque magis magísque inflammandam ab Orthodoxis Mystagogis partitè diuidi, & sexcentis prouinciis, vrbibus, oppidísque religiosè communicari? Erras, ô bone, erras. Longè alia est Mystagogorum nostrorum mens, alius omnino scopus, alia Fidelium & Catholicorum fides, alia prorsus erga sanctorum lipsana membratim, minutatímque diuisa, & dispersa religio, ac studium, vno in paucis auctore Deo, qui incredibili miraculorum vi piam hanc sanctorum corporum partitionem, ac diribitionem à tot retro actis sæculis ad hæc vsque tempora sanciuit, atque sibi longè acceptissimam esse nouis itentidem prodigiis manifestare pergit: quem porrò ob finem id sapientissimum Numen velit, faxítque pro institutâ breuitate cursim indagemus; sed priùs quàm ad piè curiosam istiusmodi descendo indaginem, volo liberaliter cum obesâ nare, *durâ ceruice, & incircumcisis cordibus & auribus* viris agere.

Do igitur non illibenter illis interdum neque Deum Opt. Max, neque ipsosmet Cœlites, nisi fortè post largos lacrymarum imbres & validas summarum, infirmarúmque precum machinas expugnari se passos esse, vt è venerabilibus suis lipsanis aliquid decerpi sinerent. Huiusce rei exempla olim à me relata, veluti recoctam crambem, nolim obtrudere, volupe tamen est, alia de nouo hîc paucis delibare. Primum peto ex vitæ gestis Diui Bernardi, à Vvillielmo, Abbate S. Theodorici Rhemensis conscriptis, vbi agens de ipsius ex vrbe tertiùm in Gallias reducis abitione sic ait: *Rediens autem Pater sanctus ab vrbe, ex sanctorum Apostolorum, martyrúmque corporibus xenia secum attulit pretiosa, haud modicum hunc sibi reputans fructum esse laboris. Inter quæ beati Cæsarij dentem, quonam modo receperit, memorandum. Cùm enim integrum ei prædicti martyris caput Græci monachi, in quorum Basilicâ repositum est, exhiberent, vt tolleret inde, quod vellet, dari sibi petiit dentem vnum. Frustra verò aliquandiù fratres, qui cum eo venerant, laborantes, concessum sibi trahere penitùs non valebant. Fractis enim cultellis duobus, aut tribus, quos applicuerant, nihilominus dens immobilis permanebat. Tunc ille: orandum est nobis, ait, nec enim habere possumus, nisi martyr ipse concedat. Factâ igitur oratione, reuerenter accedens,*

Super. cap. 8. art. 1. & 2.

Vvilliel. à S. Theod. lib. 4. vit. S. Bern. cap. 1.

incredibili facilitate duobus digitis, quod ferreis anteà moueri non poterat instrumentis, accepit. Hæc ille, ex quo vides beatissimum Martyrem partim humillimæ supplicationis vi, partim religiosâ reuerentiâ à Diuo Bernardo expugnatum tandem manus dedisse, imò & dentem. Secundum suppeditat S. Gregorius Turonensis, apud quem pia quædam matrona Diui Ioannis Baptistæ exuuiarum adipiscendarum nimiùm quantum auida chariùs multò, difficiliúsque à Beato Præcursore, atque à diuino Numine, quod laudabili ambitu prehensarat, imò potiùs, supra quàm ambire, ne dicam, sperare fuisset ausa, post diutinas preces, totidémque esuriales ferias feliciter est consecuta. Rei seriem, & mirabilitatem in hæc verba prosequutum Antistitem lego. *Quadam mulier à Maurienna vrbe progrediens ipsius Præcursoris reliquias expetiuit, & ita se constrinxit vinculo iuramenti, vt non antè à loco discederet, nisi de membris eius mereretur quicquam accipere; sed cùm impossibile hoc incolæ loci narrarent, prosternebatur quotidie ante sepulchrum, orans sibi, vt diximus, de sanctis artubus aliqua condonari. In qua intentione integrum duxit annum, similiter & alterum, iugi semper oratione deposcens. Tertio verò ingrediente anno, cùm orationem suam peruenire non cerneret ad effectum, proiecit se ante sepulchrum, & obtestatur se non exinde surrecturam, priusquàm hæc petitio obtineretur à Sancto: septimâ verò die cùm iam inediâ deficeret, apparuit super altare pollex miri candoris, ac lucis effulgens: cognito autem mulier Dei dono, surrexit à pauimento, factâque capsulâ aureâ, in eâ recondidit, quæ Domino largiente meruerat; & sic gaudens remeauit ad propria.* Verùm non adeò se faciles Deus, diuúsque Ioannes præstiterunt aduersus trigam Episcoporum, qui pari cupiditate, haud scio an æquali pietatis ardore constantíque precum, ac ieiuniorum perseuerantiâ, pauxillum aliquid è sacrosancto illo pignore sibi diuinitus ambibant condonari: certè suis quâ orationum, quâ vigiliarum machinis è venerabili illo pollice, præter pauculas laureati cruoris guttas vix extorquere valuerunt. Ausculta Gregorio: *Post hæc*, inquit, *tres Episcopi aduenientes de ciuitatibus suis ad adorandum in hoc loco voluerunt partem de hoc pignore elicere, positóque in medio, nihil omnino auferre potuerunt. Tunc vnâ vigilantes nocte deprecati sunt, vt aliquid mererentur à pollice, positóque sub eo linteo, dum partem auferre conantur, vna ex eo gutta sanguinis cecidit super linteum. Quod cernentes duas deinceps noctes vigilant. Deinde prostrati coram sancto altari, dum supplicant, vt maius aliquid mereantur à pollice, duæ iterum ex eo fluxerunt guttæ. At illi gauisi colligentes deuotè, quæ Dominus dederat, iuxta numerum seruorum suorum diuiserunt linteum cum guttis suis, quæ non sine grandi admiratione vrbibus intulerunt.* Tertium haud multum à proximo absimile idem Antistes de Beati Sergij Martyris pollice, quem penes se quidam negotiator Syrus, Eufron nomine, religionis ergò asseruabat, memorat in hunc modum. *Capsulâ perscrutatâ Mummolus os de sancti digito reperit, quod cultro ferire non metuit. Posito enim cultro, & sic*

S. Greg. Turon. lib. 1. de glor. mart. cap. 14.

Idem lib. 7. histo. Franc. cap. 31.

ſic de alio percutiebat: cúmque poſt multos ictus vix frangi potuiſſet, diuiſum in tres partes oſſiculum diuerſas in partes dilabitur. Credo non erat acceptum martyri, vt hæc ille contingeret. Tunc flente vehementiùs Eufronio, proſternuntur omnes in orationem deprecantes, vt Deus dignaretur oſtendere, quæ ab oculis fuerant humanis ablata. Poſt orationem autem repertæ ſunt particulæ, ex quibus vnâ Mummolus adſumptâ abſceſſit: ſed non, vt credo, cum gratiâ Martyris. Vtpote qui rapaciſſimam illam harpyam, perfidúmque parricidam non poterat non odiſſe quàm maximè, ſimul & pollicem ſuum innocentiſſimum cruentis manibus à nocentiſſimo mortalium infringi, diripi, attrectari: piorum tamen ardentiſſimis precibus emollitus poſt paulò tandem comminuti oſſiculi ſui particulas ab omnium ſubductas oculis, & aſportandas permiſit. Verùm quid pluribus exemplis liberalitatem noſtram apud aduerſarios non tam exaggero, quàm onero?

Nouum aliquid, maiúſque Lipſanomachis do. Admitto inſuper nonnunquam beatos Cœlites non potuiſſe patienter ferre, non ſolùm ſua vt corpora diſcerperentur, ſed etiam ne vel cinerum ſuorum quicquam decerperetur, retineretúrue decerptum. Prudentius huiuſce rei nobis eſt locupletiſſimus teſtis, qui generoſum ſanctorum Martyrum Fructuoſi, Augurij, Eulogiíque certamen, & palmas deprædicans ſic pan x t. *Prudent. hymn. S. περιϛεφ.*

Tum de corporibus ſacris fauillæ
Et perfuſa mero leguntur oſſa,
Quæ raptim ſibi quiſque vindicabat.
Fratrum tantus amor domum referre
Sanctorum cinerum dicata dona,
Aut geſtare ſinu fidele pignus.
Sed ne relliquias reſuſcitandas,
Et mox cum Domino ſimul futuras
Diſcretis loca diuidant ſepulcris,
Cernuntur niueis ſtolis amicti,
Mandant reſtitui, cauóque claudi;
Mixtim marmore puluerem ſacrandum.

Hæc licet ita ſint: nihilo tamen minus, velim vice verſâ, velint nolint, concedant aduerſarij perſæpe ſanctos Fidelibus ſuarum exuuiarum ſtudioſiſſimis, partem aliquam ex his mirabiliter deciſam ſingulari liberalitate, atque prodigio impertiuiſſe. Eximium peræquè, ac vnicum, breuitatis ergò, proferre in medium ſat fuerit ex Bonfinio, rerum Hngaricarum ſcriptore teſtimonium: Is de inuento S. Stephani Regis corpore hiſtoriam referens hæc habet, *Mercurius Hungarico genere natus, & Cathipani Alberti Præpoſiti pater, ac Baſilicæ Albenſis æditus, qui vita quondam politica renunciarat, vt religioni expeditiùs inſeruiret, quum Ladiſlaus rex imperaſſet tumulum aperiri, ne quid è ſancti Regis reliquiis ſubtraheretur, cum pleriſque aliis, qui ſepulchro inhæſerant, regio iuſſu procul amotus eſt. Is triſti vultu repulſus abiit, &* *Bonfin. rer. Hung. decad. 2. lib. 1.*

quum monachus esset, in sacrum chorum se recepit, vbi quum pudore suffusus grauiter angeretur, quòd sanctissimum corpus neque videre, neque osculis attingere potuisset, ecce iuuenis quidam intempestâ nocte coram astitit, formâ incredibili, liberali facie, candidissimóque habitu, nescio quid bysso inuolutum deferens. Accipe, inquit, Mercuri, quod optasti, & hoc donum pretiosissimum, quod tuæ fidei committitur, commendatissimum habeto, asseruato diligentissimè, & cùm tempus dabitur, ipse depromito. Nocturnis sacris ritè peractis, Mercurius, petitâ latebrâ, rem traditam explicat, sancti Regis dexteram, & annulum inuenit, iuxtáque admiratur, ac Numini gratias agit. Reliquam historiæ seriem exscribere, volens sciénsque prætermitto; ab hoc certè diuino munere cœnobium regiâ munificentiâ, & pietate à religiosissimo Rege Ladislao exstructum, amplissimisque locupletatum prædiis fuisse constat, *Abbatiámque REGIÆ DEXTERÆ nunc* appellant, in perpetuum rei gestæ, veritatísque à nobis propositæ augustissimum monumentum. Videsis, quæ suprà de Sancti Augustini digito Senensi Patritio mirabiliter æquè, ac piè à beatissimo Antistite donato memini me retulisse.

Supr. cap. 10. art. 2.

Ad extremum tam ex hisce, quæ hactenus disputata sunt, quàm ex illis, quos deinceps proximè explicaturus sum fines, causásve, ob quas diuinum Numen sacrorum corporum partitionem, simul & eorundem membratim, minutatimque incisorum per varias orbis Christiani prouincias religiosam distributionem ratam, sanctámque se habere, infinitorum editione miraculorum testatum est, sole meridiano clariùs liquet illam nullâ penitus sacrilegij, crudelitatis, irreuerentiæ, contemptus, alteriúsue cuiuslibet noxæ vel leuissimâ suspicione meritò posse apud cordatissimos quosque laborare. Videamus ergo tandem aliquando quem ob finem Deus voluerit peruetustam hanc sacrorum pignorum partitè diuidendorum, atque huc illuc piè Fidelibus ad religiosam venerationem communicandorum consuetudinem, ab Orbis pene cunabulis vsurpari, atque adeò ad hæc vsque tempora magis, magísque perennaturam perdurare.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quem ob finem voluerit Deus sanctorum exuuias in varias orbis Christiani plagas distrahi, seruari, coli?

NOn vnum, sed multiplicem ob finem (quantum assequi coniecturâ valeo) diuinitus id factitatum credo, quorum vt vniuersos meditando

meditando peruidere me posse diffiteor; ita saltem eorum nonnullos sat fuerit scribendo strictim delibasse. Nam, (vt Isaiam monentem audio) *quis adiuuit spiritum Domini, aut quis consiliarius eius fuit, & ostendit illi? cum quo iniit consilium, & instruxit eum?* Vt fines, & causas omnes, quas diuina mens sibi propositas, ac constitutas habet, non tam stylo prosequi, quàm mente consequi possit. Finium autem, propter quos Deus optimus maximus sanctorum corpora in varias partes à Fidelibus diuidi, diuisáque per orbem Christianum distribui, seruari, colíque voluerit, tres principes constituo classes. In primâ repono illos, qui Dei ipsius, & Cœlituum gloriam spectant; ad secundam eos refero, qui ad mortalium vtilitatem, præsidiúmque conferunt: in tertiâ illos, qui ad Dæmonum dedecus, diuexationem, & contemptum longè maximum attinent, summatim collocatos volo. Agedum ergo de singulis cursim, ac breuiter edisseramus.

Is. cap. 40. v. 13.

SECTIO PRIMA.

Dei Opt. max. & Sanctorum Gloria.

INsigniter, ac peregregiè mentitus est è Vviclefi harâ nescio quis Guillelmus, cognomine *Albus*, animo *Niger*, qui apud Thomam Vvaldensem ait. *Reliquiæ sanctorum, hoc est, carnes, & ossa hominis mortui non debent à populo venerari, neque à monumento fœtido extrahi, neque in capsâ aureâ, vel argenteâ reponi, quia sic facientes non honorant Deum, neque sanctos eius, sed Idololatriam committunt.* Iures enimuerò impuras impiásque Diocletiani, & Maximiani animas in luteum illius homuli corpus Pythagoricâ, vel potiùs Diabolicâ Metempsychosi transmigrasse. Ille enim, Eusebio referente, *Regios famulos*, hoc est, suos, Dorotheum, videlicet, Petrum, Gorgonium, alióśque complures inuictissimos Christi Athletas, *post mortem decoro, & celebri funere terræ mandatos rursus de integro effodiendos, inque mare præcipitandos sententiis decreuit, ne (vt ferebat opinio) quidam eos in sepulchris, ac monumentis conditos, Deos esse reputantes, diuinâ veneratione prosequerentur.* O bellam, dignámque paganis Imperatoribus opinionem, animíque idololatræ inductionem; quibus sigillatim idem, & Vigilantio Lipsanomacho Hæresiarchæ Diuus Hieronymus, occinas. *Quis, ô insanum caput, aliquando Martyres adorauit?* (eo nimirum cultu, qui soli debetur Deo) *quis hominem putauit Deum? Nonne Paulus, & Barnabas cùm à Lycaonibus Iupiter, & Mercurius putarentur, & eis vellent hostias immolare, sciderunt vestimenta sua, & se homines esse* dixerunt? Æquè neruosè, sed multò clariùs, expressiúsque Beatus Augustinus Maximum Grammaticum paucis edocuit ab Orthodoxis *nihil, vt Numen adorari, quod sit factum,* &

Thom. Vvald. 3. part. tit. 22. cap 164.

Euseb. lib. 8. cap. 6.

S. Hieronym. aduers. Vigilant. cap. 2.
Act. cap. 4.
S. Aug. lib. 20. cont. Faust. Manich. c. 21.
S. Aug. ep. 44. ad Maxim. Gramm.

& conditum à Deo. Non alius est omninò Fidelium sensus, fuit, erítque semper: at planè contrarius vesanis Gentilium, & hæreticorum opinionibus, qui animum inducere perquam falsò, ac stolidè amabant, amántque etiamnum Martyras, qui pro Christo martyrium fecissent, quíue à nobis ob singularem vitæ sanctimoniam coluntur, in Deorum album à Catholicis referri, & tanquã Deos aliquos diuinis honoribus ornari. Hoc se lactant errore Lipsanomachi temporis nostri, hunc suis instillant assectis, & quod mirêre, ac misereâre magis, nobis Orthodoxis non modò sacrilegam suam affingunt animi aberrationem, sed etiam illâ nos implicitos impietate Cœlites colere, nobis quantumuis reluctantibus, pernegantibus, sanctéque iuratis ridiculo prorsus conatu suadere moliuntur. Quid facias morionibus? *Nos autem* (vt cum proxime laudato Hieronymo loquar) *non dico Martyrum reliquias; sed ne Solem quidem, nec Lunam: non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen, quod nominatur, & in præsenti sæculo, & in futuro, colimus, & adoramus; ne seruiamus creaturæ potiùs, quàm Creatori.* Hic iam viderint rediuiui Vigilantij, seu meliùs Dormitantij, ac Vviclefistæ noui, quàm rectè sentiant, & quàm verè inflatis buccis inclament à Catholicis beatos Cœlites, vt indigetes quosdam Deos, diuino affici cultu. Viderint quàm Christianè iactitent *non honorari Deum, nec sanctos*, cùm horum exuuiæ *à monumentis extrahuntur*, cùm *in capsâ aureâ, vel argenteâ reponuntur*, multò minùs cùm partitè diuisæ per varias orbis Christiani prouincias religionis causâ diribuntur, asseruantur, & coluntur à nobis.

S. Hier. ep. 53. ad Ripar.

Et verò, vt quod in confesso est apud omnes, ingenuè fatear, nisi si vltra id, quod solum in sensus externos cadit, & quod reipsâ, & in natiuâ, meráque (vt loquuntur Theologi) entitate sunt Reliquiæ; nimirum exanguia plerumque corpora, exuta carnibus ossa, puluisculus nescio quis, aridi cineres, pili perpauci, nisi, inquam vltra id, se nostra Catholicorum fides, pietas, & veneratio porrigeret: næ! nos mortalium ineptissimi essemus, ac meritò audiremus, qui rebus tam vilibus, tam abiectis, ac funestis religiosos impendamus honores, quantumuis à diuinis infinito absint interuallo. Verùm non hîc gradum sistit fides nostra, non in hoc solo nostra deueneratio conquiescit; vlteriùs suos producit fines, & solum animo supergressa, Deum ipsum, Sanctos ab eo cœlis adscriptos in concreditis Ecclesiæ pignoribus religiosè studet in paucis venerari, eorundémque gloriam impensè promouere: quæ verò illa sit sigillatim expendamus.

A sacrarum Reliquiarum per Orbem Christianum distributione quàm eximia Dei gloria.

§. I.

EA est tam Patrum, quàm Theologorum orthodoxè sentientium conspirans, & vnanimis consensio, vt velint honorem, qui Diuorum exuuiis per varias orbis plagas distributis, ac sparsis religiosè à Fidelibus defertur, ad Dei optimi maximi gloriam primùm, vltimúmque referri, ipsumque imprimis in seruorum suorum cineribus honorari, qui, vt honorari possent, ac mererentur, vnus effecit. Scitè Hieronymus, *Honoramus*, inquit, *Reliquias Martyrum, vt eum, cuius sunt Martyres, adoremus. Honoramus seruos, vt honor seruorum redundet ad Dominum, qui ait, qui vos suscipit, me suscipit.* Non alia sensit, dixitque, licet dispari stylo mellifluus Ambrosius, cuius hæc verba sunt. *Quotienscunque Martyrum memorias celebramus, prætermissis omnibus sæculi actibus sine aliqua dilatione concurrere debemus ad domum Dei reddere honorificentiam illis, qui nobis salutem effusione sui sanguinis pepererunt: qui tam sacratam hostiam pro nostrâ propitiatione Domino se obtulerunt, præsertim cùm dicat ad sanctos suos Christus Dominus: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Quisquis ergo honorat Martyres, honorat & Christum, & qui spernit sanctos, spernit & Christum Dominum nostrum.* Alibi pari elegantiâ, eâdémque sententiâ, *Honoremus*, inquit, beatos Martyres (Nazarium videlicet, & Celsum annis puerulum, virtute virum) *principes fidei, intercessores mundi, præcones regni, cohæredes Dei. Quòd si dicas mihi, Quid honoras in carne iam resolutâ, atque consumptâ, de quâ nulla iam Deo cura est? Et vbi est illud, charissimi, quod ipsa veritas loquitur per prophetam? pretiosa, inquit, in conspectu Domini mors sanctorum eius: & iterum. Mihi autem valde honorificandi sunt amici tui Deus. Honorare debemus seruos Dei, quantò magis amicos Dei; de quibus alio loco dicitur: Dominus, inquit custodit omnia ossa eorum, & vnum ex his non conteretur. Honoro ergo in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices; honoro viuentis memoriam perennitate virtutis. Honoro per professionem Domini sacratos cineres: honoro in cineribus semina æternitatis; honoro corpus, quod mihi Dominum meum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere.* Ab illorum oratione non multum hæc Maximi Taurinensis Episcopi abludit oratio, quibuscum sensa apprimè consentiunt: *Gloriosissimos Christianæ fidei principes, Petrum, & Paulum, annuis solennitatibus honorantes, ipsum Dominum, ac Deum nostrum, qui huius auctor est fidei, debitâ religione veneramur: Apostoli namque Latino sermone dicuntur, missi. Qui ergo honorant Missos, manifestum est honorare mittentem. Quo-*

S. Hier. epist. sup. cit. ad Ripar.

Matth. 18. v. 5.

S. Ambr. serm. 11. in fest. SS. Apost. Pet. & Pauli.

Luc. c. 10. v. 16.

Idem. ser. 14. in fest. SS. Nazar. & Celsi.

Ps. 115. v. 11. & 138. v. 17.

Ps. 33. v. 21.

S. Maxim. Taurin. hom. in Natal. SS. Pet. & Pauli.

niam dignitas, quæ defertur ministris, illi sine dubio, cuius ministri sunt, exhibetur, vt ait ipse Saluator ad discipulos suos: Qui vos audit, me audit: qui vos recipit, me recipit. Mitto referre in eandem sententiam SS. Ioannem Damascenum, Augustinum, & reliquos Sanctorum Patrum, Ecclésiæque lumina, quorum hîc exscribere testificationes si velim, næ tam mihi laborem infructuosum, quàm aliis fastidium crearem maximum: Hinc enim abundè constat, hoc maiorem ad Dei gloriam fieri accessionem, quò pluribus in locis Cœlituum, (quos Deus & homines, & sanctos fecit) beata corpora partitè diuisa, vel in cinerem, tenuémque redacta puluisculum asseruantur, ac religiosis honoribus à nobis afficiuntur. Haud tamen scio méne inani sim lactaturus spe, qui confidam fortè opellam nostram vsquequaque irritam minimè casuram, si ad particularia descendens monstrauero, tantò manifestiùs Deum optimum maximum *in sanctis suis* videri *gloriosum*, quantò illius ineffabiles perfectiones, ac dotes, vbique gentium in Diuorum reliquiis per orbem Christianum distributis, ac sacræ Fidelium plebi frustratim communicatis velut in clarissima luce positæ, illustrius promicant ac resplendent. Aliquot duntaxat, tanquam leuem promulsidem summis degustandam labris, apponam, vt piè curiosulorum irritem potiùs, quàm exsatiem appetentiam.

SS. Ioan. Damasc. lib. 4. de fid. orthod. c. 15. Aug. ep. 44. lib. 8. de ciuit. c. 27. &c. PP.

Ergo tam lubenti animo, quàm pronis, ac sitientibus auribus Theofridum Abbatem pientissimum audio venerandas sanctorum exuuias vocitantem, *Diuinæ magnitudinis documenta.* Etenim (vt idem pergit dicere) *euidentibus patet indiciis, quanta sit Dei magnificentia, cùm sanctorum reliquiæ tantâ polleant gloriâ. Si enim humana diuinis, si parua licet comparare magnis, quicunque alicuius temporalis Domini seruos cernit, in eis quantæ dignitatis sit idem Dominus perpendit. Si potentes, ac diuites sunt serui, ditior, & multò amplioris potentiæ esse creditur, cuius subiacent ditioni: Sic perpenditur, quanta sit diuina magnitudo, & maiestas, cùm & eius gratuito dono sanctorum reliquiis tanta cernitur esse claritas, & potestas.* Hæc ille, ac quidem perquàm sapienter. Fieri enim nullo pacto potest, vt quisquis eam claritatem ac potestatem Diuorum exuccis pignoribus, tenuissimóque pulueri diuinitus affusam diligenter, ac seriò fuerit contemplatus, quin continuò cum Dauide admirabundus exclamet. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius*: hoc est, vti ego interpretor, in militante Ecclesiâ, & triumphante. Verùm sacrosancta Beatorum lipsana non solum existunt *diuinæ magnitudinis documenta*, sed etiam aliarum præpotentis Dei perfectionum, quas in illis per orbem Christianum longè, latéque dispertiendis ad maiorem sui nominis gloriam dignatus est explicare.

Theofrid. Abb. serm. 1. de SS. Reliq.

Ps. 47. v. 1.

Bonitatis enim, ac beneficentiæ diuinæ hoc illustriora documenta sunt Diuorum glebæ, quò liberaliùs vniuersis gentibus à Deo minutatim communicatas suspicimus, vt sanctorum opis, præsidij, ac

fœlicitatis

fœlicitatis participes possent euadere. Perbene iuxta ac verè S. Ambrosius sacras reliquias, *munera salutis* vocitauit, quippe quæ tum ad breuem, temporariam, fugacem, citóque perituram, tum ad constantem æternam, nullóque interituram æuo, corporum animorúmque salutem consequendam Deus pro interminatâ suâ benignitate, singulari muneris loco Fidelibus distribuit, ac donauit. In quam sententiam S. Chrysostomus in aureâ panegyri, quâ Diuum Ignatium Martyrem, velut roseo diademate, coronauit, egregiè docet non modò Beatorum cineres, sed etiam monumenta, & loculos ipsos mirificâ gratiâ refertos esse: vel vno Elizei prophetæ compositi corpore teste, cuius extemporalis, & inopinus, & incogitatus attactus mortis vincula disrupit, & cadauer elatum vitâ pristinâ tam de subito, quàm mirabiliter redonauit: multò id fieri magis suâ ætate asserit, quâ ætate *gratia*, inquit, *fluit vberior, & spiritus maior est vis.* Eam ob causam *reliquias sanctorum nobis concessit Deus, vt nos ad se eorum imitatione perducat, vt sint nobis, velut portus quidam, & idoneum solatium malorum, quæ nos affligerent.* Vti deinceps ex proximè sequentibus sectionibus, ex facili, manifestéque intelliget nonnemo. Sic nimirum sacrosancta Diuorum lipsana Christianis, tanquam pretiosissima humanæ *salutis munera* misericorditer à Deo impertita interminatam ipsius benignitatem, ac beneficentiam mirificis, & salutaribus effectis, atque adeo multiplicium commodorum affluentiâ, præsidióque munitissimo nimiùm quantum altè, vbique gentium, ac terrarum deprædicant, simul & sponte obsurdescentibus, atque inuitis obtrudunt.

S. Ambrosius exhort. ad Virgin.

S. chrys. hom. in S. Ignat.

Iustitiam verò, quâ Deus *aureis trutinis* (vt apud Clementem Alexandrinum Homerus loquitur) seruorum, vel potius amicorum suorum virtutes, certamina, palmas, meritáque appendit, & ponderat, non minus clarè docent sanctorum exuuiæ toto orbe dispersæ, ac cultæ, quàm infinitam eiusdem beneficentiam, & bonitatem inexhaustam. Etenim iustitiæ, ac beneficentiæ tam arcta connexio est, vt seiungi non possint: quòd *eiusdem potestatis sit*, Clemente laudato suasore, *iustitiam exercere, ac bona largiri*: Æquissimus autem rerum omnium arbiter Deus idcirco fortissimorum suorum Athletarum laureatos cineres, ac lipsana veneranda particulatim diuidi, per varias orbis Christiani prouincias, vrbésque distribui, & à Christianis vbique voluit coli, vt in eo, quo sunt apud Fideles pretio, ac veneratione singulari, mortales intelligant omnes, omnes, pro contemptu suis iniustè illato æstimationem; pro iniustis criminationibus annuas panegyres; cultum pro infamiâ; pro carceribus marmoratas confessiones; minio, auróque distinctas basilicas, thecas, & puluinaria gemmis interpuncta pro crucibus & catastis; pro squallore, situ, pædore, ac mephite, thura, suffitus, & odoratissima vnguenta; pro infami pilorum ad ipsam cutem abrasione, serta, coronas, diademata, pro ciliciis, laceris, ac detritis centonibus, & lacernis, pallas, brandea,

Clem. Alex. lib. 5. stromat. cap. 7.

Idem lib. 1. pædag. cap. 9.

vestes, auro, & argento rigentia velamina; mirificam ad abigenda malorum omnium genera, humanorumque corporum, & animorum cruces subleuandas facultatem, pro generosa in illis æquo animo tolerandis constantiâ, inuictâque fortitudine: Ad extremum pro morte defluente vitam æternam duraturam à iustissimo Numine in ipsismet exuccis aridisque sanctorum corporibus, atque adeo in eorundem cineribus, minutissimisque quibusque lipsanis per orbem dispersis, adoratisque æquâ lance dependi, & supra iustum munificentissimè reponi.

Auscultemus tantillum Diuo Chrysostomo sanè quàm eloquenter more suo memoranti, quàm longissimè absit remuneratio, quâ beatâ Cœlites hîc ornantur à Deo in suis exuuiis in speciem despiciendis citiùs, quàm suspiciendis, ab eâ, quâ mundi, carnis, & Diaboli mancipia afficiuntur in suis (vt mortalium fert cœcitas) despiciendis potiùs, quam tantulum suspiciendis. *Et quid de Christo loquor? inquit, cùm & discipulos postquam obierunt, tunc effulgere fecerit? Quid dico discipulos? nam & eorum loca, & sepulchra simul & tempora perenni memoriâ celebrari curauit. Tu verò mihi sepulchrum ostendas Alexandri, & profer diem, quo vitam finiuit, sed nihil horum insigne, sed omnia destructa sunt, atque exterminata. Christi verò seruorum & sepulchra clara sunt regiam assecuta ciuitatem, & dies notissimi mundo festam afferentes lætitiam: & illius quidem loculum & proprij nesciunt; horum autem sciunt & barbari. Et seruorum Crucifixi sepulcra regiis aulis sunt clariora, non magnitudine, ædificiorúmque pulchritudine (nam & in hoc quidem superant) sed quod multò maius est, conuenientium studio. Nam & ipse, qui purpuram indutus est, accedit illa complexurus sepulcra, & fastu deposito stat sanctis supplicaturus, vt pro se intercedant.* Vide adorandam Dei æquissimi erga seruos suos iustitiam, vide contrà Dæmonis aduersus sua mancipia detestandam iniquitatem. Vnde Theofridus Abbas quæritans cur à Deo Diuorum lipsana nusquam occultari permittantur? hanc esse imprimis causam rectissimè philosophatus ait, *vt mortales, dum sanctorum reliquias miraculis coruscare considerant, quàm mirabilis, & quantæ sit pietatis Deus, intelligant. Si verò sanctorum reliquiæ occultarentur, & virtutum signis non illustrarentur, quid durum, & lapideum cor hominis ad desideranda cœlestia excitaret? quid à vitiis reuocaret? Quæ homo speraret præmia, si eos, quos in vitâ suâ iustissimos esse nouit, non videret esse in memoriâ? & qui vix ad cultum, & amorem Dei nunc proficit, vix torporem à se infidelitatis nunc excutit, dum electorum Dei reliquias miraculorum gloriâ illustrari aspicit?* Quàm igitur acres torpentibus Christianorum animis stimulos ad durissima quæque pro Christo perferenda, deuorandáque admouere debent à Deo iustissimo Athlothetâ, & munerario aridis famulorum suorum exuuiis singulares repensæ dotes, relata vilissimis cineribus illustria decora, & (quod ipsis palmarium est) laceris ipsorum masturcis, semincinctiis, tabo, sudore, muco fluentibus sudariis reposti honores oppido sane religiosi?

S. Chrysost. hom. 66. ad pop. Antioch. Etherianus l. de regressu animarũ cap. 6. eadem fere habet.

Theofr. supr. cit.

Tertul.

religiosi? *Tantine vitrum, quantùm pulchrum margaritum?* tantíne, inquam, luteum, ac fragile hominis emortui corpusculum, quanti est anima immortalis, solóque digna Deo? Hæc nimirum Dei suorum exuuias supra merita remunerantis æquitas hactenus fuit, est, eritque semper, & vbique gentium ab Infidelibus suspicienda, à Fidelibus amanda, adoranda, prædicanda.

Diuinam autem prouidentiam superstites post funera Beatorum reliquiæ, quò pluribus populis sunt communicatæ, hoc longiùs, ac latiùs mortales docent. Hanc Ruffinus est demiratus in Diui Ioannis Baptistæ cineribus generoso piorum Monachorum studio à tyrannorum rabie, flammísque voracibus vindicandis, vt aliàs à nobis est obseruatum: Hanc Simeon Metaphrastes in triumphalibus inuictissimorum Martyrum, Pamphili, Valentis, & sociorum reliquiis mirabiliter conseruandis in hæc verba celebrauit: *Et quatuor quidem dies, & totidem noctes sanctissima Martyrum corpora exposita fuerunt bestiis carniuoris. Cum autem Dei prouidentiâ nihil ad eos accessisset, non fera, non auis, aut aliquid aliud, sed salua permansissent, & integra, iustum, ac conuenientem honorem consecuta consueta mandata sunt sepulturæ, reposita in pulchris templorum ædibus, & sacris tradita oratoriis in perpetuam memoriam, vt honorarentur à populo ad gloriam Christi, veri Dei nostri, cui gloria, & potestas simul cum Patre, & Spiritu sancto nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.* Sic ille. Hanc denique diuini Numinis prouidentiam haud vnquam satis suspicere poterit, quisquis secum memoriâ replicabit, quàm multis, quàm mirabilibus, quámque inusitatis modis Deus sanctorum suorum reliquias vbique terrarum, ac gentium, ab Infidelium manibus, voracitate ferarum, elementorum iniuriis, edacitate temporis, templorum sus deque versorum ruinâ, omni denique cladium ingruentium genere, populorúmque libitinâ illibatas florentésque seruarit, Hæc strictim attigisse, plura sequenti libro edisserturo sufficiant.

Ruffin.lib. 2. hist.Eccl.cap. 28.

Metaphr. in act.SS. Pamph. Valent. & soc.cap.14.

Vid.Boz. lib. 15.de sign. Eccl.sign.62. cap.6.

Alij alias Dei optimi maximi perfectiones in sacris Diuorum pignoribus mirandum in modum intermicantes contemplari amabunt, quas ego sitentem scribendo enucleatiùs persequi, non minùs desipere videar, quàm qui errantia in cœlo sydera numerando consequi moliatur. Eapropter reliquis voluntario silentio prætermissis, vnam duntaxat eiusdem omnia potentis pollentísque Dei interminatam virtutem volante stylo delibasse satis supérque fuerit aliò properanti.

Infr. lib.2. c. 3.art.7.

E diuinis enim perfectionibus, siue (vt in scholis loquimur) attributis, ac dotibus, quantæ quantæ sunt, inuenias nullam, quæ clariores fundat radios, & quæ vberiori luce mortalium oculos, animósque perstringat, quàm infinitam & ineffabilem potentiam, quam potentiam Deus pro suâ sapientiâ, & bonitate in tenuissimis, iuxta atque in speciem abiectissimis Sanctorum cineribus, reliquiisque dignatur identidem explicare. Si enim Cœlituum exuuias (vti proximè

dicebamus) inter flammarum globos, inclementiam elementorum, temporum viciſſitudines, rabiem conſceleratorum, aliáſque innumeras id genus clades, integras videmus perſtitiſſe: vnius Dei potentia eſt. Si illas ſalutarium rerum ſcatebrâ ſemper emicante profluas, ſi cœleſti aromatum fragrantiâ odoratiſſimas, ſi miris beatorum corporum ornatas dotibus ſpectamus: vnius Dei potentia eſt. Si denique iiſdem Diuorum lipſanis eximiam quandam facultatem ad omnis generis edenda miracula diuinitus affuſam, inditámque ſuſpicimus; vnius Dei potentia eſt: ideóque in ſacroſanctis Beatorum pignoribus (vt cum mellifluo loquar Ambroſio gnauiter æquè, ac grauiter in Arianos inuehente, quòd Martyrum merita, quæ vel ipſi Dæmones profiterentur, tam impiâ, quàm præfidenti audaciâ pernegabant) *vnius potentiam laudamus auctoris; nec intereſt vtrum opus ſit, an munus? cùm & muneretur in opere, & operetur in munere. Quod enim aliis faciendum donauerit, hoc in aliorum opere nomen eius operatur*: & quod à Chriſto Seruatore ſuis ſequacibus non minùs verè, quàm prolixè quondam fuerat promiſſum, reipsâ multò cumulatiùs à Cœlitibus per cineres ipſos, ne dicam corpora, Numinis obſecundante potentiâ, mirabiliter cernimus factitatum. *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet.* vt deinceps pro rerum opportunitate, fauentibus ſuperis, bene multis ediſſeremus. Atque ex his curſim, ac breuiter delibatis ſole meridiano clarius eſt, quanta fiat ad Dei gloriam acceſſio, quantúmque ad eandem promouendam vbique gentium conferat præſidij ea ſacrarum reliquiarum partitè diuiſarum religioſa per orbem Chriſtianum, per regiones, per regna, vrbes, oppidáque Fidelium, ab omni memoriâ piè vſurpata diribitio; vt vel hoc maximè nomine Lipſanomachos pudere debeat, mendaciter, ac falsò iactitare Beatorum animorum *exuuias ſupremis defunctas funeribus inhumanè, ſacrilegè, atque ad eius infamiæ imaginem* ab Orthodoxis membratim diſſectas *ſeruari, quam perditis hominibus publicóque iudicio damnatis conſtituimus in pœnam vltra mortem duraturam.*

S. Ambr. ſerm. de inuent. SS. Geru. & Prot.

Ioan. cap. 14. v. 12.

Verùm haud paulò manifeſtiùs, atque potentiùs hanc eorundem impudentiſſimam calumniam exſufflatum iri ſpero, ſimul atque demonſtrauerim Cœlites ipſos, ad quos venerabiles reliquias pertinent, vel, ſaltem piè creduntur attinere, in partem aliquam honoris, licet infinitis partibus inferioris, cum Deo venire poſſe, ac conſueſſe.

A Sacrarum

A Sacrarum Reliquiarum per orbem Christianum distributione quàm insignis Sanctorum honos.

§. II.

HIs meritò cum Regio prophetâ, & psalte admirabundus exclamem, *Fidelis Deus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis!* qui iuxta diuinas suas pollicitationes tam munificè, ac sanctè confectas, quàm misericorditer, & prolixè factas, propter minututa quædam, & tot nominibus iam debita, & præstita Diuinæ maiestati suæ obsequia, defunctis famulorum suorum corporibus seu integris, seu membratim dissectis, seu in puluerem penitùs resolutis diutinos, & religiosos honores vsquequaque reponit, quò alioquin eorum nomen ne famâ quidem, & auditione se penetrasset, si semper integra, indiuisa, & vno condita loco, intactaque perstitissent. Vt autem partitè, ac reuerenter à Mystagogis nostris diuisa per varias orbis prouincias, vrbes, oppidáque religionis ergò distrahere, seruaréque aceptum est, tùm illa maximo in pretio habere, velut cœlestem thesaurum sedulò custodire, ac tanquam diuinum quid Fideles religiosè percolere vbique gentium studuerunt. Ps. 144. v. 13.

Ne improuido, & præcipiti animo, sacrosanctas Beatarum mentium exuuias tanquam *diuinum quid* percoli, à me assertum, dictúmque puta. D*iuinum quid* meditatus dixi sanctorum lipsana, propterea quòd in memoriam redeo, Cœlites, ad quos illa pertinent, *seruos, amicos imitatores, athletas, pugiles, satellites, promptuaria, ministros, filios & hæredes Dei, Christi habitacula, spiritusque sancti immaculata specula*, aliísque perquam honorificis elogiis à sanctis Patribus indigetari, quibus intimam ipsorum cum DEO cóiunctionem exprimer certatim allaborarunt. *Diuinum quid* dixi Diuorum reliquias, quòd memoriter meminerim illas, *indumenta, purpuram, ora, membra Dei, & Christi, vasa & organa Spiritus sancti* & sexcentis aliis id genus gloriosis nominibus ab iisdem insigniri, quibus contestatissimum esse voluerunt abs se, Orthodoxísque omnibus non aliam ob causam sanctorum venerabiles exuuias vbique gentium in honore haberi quàm religiosissimo, nisi quòd benignissimus Deus (quâ est in suos charitate, & vt ita dicam, familiari consuetudine) illis ipsis tanquam veri luminis purpurâ circumamiciri, ore proloqui, membris agi, coerceri vasis, organis denique seu instrumentis ad maxima quæque è suâ gloriâ, salutéque mortalium edenda idoneis tandiu visus sit vti, quoad mortalem vixêre vitam.

Faciunt apprimè ad hanc rem SS. Pij primi, Pontificis, Paulini, Chrysostomi

Pius 1. Pap. ep. ad Iust. Episcopum. Chrysostomi & reliquorum Ecclesiæ luminum verba. Pij quidem, ad Iustum Episcopum in hunc modum scribentis. *Cura Sanctorum martyrum corpora, sicut membra Dei, quemadmodum curauerunt Apostoli Stephanum.* Paulini verò Nostratis ita pangentis:

S. Paulin. nat. 9. S. Fel.

Quamuis sancti omnes toto simul orbe per vnum
Sint vbicunque Deum; quo præsentantur vbique,
Corporis vt sua membra Deo, sed debita sanctis
Sunt loca corporibus, &c.

Quì verò sint Christi membra, S. Chrysostomi, venerabiles Diui Pauli exuuias Romæ asseruatas, ac religiosissimè cultas coram adorare, peramanter, impenséque desiderantis, hæc oratio est. *S. chrys. hom. 32 in ep ad Rom.* *Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli, affigi sepulchro, videre puluerem corporis illius, quæ adhuc in Christo deerant adimplentis, stigmata illius gestantis, prædicationem Euangelij vbique seminantis? Pulueris, inquam, oris illius, per quod Christus loquutus est, per quod lux emicuit* quouis fulgore clarior: & post pauca rursus: *Oris illius puluerem videre vellem, per quod Christus magnalia, & ineffabilia locutus est, & maiora etiam, quam per seipsum. Quemadmodum enim maiora per discipulos suos operatus est, ita & maiora locutus est.* Non solum autem oris, sed & cordis illius puluerem velle se idem profitetur: *Cor*, inquam, *quod nouam vitam, non hanc nostram vixit. Viuo enim, inquit, iam non ego, viuit verò in me Christus. Cor itaque Christi erat cor Pauli, tabulaque Spiritus sancti, atque charitatis volumen.* Ad summam cuncta paucis complexus perorat. *Vellem videre sepulcrum, quo recondita sunt arma illa iustitiæ, arma lucis, membra nunc viuentia, tùm verò cùm in hac vitâ essent emortua, in quibus omnibus viuebat Christus, quæ mundo fuerunt crucifixa; membra Christi, quæ Christum induerant, quæ templum Spiritus sancti, sanctáque fuerunt ædificatio, quæ ligata erant spiritu confixa timore Dei, habentia stigmata Christi.* *Magn. lib. 4. contr. Theosthenem.* Magnes autem: Diuorum exuuias, ceu regiam Christi purpuram honore præ fimbriis vestis Christi, afficiendas esse, hoc in paucis nomine perdocuit, quòd illis *Christus, dum in corpore viuerent, tanquam veste induebatur, & post mortem, ceu purpuram honore regiæ dignitatis effecit.* Haud facilè, affirmatéque dixerim virum doctum eam cogitationem à proximè laudato *S. chrys. hom. de S. Droside.* Chrysostomo fuisse mutuatum, certè ab ipsius sensis, verbísque non admodum longè ablusit. Cùm enim ingeniosâ sanè contentione, simul & aureâ dicendi facultate piissimus Patriarcha inuictissimæ viraginis, virginísque Drosidis rogum, cum eximiâ tincturâ composuisset, ad vltimum inquit: *Quâ verò de causâ tincturam* etiam rogum illum (quo scilicet insuperabilis conflagrauit Heroina) *nuncupaui? Quod nimirum, tanquam mirabili quadam infecta tincturâ, cùm purpura regia facta esset, ad cœlestem regem mitteretur, ac multâ cum fiduciâ sedes illas cœlestes intraret, quod fiebat, cùm inuisibili manu suâ Christus sanctum Martyris caput teneret, & tanquam aquis illam flammis immergeret.* Sic ille. Placuit Diuo Augustino Sanctorum virorum corpora

supremis

ſupremis functa funeribus, *vaſa, & organa ſpiritus ſancti* hiſce compellare verbis. *Non contemnenda, & abiicienda ſunt corpora defunctorum, maximè iuſtorum, atque Fidelium, quibus, tanquam organis, & vaſis ad omnia bona opera vſus eſt Spiritus ſanctus.* Hæc cùm ita ſint, hîc videant Lipſanomachi, (ſi quid eos in tantâ idoneorum nube teſtium peruidere ſua peruicacia patiatur) quantos quámque iuſtè promeritos Cœlites à Chriſtianis accipiant honores, vbicunque veneranda eorum corpora, non integra modò, ſed etiam partes in varias diuiſa, vel in puluiſculum reſoluta religiosè aſſeruantur, piâque veneratione percoluntur. Audiant, audiant quo fulmine fluminéve orationis contrà ſentientes percellat, obruatve Gennadius Maſſilienſis. *Sanctorum corpora, & præcipuè beatorum Martyrum reliquias, ac ſi Chriſti membra, ſyncerisſimè honoranda. Si quis contra hanc ſententiam venerit, non CHRISTIANVS, SED EVNOMIANVS ET VIGILANTIANVS creditur.* Idem totidémque penè verbis ſecundum illum Rabanus ſuam dixit ſententiam, quam proptereà hîc exſcribere conſultò, ſciénſque prætermitto.

S. Auguſt. lib. 1. de ciuit. Dei cap. 13.

Gennad. lib. de Eccleſ. dogm. c. 73. Raban. lib. 4. de Vniuerſo cap. 10.

Iam ecquis mortalium dicendo, ſcribendóſque proſequi moliatur vniuerſos, hoc eſt, innumerabiles pene cultus, & honoris religioſi modos, quos ornandis ſanctorum pignoribus per Orbem Chriſtianum particulatim diſtributis vel ingenioſa Fidelium excogitauit pietas, vel viſa, & oracula cœlitùs miſſa docuêre, vel ſuperi, ac Deus ipſemet animis inditâ permotione præſcripſerunt? Occurſant quidem mihi animo circumcurſanti Chriſtianarum gentium prouincias, ciuitates, oppida, villas; occurſant, inquam, è Pario marmore ſurgentia mauſolæa cœlóque minantes Baſilicæ, in quibus vel minimæ beatorum corporum particulæ conditæ aſſeruantur: incurrunt in oculos arcus triumphales, puluinaria auro, argento, minióque illuſa, coronæ multo adamante, ſapphiro, aliiſque id genus longè, latéque fulgurantibus gemmis ſtellatæ, palmatæ veſtes, vela auro, argentóque rigentia, ſuſpenſa è tholis, votóque pretioſa donaria, quibus paſſim cuſtoditi Diuorum cineres cohoneſtantur. Perſtringunt oculorum aciem nocturni, diurníque Lampadum, ac cereorum ad ſacra Sanctorum lipſana incenſorum fulgores. Ad ſuauem, rapacémque quâ vocum inter ſe commiſſarum, quâ fidium commodè temperatarum ſymphoniam, & conſenſum, ad ſacrorum pæanum ingenioſas argutáſque modulationes, ad religioſas, & pereruditas eloquentiſſimarum panegyrum cœlitibus dictarum veneres ſingulari voluptate delibutus animus colliqueſcit. Attamen ex omnibus huiuſcemodi honoribus, qui venerandis Beatorum exuuiis vbique gentium fiunt, nihil admodum eſt (quanti quanti illi eſſe poſſint) quo illas ornari ducam illuſtriùs quàm quòd ſub altaribus, vbi incruenta ſalutis humanæ victima quotidie immolatur, compoſitæ condantur, atque adeò religioſâ colantur veneratione. Attigit hunc non pium minùs, quàm peruetuſtum Eccleſiæ morem dogmatum Catholicorum aſſertor, ac

Boz. lib. 15. de Sign. Eccl. Sign. 71. c. 15.

propugnator acerrimus, Hieronymus, dum Vigilantium increpitans in hunc modum argumentatur, *Si reliquiæ sanctorum venerandæ non sunt, malè fecit Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum, Petri & Pauli secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem puluisculum, offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria?* Sacrosanctis Geruasij & Protasij exuuiis, quas inter impura fœtentium Iudæorum cadauera primùm malitiosè conditas, tùm altissimâ defossas humo & clam mortalibus inhonorè iacentes, deinde instinctu diuino abs se inuentas, denique diutinis è tenebris in apertam eductas lucem in basilicam Ambrosianam triumphantis in modum inuexerat. Hoc tam eximij honoris genere mentis destinatione iam occupato se præmeditatum reuerenter cessisse, Diuus Ambrosius Marcellinam sororem suam, longè pientissimam fœminam per amplissimas literas condocefecit, his verbis frequentissimam affatus cōcionem. *Euasimus, fratres, non mediocrem pudoris sarcinam, patronum habebamus, & nesciebamus. Inuenimus vnum hoc, quo videamur præstare maioribus. Sanctorum Martyrum cognitionem, quam illi amiserunt, nos adepti sumus. Eruuntur nobiles Reliquiæ sepulchro ignobili, ostenduntur è cœlo trophæa: Sanguine tumulus madet, apparent cruoris triumphalis notæ, inuiolatæ reliquiæ loco suo vt ordine repertæ, auulsum humeris caput.* & post pauca de ipsarum inuectione, & conditione (quod vnum disputamus) hæc subdit. *Succedant victimæ triumphales in locum, vbi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est; isti sub altari; qui illius redempti sunt passione. Hunc ego locum prædestinaueram mihi. Dignum est enim, vt ibi requiescat sacerdos, vbi offerre consueuit. Sed cedo sacris victimis dexteram portionem; locus iste Martyribus debebatur. Condamus igitur reliquias sacrosanctas, & dignis ædibus inuehamus, totúmque diem fidâ deuotione celebremus.* Pluribus hîc laudare sanctissimos viros, Augustinum, Paulinum, Prudentium aliósque à nobis alibi supra olim memoratos, otiosi potiùs otióque suo abutentis, quàm vtentis foret: nihilo tamen minùs è prolatâ, exscriptâque Sancti Ambrosij oratione, per transennam venit in mentem, & recordationem non contemnenda Signij, viri pij, ac eruditi cautio, quam literarum monumentis ab ipso consignatam, hîc minimè pigebit appingere, curiosorum occupaturum anquisitionem.

S. Hier. aduers. Vigil. c. 3.

S. Ambros. lib. 7. epist. 2. seu epist. 56.

Supra cap. 3. art. 2. sect. 2. Sozom. lib. 5. hist. cap. 8. Euod. Ep. Vzalens. lib. 1. & 2. de S. Steph. reliq.

Ioan. Bapt. Sign. reliquiarij cap. 19.

In eodem tabernaculo, inquit *in quo sacra asseruatur Eucharistia, quantumuis magno, & spatioso, nullatenus reliquiæ cæterorum Sanctorum sunt collocandæ, ne scilicet vnus, & idem honor videatur tribui & reliquiis, & tanto sacramento, atque vnâ, & eâdem ratione simul, & semel credantur adorari. Nam sacratissima Eucharistia per se adoratur, & adoratione latriæ; reliquiæ autem adorantur respectu Christi, & adoratione duliæ. Præterquàm quòd plerunque fieri solet, vt quis maiorem sentiat affectum circa vnum Sanctorum, quam circa ipsum Deum,* in Eucharistiâ *latitantem. Ad instar igitur Principum temporalium, qui in secreto sui cubiculo soli demorantur; Serui autem habitant in communi:*

ita

ita in vno altaris tabernaculo Rex regum , & Dominus dominantium solus paruâ sub hostiâ custoditur ; seruorum autem eius communis est omnium sub altari asseruatio. Hæc Signius. Quæ vtinam à paganis Curionibus sedulò, ac religiosè seruarentur, quippe qui pro rusticanâ viuendi ratione nulli ducunt religioni vnius, eiusdémque tabernaculi angustiis, Sanctorum, quas possident exuuiarum particulas includere, siue ad id factitandum priuata, publicáve rusticanæ plebis curta res; siue nobilium, qui circumiacentes arces, castelláque incolunt, sordes potiùs, quàm tenacitas; siue clericorum, qui Ecclesiasticis beneficiis, censúque perfruuntur, auarities, incuria, & intolerabilis rerum sacrarum neglectus, ne dicam contemptus diris omnibus deuouendus, subigant volentes, aut inuitos vno eodémque papilione, seu tabernaculo adorandum Christi Seruatoris in Eucharistiâ latitantis, veréque *Dei absconditi* corpus, vnà cum sacrosanctis seruorum amicorúmque suorum pignoribus conclusum super altaria asseruare, non sine aliquo religionis discrimine, ne dicam detrimento. At siue Diuorum exuuiæ, quâ integræ, quâ particulatim diuisæ sub aris compositæ recondantur; siue, vt iam nunc fieri mos est, thensis affabrè factis inclusæ altaribus imponantur, exponantúrque à Fidelibus adorandæ: id enimuerò honoris genus est vsque eò singulare, vt vix prouehi possit vlteriùs. Iam verò tot diuersissimis in locis huiuscemodi honorem sancti accipiunt, quot in basilicis veneranda ipsorum lipsana vel in minutissimas diuisa partes religiosè asseruantur, quæ si integra, indiuisáque perstitissent, accepissent nunquam.

Quòd si fortè perplacet, in personas intueri, quæ sacrosancta Diuorum pignora plurimas in partes diuisa, distributa, & huc, illuc religionis ergò transmissa omni honorum genere vbiuis decorarunt, næ! tu continuò fateri adigêris piam hanc ipsorum diribitionem haud paulò plus illi gloriæ, quam integritatem contulisse. Hîc nolim de inconditâ, & obscurâ, Fidelium plebeculâ meminisse, (quanquam id permagni esse posset) Principes duntaxant viros, ac fœminas loquor, à quibus honores inusitati, & pene supra fidem eximij, cœlituum exuuiis membratim, minutatímve incisis, atque adeò in puluerem solutis, vbique gentium decreti ac facti sunt. Narrabunt alij maiorum (vt ita dicam) minorúmque gentium Pontifices de Imperatoribus, quâ rerum fortiter, ac præclarè gestarum gloriâ, quâ pietatis commendatione spectatissimis, duntaxat iuuat meminisse de quibus Diuus Hieronymus masculâ suâ dicendi, scribendíque facundiâ in Vigilantium Lipsanomastygum nostrorum Antesignanum inuadens sic philosophatur. *Ergo sacrilegus fuit Constantinus Imperator qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas Dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij illorum se sentire præsentiam confitentur? sacrilegus dicendus est & nunc Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo tempore de Iudæa transtulit in Thraciam?* Spiritum hîc tantillum inter scribendum suspendamus: Cauesis, quis-

Anastas. Biblioth. Onuphr. Platin. &c.

D. Hier. adue. Vigil. c. 2.

quis es, ne tibi aliqua incidat suspicio cogitare integras corporum beatorum reliquias à memoratis Imperatoribus transuectas, prioresque illarum possessores ad derasum, vt dicitur, puluisculum iis fuisse viduatos: non ita, mi homo, non ita. Mos enim (vti æquitas, iúsque est) olim semper plerunque fuit, vt si quando sancti alicuius exuuiæ aliò deportarentur, ipsarum saltem nonnullæ portiones, aliqua ossium fragmenta, dentes, capillíve aliquot legitimis Dominis in factæ solatium iacturæ, præsidiúmque in rebus aduersis tutissimum relinquerentur. Hinc factum puto, vt Euagrius referens translationem reliquiarum inuictissimi Martyris Ignatij à Theodosio Iuniore, Imperatore pientissimo susceptam scribat nominatim *Maiora, robustioráque Ignatij viri planè diuini ossa à bestiis relicta, Antiochiam deportata fuisse:* Vt scilicet tacitè subindicaret Romæ minora, & debiliora hæsisse, neque cum aliis inde transuecta idem sortita esse monumentum. Quantâ verò deueneratione religiosissimus Imperator illa fuerit persequutus docere pergit in hæc verba Euagrius. *Deus Opt. Max animum Theodosij perpulit, vt diuinum illum martyrem maioribus afficeret honoribus, & templum iam olim Dæmonibus dicatum (quod indigenæ templum Fortunæ nuncupant) Ignatio victori, & Martyri consecraret: itáque, quod olim Fortunæ dedicatum fuit, iam sacrum sanctuarium, & templum augustum ad Ignatij memoriam celebrandam factum est: cuius Martyris sacræ reliquiæ curru cum solemni pompâ per ciuitatem portatæ, & in templo repositæ fuerunt. Quâ de causâ festum celebre, & communis lætitiæ ad nostram vsque ætatem peragitur: quod quidem festum à Gregorio Pontifice multò maiore magnificentiâ illustratum est. Ista propterea in eo loco facta sunt, quòd Deus sacras sanctorum memorias ibi coli, honoraríque voluit*: hæc ille. Non eo per singulos. Aquisgranum, imo potiùs vniuersa, quanta quanta est, Germania (vt nostras prætercam Gallias) adeo locuples, & idonea testis est, quibus honoribus venerabiles Diuorum exuuias toto pene orbe Christiano conquisitas, redemptas, ornatas, transuectas Carolus Imperator nomine *Magnus*, bello *maior*, pietate *maximus* cumularit, vt me silente tot buccis, vocibúsque deprædicet, quot saxis exædificatæ ab eo Basilicæ, ad miraculum inuidiámque magnificæ vetustatis, consurgunt. Vniuersa paucis me complexurum reor, vbi dixero religiosissimos quosque Imperatores, & Christianissimos Reges, non tam honori, quàm beatitati longè maximæ duxisse, si vel sacrarum reliquiarum *Ostiarij, baiuli, seruitiáque* audire, atque esse aliquando possent. Pulcherias, Helenas, Radegundas, & sexcentas alias peræquè pietate, atque imperio præstantissimas fœminas; Magnatum religiosissima quæque lumina, viros opibus, doctrinâ, sanctitate florentissimos hic adscribere mihi oppidò sanè foret ex facili, nisi si susceptæ, atque hactenus obseruatæ breuitatis, quos mihi volens sciénsque præscripsi cancellos prætergredi vererer. Aliò igitur nostra se conuertat oratio.

Euagr. lib. 1. hist. Ecc. c. 16.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

MORTALIVM VTILITAS.

QVidquam vtilitatis, & commodi in genus hnmanum ex ſacrarum exuuiarum per Orbem Chriſtianum diribitione proficiſci haud dubiè pernegabunt, atque etiamnum inficias eunt omnes ij, qui vel cum Conſtantino Copronymo, ſpurciſſimo Lipſanomaſtyge, publicè iactitant. *Sanctorum Reliquias deſpuendas, & habendas eſſe pro nihilo*: vel cum excucullato Apoſtatâ Luthero impiè mentiuntur, *Reliquias aliud eſſe nihil, quàm fraudes, & ſeductiones, ideóque infra terram eas defodi oportere.* Verum illos longiſſimè à vero aberrare Diuus Chryſoſtomus hac Orthodoxâ, & aureâ planè oratione iampridem docere occupauit, ingenioſè Sanctorum exuuias cum pretioſiſſimis quibuſque theſauris componens, ſimúlque euincens eas *theſauris etiam longè pretioſiores exiſtere.* Siquidem pecuniarum theſauri multa illis, *à quibus inuenti fuerint, creant pericula, cúmque multas diuiſa in partes fuerint, diuiſione minuuntur: hîc verò nihil tale eſt, ſed expers periculi eſt inuentio, neque diminutionem affert diuiſio, planéque contrarium euenit, quod ſenſilium rerum theſauris. Nam illi quidem, vt antè dixi, ſi multas in partes diſſecti fuerint, minores fiunt. Iſti verò cùm in multos fuerint diſtributi, tuam magis opulentiam oſtendunt. Talis quippe eſt ſpiritalium natura, diſtributione creſcit, & diuiſione multiplicatur.* Deus bone: quàm longè iſta Diui Chryſoſtomi ſenſa verbáque abſunt à verbis, ſenſiſque, quâ nouitiorum, quâ veterum Lipſanomachorum, quibus beatarum mentium exuuiæ *deſpuendæ, ac nihilo minùs ſunt, tanquam meræ fraudes, ac ſeductiones.* Hiſce hominum monſtris non modò D. Ioannes Chryſoſtomus, ſed etiam Ioannes alter, at Damaſcenus nullus ſit, qui aurei oris Patriarchæ mirùm quantùm conſentiens ſuam in hunc modum pronuntiauit ſententiam. *Chriſtus Dominus Sanctorum Reliquias, velut ſalutiferos fontes præbuit, ex quibus plurima ad nos beneficia manant, ſuauiſſimumque vnguentum profluit.* Nullus ſit Gaudentius, qui venerabiles cœlituum reliquias, *pretioſam poſſeſſionem, diuina munera, & cœleſtia beneficia* ſuis Brixienſibus à Deo munificentiſſimè collata impensè prædicat. Nullus ſit Simeon Metaphraſtes, cui SS. Carpi, Papilli, & reliquorum Martyrum lipſana fuerunt *opes Chriſtianis inuiolabiles.* Nullus ſit Elias Cretenſis, quo teſte, *iis, qui pie ſanctorum pignora contingunt, aut etiam honore proſequuntur, vbertim beneficia, & ſanitates profundunt.* Vno verbo nulli ſint Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, ac cœteri Patres,

Suid. in Cōſt. Theoſterictus orat. In S. Nicot.

Luther. poſtill. in exalt. S. Cruc.

S. Chryſoſt. homil 65. de SS. Mart. tom. 5 edit. Græcol.

S. Ambroſ exhort. ad Virg.

S. Greg. Nazianz. or. in S. Cyprian.

S. Io. Damaſc. lib. 4 Orthod. fid. c. 16.

Gaudēt ſerm. in dedic. Baſil. 4 Mart.

Metaphr. in Act. Carpi, &c. MM.

Elias Cret. in orat. 3. Greg. Naz.

historici sacri, & rerum Ecclesiasticarum Orthodoxi tractatores omnes, omnes qui ab Ecclesiæ cunis communi consensu, & vbique terrarum Diuorum cineres, exuuiásve per Orbem Christianum partitè distributas, integrásve ad generis humani vtilitatem longè maximam diuinitus concessas fuisse non dubitarunt suis lucubrationibus affirmare. Audiatur vnus quinti Euangelij consarcinator Lutherus, eodémque iudice sacrosancta Beatorum lipsana nihilo minus, *quàm fraudes, ac seductiones* habeantur, vt de integro Christus non à solis Iudæis, sed ab mortalibus vniuersis *seductor*, non Seruator mendacium, non veritas proclametur. *O portentum in terras vltimas deportandum.* Verùm quid vltrà moror demonstrare, quàm vberes in genus humanum, vtilitates ex religiosæ sacrorum corporum diribitione dimanent?

Matth. 27. 63.
S. Hier. cit. cap. 4.

Eæ verò sunt, vt non homines modò, sed etiam exercitus, vrbes, prouincias, imperia, terrámque ipsam cumulatissimè beent, quibus eorum aliquid possidere auspicatò contigerit, vti deinceps pro more nostro, breuiter, cursímque dicturi sumus.

Ex Sacrorum corporum diuisione, ac per Orbem distributione in humana corpora vtilitates.

§. I.

NOn opportunè minùs ad rem nostram quàm appositè ad rei veritatem beatus Ioannes Damascenus (sicut proximè suprà retuli) Sanctorum corporum exuuias diuinitùs fuisse mortalibus donatas, *velut salutiferos fontes*, pronuntiauit: quòd quemadmodum rerum omnium conditor Deus in communem generis humani salutem salubres fontium scatebras qualibet largissimè prouidit; ita & cœlituum lipsana, tanquam perennes salutarium fontium scaturigines, per diuersarum regionum, terrarúmque diuortia corriuatas, munificentissimâ distribuit prouidentiâ, vt malè affectis Christianorum corporibus pancresta forent medicamenta. Atque hanc vt caperemus cognitionem, cùm mirabilium sanationum penè quotidiana experientia, tùm sanctorum Patrum, & sæculorum omnium testificationes effecerunt. Ex infinitis do paucas.

S. Iustin. q. 28.

Sanctorum corpora, inquit vetustissimus scripor, Sanctus Iustinus, *& sepulchra Martyrum, & Dæmonum amoliuntur insidias, & morborum ab arte medicâ comploratorum conferunt sanationes.* Neruosè S. Gregorius Nazianzenus inuectus in Iulianum, Apostatarum potiùs, quàm Romanorum Imperatorem in hunc modum increpitat. *Non victimas pro Christo cæsas veritus es? nec magnos pugiles extimuisti, Ioannem*

S. Greg. Naz. orat. 3. in Iulian.

nem illum, Petrum, Paulum, Iacobum, Stephanum quibus præclari honores, & festa constituta sunt, à quibus Dæmones propelluntur, & morbi curantur: quorum apparitiones, & prædictiones, quorum vel sola corpora idem possunt, quod animæ sanctæ, siue tangantur, siue honorentur; quorum vel solæ sanguinis guttæ, aut exigua passionis signa, idem possunt, quod corpora? hæc non colis, sed contemnis? Idem Fideles cohortatus ad exuuias Diui Cypriani non ita pridem cœlestibus monitis in commodum publicum detectas singulari veneratione prosequendum, *Vestræ iam partes sunt*, inquit, *ea, quæ restant, à vobis ipsis adiungere, vt nonnullum ipsi quoque Martyri munus offeratis, Dæmonum nimirum oppressionem, morborum depulsionem, futurarum rerum prænotionem, quæ quidem omnia vel cineres ipsi Cypriani, modò fides adsit, efficiunt; quemadmodum norunt, qui huius rei periculum fecerunt, ac miraculum ad nos vsque transmiserunt, eiusdémque memoriam posteris quoque tradituri sunt.* Isidorus Pelusiota datis ad Hieracem literis hominem de Lipsanomachorum ingenio ægerrimè ferentem delatos ab Orthodoxis honores inuictorum Christi Athletarum exuuiis, in hæc verba peramicè affatur. *Si te offendit, quòd Martyrum corporum cinerem, propter ipsorum erga Deum charitatem, atque constantiam honore afficiamus: eos, qui ab ipsis medicinam accipiunt, interroga, atque quot morbis remedium afferant, intellige. Sic fiet, vt non modò id, quod à nobis fit, non irrideas, verùm etiam, quod rectè, & cum laude fit, imiteris.* Si oculatos, non auritos modò testes mirabilium sanationum, ad Diuorum lipsana perfici solitarum audire placet; Æneæ Gazæo ausculta. *Noui multa bonorum virorum corpora, quæ etiam phalanges Dæmonum tantopere terrerent, quantopere ipsi vexabant hominem abs se captum, atque obsessum; Itémque morbos innumeros, quibus curandis ars medica non suffecerat, ipsa facilè curarent, perpurgarent, omninóque auferrent.* Æneâ Gazæo paulò antiquior Palladius visum à se adolescentem tam à Dæmone, quàm à paralysi insanabiliter decumbentem & ad Sancti Ioannnis Baptistæ reliquias quâ lacrymis, quâ precibus Innocentij presbyteri tandem ad perfectam sanitatem reductum commemorat. Et ne in terræ filiis duntaxat salutarem hanc sacrarum corporum ad omnia morborum genera mirabiliter abigenda facultatem exercitam fuisse causeris, & corniceris ineptè; rerum gestarum gloriâ celeberrimum Imperatorem ægrum adduco (Etenim ægritudo mortis satelles perinde ac *Pallida mors æquo pede pulsat pauperum tabernas, regúmque turres*) Iustinianum loquor, quem, vt ab inualetudine prostratum, & tantum non penitùs confectum, sic ab ea recreatum, vel potiùs admotis, tanquam pancresto medicamine, nouiter inuenti cœlitis pignoribus planè, plenéque persanatum in hunc modum narrat Procopius. *Iustiniani morbus succrescens* ab humore copioso, ac vehementi in genua delapso *medicorum curam euicit. Interim audiens inuentas esse reliquias (Sanctorum scilicet virorum non minus, quàm quatuor qui in Romano exercitu æra merentes, militarant in duodecimâ legione*

Idem.or.in S. Cyprian.

Isid.Pelus. lib.1.ep.55.

Æn. Gaz.in Theophr.

Pallad.hist. SS.cap. 103. Vid.Georg. Alexãdrinũ de S.Ioan. Chrys. Euagr. lib.4. hist.Eccles. cap.34. &c.

Procop.orat.1. de ædif.Iustiniani,& in Arcanâ hist.

apud

apud Melitenem, vrbem Armeniæ, olim collocatâ) relictâ ope humanâ ad has fidem conuertit, & verâ opinione in iis, quæ maximè necessaria erant, vsus est. Postquam enim lancem Reliquiarum sacerdotes genu Regis imposuerunt, euanuit dolor, corporibus, quæ Deo seruierunt, cedens. Quod profectò Deus nolens esse dubium, magnum signum ostendit eorum, quæ gesta erant. Nam ex sanctis illis reliquiis subitò manauit oleum, & arculam perfundens, pedem, & totam purpuream regis vestem imbuit, & humectauit: quam ob rem vestis hoc modo humectata in regiis receptaculis asseruatur, in eorum, quæ facta sunt, testimonium. Hactenus Procopius, & scriptores Græci, quos vel iam olim laudauimus, vel deinceps sequenti laudaturi sumus libro.

Infr. lib. 2. part. 1. cap. 1. art. 4. 5. &c

Reliquum est, vt Latinis Patribus suus sit dicendi locus, nec minor illis, quam Pelasgis habeatur fides, ius fásque est. Retectis diuinâ permotione sanctorum Geruasij, & Protasij exuuiis populum Mediolanensem, qui ad earum translationem frequentissimus concurrerat, hisce verbis olim compellabat è superiore loco Diuus Ambrosius. *Cognouistis, imo vidistis ipsi multos à Dæmoniis purgatos, plurimos etiam vbi vestem Sanctorum manibus contigerunt, iis quibus laborant debilitatibus absolutos reparatâ vetusti corporis maculâ; quò se per aduentum Domini IESV gratia terris, infuderat, vmbrâ quadam corporum plerosque sanatos cernitis. Quanta oraria iactitantur? quanta indumenta super reliquias sacratissimas, & tactu ipso medicabilia reposcuntur? Gaudent omnes extremâ lineâ contingere, & qui contigerit, saluus erit.* Ecquam amabo te toto terrarum Orbe, quantus quantus, eâ medicatissimâ facultate panacæam reperias, vt conclamatis ægritudinibus solo sui contactu faciat medicinam? Præfractam Arianorum impudentiam in pernegandis ægrorum, ad inuenta Diuorum eorundem lipsana, medicationibus, & sanatione, robustâ dicendi facundiâ idem fœliciter infringit in hunc modum. *Negant cœcum illuminatum, sed ille non negat se sanatum. Ille dicit, video, qui non videbam. Ille dicit, cœcus esse desiui, & probat facto. Isti beneficium negant, qui factum negare non possunt. Notus homo est, publicis, cùm valeret, mancipatus obsequiis: Seuerus nomine, Lanius ministerio. Deposuerat officium, postquam inciderat impedimentum. Vocat ad testimonium homines, quorum antè sustentabatur obsequiis: eos iudices suæ visitationis accersit, quos habebat testes, & arbitros cœcitatis. Clamat quia vt contigit fimbriam de veste Martyrum, quâ sacræ reliquiæ vestiuntur, redditum sibi lumen sit. Nonne simile istud est, atque illud, quod in Euangelio legimus?* quid verò illud sit, pauculis interiectis versibus post paulò pergit ita explicare. *Legimus ergo in Euangelio, Iudæos, cùm viderent in illo cœco sanitatis remedium, requisisse parentum testimonium. Interrogabant: quomodo videt filius vester? cùm ille diceret: Cœcus cùm essem, modò video. Hoc & iste dicit. Cœcus fui, & modò video; interrogate alios, si mihi non creditis; interrogate extraneos, ne adstipulari mihi parentes putetis. Detestabilior istorum, quàm Iudæorum pertinacia. Illi cùm dubitarent,* vel

S. Ambros. epist. ep. 56. ad soror. Marcellin.

Idem in festo Inuent. SS. Geru. & Prot.

Ioan. 9.

vel parentes interrogabant: isti occultè interrogant, palam negant. Iam non operi increduli, sed auctori. Sed quæso quid non credant. Vtrum à Martyribus possint aliqui visitari? hoc est, Christo non credere. Ipse enim dixit, & maiora his facietis. Atque hæc Beati Ambrosij enarratio est tam eximiæ sanationis, vt eam Diuus Augustinus silere nequiuerit, imo è contrà non vno, alteróve loco eandem susceperit scribendo recensere. Addit insuper non paucas, neque sanè vulgares ægritudines ope medicâ venerabilium Reliquiarum funditùs remotas in Africâ: imprimis ad Martyris gloriosissimi Stephani lipsana, quorum aliquot particulæ in castello Synicensi positæ seruabantur; eas dum *eiusdem loci Lucillus Episcopus populo præcedente, atque sequente portabat: fistula, cuius molestiâ iam diu laborauerat, & familiarissimi sui medici, qui eam secaret, opperiebatur manus, illius piæ sarcinæ vectatione repente sanata est. Nam deinceps eam in suo corpore non inuenit. Eucharius presbyter ex Hispaniâ, Calamæ habitans veteri morbo calculi laborabat, per memoriam supradicti martyris, quam Possidius illò aduexit Episcopus, saluus factus est.* Atque vt me totum illud caput hìc exscribendi, lectorémque meum legendi labore inutili releuem, eiusdem Augustini verbis concludo. *Quid faciam? Vrget huius operis implendi promissio, vt non hìc possim omnia commemorare, quæ scio: & procul dubio plerique nostrorum quum hæc legent, dolebunt me tam multa prætermisisse, quæ vtique mecum sciunt. Quos iam nunc, vt ignoscant, rogo; & cogitent quàm prolixi laboris sit facere, quòd me hìc non facere suscepti operis necessitas cogit. Si enim miracula sanitatum (vt alia taceam) tantummodò velim scribere, quæ per hunc Martyrem, id est, gloriosissimum Stephanum facta sunt, plurimi conficiendi sunt libri, nec tamen omnia colligi poterunt:* quantò minus denarrari poterunt infinita miracula sanationum, quæ vbique gentium ac terrarum per salutiferas Cœlituum exuuias siue integras, siue (vt pleræque sunt) particulatim diuisas mortalibus aduersâ valetudine tentatis conclamatis, & tantum non exanimatis funditus pro interminatâ suâ potentiâ, & bonitate operatus est Deus, operatur etiamnum, & operaturus est in omnes ætates consequentes. Sunt in omnium manibus Sanctorum Patrum lucubrationes, & Christianorum annalium, atque historiarum veterum, nouarúmque monimenta, è quibus similia sanationum præsenti sacrorum lipsanorum ope patrata miracula haurire possis, qui plura voles.

S. Aug. lib. 9. Confess. cap. 7. & lib. 22. de ciuit. c. 8.

Ibid. idem.

Iam si domorum collabentium ruinas, ardentium incendia, expilatarum exinanitiones, si occultas hostium, latronúmve impunè grassantium insidias, si repentinas irruptiones Barbarorum, si formidandam grandinantis, fulgurantis, & fulminantis cœli inclementiam, si *montium supplicia* (vt vocibus Tertulliani vtar) & *fumariola quædam* cinerum, ac pumicum vim, globósque flammarum, *inæstimabilis foci missilia & exercitatoria iacula*, ex sese identidem vomentia, si furentis iras Oceani, fœdáque naufragia, si terræ suis in sedibus mo-

Tertul. lib. de pœnit. cap. 12

tæ concussiones, hiatúsve dehiscentis: si inopina torrentium, fluuiorum, itinerum pericula, si fortunarum iacturas, amissiones carorum, familiarum funeribus exhaustarum solitudines, si denique vniuersas malorum, quæ genus humanum continenter infestum habent, pestes memoriâ placet replicare, vix reperias vllam, ad quam submouendam & penitus auertendam, vel saltem molliendam subleuandámve sacrosanctæ Diuorum Reliquiæ, præsentissimus, ac potentissimus Auerruncus, esse non possint.

Amplius aliquid dico. Mors ipsa (quam insuperabilem & indomitam, imo & mortalium triumphatricem occlamant omnes) ab exuccis Sanctorum, quos prostrauit, exuuiis victam se, subactam, ac triumphatam sæpe sæpiùs experta est. Hîc haud dubiè Lipsanomachi temporum nostrorum obgannient, & de veteri, & hæreditario Arianorum, Vviclefistarum, Vigilantianorum, & reliquorum id genus Lipsanomastygum ingenio, & fide reformatâ meras nos loqui nugas adlatrabunt. Euigilent ab altissimo peruersæ fidei, & peruicaciæ suæ veterno rediuiui Dormitantij ad has Orthodoxorum Patrum voces, vel potiùs cœlestia tonitrua. S. Cyrillus Hierosolymorum Episcopus probaturus mortuorum à morte ad vitam rediturorum mirabilem anastasin, post plurima è naturæ sinu, & sacrorum Codicum thesauro deprompta argumenta sic infit. *Præterea Eliam, & filium viduæ ab illo excitatum & Elizæum bis excitantem & in vitâ, & post mortem. Viuens quidem effecit resurrectionem per animam suam. Vt autem non solùm anima Sanctorum honoretur, credaturque quòd etiam in corporibus mortuorum inest virtus, & potentia: iacens in sepulchro Elizei mortuus, mortuúmque prophetæ corpus attingens, viuificatus est, atque ita mortuum corpus prophetæ perfecit opus animæ, & mortuum, iacénsque vitam præbuit defuncto, exhibénsque alteri vitam ipsum nihilominùs mortuum permansit. Quâ de causâ? ne si resurrexisset Elizæus, factum id soli animæ adscribatur; & vt demonstretur, quod absente etiam animâ, inest quædam eiusmodi virtus corporibus Sanctorum propter tot annorum inhabitatas in illis animas iustas, quorum ministerio vsæ sunt. Neque verò diffidamus, vt rerum ignari, fieri istud. Si enim sudaria, & semicinctia extra corpus existentia, contacta ab ægrotis liberabant illos ab infirmitate: quantò magis corpus Prophetæ, mortuum excitauit?* Cæterum mirum est, quàm potens, & opportunum ad sacrarum reliquiarum vim, & præcipuè in mortem ipsam imperium constabiliendum, visum sit maioribus nostris hoc miraculum reuocati ad vitam cadaueris à condito mortui iampridem Elizei corpore de subito editum: vix enim perpaucos legas, qui illo, tanquam ineuitabili machinâ (cùm se dedit occasio, vel necessitas) ad deiiciendam, euincendámque Lipsanomachorum peruicaciam non fuerit vsus; SS. Clementem Pontificem, Chrysostomum, & Hieronymum, reliquis silentio suppressis, satis supérque sit de nomine compellasse.

S.Cyrill. Hieros.Cath.18.

S.Clem.Papi. lib.6. Constit. Apost.c.29. S.Chrysost.lib. contr. Gētiles. S. Hier. epist. 55. ad Ripar. &c.

Ad exempla si prouoces, ex infinitis ea sola hîc placet exscribere, quæ

quæ ad Reliquias gloriosissimi protomartyris in Africam transuectas exhibita fuisse memorat testis omni exceptione maior, Augustinus. *Andurus*, inquit, *nomen est fundi, vbi Ecclesia est, & in eâ memoria Stephani Martyris. Puerum quendam paruulum, cùm in areâ luderet, exorbitantes boues, qui vehiculum trahebant, rotâ obtriuerant, & confestim palpitauit expirans. Hunc mater arreptum ad eandem momoriam posuit, & non solùm reuixit, verùm etiam illæsus apparuit. Sanctimonialis quædam in vicinâ possessione, quæ Caspaliana dicitur, ad eandem memoriam tunica eius allata est, quæ antequam reuocaretur, illa defuncta est. Hac tamen tunicâ operuerunt cadauer eius parentes, & recepto spiritu salua facta est. Apud Hipponem Bassus quidam Syrus, ad memoriam eiusdem martyris orabat pro ægrotante, & periclitante filiâ, eóque secum vestem eius detulerat: cùm ecce pueri de domo cucurrerunt, qui ei mortuam nuntiarent. Sed cùm orante illo ab amicis eius exciperentur, prohibuerunt eos illi dicere, ne per publicum plangeret. Qui cùm domum rediisset iam suorum eiulatibus personantem, & vestem filiæ, quam ferebat, super eam proiecisset, reddita est vitæ. Rursus ibidem apud nos Irenæi cuiusdam Collectarij filius ægritudine extinctus est. Cúmque corpus iaceret exanime, atque à gementibus, & plangentibus exequiæ pararentur, amicorum eius quidam inter aliorum consolantium verba suggessit, vt eiusdem Martyris oleo corpus perungeretur. Factum est, reuixit. Itémque apud nos vir Tribunitius Eleusinus super memoriam martyris, quæ in suburbano eius est, ægritudine exanimatum posuit infantulum filium suum; & post orationem, quam cum multis lacrymis ibi fudit, viuentem leuauit.* Hactenus testis oculatissimus, & locupletissimus Augustinus; ex quorum miraculorum denarratione velim per transennam obserues peruetustam Fidelium consuetudinem tunicas, & vestes ægrotantium ad Sanctorum memorias deferendi, imponendi, & super decumbentes, adeóque exanimatos, sanitatis, vitæve reuocandæ, ac redonandæ gratiâ iactandi: imo & vitâ functorum cadauera ad easdem memorias, viuificarum reliquiarum custodes, conuehendi, illisque super imponendi, quò faciliùs (si Deo ita videretur) ex mortuis reuocarentur ad vitam.

Theofrid. serm. de SS. Reliq. S. August. loc. supr. cit.

Permirum sanè, omnibus Heterodoxis incredibile forsitan videri posset mortuos à mortuis vitâ redonari; verùm sancti, licet exanimes, *in mortuorum numero* (vt asseueranter affirmat Ioannes Damascenus) *minimè habendi sunt. Ex quo enim ipsamet vita, ac vitæ auctor inter mortuos adscriptus est, eos, qui in spe resurrectionis, fidéque erga eum, diem extremum clauserunt; mortuos haudquaquam appellamus. Quî enim corpus mortuum miracula edere queat?* Vnde sapienter Magnes Theosthenis indidam fidem impugnans olim in hæc verba scribebat Orthodoxis Damasceni sensis, verbísque admodum congruenter. *Ossa prophetarum* (quod de omnibus cœlo adscriptis hominibus dictum puta) *non sunt ossa mortuorum quia Deus non est, nisi viuorum. De his scriptum est, Conseruat Deus ossa eorum. Manifestum est itaque*, quòd

S. Io. Damasc. lib. 4. Orth. fid. cap. 16.

Magnes. lib. 4. contr. Theoph. apud Conc. supr. cit.

quòd ossa sanctorum non sunt mortua, sed potiùs plena virtute. Si enim fimbria propter illum, qui ferebat eam, credenti dedit virtutem sanitatis, & solo tactu curationem fecit, quomodo non dicamus, Sanctos fimbriis inanimis honoratiores, non posse iis, qui sine vlla dubitatione credunt, tribuere meliora, quibus Christus, dum in corpore viuebant, tanquam veste induebatur; & post mortem, tanquam purpuram honore dignitatis regalis effecit? Ab vtriusque sententiâ non abfuit Theofridus Abbas, cùm ex Elizæi viuificis exuuiis suprà memoratis sic intulit: *Post mortem ergo carnis Sancti Dei meliùs viuunt, quorum hìc ossa in tot miraculis viuunt. Dè his mirificis Sanctorum ossibus dicit propheta veridicus: Et ossa vestra, vt herba germinabunt. Ossa Sanctorum, licet mortali conditione arescant, virtutum tamen viriditate, vt herba germinant, quanquam idem in generali resurrectione perfectiùs implendum esse, diuinæ scripturæ expositores astruunt.* Idem, quod laudati patres, è reliquis scriptoribus Orthodoxis abnegat nemo. Incidit mihi in mentem alia huiusce mirabilitatis ratio, ad quam iam nunc hìc exarandam incitat me futuri profectus spes non dubia. Etenim eò sententiæ inclino, vt credam eâ re Deum, mortis, vitæque arbitrum, admirandam eiuscemodi facultatem cadaueribus lumine, ac vitâ cassis pristinam redonandi vitam, identidem aridis Sanctorum exuuiis, cineribúsque indulsisse, quòd siue dum illam incolumes colerent, siue cùm eandem proximè haberent deserere, *vitâ* ipsâ, hoc est diuinissimo Eucharistiæ ferculo fuissent pasti, ac recreati. Eucharistiam dixi *vitam* ab S. Augustino sic loqui doctus, apud quem *Punici Christiani baptismum ipsum nihil aliud, quàm salutem, & Sacramentum corpori Christi nihil aliud, quàm vitam vocant.* Scitissimè id quidem, *in Christi enim corpore, vita nostra consistit sicut ipse dixit; nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et hoc diceret de vitâ quis alius, quàm ipsa vita? Erit autem illi mors, non vita, qui mendacem fecerit vitam.* Meritò igitur Doctor æquè pius, & sagax Christianos impensè adhortatur vt *manducent, & bibant, vitam manducent, & vitam bibant. Illud manducare, refici est. Sed sic reficeris, vt non deficiat, vnde reficeris: manduca vitam, bibe vitam, & integra est vita.* Agedum verò quâ tandem ratione Eucharistiæ Sacramentum ritè, dignéque sumentibus *vita* sit, non admodum inquirere allaboro, sit *vita*, quoniam propter ipsam diuinam viuere vitam incipimus, docente Christo: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Sit vita, quòd Eucharistiæ proprium, & innatum sit spiritalem Fidelium vitam restaurare, maximísque augere incrementis, vt apud omnes in confesso. Sit vita, propterea quòd Eucharistia immortalis, æternæque vitæ effectrix existat, vt hoc Christi oraculum loquitur: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Sit denique

Theofrid. serm. sæpe cit.

S. Aug. lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 24

Idem serm. 1. de temp.

Ioan. 6. 54.

Idem serm. 2. de temp.

Idem ibid.

Ioan. cap. cit. v. 56. 59.

Ibidem.

que temporaria vita, si voles, non abnuo, quod memoriâ teneam delicatulos pueros, tenerrimas virgines, hominésque nonnullos per esuriales ferias longissimè productas hoc vno *pane vitæ* refectos, recreatósque victitasse, quorum tibi recordationem referent Bozius, Bisciola, & nouissimè Theophilus Raynaudus, è nostra Societate ambo plurimæ lectionis, ac reconditæ literaturæ viri, & reliqui quos laudant. Vnum tamen silere non possum è Regibus & Imperatoribus Christianissimis mitissimum, Ludouicum, Pium de quo extremùm ægrotante hæc narrat Aimoinus. *Cibus eius erat solummodò per quadraginta dies dominicum corpus; laudante eo iustitiam Dei, & dicente: Iustus es Domine, vt quia quadragesimæ tempus non ieiunans transegi, saltem coactus, idem tibi ieiunium exoluam.* Hîc libenter cum illo exclamem *fœlix necessitas, quæ ad meliora compellit.* Vt iis omnibus modis Eucharistiæ Sacramentum verè sit *vita*; nihilo tamen minus asseueranter dixero, illud hoc etiam in paucis nomine *vitam* audire posse, quòd Cœlituum, qui frequenter, piéque ipsum, quoad vixêre, vsurparunt, exuuiis, & aridis cineribus viuificam inseuerit vim, & facultatem, quâ iam pridem emortuis adeóque compositis cadaueribus vitam de integro affunderent, & plures in annos producerent, ac propagarent. At de hac sacrarum reliquiarum mirabilitate, & delibatis erga mortalium corpora vtilitatibus, hactenus satis; deinceps aliquot commoda, quæ in eorundem animos mirabiliter proficiscuntur, ab illis ipsis Diuorum pignoribus, pro institutâ breuitate prosequamur.

Boz. lib. 15. de sign. Eccl. sign. 58. Bisc. tom. 1. Sublec. lib. 10. c. 1. Theoph. Rayn. Onomast. Euchar. Verb. Panis substant.

Aimoin. lib. 5. hist. Franc. c. 19. ex Anonymo vit. Ludou. Pij auctore.

A VENERABILIVM Reliquiarium diuisione, & per Orbem Christianum diribitione in animos commoda.

§. II.

CVm ex *duplicis substantiæ congregatione*, vt Tertulliani verbis vtar, *confectus homo sit*, hoc est ex corpore, animóque arctissimâ inter sese commissurâ coniunctis confletur, & *ex pari ad Dominum pertineant, siquidem & caro & spiritus, Dei est res, alia manu eius expressa, alia adflatu eius consummata*, atque adeo bonorum, & malorum summa sit inter vtrumque communio, *quia duo vnum efficiunt*: congruens iustæ rationi fuit, vt à sacrarum reliquiarum partitione, ac distributione sua Fidelium animis commoda, æquè ac corporibus vbique gentium obuenirent, eóque sanè vberiora, & præstântiora, quò magis corporibus antistant animi, longéque periculosiora sunt

Tertull. lib. de pœnit. c. 3.

Vid. Pamel. in hunc. loc. & in parad. 15.

animorum mala, quàm corporum lapsus, & iacturæ luctuosiores. Hæc cùm innumera sint commoda, & infiniti propemodum spirituales prouentus, etsi nec stylus, nec otium vniuersa recensere sufficiat, veruntamen aliquot ex illis in transcursu decerpere operæ pretium duco.

Primùm, religiosa hæc sanctorum corporum, & quarumuis sacrarum reliquiarum facta particulatim à Mystagogis nostris diuisio, earundémque per diuersas Orbis Christiani prouincias, vrbes, oppidáque distributio, piáque transuectio ad amorem fraternum conciliandum, fouendum, augendumve possunt, polléntque plurimùm. Id ingeniosæ pietatis, & amabilis industriæ occupauit annotare, oris aurei Patriarcha Ioannes, in Ægyptiis Christianis, quibus antiquius nihil fuit, quàm vt triumphales suorum Martyrum exuuias partitè diuisas vniuersis pene Orbis regionibus, prodendæ præsertim charitatis ergò, munificentissimè communicarent. Quam in rem peramœnam hanc habet orationem. *Quemadmodum in annonæ summâ vbertate, cùm viderint Vrbium incolæ maiorem, quàm vsus habitatorum postulet, esse prouentum, ad peregrinas etiam vrbes transmittunt, cùm, vt suam comitatem ac liberalitatem ostendant, tum, vt præter horum abundantiam cum facilitate res, quibus indigent, rursus ab illis sibi comparent: Sic & Ægyptij, quod attinet ad religionis Athletas, præstiterunt. Cùm apud se multam eorum, Dei benignitate copiam cernerent, nequaqam ingens Dei munus suâ ciuitate concluserunt; sed in omnes orbis partes bonorum thesauros effuderunt, cùm vt suum in fratres amorem ostenderent, tùm vt communem omnium Dominum honore afficerent, ac ciuitati suæ gloriam apud omnes compararent, totiúsque terrarum Orbis esse Metropolin declararent.* Non replico quo mutuæ charitatis fouendæ studio Sanctus Ambrosius inuentarum abs se Reliquiarum S. Geruasij & Protasij particulas ad Diuum Paulinum, sibi percharum caput, Nolam, & ad beatum Augustinum, suauissimum in Christo filium, piissimus in spiritu pater in Africam transmiserit? Non repeto quâ charitate Carolus Christianissimus Francorum rex manum inuictissimi Martyris Dionysij auro, gemmísque inclusam Henrico Imperatori munificentissimè donarit, in *pignus fœderis perpetui, & amoris vicarij*, vt loquitur Vvitichindus. Prætermitto iterare quàm frequens fuerit mutua summos, medios, infimósque Pontifices, Imperatores, Reges, & priuatos quosque inter sese venerabilium lipsanorum, amicitiæ colendæ gratiâ, missitatio, ne recoctam crambem ad nauseam importunus, & imprudens obtrudam. Non possum tamen vsque eò mihi temperare, quin explicem coniecturâ. Noëmum filios suos in Orbis possessionem mittere meditantem, eo potissimum consilio, & animi destinatione paternas Adami exuuias ipsis partitè diuisas impertitum fuisse, vt toto, quantus, quantus est, dispersi Orbe, vastissimísque terrarum spatiis à se inuicem longissimè seiuncti fraternam charitatem conseruare, atque adeò eius igniculos plus nimiò intermori faciles,

tam

S. Chrysost. serm. in MM. Ægypt.

Vvitichind. lib. 1. Annal.

tam auitorum pignorum continenti aspectu, quàm primi parentis ac sui refricatâ, vel potiùs præsenti semper recordatione studerent conflabellare.

Inter emolumenta, quæ à piâ sacrorum lipsanorum per Orbem diribitione mortalibus accedunt amplissima, nec in minimis, nec in postremis illud repono, quòd vbiuis gentium, ac locorum ea composita, seruata, cultáque fuerint, ibi Fidelium animis quàm maximo sint ad omne virtutum genus amplectendum, colendúmve incitamento. In hanc sententiam communi conspiratione, & consensu video vniuersos iuisse Patres: & quis non? Ex omni illorum numero aliquot eximios in medium producere, suáque sensa pronunciantes audire nec superuacaneum erit, nec importunum. Sanctus Ambrosius docturus *cunctos* quidem *martyres deuotissimè percolendos esse; sed specialiter eos venerandos esse à nobis, quorum reliquias possidemus:* huiuscemodi præmiserat rationem. *Exemplo enim eorum didicimus Christo credere, didicimus contumeliis vitam æternam quærere, mortem didicimus non timere:* cætera non ita pridem à me prolata rursus exscribere prætermitto. Apud D. Ioannem Damascenum Rex Auennir sciscitatus de Eremicolis, *cur ossa mortuorum* (sic Sanctorum lipsana pro more Gentilium vocitabat) secum ipsi *circumferrent*? id responsi ab illis retulit. *Ossa munda, & sancta circumferimus, ô Rex, illorum repræsentantes mortem, ad quos attinent, mirabilium virorum, & exercitationis eorum, & adeo dilectæ conuersationis in memoriam nosmetipsos reducentes, & ad similem zelum excitantes, requiem quoque speculantes, & delicias, in quibus modò conuersantur. Hos quia beatos prædicamus, & inuicem nometipsos exhortamur, eorúmque vestigia sequi satagimus, insuper & mortis assiduè nobis memoriam magnopere vtilem, & ad sanctæ conuersationis agones deuotiùs animos erigentem refricamus atque adeo sanctificationem nobis horum contactu haurimus.* Nullus Sanctorum Patrum (quantum memoriâ complector) neque frequentiùs, neque copiosiùs, neque fructuosius id genus emolumenti, è Diuorum loculis, pignoribúsque in Fidelium animos tacitè influentis, meo quidem iudicio, est prosequutus, quàm eloquentiæ Græcanicæ, ac Christianæ miraculum, Chrysostomus: Oranti autem, animúmque, si placet, tantisper accommodemus. *Idcirco vos*, inquit, *ad ipsos Sanctorum martyrum loculos adduximus, vt ipse vos conspectus ad virtutem quodammodo incitet, & ad eundem zelum vos accingatis. Nam militem quidem præstantissimi cuiuspiam bellatoris excitat etiam fama, multò autem vehementiùs intuitus, & aspectus, ac præsertim si ipsum fortissimi bellatoris tentorium ingressus sanguinolentum ensem viderit, caput hostis iacens, spolia sublimè pendentia, recentem cruorem ex manibus eius stillantem, qui trophæum erexit, vbique lanceas, & clypeos, & arcus, & omnem aliam armaturam iacentem. Idcirco nos etiam hîc conuenimus: tentorium enim militare est martyrum tumulus; ac si fidei oculos aperueris, hîc iustitiæ loricam iacentem intuebere, scutum fidei, galeam salutis,* *ocreas*

S. Ambr. serm. In fest. SS. MM. Aduent. & solut. & in fest. SS. Naz. & Celsi.

S. Ioan. Dam. hist. Barl.

S. Chrys. hom. In S. Barlaã mart & de de S. Babyla.

Ephes. c. 6. v. 14.

ocreas Euangelij, gladium spiritus, ipsum diaboli caput in terram proiectum. Tum quo pacto spiritali illâ virtutum panopliâ non solum viri, sed etiam pueri, adolescentes, virgines, fœminæ ad summam omnes contra Diabolum depugnaturæ, ad Sanctorum, quorum fruuntur pignoribus, imitationem obarmari possint, ac debeant, insistit pluribus demonstrare. Non minùs florida, &, vt ita dicam, Martia, quàm potens, ac pia eiusdem in idem argumentum excurrentis hæc oratio est, qua suos hortatur auditores ad Sancti Iuliani cineres laureatos religiosè inuisendos. *Etenim martyres nobiscum Deus partitus est, vt cùm animas sibi ipse sumpsisset, corpora nobis quodammodo largitus est, vt perpetuæ virtutis monumentum, sancta horum ossa teneamus. Nam si bellatoris arma cruentata quis cernens, clypeum, hastam, & loricam, licet omnium sit ignauissimus, statim exilit, exardescit, & ad bellum promptus emicat, atque à conspectu armorum sumit animum, vt easdem actiones aggrediatur: nos qui non arma, sed corpus ipsum cernimus sancti, quod dignum habitum est, vt ob Christi fidem cruentaretur, licet omnium simus timidissimi, quî possumus non ad summam promptitudinem animi exardescere, cùm hic aspectus, velut ignis quidam in mentem nostram incidat, & ad idem nos certamen inuitet? Propterea nobis Sanctorum corpora vsque ad tempus resurrectionis commendauit Deus, vt maximæ philosophiæ materiam, & occasionem haberemus.* Iam verò si ad singulas virtutes percurrendas, ad quarum imitationem vel solus sacrorum corporum, quæ vbique gentiũm, & terrarum religiosè seruantur, ac percoluntur, pius conspectus animat, impellit, & quodammodo Christianorum animos violentâ suauitate adigit, velim descendere, ecquis tandem erit scribendi, dicendíve finis?

Idem hom. in S. Iulian. M.

Eadem porro venerandarum reliquiarum per diuersas Ecclesias distributio nimium quantùm nos potenter edocet maximi facere, suspicere, & amare fidem nostram, & beatæ resurrectionis spem vsque eò Paganis & Infidelibus omnibus difficilem creditu, si quidem Diuo Ambrosio perplacet in hæc verba de SS. Nazarij, & Celsi lipsanis disserenti auscultare. *Congratulamur, dilectissimi fratres, magnæ fidei vestræ, per quam dum exules profluâ charitate suscipitis, etiam incolas paradisi, & cœli ciues habere meruistis. Beatum itaque Nazarium Martyrem Christi sancta Mediolanensis Ecclesia licet totum corpore secum retineat, mundo tamen totum in benedictione transmisit. Hæc enim est Sanctorum Martyrum gloria, quorum etsi per vniuersum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo. Veneremur ergo in tanto Christi milite fidem nostram: mater namque martyrij fides Catholica est, in qua iste illustris Athleta sanguine fuso mortem pro ipsâ calcauit; mater, inquam, martyrij fides Catholica est. Veneremur ergo in Sanctorum gloriâ fidem nostram. Quomodo fidem nostram? Ab istis enim dum mortis tolerantia indubitanter excipitur, spes immortalitatis euidenter asseritur. Nunquam enim hanc vitam*

S. Ambros. supr. cit.

tam tam constanter expenderent, nisi esse alteram incomparabiliter beatiorem perfectâ definitione sentirent. In sanctis itaque præconibus veritatis, resurrectionis auctoritas est. Prompti enim pereunt in melius reparandi, quibus per angustias tribulationum aperitur exitus ad amplitudinem gaudiorum.

E sacrorum lipsanorum pio conspectu, religiosâque veneratione adeo salutares, ad quasvis, æque animorum & corporum ægritudines, ac pestes persanandas vbiuis terrarum à Fidelibus decerpuntur fructus, vt nihil admodum verear ea componere cum fluuio, & ligno vitæ, quæ sibi diuinitùs præmonstrata Prophetarum omnium longè oculatissimus, B. Ioannes Euangelista in hunc modum enarrat: *Et ostendit mihi fluuium aquæ vitæ, splendidum tanquam crystallum procedentem de Sede Dei, & Agni. In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium.* Apoc. c. 22. v. 1. 2. Quod sanè hoc præfidentiùs facio, quò fideliùs in memoriam redeo Ioannem alterum (Chrysostomum scilicet) laureatas Sanctor. Babylæ & Iuliani Martyrum exuuias fonti aquarum, arboríque patulis diffusæ ramis, onustæque pomis eleganter æquiparasse. Huius sic se habet oratio: *Quid, quæso, properas ad suburbium ciuitatis? (Antiochiam loquitur) Ecce suburbium Hierusalem illius, quæ sursum est? Ecce Daphnen spiritalem? Illic fontes aquarum, hîc fontes sunt Martyrum: illic cupressi infructuosæ, hîc reliquiæ Sanctorum sunt, ac radices, quæ in terra plantatæ sunt, & ramos in cælum protendunt.* S. Chrys. prex. supr. cit. & hom. de S. Eustat. Antioch. *Visne ramorum etiam istorum fructum intueri? aperi nobis oculos fidei, tum subitò mirabilium tibi fructuum naturam ostendam. Non enim pomorum, ac nucum, nec aliud quiddam istorum, qui corrumpuntur, & pereunt, ramorum est fructus, sed corporum mutilatorum sanatio, peccatorum remissio, abolitio vitij, morborum animæ curatio, oratio continua, fiducia apud Deum, spiritalia cuncta, bonisque cœlestibus redundantia. Hi fructus semper decerpti, semper pullulant, nec vnquam suos deficiunt cultores. Atque arbores quidem, quæ nascuntur in terra, semel in anno fructum ferunt, quos si non decerpseris, aduentante hyemis tempore corrupto, ac dilabente fructu proprium decorem amittunt. Hæ verò hyemis nesciæ sunt, & æstatis, non temporum subiacent necessitati, nec suis fructibus nudatæ videri possunt, sed eundem perpetuò decorem obtinent, nec eas vnquam corruptio, vel mutatio tempestatum attingit. Quàm multi siquidem ex quo plantatum est corpus istud in terra, sexcentas sanationes ex hoc sancto loculo decerpserunt, nec fructus defecit? Messuerunt segetem, nec consumptæ sunt spicæ: è fontibus hauserunt, nec exinaniti sunt latices, sed perennis quædam est scaturigo, nunquam deficiens, sed eo, quod haustum est, copiosius semper miraculum manans effundit. Neque verò tantùm miracula operatur, sed philosophari etiam suadet: siue enim diues sis, ac superbias, elatóque sis animo, cùm huc veneris, ac martyrem intuitus fueris, quantúmque sit inter diuitias tuas, & huius opulentiam discrimen, tecum ipse reputaueris; animos elatos subitò deprimes, ac deposito fastu, ac tumo-*

re, multâ cum animæ sanitate discedes: siue pauper, & despectus esse videaris, cùm huc veneris, & diuitias Martyris videris, contemptis, & irrisis secularium diuitiis, multâ instructus philosophiâ recedes: etsi contumeliæ, etsi damna, etsi verbera infligantur, cùm te nondum tanta passum esse, quanta sanctus hic Martyr pertulit, videris, magnam hinc capies consolationem. Vides cuiusmodi radicum istarum sint fructus? vt eripi nequeant? vt spiritales sint? vt ad animam ipsam pertingant? Hactenus ingeniosa perinde ac vera, & pia Beati Patriarchæ oratio; ex quâ de facili conficies cœlituum exuuias toti Orbi Christiano, Deum optimum, maximum misericorditer impertiisse, tanquam salutiferos *fontes*, *fluuiósve*, ac veluti *ligna*, *seu arbores vitæ ad sanitatem gentium* Christianarum, quam vitia, praui habitus, mores contaminati, improborũ consuetudo, & capitales noxæ animorum pestes, simul & corporum luctuosum in modum corruperint, planè, plenéque restaurandam, confirmandam, & vt ita dicam, palæstricè adaugendam, modò ad salutares huiusmodi fontium latices hauriendos, atque ad medicinalia vitalium illarum arborum poma colligenda quouis temporis articulo pium animum adiecerint, religiosam attulerint appetentiam, eáque firmæ fidei manu venerabundæ prensarint.

Vbicunque locorum Diuorum exuuiæ, seu integræ, seu varias in partes incisæ asseruantur, Fidelibus *exhortationes martyriorum sunt, vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat.* Quin enim eam S. Augustini vocem peræquè cœlituum quorumlibet lipsanis accommodem, ac ille festiuis *Martyrum solemnitatibus*? cùm ea vox tam commodè, meritò, & iustè in illa, & istas cadat, neque sit vna & singularis species martyrij, vel ipsomet Augustino teste, cuius aurea hæc verba do: *Non martyrium sola effusio sanguinis consummat, nec sola dat palmam exustio illa flammarum. Peruenitur non solùm occasu, sed etiam contemptu carnis ad coronam. Absque iniuriâ Sanctorum in persequutionibus defunctorum dicere liceat, carnem afflixisse, libidinem superasse, auaritiæ restitisse, de mundo triumphasse, pars magna martyrij est.* quod permultis aliis concionibus non solùm asseruit, sed etiam crebrò se inculcasse testatur, nec mirum cùm ex eiusdem sententiâ, *Tota vita Christiani hominis, si secundùm Euangelium viuat, crux sit, atque martyrium.* Arripuerit forsitan hoc ex ore, scriptísve amantissimi sui in Christo parentis, Beati Ambrosij piissimus filius, siquidem ille expendens has vatis regij voces: *Multi qui persequuntur me*, posteaquàm breuiter docuit, *multò plures persecutores esse, qui non videntur, quam qui videntur*, multas itidem persecutiones, quibus occultis plures quàm publicâ persecutione ceciderunt, subiungit: *Vt multæ persecutiones, ita multa martyria. Quotidie testis es Christi. Tentatus es spiritu fornicationis, sed veritus Christi indicium, temerandam mentis, & corporis castimoniam non putasti, martyr es Christi. Tentatus es spiritu auaritiæ, vt possessionem minoris inuaderes, indefensæ viduæ iura temerares, & tamen contemplatione cœlestium præceptorum opem magis ferendam, quàm inferendam iniuriam indicasti: testis es*

S. Aug. serm. 3. de SS. Martyr.

Idem serm. 2. de iisd. seu 40. de SS.

Id. serm 231. de temp. 250. serm. 35. de SS.

Idem in Psal. 118. octon. 20.

es Christi. Denique tales vult testes assistere, secundùm quod scriptum est: Iudicate pupillo, & iustificate viduam, & venite disputemus, dicit Dominus. Tentatus es spiritus superbiæ, sed videns inopem, atque egenum, piâ mente compassus es; humilitatem magis, quàm arrogantiam dilexisti: testis es Christi: & (quod est amplius) non sermonis tantùm, sed etiam operis testimonium perhibuisti: testis es Christi. Quis enim locupletior testis est, quàm qui confitetur Dominum Iesum in carne venisse, cùm Euangelij præcepta custodit? Nam qui audit & non facit, negat Christum, & si verbo fatetur, operibus negat. Hæc, & alia pluribus, quæ nec operæ, neque necessitatis pretium est nos exscribere hacce pulcherrimi sermonis laciniâ contentos. In eodem argumento versando, & frequens, & multus est Chrysostomus, è quo vnum hunc locum excerpo. Sibi enim obiicienti, & quæritanti, *Qui fieri possit, vt Martyres imitemur? non enim persecutionis est tempus.* In hæc verba respondet, *Equidem id etiam scio; persecutionis quidem tempus non est, at martyrij est tempus. Non persequuntur homines; at persequuntur Dæmones: non vexat tyrannus, at vexat Diabolus tyrannorum omnium sæuissimus: non obiectas pœnas conspicis, ac cupiditatis conspicis flammam accensam: illi prunas calcarunt, tu naturæ pyram calca: illi cum bestijs pugnarunt, tu iram immitem, & indomitam belluam fræna: illi aduersus intolerabiles dolores steterunt, tu absurdas, prauásque cogitationes, quæ in corde tuo pullulant, vince, ita Martyres imitabere. Non enim nobis est colluctatio aduersus carnem, & sanguinem; sed aduersus principes, aduersus potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ. Ignis est cupiditas naturæ, ignis inextinctus, ac perennis, canis rabidus, & insanus; licet millies eum propellas, millies impetum facit, nec abscedit. Sæua quidem prunarum est flamma, verùm hæc vehementior est flamma cupiditatis: nunquam inducias belli huius adipiscimur, nunquam pugnæ cessationem obtinemus, dum in hac vitâ versamur, sed perpetuum est certamen, vt & splendida fiat corona. Propterea Paulus nos semper armat, quandoquidem belli est tempus, quandoquidem vigilat semper hostis.* Hactenus oris aurei Patriarcha, & spiritualium eiusce modi certaminum, & incruentorum martyriorum incentor acerrimus. Verùm ne Gallicanæ Ecclesiæ Patres super incruentis martyriis penitùs inauditos prætereamus, vnum saltem Eucherium Lugdunensium antistitem sic perorantem audiamus: *Hos ergo, charissimi,* (qui scilicet animas suas pro Christo fortiter abiecerunt) *ita miremur, vt homines fuisse meminerimus: Hos, inquam, miremur, & eos similes nostri nouerimus, & sub eadem, quâ nos sumus, carnis fragilitate vixisse, & per hoc sequamur, in quantum possumus, fidem illorum, sectemur animi virtutem, quâ terrena, & præsentia respuentes vim regnis cœlestibus intulerunt. Superauerunt illi corporum dolores, nos superemus morum, & cordium passiones: Vicerunt illi tormenta, nos vitia: illi sacrificare Dæmonibus horruerunt, nos inuidiam, malitiam, obtrectationes, contentiones, tanquam prophana sacrificia detestemur, vt inter huius mundi conflictionis vitia persecutores virtutis probent esse nos martyres. Persequamur in nobis peccata,*

Esaiæ cap. 1.

S. Chrysost. homil. de S. Barlaã, init. hom. 11. epist. ad Heb. & in Psalm. 95. &c. homil. de S. Eustath. Antioch. S. Ioann. Damasc. hist. Ioasaph & Barl. Ephes. 6. v. 12.

S. Eucher. homil. de S. Genesio.

& iniquitates nostras, expugnemus superbiam, debellemus iracundiam ipsi in nobis, & persecutoris partes exequamur, & martyrum per castigationem vigiliarum, per contritionem ieiuniorum, per hostiam viuentem, sanctam, placentem Deo. Acquiramus nobis nouum, non carnis morte, sed carnalis vitæ mortificatione martyrium, vt de nobis quoque etiam viuentibus dici possit: Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Ergo quantum fieri potest, extinguatur in nobis quicquid peccati est, mortificetur morte, quod sæculi est, vt pretiosa perficiatur in conspectu Domini mors viuentium.

Psalm.

Atque hactenus de incruento martyrio abundè satis, de quo si plura voles, adi Disquisitionem Theologicam de Martyrio per pestem à nostro Theophilo Raynaudo pereruditè, ac solerter pro more suo concinnatam. Iam his ita constitutis, quemcumque mortalem cœlo adscriptum colas, martyrem colis; cuiuscunque indigetis exuuias serues, martyris habes exuuias, siue sine sanguine candidas, siue suo sanguine rubicundas. Ad summam quoties beatis Sanctorum cineribus venerabundus accedas, & accidas, toties tacitas *exhortationes martyriorum* audis, ni sponte obsurdescas: imo tot martyria facis, & consummas, quot membra corporis tui omni vexationum genere subacta ad Sanctorum exemplum, & imitationem conficis, quot domitas habes animi passiones, quot vitia triumphas, leuiori fortè, quàm illi doloris sensu, sed diuturniori martyrio; inferiori aureolâ, sed æquali immortalitate; minori nominis commendatione, ac gloriâ, non constantiâ, & generositate: pari scammate, pari caueâ, iisdem spectatoribus, sub eodem Agonothetâ, & Munerario, eodem cum plausu laureatus. Nolo sexcentos alios id genus animorum prouentus, qui è sacrarum exuuiarum, & lipsanorum per orbem distributione vbique locorum, & gentium à viuentibus, videntibusque Catholicis colliguntur vberrimi, longiori sermone non tam enucleatiùs persequi, quàm in transcursu delibare, ne videar de pij Lectoris sagacitate, sensis, experientiâque minùs commodè, quàm prudens caritas ferat, honorificéque sentire. Ad alia deinceps progrediamur.

Theoph. Rayn. Disquis. de Mart. per pest. part. 1. à cap. 1. ad 6. & alibi passim.

A SACRIS RELIQVIIS PER Orbem distributis, in moribundos & mortuos emolumenta.

§. III.

HActenus, quæ in mortales adhuc vitam viuentes à venerabilibus Reliquiis per Orbem Christianum religiosè distributis proficiscuntur emolumenta, cursim attigimus; iam nunc illa, quæ in moribundos, mortuósve dimanant beneficia, intra circumdatos propositæ nobis breuitatis cancellos, enarremus.

Principiò

Principio moribundis hæc obuenire poſſe à ſacris lipſanis præſidia de facili credo. Primum eſt, mortis imminentis ſuauior recordatio, quam dum viuerent, ac valerent piâ ipſorum geſtatione, atque quotidiano conſpectu alere continenter ſtuduerunt: vti factitatum à veteribus Aſcetis ex Diuo Damaſceno non ita pridem retulimus: quam mortis memoriam cùm ex geſtatis Sanctorum oſſibus ſibi perquam vtilem ad virtutem capeſſendam apud Regem iactitarent, réxque ipſe ſtatim repoſuiſſet: *Si vtilis eſt mortis memoria, ſicut dicitis, quin in propriis corporum veſtrorum, & paulò poſt corrumpendis oſſibus huius accipitis memoriam, ſi alienis iſtis, & iam corruptis aſſumitis. Tunc Monachus ait: Cum equidem cauſas quinque eſſe dixerim, cur Sanctorum reliquias circumferamus, ad vnam earum reſpondendo ſubſannare nos videris: ſed luce clarius noſti, quòd oſſa mortuorum mortis exhibent memoriam viuentibus, & quoniam ſic eſſe cognoſcis, & in carne tuâ oſſa tibi mortem ſignificant, cur non & ipſe paulo poſt venturæ mortis memor, bene, quæ tua ſunt, diſponis, ſed omnibus animam tuam tradidiſti impietatibus, violenter, & immiſericorditer interficis ſeruos Dei, qui in nullo te lædunt, neque præſentium aliquid tecum diuidunt, vel auferre contendunt.* Sic ille ſacrorum lipſanorum peræquè generoſus propugnator, ac pius gerulus. Regias ſannas eludens Chriſtianè philoſophari hominem docuit, mortem in ſemetipſo viuente meditari, & à mortis memoriâ ſibi quodammodo inſitâ, & congenitâ in meliorem frugem ſe recipere, impietatibus abſtinere, & depoſitam aduerſus Dei ſeruos reſumere humanitatem: quemadmodum ipſi à geſtatis, conſpectiſque Sanctorum exuuiis ad mortis memoriam animos reuocare ſuos, ad ſanctæ conuerſationis agones proludere, haurire ſanctificationem, & ad mortem pulcherrimam religioſè alacritérque oppetendam ſatagebant continenter ſe comparare. Quod ſanè tam fortiter præſtitêre, quàm dixerant animoſè, quòd *ipſis viuere Chriſtus eſſet, & mori pro eo lucrum optimum.* Et verò *datâ ſententiâ* (inquit interpres Damaſceni) *Apparitores circumſtantes, atque Lictores, inhumanè ac immiſericorditer ſummitates membrorum detruncabant, & linguas quidem eorum vncinis detrahentes crudeliter abſcindebant, oculos verò ferreis vnguibus eruebant, pedes, & manus ſecuribus obtruncabant. Beati igitur illi, & omni reuerentiâ digni, animo conſtanti, quaſi ad epulas inuitati, viriliter accedebant ad tormenta, inuicem ſemetipſos exhortantes, & ad mortem propter Chriſtum ſine timore accedentes. In talibus & tam diris tormentis perſeuerantes animas ſuas ſacri Eremitæ illi Domino tradiderunt, decem & ſeptem numerum perficientes.* Hæc ille, ex quo intelligas, quantùm fortitudinis, animorum, & alacritatis illuſtribus illis Martyribus indiderint circumlatæ beatorum indigetum exuuiæ ad martyrium per immaniſſimos cruciatus, fœdámque corporum lanienam conſummandum, victricémque mortem generosè, atque alacriter triumphandam. Idem, & aliis Chriſtianis vſu venire autuma, quibus viuentibus, proximéque victuris cordi eſt, in ſuſpenſis è collo, vel ante oculos poſitis Sanctorum lipſanis mortis imaginem contueri,

Supr. proximo §. 2.

S. Io. Damaſcen. hiſt. Ioſaph.

Ibidem.

fouere memoriam, continentíque meditatione cicuratam excipere cum voluptate.

Secundum, quod morti proximis sacrosanctæ reliquiæ præstare solent, præsidium, est, maior aduersus tetras infernarum laruarum species terriculamenta, & periculosas æquè, ac importunas Dæmonum tùm maximè sæuientium coniectas petitiones securitas, animíque præsentia, & fortitudo. Venit in mentem meminisse Christianissimi Imperatoris Ludouici Pij, de cuius extremâ ægrotatione inter cætera lectu dignissima ipsius vitæ scriptor, incertus quidem ille, at certè coæuus à Pithœo in lucem editus hæc memorat: *His peractis, & dictis* (hoc est, Ludouico filio eorum, quæ in patrem ingratus, degenérque peccauerat, datâ veniâ) *præcepit vt ante se celebrarentur vigiliæ nocturnæ, & ligno sanctæ Crucis pectus suum muniretur, & quandiu valebat, manu propriâ tam frontem, quàm pectus eodem signaculo insignibat: si quando lassabatur, per manus fratris sui Drogonis, nutu id fieri poscebat.* Videbatur nimirum piissimus Princeps certâ prænotione animi præsentiscere affuturum sibi post paulò acerrimum cum Dæmone insidias saluti suæ facturo duellum, in quod antequam se committeret, operæpretium duxit sacrosanctis Dominicæ Crucis reliquiis se communire, quò faciliùs de hoste iamdudum per Crucem subacto, deuictóque moribundus, & mortales inter penè nullus victoriam consequeretur: nec vana fides, ac spes fuit. Enimverò dum Drogo, & reliqui sacerdotes bonas, vltimas, atque commendatitias preces pro ipso ad Deum, superósque funderent, ac maximo cum doloris sensu precarentur, intereà *conuersâ* oculorum *acie*, inquit scriptor laudatus, *in sinistram partem indignando quodãmodo, virtute quanta potuit, dixit bis, Huz Huz, quod significat, foras, foras. Vnde patet, quia malignũ spiritum vidit, cuius societatem nec viuus, nec mortuus habere voluit. At verò eleuatis ad cœlum oculis, quantò huc minaciùs intuebatur, tantò illuc lætiùs intendebat, ita vt nihil à ridente differre videretur. In talibus ergo vitæ præsentis terminum sortitus, ad requiem fœliciter, vt credimus, commigrauit, quia veraciter dictum est à veridico Doctore. Non potest malè mori, qui bene vixerit.* Idem totidémque verbis Aimoinus in suâ de gestis Francorum historiâ refert. Non multùm absimili modo pari metu, spe, ac pietate S. Nicolaus Tolentinus, excessuro è corpore animo, Monasterij sui Præfectum supplex in hunc modum rogitasse fertur: *Crucem argenteam, quam huius castri homines pij, me deprecante, suis pecuniis conficiendam curarunt, cui, me vidente, vera particula sanctissimæ Crucis Christi imposita est, quæso, vt ante mortem hisce meis oculis inspiciendam offeratis, vt eius virtute, ceu baculo altissimæ potestatis fultus, Iordanem huius mundi transmittere, & ad Paradisi gaudia facilè peruenire queam. Eius petitioni Prior annuens sanctam Crucem apportari iubet. Quam vt vidit vir sanctus, vt potuit, in lectulo in genua incumbens, & flens largiter dixit: Salue Crux pretiosa, quæ digna fuisti portare pretium mundi, quod in te requieuit, & sedit, & passionis æstu roseum sanguinem sudauit, latroni misericordiam imploranti pepercit, suam* matrem

Anonym. vit. Ludouici Pij Imp. scriptor apud Pithœ.

Aimo in lib. 5. de gest. Frãcor. cap. 19.

Sur. tom. 5. vit. SS. 10. Sept. cap. 13.

matrem Virginem virgini discipulo commẽdauit, Deúmque pro se crucifigentibus rogauit. Ille me per te defendat in hac horâ ab hoste maligno. Exosculatâ deinde Cruce sanctissimâ, sese vt priùs reposuit. Audin' vt beatissimus vir ex hoc corporis ergastulo breui auolaturus ad cœlos, se triumphalibus Crucis reliquiis à malo Dæmone tectum voluit? Vtroque haudquaquam vitæ sanctimoniâ inferior S. Martinus, Turonensium Antistes celeberrimus, longâ animi prouisione consimiles ab improbis geniis sibi in extremo spiritu faciendas impressiones præcauens, sacrosanctis Thebæorum martyrum lipsanis longissimè antè totum se obarmauit. Is enim (vt Decani, & Canonicorum Castri noui ad Philippum Coloniensem Archiepiscopum datæ loquuntur literæ) *in tantum prædictorum Thebæorum martyrum sanguinem*, à se mirabiliter exoratum, collectúmque religiosissimè *veneratus est, vt ampullam ex eo completam secum perenniter habendam retineret*, Peropportunè id quidem, æquè, ac sapienter, & cautè: proptereà quod sanctissimorum Martyrum cruore, haud secùs, quàm impenetrabili loricâ tectus, intrepidè *Diabolum vidit propè assistere*, valentique, quàm agenti animam similior, voce quàm potuit maximâ imminentem hostem increpitans, *Quid*, inquit, *adstas, cruenta bestia? nihil in me, funeste, reperies; Abrahæ me sinus recipiet. Cùm hac ergo voce* (subiungit Sulpitius) *diuinis operibus fatigatum spiritum cœlo reddidit, testatique nobis sunt, qui affuerunt, iam exanimi corpore, glorificati hominis gloriam se vidisse.* Sic triumphalibus Sanctorum lipsanis communitus, pugnauit, fugauit, vicit, triumphauit Dæmonem fortissimus Dei miles. Nec sanè permirum videri debet, cùm teste Thyræo nostro, inter symbola quatuor religionis Christianæ, quæ impij spiritus maximopere detestantur, quæque ipsos latere percupidos persæpe produnt, venerabiles reliquiæ, pignoráque Sanctorum non in postremis sint, vtpote quæ ipsos mirum in modum discruciant, vt sanctorum Patrum contestatur nonnemo: *Non enim*, inquit Chrysostomus, *ita fulgur è cœlis demissum nobis terribile videri solet*, vt Pelagiæ virginis, & *Martyris corpus omni fulgore splendidius ex alto diuinitùs delatum fulgure grauiùs Dæmonum turmas tunc perterrefecit.* Eorumdem terrorem aliâ pereleganti similitudine illustrat eloquentissimus Pater, in hæc verba: *Vt audaces latronum duces, siue impij sepulchrorum effosseres, si fortè dum prædas agunt, aut spolia capienda conquirunt, in arma, loricam, clypeum, galeam, auro tota fulgentia, vel ornamenta Imperatoris incurrerint, quantumlibet cupidi prædarum; tamen ita agnitis regijs insignibus deterrentur, vt fugiant, neque cominus accedere, vel attingere audeant; vnde sibi non compendium procedere, sed periculum prouident imminere, si quid inde audeant vsurpare. Ita profectò & Dæmones, qui verè latronum & principes, & magistri sunt, vbi coronatorum Martyrum corpora viderint posita, longè illicò à conspectu eorum pauidi fugiunt, & absiliunt. Non enim ad naturam eorum hîc interim mortalem intendunt; sed in arcanam dignitatem, & gloriam Christi, qui illa portauit. Huiusmodi enim armis non Angelus, non Archangelus, nec vlla creata*

Sur. tom. cit. in vit. SS. Mauricij, & Soc. 22. Sept. in fin.

S. Sulpit. epist. ad Basul. de trāsl. S. Mart.

Thyr. lib. 1. de Apparit. Spir. cap. 16. n. 25.

S. Chrysostom. hom. de S. Pelag.

Idem hom. in natal. SS. 7. Mach. init.

virtus induta est, sed ipse Dominus Angelorum, sicut Paulus clamat: An experimentum quæritis eius, qui loquitur in me Christus? Sic & isti clamare possunt, ac dicere: An experimentum quæritis eius, qui certauit in no[mine] Christus? At vide sis ne solos Martyres malis geniis terrori esse suspiceris, illorúmve laureatas exuuias hosce duntaxat abhorrere; beatorum enim indigetum ne minimum quidem nomines, cuius aridi cineres, vel etiam puluisculus, ne dicam integra corpora, coniuratas Dæmonum solo sui conspectu in turpem fugam coniiciant legiones. Audi de integro Chrysostomum: *Ea est Sanctorum potestas, vt Dæmones illorum superstitum ne vmbras quidem, aut vestes ferre possint, vità verò functorum & loculos quoque reformident*: quantò magis exuuias? Hæc cùm ita sint, nemo non videt quantum præsidij moribundis aduersus inferorum acies, in Sanctorum pignoribus sit diuinitus comparatum.

2.Cor.cap.13. v.3.

Idem hom. de S.Babyla.

His accedit tertium emolumentum, quod Fidelibus cum morte luctantibus sacrosanctæ Reliquiæ conferunt, videlicet præsentius eorum cœlituum, ad quos illæ attinent, apud Deum summo in salutis discrimine patrocinium. *Etenim sicut milites* (eiusdem Patriarchæ sensa, & verba sunt, Christianos ad sanctorum Martyrum, Iuuentij, & Maximi reliquias magnâ fide complectendas adhortantis) *sicut*, inquam, *milites vulnera, quæ in præliis sibi inflicta regi monstrantes, fidenter loquuntur: ita & illi abfecta capita gestantes, & in medium afferentes, quæcunque* voluerint apud Regem cœlorum impetrare possunt. Iam pro se quisque secum reputet, quâ mutuâ charitate, ac fide Beati cœlites non ardentibus modò precibus adiuuare, sed etiam obiectis quodammodo corporibus suis, eos tegere debeant, quibus peræquè viuentibus, ac valentibus, quàm morbo prostratis, oppressisque atque adeo tantum non animam eiicientibus cordi fuit, eorum veneranda lipsana è collo suspensa, cubilíve religiosè appensa vel saltem ante oculos posita magno cum pietatis sensu deuenerari. Plura, qui volet, commoda, & vtilitates, quæ in moribundos à venerandis Sanctorum pignoribus proficiscuntur, meditatus indagare, dubio procul aliarum vim bene magnam consequetur, quam aliò properanti huc conuehere nec lubet, nec per otium licet.

Idem hom. in SS.Iuuent.& Maxim.

Quantùm verò sacræ reliquiæ vitâ functis apportent emolumenti, edisserere hoc opus, hic labor; est imo, imo nec opus, nec labor erit, siquidem in perantiquum, eundémque religiosissimum longè sanctissimorum virorum morem, vsúmve placeat intueri; eum autem vsum duplicem in paucis fuisse video. Insolentem & à paucis vsurpatum vnum, alterum tralatitium, & perquam vsitatum. Ille in eo positus erat, quòd venerabiles, quæ sibi summo in pretio, & amore fuerant, reliquias vno eodémque tumulo cum suis cineribus condi cuperent, aut etiam mandarent. Monachus Engolismensis quo pacto Carolus armis Magnus, pietate Maximus, regno Christianissimus, fuerit sepulturæ mandatus in hæc verba describit. *Corpus eius aromatizatum est, & in sede aureâ sedens positum est in curuatura sepulchri, ense aureo accinctus,*

Anonym. vita Caroli Magn. script. apud Pithœ.

accinctus, Euangelium aureum tenens in manibus, & genibus, reclinatis humeris in cathedrâ, & capite honestè erecto, ligato aureâ catenâ ad diadema. Et in diademate lignum sanctæ Crucis positum est. Et reliqua, quæ sequuntur ex quibus tanti, támque pij Imperatoris quæ fuerit religio, & imprimis erga Dominicæ Crucis reliquias studium elucet quàm quod maximè, quandoquidem illas Imperatorio diademati inseri, & sibi voluit contumulari. Æmulatum eum fuisse haud difficulter crediderim Sancti Martini pietatem, quem constat phialam Thebæorum martyrum cruore oppletam, & à se continenter gestari solitam, vt præmisimus, eodem sepulchro iussisse condi. Sanctus Bernardus Apostolicas Beati Thaddæi reliquias, quas Hierosolymis aduectas acceperat, suo corpori intra sepulchrum composito superimponi mandauit: haud aliter, quàm longe antè Diuus Maurus exoptauerat literas fatidicas à suo charissimo in spiritu parente, Beato Benedicto ad se olim datas, velut chirographum, ex quo cum Deo ageret, secum vnà terræ mandari: atque in hunc modum intra nostræ vnius Galliæ fines religiosus ille mos, vsúsque vt maximè conualuit. Nolim tamen existimes id genus pietatis, & venerationis erga Sanctorum lipsana apud exteras quoque nationes à viris religiosis minimè perductum fuisse in morem: Beatus enim Daniel Stylita (quem Simeon Metaphrastes Diuorum pignoribus addictissimum fuisse memorat) paulò antè quàm extremum spiritum naturæ redderet, astantibus in mandatis reliquit, vt, quas semper impensè percoluerat, reliquias sibi sepulto imponere ne grauarentur. Dictum, factum. *Impositæ* (inquit scriptor laudatus) *illi fuerunt reliquiæ trium puerorum, qui erant Babylone, cùm sic iussisset sanctus, ne tam illius reliquias, quàm eos, qui erant impositi adorarent accedentes, sic sanctus ab humanâ gloriâ studuit ostendi alienus etiam post decessum.* Quæ postrema historici sacri verba noster Theophilus Raynaudus pro suâ ingenij sagacitate perpendens opportunâ condiuit censurâ, seu potiùs cautione in hunc modum. *Hanc rationem admitto, si agatur de mandato sepeliendi ipsummet corpus Sancti Danielis. Potuit enim, imitatione S. Antonij, velle humo contegi studio humilitatis, & ne coleretur, parui se æstimans, & indignum cultu indicans. At respuo, quod addit Metaphrastes, S. Danielem voluisse, eâ tumulatione demandatâ, subducere oculis Fidelium reliquias trium puerorum, ne colerentur. Non hoc animo eas sibi consepeliri mandauit Sanctus Daniel, sed ad apprecandam, & conciliandam sibi Sanctorum illorum tutelam.* Sic ille.

Surius loc. suprà cit.

Faust. in vita S. Mauri.

Simeon Metaph. in vit. Daniel. styl. 11. Decemb.

Theoph. Rayn. Heterocl. piet. sect. 3. punct. 5. n. 12.

Quâ ex commodâ, verâque interpretatione pereruditi Patris primam elicio responsionem, quâ sciscitanti non immeritò de me, quid causæ subesse potuerit, cur viri admodum religiosi, atque aduersus cœlituum lipsana optimè animati voluerint, iusserintque ea cum suis corporibus inhumatis defodi, &, quod consequens est, promeritis honoribus orbari? aliquo modo facere possim satis, ipsiúsque vota piâ prouisione occupare. Hanc ego responsionem pluribus deinceps, fa-

Vvilielm. à S.Theod.lib.5. Vit. S. Bern. cap.2.

uentibus ſuperis, confirmabo, interim alteram ſuccenturio, quam mihi Vvilielmus à S. Theodorico, qui res preclarè ſanctéque à Diuo Bernardo geſtas ſtylo eſt proſecutus, ſuppeditauit, Eo enim fine, vt ſupra dicebamus, S.Thaddæi lipſana *ſuo corpori mortuo ſuperimponi iuſſit: eo vtique fidei, & deuotionis intuitu*, inquit, *vt eidem Apoſtolo in die communi reſurrectionis adhæreat.* En pium finem contumulandi indigetum pignora Fidelibus vitâ functis: eodem prorſus fine (quæ mea eſt fides) adductus Abbas ſanctiſſimus *ipſam tunicam, in quâ ſanctus Malachias fœliciter obdormiuit; ad Miſſarum ſolemnia ſibi ſeruauerat, & moriturus in ea ſeſe iuſſerat ſepeliri, ſicut & ſanctum illum in ſuâ ſepeliuerat veſte.* Tanta inter illos interceſſerat, & coaluerat animorum coniunctio, vt, ne in mortuis abrupta videretur, eâdem veſte ſuas indui exuuias voluerint, iuſſeríntque, quò vnum corpus, & vna prorſus anima, idemque homo haberi poſſent. Aliam ſacri huiuſce vſus rationem ſuccurrit animo comminiſci: crediderim enimuerò perquam facilè pientiſſimos viros (quâ erant exquiſitiſſimâ fide) tanti feciſſe Diuorum lipſana, vt non aliter, quàm theſauros omnibus Crœſi gazis multò pretioſiores, vnâ, eâdemque humo, & ſua corpora, mandari votis omnibus peroptarent. Theſauros dixi, propterea quòd ea fuit olim veterum prouidentia, dicam? an inuidentia? an auaritia? an potius veſania? vt multorum annorum curis comparatos, auidéque congeſtos theſauros, vno cum cadaueribus ſuis ſepulchro, quò ditius computreſcerent, incluſos altiſſimè defoderent, ne in poſterorum manus, ac poteſtatem venirent aliquando. Pro Dauide Salomonem apud Ioſephum, reliquos Iudæorum Reges apud diuinarum paginarum interpretes, Didonem apud Tacitum, apud Herodotum Semiramidem, alióſque complures *viros diuitiarum* (vt regiis verbis vtar) ea tenuit, & coxit cura. Verùm infinitos huiuſcemodi Regum theſauros, præ minimo ſacrarum reliquiarum puluiſculo, ne hilum quidem fecere Fidelium religioſiſſima quæque capita, vtpote quos minimè lateret Sanctarum animarum exuuias, non modò ex Patrum vnanimi conſenſu audire, ſed etiam reipsâ inexhauſtos bonorum omnium theſauros eſſe Chriſtianis, bona ſi ſua norint, & notis vti velint tamdiu, quàm licet mortales viuere, melioris vitæ candidatis. Vnus duntaxat Chryſoſtomi locus (vt in re certiſſima, & tralatitiâ) inſtar omnium erit. Hic ergo diſſerens de S. Ignatij, martyris inuictiſſimi exuuiis, ſuper viam ciuitatibus omnibus obuiam venientibus, comitantibus, certatímque ſuccollantibus Antiochiam vſque Româ tranſuectis, *Et tunc quidem* (inquit) *cunctis illis ciuitatibus profuit, documentóque fuit, & patriam hanc vſque in præſentem diem locupletauit, & non aliter, quàm theſaurus quidam perpetuus, qui quotidie exhauritur, & nunquam deficit: ſic etiam beatus hic Ignatius cunctis ad ſe accedentibus benedicens, fiduciâ, & ſtrenuâ alacritate, magnâque fortitudine plenos remittit domum. Itaque non hodie tantum, ſed quotidie ad ipſum confluimus, ſpiritales ex eo fructus percipientes. Quiſquis enim cum fide ad illum accedit*

Idem c. 3. lib. cit.

Pſal.75 6. Ioſeph. lib. 7. Antiq. c. 12. lib.13.cap.15. Pined.lib.4.de reb. Salom. c. 22. & in c.3. Iob. v. 15. & 21. & 22.

S.Chryſoſt. homil. in S. Ignat. mart.

dit

dit, magnis afficitur beneficiis. Quippe Sanctorum non modò corpora, sed ipsi etiam loculi, & monumenta spiritali gratiâ conferta sunt. Peræquè igitur sapienter, ac piè pientissimi quique Christiani sacerrimos, iuxta ac pretiosissimos suos Reliquiarum adeptarum thesauros sibi vno eodémque sepulchro sub exitum vitæ contumulari iusserunt.

Alter veterum Christianorum mos, vsúsque priore vulgatior in hoc situs fuit, quòd sua suorumque cadauera, cùm efferrentur, ad Diuorum memorias, illisque compositas exuuias humo mandari, quàm possent proximè, vellent, prehensarent, iuberent. Do pulcherrimam mellißui Ambrosij orationem, huiusce moris, vsúsque perquam idoneam testem, & assertricem. *Ideo*, infit, *hoc à maioribus prouisum est, vt Sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, vt dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat: dum illos Christus illuminat, à nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum sanctis ergo Martyribus istis quiescentes euadimus inferi tenebras, eorum propriis meritis, attamen socij sanctitate. Ait enim Dominus Petro: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt ei. Si ergo Apostolo, & martyri Petro inferni porta non præualet: quisquis sociatus martyri tartaro non tenetur. Martyres enim inferni porta non possidet, quoniam eos Paradisi regna suscipiunt.* Et post pauca concludit: *Et ideo, fratres, veneremur eos in sæculo, quos defensores habere possumus in futuro. Et sicut eis ossibus parentum nostrorum iungimur; ita & eis fidei imitatione iungamur. In nullo enim ab ipsis separari poterimus, si sociemur illis tam religione, quàm corpore.* Tanti præsulis fidem sequutus B. Paulinus Celsum puerum præmaturâ sublatum morte pangendo sic affatur: *S. Paul. panegyr. de obitu Celsi.*

Credimus æternis illum tibi, Celse viretis
Lætitiæ, & vitæ ludere participem,
Quem Complutensi mandauimus vrbe, propinquis
Coniunctum tumuli fœdere Martyribus.
Vt de vicino Sanctorum sanguine ducat;
Quò nostras illo purget in igne animas.

Hæc licet ita crederet, & loqueretur vir doctissimus, pro suâ tamen modestiâ, & animi demissione non dubitauit, de huiuscemodi piâ Christianorum consuetudine, vsúque, sanctum Augustinum nomine Floræ religiosissimæ fœminæ, quæ *materno & pio affectu desiderauerat, vt cadauer fidelis iuuenis Cynegij*, filij sui, *in beatissimi Felicis Confessoris basilicâ poneretur*, non dubitauit, inquam, consulere Augustinum, *vtrum prosit alicui post mortem, quod corpus eius apud Sancti alicuius memoriam sepeliatur?* cui per consultatorias literas profitenti *non esse inanes motus animorum religiosorum, atque fidelium, pro suis ista curantium*, in hæc verba respondet: *Profectò etiam prouisus sepeliendis corporibus apud memoriam Sanctorum locus, bona affectionis humanæ est erga funera suorum: quoniam si nonnulla religio est, vt sepeliantur; non potest nulla esse, quando vbi sepeliantur, attenditur. Sed cùm talia viuorum solatia requiruntur quibus eorum pius in suos animus appareat, non video quæ sint adiumenta* *S. August. lib. de cura pro mortuis gerẽda. cap. 1.* *Ibid. cap. 4.*

mortuorum: nisi ad hoc, vt dum recolunt, vbi sint posita eorum, quos diligunt, corpora, eisdem Sanctis illos tanquam patronis susceptos apud Dominum adiuuandos orando commendent; quod quidem facere possent, etiamsi talibus locis eos humare non possent, vt pluribus probare insistit, ex *memoriarum, & monumentorum* notione, qua Latinâ, qua Græcâ: itaque concludit: *Cum itaque recolit animus, vbi sepultum sit charissimi corpus, & occurrit locus nomine Martyris venerabilis, eidem Martyri animam dilectam commendat, recordantis, & precantis affectus: qui cùm Fidelibus charissimis defunctis exhibetur, eum prodesse non dubium est iis, qui cùm in corpore viuerent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt.*

Ex eo l S. Iulian. lib. 1 progn. c. 19.

Constantinus suæ salutis perstudiosus, & mortis impendentis minimè immemor intra templum Apostolorum, intérque ipsorum sacra lipsana *locum*, inquit Eusebius, *sibi prouidâ dispensatione designauit, incredibili fidei propensione prouidens, cùm iam corpus suum communem cum Apostolis appellationem post mortem participaret, fore vt defunctus quoque precationum, quæ ibidem essent ad Apostolorum gloriam offerendæ, particeps efficeretur. Quare thecas illic duodecim quasi sacras quasdam columnas, ad Apostolici collegij honorem, ac memoriam attollens, medium inter ipsos conditorium suum locabat, quod vtrinque seni claudebant Apostoli; sano certè (vt dixi) consilio præcogitans, quòd mortui corporis tabernaculum ibi dignè, decentérque quiesceret. Atque hæc ille longo antè tempore cogitatione cùm depinxisset, Ecclesiam Apostolis dedicauit, quamplurimum vtilitatis illorum memoriam animæ suæ conciliaturam existimans, neque sanè vota eius, expectationémque fefellit Deus.*

Euseb. de vit. Constant. cap. 60. lib. 4.

Ecce tibi piissimum Imperatorem longè ante, quàm ægritudine detineretur, maturâ prouisione Basilicam eam maximè ob causam exædificantem (vti Socrates rectè annotauit) *ne Imperatores, & Sacerdotes Apostolorum reliquiis aliquando destituerentur*; quibus reliquiis non admodum magnis thecę, quas inter medius Imperator compositus iacuit, fuerant ab eo viuente locupletatæ, quò Beatorum Apostolorum gratiâ precibus, potentíque patrocinio apud Deum, Christúmque iudicem tegeretur. Præluxit sequuturis Imperatoribus exemplo religiosissimus Princeps, quibus ea deinceps insedit religio, vt gratiæ, honoríque ducerent longè maximo, si vel ad fores templi Apostolorum tumulati iacerent, id ipsum attestante in hunc modum Chrysostomo: *Constantinopoli Reges nostri magnam gratiam putant, non si prope Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula, corpora sua sepeliantur, fiántque piscatorum ostiarij, Reges.*

Socrat. lib. 1. hist. eccl. c. vlt.

S. Chrysost. homil. quòd Christus sit Deus.

Sic nimirum pro veteri Christianorum consuetudine, piôque vsu, Christianissimi Imperatores dum viuerent, operam dabant, vt ad Diuorum exuuias, tumulos, templa terræ mortui mandarentur, ne ab illis corpore, religione, gloriâ, æternâque abessent fœlicitate. Qui plura religiosi eiuscemodi moris exempla voles, adi, amabo te, ad nostrum Rosvveydum, qui præter S. Iacobum, Maronis Abbatis discipulum, varias Sanctorum Martyrum reliquias ambitiosâ colligentem pietate, vt apud eos sepeliretur, *tanquam in extremâ paupertate peregri-*

Rosvveyd. in cit. sup. Paul. pag. 847.

nus

nus apud diuites mercatores, vti loquitur Theodoretus, aliquot tibi perantiquas inſcriptiones ex Grutero depromptas, tumuliſque literatis inciſas, atque etiamnum in pij huiuſce vſus teſtificationem extantes, & vt ita dicam, vocales ſubminiſtrabit. Verùm antè, quàm finio, vnum te cum Beato Iuliano Archipræſule Toletano monitum velim, *plerisque Fidelium cùm fidei præcedentis affectu, aut ſua, aut ſuorum corpora apud memorias Martyrum præcipiunt tumulari, non puto infructuoſum eſſe, quod creditur, aut inane, quod fideliter de diuino auxilio ſperatur, tantum ſi non ſint huiuſmodi, qui in Eccleſiis ſepeliuntur, inſolubiles culpæ, quæ eos non ſinant, etiam oblatis Deo ſacrificiis, adiuuari poſt mortem. Ac proinde ſi fides illa habere meritum creditur, quâ quiſquis ille impletus pro defuncto ſuo in locis Martyrum tumulato deprecatur, quantò magis illa fides, ſpei ſuæ fructum conſequitur, quæ in viuente adhuc remediabilem ſui cadaueris prouidet locum.* Sic ille. Ex quibus omnibus velim intelligas, quantum è Beatorum exuuiis, lipſaniſque per Orbem terrarum partitè diſtributis in Chriſtianos tam moribundos, quàm mortuos redundet vtilitatis; quâ ſine dubio priuati miſerandum in modum iacerent, ſi corpora Sanctorum particulatim incidere, aliáſque ipſorum reliquias minutatim diuidere, atque Fidelibus vbique locorum, ac terrarum degentibus nefas, immane, propudioſum, impium, atque ſacrilegum foret pro veterrimo Sanctiſſimorum quorumque virorum vſu communicare. Quæ Lipſanomaſtygum noſtri æui aberratio cùm ex dictis de facili (ſi ſanabilis eſt) curari poſſit, aliò cogitationes curáſque noſtras referamus.

Theodor. in Philotheo cap. 21.
Gruter. inſcrip. Chriſt. pag. 1167. n. 11. 1170. &c.

SANCTÆ RELIQVIÆ PER *Orbem diſperſæ, Eccleſiarum, & Chriſtianorum exercituum robur.*

§. IV.

HAudquaquam in dubium venio miraturos de ſubito nonnullos, duo hæc tanto inter ſe interuallo diſſita (Eccleſias, exercitúſque Chriſtianos) hoc vno capite à me coniungi, comprehendíque. Quid enim pacatius Eccleſiis? quid exercitibus turbulentius? quid Eccleſiis manſuetius? quid immanius exercitibus? quid à ſanguine, hominúmque lanienâ Eccleſiis abhorrentius? quid cruoris, & cædium humanarum horrori exercitibus aſſuefactum magis? veruntamen meminiſſe ipſos velim maximam inter illa exiſtere comparationem, aliúdque nihil Eccleſias eſſe, quàm totidem exercitus à Domino Deo exercituum aduersùs tartareas poteſtates conſcriptos, commiſſóſque.

Imprimis Eccleſiam vniuersè ſumptam Spiritus ſanctus diuino, vt

Cant.c.6.v.3. & c.7.v.1. Interpr.in cit. Cant.loca.

ita dicam, penicillo, manúque delineans, eam nobis *terribilem vt castrorum aciem ordinatam*, exhibet, nihílque aliud in charissima sibi sponsâ, Sunamitide visuros nos asserit, *nisi choros castrorum*, vti Patres, & Interpretes sacri iampridem interpretari occupauerunt. Quin ergo Spiritu sancto præeunte ausim dicere, singulas Ecclesias totidem esse *castrorum acies ordinatas, seu choros castrorum*, quandoquidem non modò Iudæorum synagogæ, sed etiam singulæ Christianorum animæ iuxta allegoricum, & mysticum sensum, *castrorum acies ordinatæ, chorique castrorum* à SS. Patribus, & laudatis interpretibus appellantur? Si verò singulares Ecclesiæ sunt huiusmodi, nemo iure mihi vitio vertat, ausum esse me illas, exercitúsque Christianos simul complecti, atque adeò asseueranter affirmare sacrosancta Diuorum lipsana per Orbem vniuersum particulatim distributa, ipsorum inuictissimum robur existere.

Atque, vt ab Ecclesiis exordiar, Beatus Ambrosius tantum, támque singulare robur, atque præsidium Ecclesiæ Mediolanensi, hoc est, suæ, à SS. Geruasij, & Protasij exuuiis sibi diuinitùs reuelatis, & auspicatissimè inuentis, accessisse olim duxit, vt tam sibi, quàm Mediolanensibus impensè gratulari, Deóque bonorum omnium fonti grates, quàm potuit, maximas agere pro concione non dubitarit. Ipsius hæc oratio fuit: *Gratias tibi, Domine* IESV, *quòd hoc tempore tales nobis sanctorum Martyrum spiritus excitasti, quo Ecclesia tua præsidia maiora desiderat. Cognoscant omnes, quales ego propugnatores requiram, qui propugnare possint, impugnare non soleant. Hos ego acquisiui tibi, plebs sancta, qui prosint omnibus, nemini noceant. Tales ego ambio defensores, tales milites habeo: quorum quò maiora, eò tutiora patrocinia sunt. Horum etiam illis ipsis, qui mihi inuident, opto præsidia. Veniant ergo, & videant stipatores meos, talibus me armis ambiri non nego. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri magnificabimur. Elizæum Scripturæ sanctæ series refert, cùm ab exercitu Syrorum esset obsessus, dixisse timenti seruulo, ne timeret, quia plures, inquit, pro nobis sunt, quàm contra nos; Et, vt hoc probaret, petiisse, vt oculi Giezi aperirentur, quibus innumeros adesse vidit prophetæ exercitus Angelorum. Nos etsi eos videre non possumus, sentimus tamen. Erant clausi isti oculi, quandiu obruta Sanctorum corpora delitescebant. Aperuit oculos nostros Dominus, videmus auxilia, quibus sumus sæpe defensi: non videbamus hæc, sed habebamus tamen: itaque trepidantibus nobis, quasi dixerit Dominus: Aspicite quantos vobis Martyres dederim: ita reseratis oraculis gloriam Domini speculamur, quæ est Martyrum passione præterita, & operatione præsens.* Hactenus sanctissimus Antistes, qui non immeritò tam sibi, Ecclesiæque Mediolanensi, quàm Catholicæ maioribus præsidiis opus tum temporis fuisse dictitabat, quòd bella, fames, pestilentiæ (quæ lepidè, atque eleganter *iam mundi morientis ægritudines* appellat) innumeræque aliæ id genus calamitates non Italiam modò, sed etiam Orbem vniuersum miserabiliter lacerarent: quòd Ecclesia Catholica, simul & Mediolanensis in

Ambros. lib. 7. epist. 54.

Psalm. 19. 4. Reg. c. 6.

Idem lib. 10. in c. 21. Luc.

paucis

paucis frequentissimas, & periculosissimas ab Auxentio, & Arianis, à Symmacho, Gentilibúsque omnibus, necnon à tyrannorum factionibus impressiones paterentur; quod denique alia essent bella, *quæ vir sustinet Christianus*, (vt ipse loquitur) *diuersarum prælia cupiditatum, studiorúmque conflictus*, multóque grauiores domestici hostes, quàm extranei: & sic de cæteris, quæ pluribus persequi, ac sigillatim enumerare pergit: quibus omnibus malis auerruncandis, & ab Ecclesia tam Catholica, quàm Mediolanensi penitùs submouendis de nouo inuentæ sanctorum Martyrum exuuiæ nimium quantum contulerunt. Quanquam his potentissimis præsidiis suam Ecclesiam sartam tectam extitisse probè nouisset Ambrosius, sed tamen alia euocare auxilia non destitit, cùm sacrosancta Vitalis, & Agricolæ pignora sibi diuinitùs prodita Bononiam inuitatus detexit, eorúmque partem aliquam xenij loco sibi donari postulauit. *Colligant*, inquit, *alij aurum & argentum, & de latentibus eruant venis, legant pretiosa monilium serta; temporalis iste thesaurus est, & habentibus non infrequenter pernitiosus. Nos legimus martyrum clauos, & plures quidem, quia plura in eis vulnera, quàm membra fuerunt. Colligimus sanguinem triumphalem, & crucis lignum. Námque sicut qui ad conuiuium magnum inuitantur, apophoreta secum referre consuescunt; ita nos ex conuiuio Bononiensi apophoreta gratiæ, & sanctitatis plena nobis reseruare curauimus.* Ad eius exemplum S. Paulinus præter S. Felicem Patronum, & Dominædium suum, suæ Ecclesiæ Nolanæ SS. Geruasij, & Protasij reliquias à Diuo Ambrosio obtinuit tutelares, vt non ita pridem retulisse nos memini: S. Augustinus Hipponensi Ecclesiæ laureatas S. Stephani lipsanorum particulas, Brixiensi Gaudentius Geruasij, Protasij, Nazarij, alij aliàs complurium Beatorum reliquias studiosè suis Ecclesiis accurarunt, vt potentioribus, & numerosioribus præsidiis eas contra ingruentium persecutionum procellas, & tacitas Dæmonum impressiones communirent. Experta est Christiani nominis auctrix Ecclesia Antiochena, quantum in triumphalibus sancti Babylæ Martyris exuuiis collocatum, sibique collatum à Deo fuerit roboris, ac virium ad occultas Dæmonum fraudes, & apertas Iuliani Apostatæ machinationes eludendas, ac funditus elidendas: cuius æternâ dignissimum memoriâ triumphum Diuus Chrysostomus aureo planè stylo literarum monumentis consignatum, posterísque testatissimum reliquit: illius orationis auro contrà, gemmísque pretiosæ bene longam laciniam sequenti libro, & opportuniori assuemus loco. Ad vltimum, vt paucis cuncta complectar, Ecclesiam reperias nullam, vel tantillâ cuiuspiam indigetis lipsanorum particulâ collocupletatam, quam illa sartam tectam tandiu non seruarit, dum ipsam promeritâ veneratione percolere pro sua virili allaborauit. Neque id mirum cuiquam videri debet, si laudato proximè Chrysostomo perplacet auscultare, in hæc verba differenti: *Illos* (videlicet Iuuentinum, & Maximum beatissimos martyres) *non indignum fuerit, & columnas, & scopulos, & turres, & luminaria, & tauros simul appellare. Nam Ecclesiam,* nimirum

S. Ambros. lib. 7. ep. seq.

Infr. lib. 2. part. 1. cap. 2. art. 6.

nimirum Antiochenam, *sicut columnæ sustinent: sicut turres muniunt: & sicut scopuli omnes vndarum assultus repulerunt, multam iis, qui intus sunt, afferentes tranquillitatem; sicut luminaria tenebras impietatis discusserunt, & sicut tauri anima, & corpore, eadémque promptitudine, suaue Christi iugum traxere. Itaque sæpè eos inuisamus, capsulam attingamus, magnâque fide reliquias eorum complectamur, vt inde benedictionem aliquam assequamur.* Hæc, & alia paulò plura eloquentissimus Patriarcha, quæ attigisse impræsentiarum sufficiat.

Iam ad Christianos exercitus nostra se conuertat oratio. Permirum est quàm altos, generosósque spiritus, pugnaces sanctorum reliquiæ in acie, castrisque circumlatæ, militibus affundant; permirum est quàm teeribiles hostium edant strages, quámque fœliciter, & non admodum infrequenter, contra, suprav. spem omnem victos de victoribus faciant triumphare. In hunc finem Christianorum exercituum piissimi quique Imperatores sacrosancta lipsana in acie, castrísque pro moribus olim conuehebant, militaris & castrensis Hebræorum consuetudinis, diuiníque imperij (vt quidem reor) memores, ac religiosè imitatores. Quod attinet ad Hebræorum consuetudinem, ea petenda est ab eorundem profectione è monte Sinaï, quâ profectione modo, ordine, passúque militari versus terram promissionis iter capessiuerunt: Sic enim habet sacer textus: *Profecti sunt ergo de monte Domini viam trium dierum, arcáque fœderis Domini præcedebat eos, per dies tres prouidens castrorum locum.* Vtrum verò ex Dei iussu arca exercitum anteiret, licet subobscurè ex illis verbis, *mouerúntque castra primi iuxta imperium Domini in manu Moysi*, id possit colligi; veruntamen quia hoc loco duntaxat expresè, distinctéque agitur de ordine, quo Hebræi mouere castra, multò clarius illud factitatum intelligas ex imperio Domini, si Iosuanam historiam consulere non piget: vbi Iosue referens ad sacerdotes, quæ in mandatis à Deo acceperat, ait: *Tollite arcam fœderis, & præcedite populum: qui iussa complentes tulerunt, & ambulauerunt ante eos.* Tum ad populum conuersa oratione inquit: *Ecce arca fœderis Domini omnis terræ antecedet vos per Iordanem.* Vtut sit, saltem ex hisce duobus sacrarum paginarum locis euidentissimè liquet in moribus apud Hebræos positum fuisse, vt Arca fœderis (hoc est, lipsanorum in eâ gente sanctissimum, ac religiosissimum) tùm castris ipsorum, tanquam instructi exercitus princeps acies, præiret; tùm in prælis, vti totius exercitus robur, circumferretur, denique in medio castrorum ad securitatem, & munimentum collocaretur. Hinc est, cur Israëlitæ à Philistæis bello attriti cùm de bello redintegrando consilium exquisiuissent, ea tandem Imperatorum animis sedit sententia: *Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, & veniat in medium nostri, vt saluet nos de manu inimicorum nostrorum. Arcam Dei* (inquit Mendoza noster) *in castra afferebant, existimantes & ex absentiâ huius, calamitatem inductam fuisse; & ex eius præsentiâ, fore sine dubio propulsandam. In quam sententiam induci potuerunt, quia meminerant Arcæ præsentiam*

Num cap. 10. vers. 33.

Barrad. lib. 6. Itiner. fil. Isr. cap. 11.

Ibid. v. 13.

Ios. cap. 3 v. 6. & 11.

Consule Mendoz. in lib. 1. Reg. c. 4 & alibi.

Serar. in Iosue c. lib. 2. quæst. 4. & lib. de Iosuanis Sacerd. c. 1 & 3

1. Reg. c. 8. v. 3.

Mendoz. cit in c. 6. N. 3. & c. 14. v. 18

præsentiam fuisse olim causam triumphorum; *absentiam, ruinarum*. Quod ille pluribus exemplis è sacrarum literarum codice petitis insistit confirmare. Palmarium huiusce fidei, & consuetudinis Israeliticæ argumentum est, quòd in deserto, *cùm eleuaretur Arca, dicebat Moyses: Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te à facie tuà. Cùm deponeretur, aiebat: Reuertere, Domine ad multitudinem exercitus Israël.* Tantum enimuerò præsidij in Arcæ præsentià collocatum esse credebatur, vt vel ad ipsius conspectum extemplo aduersæ acies in turpem fugam coniicerentur, & ad Israelitas præpes victoria deuolaret. Expressit hoc non illepidè Sanctus Athanasius his verbis: *Si bellum populo ingrueret, Arca, in quâ erant tabulæ legis, ante omnes præcedebat: hoc sufficiebat illis pro quauis acie in subsidium: nisi in baiulis Arcæ, aut in populo aliquod scelus, aut hypocrisis hæreret.* Sic nimirum victrix Arca de Israelitarum hostibus triumphabat.

Num.c.10. v.35.

S. Athan.lib. de interpret. Psalm.

Sedenim quinam illius fuere baiuli. Leuitarum Caathitarum eæ partes erant pro more, & imperio Dei: nihil tamen obstabat quin vel ingruente qualibet grauiori necessitate, vel celebrioris solemnitatis adigente religione, succollantibus non solùm sacerdotibus minorum gentium, verùm etiam Pontifice maximo, Arca fœderis nonnunquam deferretur: Huiusce religiosi vsus exempla de industriâ, ne longior sim, allegare prætermitto, silere tamen id miraculi non possum, quòd in Arcæ vectatione nullum planè pondus Leuitæ persentiscerent; si Hebræis, quidlibet comminisci, credereque habilibus, facillimisque, ac secundum illos, Lyrano referenti fidem habere placet. Contrà quàm fictitiorum Numinum simulachris eorúmque sacerdotibus vsuueniebat, vtpote quæ tanto, támque graui erant pondere, vt fierent non solùm *eorum bestiis, & iumentis* (quemadmodum vaticinatur Isaias) *graui pondere vsque ad lassitudinem*, sed etiam ipsosmet eorundem baiulos, dum illa venerationis ergò in pompis circumferebant, grauiter delassarent, & tantum non sub infausto & impio pondere fatiscentes opprimerent funditus.

Num.4.v.15.

Ios.c.3.n. 3. 5.8.13.14. 17.& cap.6. n.6.& 12. Reg.c.8.lib.3. & 2.c.15.n. 19.& lib.3.c. 2.n.26.

Lyran.in lib. 1.Paral.c.15. v.16.

Mendoz.lib. 1.Reg.c.4. n.4.

Is.c.48.v.1.

Cæterùm vt aliquid ad cœlituum, animarúmve beatarum exuuias accommodatius, & opportunius ad disputationem nostram afferamus, contestatissimum & longè certissimum est præter Arcam fœderis, alias non paucas sanctissimorum Patriarcharum refertas ossibus, ab extremis Ægypti finibus Chanatitidem vsque ab Israelitarum exercitu, omnibus in præliis, castrísque fuisse circumlatas. Quid ad hoc lipsanomachi? negabunt? an deridiculo habebunt? At illud ipsum diuinitus inspiratæ loquuntur paginæ: De Iosephi quidem ossibus non vno loco meminere: Geneseos capite vltimo, *cùm adiurasset* Ioseph fratres, & moribundus *dixisset*: *Deus visitabit vos, asportate ossa mea vobiscum de loco isto, mortuus est.* Quod fideliter à Moyse factitatum fuit, ossàque, *quæ tulerant filij Israel de Ægypto sepelierunt in Sichem in parte agri, quem emerat Iacob à filiis Hemor, patris Sichem centum*

Gen.c.vlt. v. 14.

Exod.c.13.v. 19.

Ios.c.14.v. 32.

 nouellis

nouellis ouibus, & fuit in possessionem filiorum Ioseph: vt habet historia Iosuana, & noster Serarius accuratè illustrat, sanctúsque Hieronymus paucis quidem, sed aptis hisce verbis confirmauit. *Eo Sichimorum loco sepultus est Ioseph, & Mausolæum eius ibi, hodiéque cernitur.* De reliquis verò Patriarcharum, qui in Ægypto è vitâ discesserant, sacris pignoribus illinc transuectis, plenissimæ, certissimæque auctoritatis testificationem ex Diui Stephani martyris ore, in hunc modum consignatam habemus. *Descendit Iacob in Ægyptum, & defunctus est ipse, & patres nostri: & translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulchro, quod emit pretio argenti à filiis Hemor, filij Sichem.* Quæ duodecim Patriarcharum sepulchra Diuam Paulam vidisse proximè laudatus Hieronymus testis est, consentitque contra Iunium Symmistam suum Beza, quem meritò confutat. Hæc cùm ita se habeant, duo colligas velim, primum, venerandas Beatarum mentium exuuias, ossa, cineréſve ipsos ab Orthodoxis summâ obseruantiâ percoli, transferríque posse: secundum, eorundem lipsana potiori iure in castris, ac præliis ad totius exercitus robur, præsidium, securitatem, atque victoriam olim, atque etiamnum circumferri posse, quòd à Christo incarnato, & passo maior fortè extiterit recentium Sanctorum perfectio, auctiora merita, & gratia potentior apud Deum, quàm veterum Patriarcharum; quorum tamen sacræ reliquiæ annuente, ac iubente Mose, probante Israelitarum exercitu, fauentibúsque superis, in acie, & castris fuerunt vnà cum arcâ fœderis transuectæ, ac circumlatæ non minori pompâ, quàm veneratione, atque vtilitate, siue illas eâdem Arcâ fœderis (quod aliqui apud Abulensem censuerunt) siue diuersis, separatisque loculis inclusas velis, quod longè vero simillimum reor: cuius sententiæ meæ rationes, vt me intra circumdatos breuitatis cancellos contineam, sciens, volénsque depromere prætermitto.

Serar. in loc. cit. Iof. c. 24. quæst. 16. & seq.
S. Hier. tradit. in Genes. idem epist. 53. ad Ripar.
Act. 7. v. 15.
S. Hier. in Epitaph. Paulæ.
Bez. in cit. Act. loc.
Tost. in c. 3. Iof. quæst. 10.

Ab hoc igitur veterum Hebræorum exemplo, & laudabili, & iusto, ac religioso Catholici videntur ansam, vsum, morémque traxisse sacras Reliquias in exercitu, castris, & acie conuehendi nec plerumque absque singulari emolumento, commendabili semper æmulatione. De Philippico Theodosij Imperatoris strenuissimo iuxta ac pientissimo duce hæc apud Euagrium lego. *Istius corporis* (nimirum Simeonis Stylitæ, quem religiosissimus Imperator summâ prosequebatur obseruantiâ) *cùm multæ aliæ partes ad nostram vsque ætatem fuere reseruatæ, tùm caput ipse equidem conspicatus sum: Gregorio viro magni nominis id temporis Episcopatum illius Ecclesiæ gerente, & Philippico efflagitante, vti sanctorum reliquiæ, quo tutius in Oriente expeditiones militares faceret, ad ipsum mitterentur.* Quem verò alium ob finem amabo te, nisi vt ab sacrorum illorum pignorum præsentiâ, & indigetum (quod caput est) precibus non modò Christianæ legiones ad fortiter pugnandum animarentur alacriùs, sed etiam hostes fusi, fugatíque faciliùs prosternerentur, & ad internecionem delerentur. Christiani, qui duce

Euag. lib. 1. cap. 13.
Vide, quæ de Heraclio Imp. dixi c. 1. art. 2. sect. 2. & 7.

Godefrido Bullonio terram ſanctam eiectis Mahometanis recuperatam in priſtinam libertatem aſſeruerunt, nunquam cum hoſtibus periculosâ acie manus conſerere audebant, quin triumphale Crucis Dominicæ lignum ab eodem Duce feliciter inuentum, Hieroſolymis ſecum in caſtra efferre, præferréque exercitui accurarent. Quàm verò proſpero euentu paſſim Guilielmus Tyrius enarrat, ex quo vnum exemplum protuliſſe inſtar omnium eſſe volo. Godefridus Rex aduerſus Ægyptios, qui, cum vndecim equitum millibus, & peditum viginti, Chriſtianorum finibus imminebant, intrepido animo moturus, *ex equitibus centum ſexaginta, & ex peditibus nongentis ſex acies præcepit ordinari* (do verba Tyrij) *quibus ordine diſpoſitis, præuio ligno Crucis Dominicæ, quod quidam Abbas religioſus, cùm multo Dei timore geſtabat in manibus, hoſtium acies contuentur: quibus conſpectis, inuocato deſuper auxilio, erectis in cœlum luminibus, eorum multitudinem non verentes, hoſtibus animosè ſe ingerunt, gladiis inſtantes, ſcientes, quia res pro capite gereretur.* Ecce tibi, quàm altos ſpiritus Dominicæ Crucis trophæum Chriſtianis legionibus infudit, iam datam victoriam audi. *Accidit autem, vt poſt diu ancipitem belli euentum, noſtris diuinitùs conceſsâ victoriâ, hoſtes in fugam verſi ſint, eorum principe deſtituti qui in agone decertans viriliter, gladiis confoſſus interierat.* Ad vltimum *dicuntur de hoſtibus cæſa ibi quaſi quinque millia; de noſtris verò recenſito numero inuenti ſunt, abeſſe equites ſeptuaginta, de peditibus verò non multò plures.* Alias eiuſdem generis expeditiones pari religione, piâque Crucis Dominicæ prægeſtatione victrices, ſat mihi fuerit indicaſſe Templarios Equites eâdem ſanctorum reliquias in bellis deportandi conſuetudine vſos fuiſſe apud Primum Cabilunenſem Epiſcopum hunc in modum, & verba lego. *Omnes* (nimirum Diuorum exuuiæ, quæ in cœnobio Sancti Placidi iuxta Meſſanam aſſeruantur) *antiquiſſimo argento contectæ, atque inſcriptæ ſunt ſub literarum Hebraicarum, Græcarum & Latinarum ſculpturâ. Atque fuiſſe dicuntur olim Templariorum Equitum, quibus in prælio vtebantur.* Sic ille.

Tyr. lib. 9. de bell. ſacro. c. 4.

Id. lib. 10. cap. 17.

Id. lib. 12. c. 12. 20. lib. 21. c. 22. & lib. 22 c. 26.

Primus cap. Reliq. loca. ad calcem Martyrol. Maurolyci Venet. pag. 155.

Haud ſcio vllàne Chriſtianorum natio piam huiuſcemodi ſacrarum reliquiarum præferendarum in bellis conſuetudinem religioſiùs obſeruarit, quàm Gallica: de quâ Vvalfridus Strabo meminit, cùm Capellanorum munera, & originationem explicans in hæc ſcribit verba. *Quemadmodum ſunt in Palatiis Præceptores, vel Comites Palatij, qui ſecularium cauſas ventilant, ita ſunt & illi, quos ſummos Capellanos Franci appellant, Clericorum cauſis prælati. Capellani minores ita ſunt, ſicut hi, quos Vaſſos Dominicos Gallicâ conſuetudine nominamus. Dicti ſunt autem primitùs Capellani à Cappâ Beati Martini, quam Reges Francorum ob adiutorium victoriæ, in præliis ſolebant ſecum habere: quam ferentes, & cuſtodientes cum cæteris Sanctorum reliquiis Clerici, Capellani cœperunt vocari.* Hanc porrò Capellanorum notationem refert, probátque La-Cerda noſter, Fileſacus autem, vir ſanè perbene doctus eandem quidem retulit, at minimè probauit. Non enim vult Capellanorum vo-

La Cerd. Aduerſar. ſacr. c. 85. n. 19. & 120. n. 29.

Fileſac. Eccl. Gallic. querelâ pag. 850.

cem à Cappa deduci, ſed potiùs à Capellâ: cuius vocis originem Græcam eſſe, ex Heſychio demonſtrare ait Iuriſconſultorum noſtri ſæculi facilè principem, ſed nomen ſilet, additque *Capellam pro tentorio, & viciſſim tentorium pro Capellâ, id eſt ſacello portatili, cuiuſmodi erant in caſtris.* Capellam verò pro tentorio ſumi, nuſquam capud Heſychium legi: verùm vt ſe res habeat, Capellæ, & Capellanorum originatio, certè longè certiſſimum eſt ipſorum fuiſſe partium, Sanctorum victrices exuuias in caſtris, prælijſque circumferre, & in earundem curam, atque cuſtodiam gnauiter inuigilare. Capitulorum Francicorum hæc vna ſanctio euincit manifeſtiſſimè religioſiſſimum illum gentis noſtræ peruetuſtum vſum, ac morem. *Seruis Dei per omnia, omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum, & in hoſtem pergere omnino prohibemus, niſi illis tantummodò, qui propter diuinum miniſterium, Miſſarum ſcilicet ſolemnia adimplenda, & Sanctorum patrocinia portanda, ad hoc electis: id eſt, vnum vel duos Presbyteros, cum Capellanis Presbyteris Princeps ſecum habeat, & vnuſquiſque Præfectus vnum Preſbyterum, qui hominibus peccata confitentibus iudicare, & indicere pœnitentiam poſſit.* Hæc ibi, vbi auitam Noſtratium in bellis gerendis pietatem, degeneri Lipſanomachorum impietati ex aduerſo contrariam vides, ſimúlque intelligis, quantum momenti atque emolumenti in ſacris Diuorum pignoribus in acie circumferendis poſitum eſſe, maiores noſtri longè Chriſtianiſſimi ſemper exiſtimarint. Ab illis enim in milites vires & animos, in Duces peritiam, in exercitum robur, in caſtra munimentum, & ſecuritatem, in hoſtes conſternationem, fugam, internecionem deriuatum iri ſperabant, & non rarò, quod palmarium erat, opima ſpolia, victoriam, ac triumphum de ſubactis hoſtibus reportabant auſpicatiſſimè.

Matth. Pariſ. hiſt. edit. Pariſien. pag. 307.

Capitul. Frãc. lib. 5.

Addo inſuper amplius aliquid. Exercituum Chriſtianorum imperatoribus olim ſolemne fuiſſe antequam legiones in hoſtem educerent, & acie dimicarent, ad ſacra pignora confugere; Indigetes ad quos illa pertinerent, ſummis, infimiſque precibus ſibi præſentes exorare; Reliquias, thecáſve ipſas piis appetere oſculis; illarum, vt moris eſt, benedictione ſimul & fauſtis Sacerdotum precationibus ſe, exercitúmque ſuum quàm ſtudioſiſſimè præmunire, quò faciliùs ad ſe victoriam cœlitùs euocarent. Non replico, quæ olim de Heraclio, & de Philippo Chriſtianiſſimo Rege retuli: de Theodoſio Imperatore aduerſus tyrannos aciem ducturo hæc annotauit Ruffinus. *Præparatur,* inquit, *ad bellum, non tam armorum, telorúmque, quàm ieiuniorum, orationúmque ſubſidiis, nec tam excubiarum vigiliis, quàm obſecrationum pernoctatione munitus: circuibat cum Sacerdotibus, & populo omnia orationum loca, ante Martyrum, & Apoſtolorum thecas iacebat cilicio proſtratus, & auxilia ſibi fida ſanctorum interceſſione poſcebat.* Perquàm ſimilia eiuſdem piæ conſuetudinis à Chriſtianiſſimis Francorum Regibus vſurpatæ proferri poſſent in medium exempla, ſatiùs tamen ad nauſeam lectoris eruditi vitandam duco fore, ſi aliud ingenioſæ pietatis inuentum

Supr. cap. 1. ſect. 2. & 5.

tum

tum ab iisdem excogitatum superioribus adnectam. In moribus enim, vsúque castrensi olim illis fuit, vexillum (quod *flammulam*, *Auriflammam* vulgus vocitat) è Sancti Dionysij, & sociorum Martyrum exuuiis assumptum exercitui præferendum curare, cuius aspectu regiæ legiones velut Ancili è cœlis delapso, audaciores induerent animos, robúrque inuictum: hostes contrà quodammodò exartuati, ac fulguriti, manus darent, arma dederent, & in Nostratium venirent potestatem. Audiamus Poëtam Armoricum id vexilli, vsus, morísque strictâ oratione describentem fidiùs, quàm elegantiùs.

At Regis satis est tenues crispare per auras
Vexillum simplex cendato simplice tectum,
Splendoris rubei, qualis celebri Litaniâ
Vtitur in certis Ecclesia sancta diebus.
Flamma cui cùm sit, Francis vulgò Aurea nomen,
Omnibus in bellis habet omnia signa praire.
Quod Regi præstare solet Dionysius Abbas,
In bellum quoties sumptis proficiscitur armis.
Idque gerit tollens equitum Præfectus in altum
Vectus equo, cunctas suetus pracedere turmas.

Guill. Britto. lib. 11. Philippid.

Qui plura volet, consulat Rigordum, Sugerium, de Nangis, cæterósque Rerum à Gallis gestarum scriptores, atque è recentioribus Feraudum, Forcatulum, & du Tillet, præter sexcentos alios, qui super eâ re doctos commentarios edidere.

Feraud. tract. de priuil. Reg. Franc.
Forcatul. lib. 6. de Gallor. imper, &c.
Du Tillet tract. de l'Oriflam.

Ex his, aliisque religiosæ, simul & militaris pietatis facinoribus, à Christianis Imperatoribus in bello gerendo, patrari solitis videt nonnemo, quantum præsidij, auxilij, roborisque è sacrarum Reliquiarum vectatione accersere conati sint, vbicunque locorum, ac gentium eas seu integras, siue partitè diuisas potuere nancisci. Quid enim fœlicitatis firmâ fide, bonáque spe pleni, animatique Fidelium exercitus, à Beatorum exuuiis in acie circumlatis, sibi polliceri non debeant, quas exuuias norunt, *Dei organa*, *Spiritus sancti templa*, atque adeo *Christi Seruatoris membra* (vt olim dicere me memini) dum vitam viuerent, extitisse? Túne fœderis Arcam è cedro nescio quâ compactam, tectam auro, vrnâ, lapideis tabulis, & virgulâ ad summum diuitem, ausis cum viuacibus, laureatis, mirificis, cœlóque donandis sanctorum exuuiis, cineribúsve componere? & tamen quantum in illâ præsidij, & opis, quâ militiæ, quâ togæ, sibi repositum esse Israëlitæ crediderunt, & quoties ipsâ re vtiliter experti sunt? Næ! tu, si Lipsanomachus es, Orthodoxorum fidei, ac pietati Taboritarum tibi comparium ridiculam fidem, & spem anteferas, quibus eam indere fiduciam Zischa tantum non animam agens, non tam intermortuis vocibus, quàm mortuis elementis allaborauit fore, vt solo tympani è suâ pelle confecti reboatu hostes suos continuò in fugam darent. *Ferunt illum*, inquit Æneas Syluius, *quum ægrotaret interrogatum, quonam loco mortuus sepeliri vellet; iussisse, cadaueri suo pellem adimi, carnes volucribus,*

Æn. Sylu. hist. Bohem. c. 46.

ac feris obiectari, ex pelle tympanum fieri, eóque duce bella geri; arrepturos fugam hostes quam primùm eius tympani sonitum audiuerint. Ne verò mandatorum obliuio suis obreperet *Orphanis* (sic enim se ipsius asseclæ vocitarunt) illa supremis testamenti tabulis inscribi voluit, teste Dubrauio, quasi eadem vis illius foret, quæ fuit oris Medusæ, cuius aspectu homines in lapides vertebantur. *Monstrum detestabile!* (exclamat Syluius) *crudele, horrendum, importunum, quod postquam manus humana conficere non valuit, digitus Dei peste extinxit.* Verùm multò sanctior fides, atque fiducia Catholicos Duces animat, cùm Diuorum triumphales exuuias in bellis circumferunt, quin enim prudenter adducantur in spem beatos Indigetes apud Deum, exercituum Dominum, sibi præsentes, ac propitios affore, quorum abiectis dumtaxat cineribus morbos depelli, auerti clades, mortem subigi, atque adeo coniuratas in mortalium perniciem Dæmonum legiones vbique gentium meminerint diuinitus triumphari? At de his paulò inferius.

Io. Dubrauius lib. 26. hist. Bohem.

SECTIO TERTIA.

SS. LIPSANA PER ORBEM distributa, Vrbium, Regnorum, & terrarum tutela.

PRæsentiscit animus Dormitantium nescio quem, excusso de repente ad voces veterno, inuolaturum in nos, qui tantum Sanctorum Reliquiis tribuamus, vt eas in fatale quoddam Palladium, fabulosúmve Ancile demutasse minimè veriti simus, eo in paucis nomine, quòd Vrbium, Regnorúmve fortunam, fata, præsidium & fœlicitatem in illis credamus esse collocata. Cui ego illud meritò reponam, quod Menedemo mirabilem nescio quam phrenetici sanationem dericulum habenti, apud Erasmum Symmistam suum Ogygius sapienter obnuntiauit. *Quum libebit iocari, Menedeme, fac aliam tibi quæras materiam: in Diuos iocis ludere, nec pium est, nec tutum.* Sic nimirum Lipsanomachos sua decet peruicax præsidentia iocis, cauillísque contestatissimam eleuare veritatem, quam pernegare, si maximè velint, nec audeant, nec possint; nisi si fortè sanctissimis Patribus admissæ mentitionis calumniam impingere, labefactare Christianorum Annalium fidem, diutinæque tot Vrbium, & Regnorum experientiæ non dubitent Auernali plusquam malitiâ penitùs responsare. At quos tu nobis sanctissimos Patres nominas, inquiet Dormitantius. Basilios, Chrysostomos, Leones, Ambrosios, Maximos, testes appello: illísne auscultare fastidies? Sic ergo D. Basilius quadraginta Martyrum agonem, & triumphos eloquenter prosequutus subinfert. *Hi sunt, qui nostram*

De Palladio Clem. Alex. in protrept. Suid. Verb. διοπετὲς. De Ancili. Virgil. 8. Æn. Plutarch. in Numa. Ouid. Fast. &c. Erasm. Dialog. peregr. relig. ergo.

Ambrosius.

nostram obtinentes regionem, quasi quædam turres, contra aduersariorum incursum refugium exhibent. Nec vno in loco se clauserunt, sed in multis locis hospitio recepti, multorum patrias ornauerunt: nec tamen separati, sed inter se commixti: si in singulos ipsos diuiseris, proprium numerum non excedunt: si verò in vnum congregaueris quadraginta nihilominus erunt, ac ita vt ignis natura permanent. Nam ille & ad progredientem transit, & totus est apud habentem: sic hi quadraginta sunt vnum, & omnes apud singulos. Beneficium igitur hoc, fratres dilectissimi, gratiam hanc minimè deficientem ex Deo obtinemus. Paratum est hìc Christianis auxilium, Ecclesia videlicet Martyrum, exercitus triumphantium, chorus laudantium Deum. Sæpe operam dedistis, sæpe laborastis, vt vnum pro vobis orantem inueniretis; quadraginta sunt hi, vnam orationis vocem emittentes. Vbi enim sunt duo vel tres in nomine Domini congregati, ibi Deus est. Vbi verò quadraginta fuerint, quis dubitet Deum esse præsentem? Hæc cùm ita sint, quam securiorem vrbibus, ac regionibus tutelam, firmiúsque aduersus ingruentes calamitates munimentum requiras, quàm Deum in Sanctorum suorum exuuiis præsentem? Nihil Basilio minus Sanctus Chrysostomus credidit, scripsitve, quemadmodum ex hac ipsius oratione intelliges. *Si friuolæ quædam, ac minimi pretij occasiones, quæque ad hanc tantum vitam nobis conferunt, largitiones, hunc multis vrbibus honorem acquirere potuerunt: nonne eam potiùs, quæ nihil ex caducis, & corruptibilibus rebus largitur, sed viros, qui vrbibus, quæ illis obuenerint, post obitum etiam præstant securitatem, præ omnibus æquum est hac honoris prærogatiuâ donari? Sanctorum enim illorum corpora quouis adamantino, & inexpugnabili muro tutiùs nobis vrbem communiunt, & tanquam excelsi quidam scopuli vndique prominentes, non horum, qui sub sensus cadunt, & oculis cernuntur, hostium impetus propulsant tantùm; sed etiam inuisibilium Dæmonum insidias, omnésque Diaboli fraudes subuertunt, ac dissipant, non minus facile, quàm si fortis vir aliquis ludicra puerorum subuerteret, ac prosterneret. Ac cætera quidem, quæ ab hominibus sunt machinamenta, sicut muri, fossæ, arma, militum copiæ, & quæcumque ad incolarum securitatem excogitantur, ab hostibus possunt pluribus aliis, multóque maioribus machinis ipsorum repelli; cùm verò Sanctorum corporibus fuerit ciuitas communita, licet innumeras illi pecunias expendant, vrbibus, quæ ipsos possideant, minimè poterunt æquale quoddam machinamentum opponere. Neque verò tantùm aduersus hominum insidias, aut aduersus fallacias Dæmonum vtilis nobis est hæc possessio, dilectissime, sed & si nobis communis Dominus ob peccatorum multitudinem irascatur, his obiectis corporibus continuò poterimus eum propitium reddere ciuitati. Etenim si, qui multa præclarè gesserant, maiorum nostrorum ætate Sanctorum virorum nomina prætendentes, atque ad Abraham, Isaac, & Iacob appellationem confugientes, nonnihil solatij sunt assequuti, ac magnam ex horum nominum commemoratione vtilitatem decerpserunt: multò magis nos non tantùm nomina, sed ipsa, quæ decertarunt, corpora prætendentes, Deum propitium, ac benignum habere poterimus ac placa-*

tum

S. Basil. hom. in 40. Mart.

S. Chrysost. hom. in Mart. Ægyptios.

tum. Idem eloquentissimus Patriarcha Romam multis à se nominibus commendabilem deprædicans, hoc vniuersis præfert, quòd Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli exuuiis, tanquam duplici munitione, firmata esset: ipsius hæc oratio est, & inter reliqua eiusdem vota, vltimum. *Vellem videre sepulchrum* (scilicet D. Pauli) *quo recondita sunt arma illa iustitiæ, arma lucis, membra nunc viuentia, tùm verò cùm in hac vitâ essent emortua, in quibus omnibus viuebat Christus, quæ mundo fuerunt crucifixa, membra Christi, quæ Christum induerant; quæ templum Spiritus sancti, sanctáque fuerunt ædificatio; quæ ligata erant spiritu, confixa timore Dei, habentia stigmata Christi. Hoc corpus vrbem hanc munit, quod quauis turri, innumerísque mœnibus ac vallis est tutius, & cum isto corpus Petri. Nam & viuentem honorauit. Ascendi, inquit, videre Petrum; propterea & hinc emigrantem istum contubernalem sibi dignata est facere illius charitas.* Hactenus B. Chrysostomus. Cui S. Leo, Pontifex Maximus, consentiens non vno duntaxat loco profitetur Deum Opt. Max. munitissimum Romæ præsidium in eorundem Apostolorum pignoribus collocasse, *Sicut & nos experti sumus*, inquit, *& nostri probauere maiores, credimus, & confidimus inter omnes labores istius vitæ ad obtinendam misericordiam Dei semper nos specialium patronorum orationibus adiuuandos, vt quantùm propriis peccatis deprimimur, tantùm Apostolicis meritis erigamur.* Et sermone consequenti multò clariùs, & paulò fusiùs in hunc modum. *Si autem hanc pietatis curam populo Dei, sicut credendum est, vbique protendit* Petrus, *quantò magis alumnis suis opem suam dignatur impendere, apud quos in sacro dormitionis thoro, eadem, quâ præsedit, carne requiescit. Cùm itaque, dilectissimi, tantum nobis videamus præsidium diuinitus constitutum, rationabiliter & iustè in Ducis nostri meritis, & dignitate lætamur; gratias agentes sempiterno Regi, & Redemptori nostro, Iesu Christo, quòd tantam potentiam dedit ei, quem totius Ecclesiæ Principem fecit.* S. Ambrosium in eandem sententiam euntem aduoco, qui cum è superiore loco ad frequentissimam concionem suis Mediolanensibus dixisset (vt suprà retuli) se illos *propugnatores* (scilicet Geruasij, & Protasij à se inuenta corpora) *requisiuisse, qui propugnare possint*, post paulò subdit: *Aperuit oculos nostros Dominus, videmus auxilia, quibus sumus sæpe defensi, non videbamus hæc, sed habebamus tamen. Itaque trepidantibus nobis, quasi dixerit Dominus: Aspicite, quantos vobis Martyres dederim. Exultant* inquit alibi, *fœlices singularum vrbium populi, si vnius saltem Martyris reliquiis muniantur: ecce nos populos Martyrum possidemus.* Suos pariter Taurinenses S. Maximus in hæc verba (quæ D. Ambrosio perperam tribuuntur) commonefaciebat. Inuictissimos Martyres Octauium, Aduentitium, & Solutorem, quorum Taurinum gloriabatur pignoribus, *specialiter* ab illis *venerandos esse. Cum his nobis familiaritas est; semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur: hoc est & in corpore nos viuentes custodiunt, & corpore recedentes excipiunt*, & reliqua non ita pridem à me prolata. Idem aliàs de Sanctis Apostolorum Petri & Pauli

Idem hom. 32. in epist. ad Rom. sub fin.

S. Leo serm. 1. in Natal. SS. Petr. & Paul.

Idem serm. 2.

S. Ambr. lib. 7. epist ep. 56. & in fest. SS. Nazar. & Celsi.

S. Max. serm. in Natali Octauij, & soc.

Pauli natali concionatus, *Horum*, inquit, *hodie concursu lætissimo excolit Roma Martyrium, & quorum dudum impia persequuta est sanguinem, eorum nunc peculiari deuota patrocinio gloriatur*, vti & pretiosissimis exuuiis, vt ex Chrysostomo proximè referebamus. Non his adiungo Abbatem Theofridum, quem à me iam olim laudatum fuisse memoriâ recolo, asserentem Deum Sanctorum Reliquias *singulis Prouinciarum, & ciuitatum populis dedisse in solatium, vt dum importunis vrgentur incursibus hostium visibilium, & inuisibilium, per harum defensentur meritum. Rex enim quilibet vrbis alicuius defensurus mœnia, quantò audaciora, & plura hostium comperit esse agmina, tantò fortiora, & numerosiora in munitionibus, militum opponit pectora.* Et post paucula subiungit iterum, *vnicuique locorum, sicut & huic nostro, abundè magnas Sanctorum Reliquias accommodat Deus; quatenus dum ab indigenis dignè, ac familiarius honorantur, iidem indigenæ earum perpetuâ defensione firmentur.* Sic ille. *Idem. serm. 3. natal. SS. Petri & Pauli.* *Theofr. Abb. serm. de SS. Reliq.*

Hactenus sanctissimorum virorum testificationibus satis superque demonstratum est, quantum præsidij, & securitatis in sacrosanctis Indigetum Lipsanis per Orbem distributis à Deo constitutum sit, ad vrbium, prouinciarum, & regnorum salutem, & incolumitatem. Iam nunc ad experientiam, rerum Magistram, Christianis confirmatam historiis, descendamus. Eheu! quot luctuosarum calamitatum genera ciuitates, prouincias, imperia, terrámque omnem infestam habent, quæ si velim distinctiùs recensere, non tam me dies, quàm tempus, charta, stylúsque deficiant. At illas calamitates, quantæ quantæ sunt Sanctorum exuuiæ piâ diribitione vbique terrarum. Sparsæ potenter amoliuntur, quotiescunque id è gloria Dei est, atque mortalium vtilitate. Paucula ex infinitis exempla depromamus ex veterum Annalium penu.

Cùm Leo Imperator venerandum Beati Simeonis Stylitæ corpus ab Antiochenis petiisset, *Antiocheni contrà*, inquit Euagrius, *Imperatori aliud postulatum offerebant, quod ita se habet. Quoniam ciuitas caret mœnibus (Imperatoris enim furor ea diruit) sanctissimum Simeonis corpus huc apportauimus, vt nobis & muri, & munimenti loco sit. Quibus verbis persuasus Leo, eorúmque obsequutus postulationi, venerandum corpus illis concessit.* Ecce tibi eximiam Antiochenorum in præcauendis bellorum procellis præsensionem; & studium perquam religiosum: en tibi aliam Cæsaraugustanorum, ad obsidionem ciuitatis suæ soluendam, incumbentium industriam, quam Sancti Gregorij Turonensis verbis hîc repræsento. *Childebertus Rex in Hispaniam abiit, quam ingressus cum Clotario, Cæsaraugustanam ciuitatem cum exercitu vallant, atque obsident. At illi in tantâ humilitate ad Deum conuersi sunt, vt induti ciliciis, abstinentes cibis, & poculis, cùm tunica Sancti Vincentij Martyris muros ciuitatis psallendo circuirent: mulieres quoque amictæ nigris palliis, dissolutâ cæsarie, superposito cinere, vt eas putares virorum funeribus deseruire, plangendo sequebantur. Et ita totam spem, locus ille* *Euagr. lib. 1. hist. Eccl. cap. 13.* *S. Greg. Turon. lib. 3. cap. 29.*

ad Dei misericordiam retulit, vt diceretur ibidem Niniuitarum ieiunium celebrari; nec æstimaretur aliud posse fieri, nisi eorum precibus diuina misericordia inflecteretur. Hi autem, qui obsidebant, nescientes quid obsessi agerent, cùm viderent sic murum circuiri, putabant eos aliquid agere maleficij. Tunc apprehensum vnum de ciuitate rusticum, ipsi interrogant, quid hoc esset, quod agerent. Qui ait: tunicam B. Vincentij deportant, & cum ipsâ, vt eis Dominus misereatur, exorant. Quod illi timentes, se ab eâ ciuitate remouerunt; tamen acquisitâ maximâ Hispaniæ parte, cum magnis spoliis in Gallias redierunt. Ope precibúsque SS. Apostolorum Petri & Pauli, quorum venerandæ exuuiæ in Vrbe asseruantur, Gothorum exercitum ducentis hominum millibus constantem, totámque Italiam inundantem vnà cum Rhadagayso eorum Rege ad internecionem deletum, Romámque à præmeditatâ obsidione, depopulatione, & ruinâ diuinitus vindicatam pangit in hunc modum Sanctus Paulinus apud Dungalum.

S. Paulim. natal. S. Fel. 13. & in hunc loc. Rosuu. in carm. 27.

Pluribus hæc etenim causa est curata patronis,
Vt Romana salus, & publica vita maneret.
Hîc Petrus, hîc Paulus proceres, hîc Martyres omnes
Quos simul innumeros magna tenet ambitus Vrbis,
Quosque per innumeras diffuso limite gentes
Intra Romuleos veneratur Ecclesia fines,
Sollicitas simul impenso duxere precatu
Excubias.

Oros. lib. 7. cap. 37. S. Aug. lib. 5. de ciuit. cap. 23. serm. 29. in Luc. Marcell. in Chron.

De qua perillustri victoriâ meminere Orosius, Augustinus, & Marcellinus. Edessani præsidio Imaginis non manufactæ & ad Abagarum (vt olim dixi) à Christo transmissæ: Sergiopolitani generosissimi Martyris pignoribus, à Chosrois Persarum Regis arctissimâ obsidione se, suásque ciuitates mirabiliter liberarunt, & (quod mirere magis) barbarum ac Gentilem Regem adeò repentinâ demutatione in alium virum conuersum viderunt, vt inuicti Athletæ lipsana pretiosissimis donariis, & honoribus amplissimis sit prosequutus, vti pluribus refert Euagrius. Infinitum esset ire per singula: Nam vix vllam vrbem, vix vlla oppida, vix regionem reperias vllam, quæ aliquando Sanctorum, quorum Reliquias possident, præsentissimam opem in auertendis à se bellorum procellis non fuerit experta. Facturum tamen me grauissimam iniuriam Deo, Deiparæ Virgini, & nostratibus Diuis existimarem, si ingrato obuoluerem silentio eximium suæ tutelæ beneficium, & in amoliendâ Pictauorum proditione prodigium oppidò sanè singulare: quod à me in pauca contractum, huiusmodi est. Consulis (*Maiorem vrbis* appellat vulgus) Consulis inquam seruus, cum Ioanne Anglorum Rege de Pictauiensi ciuitate per proditionem ipsi dedenda clam pepigerat, iamque ad condictum diem, & horam (ea erat à mediâ nocte quarta Paschatis) Anglus aderat opperiens, dum sibi Vrbis portæ à proditore aperirentur; cùm diuina prouidentia scelestissimi nebulonis consilia, & facinus occupans, claues portæ ciuita-

Euagr. lib. 4. hist. cit. cap. 26. & 27. lib. 6. cap. 20.

Bouchet. Annal. Aquitan. ann. 1202. cap. 6. Du Monteil. lib. 3. vit. S. Radegon. c. 10.

tis,

tis, quas proditor ab hero ſuo nihil minus, quàm proditionem ſuſpicante habiturum ſe, pro more, ſperauerat, mirabiliter ſubduxit, ne in manus perfidi illius Sinonis venirent. Is poſteaquam tentato incaſſum clauium furto ſe à conceptâ ſpe vidit excidiſſe, rurſus mendacio ſcelus celans portæ claues ab hero dormituriente ſatagit extorquere: & verò erat pro more habiturus, ſi ſub ceruicali abditas herus inuenire potuiſſet. Quæruntur ſedulò claues, excutitur, ſuſdeque vertitur lectus: nullæ vſpiam comparent claues. Tum herus ſuſpicatus id, quod erat, continuò mœnia ciuitatis armato milite ad æris campani ſignum, vt in re trepidâ fit, tumultuatim collecto circumcingit; deinde conſternatione, ac ſpe plenus, quâ erat in Deiparam pietate, ad ipſius ædem confugit ſupplicaturus patronæ piiſſimæ, ſibi vt deperditas claues nanciſcendi, conſilium, viámque commonſtraret. Nec eum ſua fefellit ſpes. Vix pedem in B. Virginis Baſilicam intulerat, cùm ecce tibi claues è Deiparæ brachiis pendere videt, ſed Deus bone! quibus oculis? Quid multa? claues à piâ ſuâ, vrbiſque patronâ, & tutelari Diuâ venerabundus recipit. Extemplo liquidiſſimis, ſupra quàm dici poteſt, lætitiis colliquefactus ad ciuitatis portas citus, pene dixi volucris, prouolare; reſerare fores; miles, quâ datâ portâ, emiſſus ruere; mirari de ſubito profligatum ſine hoſte bellum, conuerſis in ſeipſum armis, mutuâque cæde proſtratum Anglum iacere; ſuperſtites neci dare, fugitantibus tergo hærere, intercipere quos poſſent; cædere, quos non poſſent: ad vltimum captos manibus poſt terga reuinctis in vrbem, triumphantium in morem raptare. Rem miram: à captiuis reſcitum eſt, ſub ortum ferme lucis viſam fuiſſe ſuper vrbis portam, Reginam Maieſtate ſpectabilem, comitatu, ſatellitióque formidandam; ipſius enim latera hinc Epiſcopus, inde è Religioſo cœtu ſacra fœmina tegebant ponè quos numeroſam armatorum manum videre erat, qui circumfuſos hoſtes partim in fugam darent, partim pauore ſubito perculſos, miſſiliúmve grandine de muro diuerberatos exanimarent. Fides fuit, nec ſanè vana, tutelares ciuitatis Diuos, Deiparam Virginem Reginâ; Epiſcopo Sanctum Hilarium Pictauorum Antiſtitem; Beatam Radegondam ſacrâ Deo fœminâ repræſentatos periclitanti vrbi de machinâ præſentes adfuiſſe quòd ipſorum Sacroſanctæ Reliquiæ à ciuibus ſummâ tùm veneratione percolerentur. Cuius miraculi, & diſiectæ diuinitus proditionis quam plurima etiamnum extant apud Pictauos argumenta, quæ nec huius loci, nec otij eſt mei, pluribus ediſſertare.

Hæc, aliáque eiuſdem generis Diuorum tutelæ monimenta quiſquis Lipſanomaſtyx Sannio, vel traducere, vel deridiculo habere volet, meminerit vrbem Hieroſolymitanam in gratiam Dauidis Regis ſanctiſſimi, iampridem vitâ functi, à Sennacheribi obſidione planè, plenéque fuiſſe vindicatam, quemadmodum fatidico Iſaiæ interpretis, ſeu vatis ſui ore, Deus Ezechiæ regi nimiùm quanrùm anxio prolixè ſpoponderat in hæc verba. *Hæc dicit Dominus de rege Aſſyriorum. Non*

 intrabit

intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi sagittam, & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem. In viâ, quâ venit, per eam reuertetur, & ciuitatem hanc non ingredietur; dicit Dominus. Et protegam ciuitatem istam, vt saluem eam propter me, & propter Dauid, seruum meum. Sciat pariter non minori gratiâ noui, quàm veteris, Testamenti Sanctos apud Deum pollere, vt ciuitates sacrorum suorum pignorum custodes, ac veneratrices, ab hostili impressione, ne dicam, expugnatione ac depopulatione, sartas tectas tueri possint. Huiusce Diuorum tutelæ veritatem, olim fidem apud Constantinum Imperatorem habuisse maximam testatur his versibus Paulinus proximè à me suprà laudatus.

S. Paulin. loco supr. citat. & in illum Rosuueyd.

Nam Constantinus proprij cùm conderet vrbem
Nominis, & primus Romano in nomine Regum
Christicolam gereret, diuinum mente recepit
Consilium, vt quoniam Romanæ mœnibus vrbis
Æmula magnificis strueret tunc mœnia cœptis.
His quoque Romuleam sequeretur dotibus vrbem;
Vt sua Apostolicis muniret mœnia lætus
Corporibus. Tunc Andream deuexit Achiuis,
Timotheúmque Asiâ. Geminis ita turribus extat
Constantinopolis magnæ caput æmula Romæ:
Verius hoc similis Romanis culmine muris,
Quòd Petrum, Paulúmque paci Deus ambitione.
Compensauit ei, meruit quia sumere Pauli
Discipulum, cum fratre Petri.

Procop. lib. 1. de ædif. Iustinia. Imp. cap. de Augustæo orat. 1.

Hæc, & multò plura in eandem sententiam cecinit Poëta Christianus, quæ importunum esset hîc exscribere.

Cæterùm quod de obsidionibus vrbium potenti venerabilium Reliquiarum præsidio diuinitus solutis, submotísve, hactenus à me disputatum est, de aliis omnibus calamitatibus dictum puta. Nullum enim calamitatum, cladium, ac malorum genus fingi potest (quæ vrbes, oppida, ciuitates, regna, Prouincias integras identidem infestissimas habent, ac tantum non exhaurire solet) ad quod auerruncandum sacrosancta beatorum Indigetum Lipsana non summopere conferant, si Deo, rerum humanarum supremo arbitro, è suâ, suorúmve, ad quos ea pignora pertinent, gloriâ, mortaliúmque salute fore videatur. Pleni sunt huiusce tutelæ, virtutis, exemplorúmque Annales Ecclesiastici; plena sunt Christianæ historiæ monimenta; pleni rerum à sanctissimis quibusque viris præclarè, ac mirabiliter gestarum commentarij; nihil vt operæ pretium sit similium prodigiorum multitudine inutilique farragine has pagellas opplere, & confarcinare.

Verùm non vrbes tantùm Sanctorum reliquiis communitas Deus esse voluit, sed etiam villas. *Propterea* (vt annotauit scripsitque S. Chrysostomus) *non in vrbibus solum collocauit Martyres Deus: sed etiam in villis ipsis, vt hoc pacto inter nos commercij, & colloquij necessaria*

S. Chrysost. tom. 5. edit. Græcol. hom. 65. de SS.

ſaria nobis occaſio daretur, atque adeò plures in villis, quam in vrbe. Inferiori enim abundantiorem honorem impertiit Deus, quòd imbecillior ſit pars illa; propterea maiori eam ſubſidio, cultúque dignatus eſt. Illud autem ſubſidium cultúmque ſanctiſſimus Patriarcha in eo poſitum eſſe dictitat; *Quòd ij quidem, qui vrbes incolunt, aſſiduâ doctrinâ fruuntur, & qui in agris degunt, non tantâ largitate potiuntur. Itaque Doctorum penuriam, martyrum abundantiæ ſolatus eſt Deus, & ita diſpoſuit, vt plures apud illos Martyres ſepelirentur: illi quidem Doctorum linguam perpetuò non audiunt; ſed Martyrum vocem è ſepulchro reſonantem, & ipſos alloquentem, quæ maiori virtute pollet.* Ego verò, bonâ cum ſanctiſſimi Patriarchæ veniâ, crediderim nec forſitan immeritò, Deum opt. max. voluiſſe plures Chriſti Athletas in villis contumulari, quòd, cùm illa mortalium *pars ſit imbecillior*, ideo maiori & copioſiori venerabilium reliquiarum ſubſidio eget communiri, tùm ad ſubitaneas hoſtium irruptiones ferendas, tùm ad omne calamitatum, & infortuniorum genus, quibus ruſticanum vulgus expoſitum eſt, patétque magis, quàm vrbium incolæ, à ſuis ceruicibus auertendum. Iam verò me latet, quî fiat, vt hac noſtrâ ætate tam firmo ſacrarum reliquiarum pleræque villæ ſint exutæ præſidio? an id mali ab curionum ſupinâ incuriâ profectum dixerim, quos nulla, vel certè perexigua coquit cura, Diuorum lipſana conquirendi, adeptáve diligenter aſſeruandi, & promerito cultu afficiendi? An potiùs ab irreligioſo ipſorummet Paganorum neglectu, quos vel tenuiſſima in Cœlites, maximè tutelares ſuos, pietas, vel craſſa ignorantia, vel rei familiaris anguſtiæ reddunt in Sanctorũ pignoribus, ſi quę poſſident, honorificè habendis, piéque adorandis ſegniores, quàm par eſſet? Quid mirum, ſi tam vtili, ac neceſſario potentiſſimorum patronorum Palladio deſtituti, ſpoliatíve tot, támque frequentibus ſiue à cœlo, ſiue à ſolo; ſiue ab hominibus, ſiue à dæmonibus impendentibus calamitatibus, & iniuriis patrant, vt qui maximè? De cętero viderint illi quorum maximè intereſt, vt pagi omni alio munitionũ genere priuati, ſacro ſaltem Reliquiarum pręſidio cingantur, atque firmentur. *Nam* (vt paulò antè dixerat Chryſoſtomus) etſi *in ſæcularibus negotiis à ſe inuicem diſſident ciuitas, & villa: in iis autem quæ ad religionem pertinent, communicant, & vniuntur inter ſe inuicem. Non enim barbaram ipſorum linguam ſpectare debes, ſed animum ipſorum Philoſophiâ excultum. Quid enim linguæ communio prodeſt, ſi animi ſint diuiſi? quid verò diuerſitas linguæ noſtræ nocet, ſi fide iungamur? Hac ratione neque villa deterioris conditionis eſt, quàm ciuitas, cùm in eo, quod bonorum caput eſt, æqualem honorem ſortiatur.* Quin ergo æqualem, imo eandam, à venerabilium reliquiarum poſſeſſione, tutelam non ſortiantur villæ, ac populoſiſſimæ quæque ciuitates? *Idem loc. cit.*

Iam nunc ſuperuacaneum videri poteſt, ſeorſum dicere, Diuorum exuuias, vbique terrarum, Regna, Imperiáque Chriſtiana nominatim ſarta tecta ſeruari: nihilo tamen minùs exiſtimo non parum de ſacrarum reliquiarum gloriâ detritum iri, ſi penitus prætermiſero

 nonnihil,

nonnihil, saltem in transcursu, super hac re breuiter delibare. Quapropter duos tantummodò non minùs fortitudine bellicâ, quàm regiâ dignitate, ac vitæ sanctimoniâ præstantes appello Principes, vt quæ olim sua fuerint sensa, edissertare ne grauentur. Hi sunt Andreas Hungarorum Rex, & Carolus Magnus, Christianissimus Imperator. Illius quidem animi sensa Bonfinius in hunc modum expressit. *Andreas cum Vngaricis legionibus in Pannoniam relatus (vt eorum Annales referunt) Stephani protomartyris, & Diuæ Margaritæ caput, item Thomæ, & Bartholomæi dexteram, partem virgæ Aaronis, atque vnam ex hydriis, in quibus aquam in vinum Saluatorem nostrum mutasse ferunt, atque multas denique reliquias, ingenti veneratione dignissimas in patriam retulit. Inuenit regnum præter opinionem pacatissimum, quod Diuorum potius numinibus, quorum reliquias attulerat, quàm regni Præfectis adscribere videbatur.* Hæc pro suo Rege Bonfinius: iam Carolum ter Maximum suis verbis profitentem, quantum præsidij in beatorum Indigetum exuuiis, lipsanísque pro Regnorum suorum incolumnitate diuinitus collocatum fuisse crederet, pronis auribus, & patienti animo tantisper audiamus. *Itaque*, inquit, *egregio opere huius eximiæ Basilicæ* (Aquisgrani extructæ) *non solum pro voto, ac desiderio meo; verùm etiam ex diuinâ gratiâ ad vnguem perfecto, pignora Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum à diuersis terris, & regnis, & præcipuè Græcorum collegi, quæ huic sancto intuli loco, vt eorum suffragiis regnũ firmetur, peccatorũ indulgentia condonetur.* Atque ex his piis ipsius animi sensis, ac religiosâ fide factum reor, vt ad laudabilem sacrarum Reliquiarum indaginem, consecutionem, & cultum vsque eò incubuerit (quæ Christianissimis Francorum Regibus, ac Reginis innata semper fuit propensio, studium, cura) vt in hac parte neminem habuisse superiorem, vel etiam parem videri possit. Hinc incredibilis, & imperturbata tanti Imperatoris in bellis suscipiendis, conficiendis, profligandísque fœlicitas: hinc florentissimi Galliarum regni ab exteris irruptionibus quies, atque securitas: hinc opum, ac thesaurorum vis maxima: hinc cum exteris gentibus fœdere iunctæ societates: hinc sua in Romanorum Imperatorem, alienis potiùs, quàm propriis votis, ambitúque, prouectio. Ad summam ecquod bonorum genus in Gallias, & Imperium non incubuit, ex quo piissimus Imperator venerandis Diuorum exuuiis conquirendis, ornandis, &, tanquam cœlestia dona, seruandis ac percolendis impigram, & religiosissimam curam continenter nauauit? Imitentur Principes, Christianissimi Imperatoris erga Sanctorum lipsana, pietatem; tùm in illis cœleste sibi, suisque, clientibus, Prouinciis, & ditionibus Palladium, pacem, omnimodámque fœlicitatem nanciscentur. Progrediamur vlterius.

Bonfin. Decad. 2. lib. 7. rer. Vngaric.

Carol Magn. in pragmat. Aquisgran. Sanctione.

SECTIO

SECTIO QVARTA.

DIVORVM RELIQVIÆ PER varias Ecclesias diuisæ, Dæmonum crux, & confusio.

HVnc ego finem, & causam vltimam statuo, propter quam Deus Opt. Max. voluit venerabiles Cælituum reliquias per varias Orbis Christiani Ecclesias partitè diuidi, transferri, asseruari, coli. Cùm enim inferi, pessimíque Genij vbique gentium, ac terrarum mortalibus, & mortales inter, Orthodoxis maximè struant insidias, ipsósque æternùm perditos velint; diuina prouidentia ipsis Sanctorum obiecit lipsana, per quæ illorum eluderentur insidiæ, simul & Fidelium salus ad omnes eorundem petitiones in tuto esset. Dæmonum enim liquidissimæ deliciæ, animarum exitium est. *Sanctorum corpora, & sepulchra Martyrum*, inquit Sanctus Iustinus, *& Dæmonum amoliuntur insidias, & morborum ab arte medicâ comploratorum conferunt sanationes: per ea*, teste Ioanne Damasceno, *Dæmones expelluntur, tentationes, & mœrores discutiuntur. Cernimus ab iis* (verba sunt Ambrosij beatissimi) *frequenter obsessos immundissimis Dæmonibus homines liberari, ita vt cœlesti medicinâ, & captiua anima de Diaboli laqueis eruatur, & ipse Diabolus vinculis igneis alligatus producatur de suâ captiuitate captiuus, vt qui prædam paulò ante ceperat, ipse subdatur in prædam. Hæc & alia potiora mirabilia per Sanctos fieri omnibus notum* est. In eandem sententiam aptissimè cadit aurea illa Sancti Ioannis Chrysostomi oratio, quâ oratione Galli piissimi Imperatoris prudentiam, zelúmque animarum ex hoc in paucis capite magnificè deprædicat, quòd ad impudicitiam, & impietatem, quæ auctore Dæmone, in Suburbio Antiocheno exercebantur, tollenda id remedij sapientissimè commentus est. *Sanctum Babylæ martyris corpus eum in locum si transferretur, perinde existimauit fore, ac si medicus ad laborantes mitteretur: quem quidem idoneum intelligebat, qui tum Dæmonis potentiam antiquaret, tum iuuenum luxum emendaret; quâ vtique spe nequaquam falsus est. Nam vbi quis Daphnæ appropinquat, viso statim martyris monumento, vel ab ipso suburbij vestibulo compescitur, atque emendatur, more adolescentis alicuius in conuiuio accumbentis, ac pædagogum adstantem contuentis, eundémque vultus significatione iubentem, vt decenti ordine seruato bibat, edat, loquatur, rideat, cauens necubi modum supergressus, suam ipse existimationem dehonestet. Porro ab eiusdem monumenti aspectu, tum ab eâ, quam de beato martyre concepit, imaginatione factus ille religiosior*

S.Iust. quæst. 28.

S.Ioan.Dam. lib.4.Orth. fid.c.16.

S.Amb.serm. in fest. SS. M.M.Octauij & Soc.

S.Chrysost. serm.de S. Babyl.

religiosior, ad capsulam ipsam continuò accurrit; ad quam cùm primùm peruenit, maiorem animo trepidationem recipit, mox abiectâ omni licentiâ, tanquam volatilis effectus ita ab eo loco se domum recipit. Et reliqua, quæ more suo perquam eloquenter, ac piè Sanctissimus Patriarcha prosecutus concludit in hæc verba. *Atque in eum, quem dixi modum, Babylas intemperantiæ tyrannidem subuertit: at quo idem modo & Dæmonis potestatem extinxit? Primùm quidem tum Dæmonis inibi inhabitantis obsidionem, tum fabulæ noxam iis ipsis, quas dixi, rebus inefficacem reddidit; deinde & Dæmonem ipsum exegit.* Vt autem fuerit dirissima Dæmoni crux, & confusio longè maxima, se ab occupatâ iampridem Daphnitici suburbij arce, non aliis machinis, quàm solâ Beati Babylæ reliquiarum præsentiâ, exturbari: multò certè grauior illi extitit, ab Antiochenorum meliorem ad frugem redeuntium animabus, per subitaneam culparum pœnitudinem, abigi, quam inuictissimi Martyris pignora, & preces concitarant.

S.Dion.lib.de Eccles.hier.c. 3.

Certum enim est, auctore Beato Dionysio Areopagitâ, *scelestissimâ & maximè nefariâ impulsione agitari eos omnes, qui desertâ vitâ, & sententiâ, ac moribus, cum perniciosis Dæmonibus consentiunt: quòd ea, quæ verè sunt, & immortaliter possidenda, & semper iucunda, voluptatisque plena, per summam, ipsisque exitiosam amentiam, auersentur: cum materiâ verò coniunctum, plurimisque perturbationibus implicatum (quod alienum est naturæ nostræ) peccatum, pereuntésque, ac interitum afferentes voluptates, & instabiles in rebus, quæ non sunt, sed videntur, prosperitates, & optent, & sequantur.* In quem locum Sanctus Maximus à nobis oseruandum monet, à Beato Dionysio *in numerum energumenorum adscribi eos, qui corporis illecebris, sine animi mutatione, ac pœnitentiâ manent: velut scortatores, studiosos spectaculorum, & eos, qui similibus se dedunt.* Et verò (si Chrysostomum audimus) *magnus Dæmon peccatum est, quod si abs te abieceris, maior tu eris, mihi crede, quàm qui Dæmonia eiiciunt.* Imo eodem affirmante, *peccatum Dæmone peius est. Dæmon siquidem non omnino spoliat regno Cælorum, sed subinde fit, vt & prosit modesto, & vigilanti. Peccatum verò omnino excludit: voluntarius quippe Dæmon est peccatum, spontaneáque insania:* quódque mali magmentum est, à lethifero peccato non solùm homo in seruitium Cacodæmonis euadit, sed etiam ab eodem obsidetur, & nonnunquam reipsâ mirandum, ac miserandum in modum possidetur: vt ex sacris Annalibus referre de industriâ, quò sim breuior, prætermitto. Verùm loco cedere infestus hospes persæpe coactus est, cùm ad sacrarum reliquiarum conspectum, & venerationem, elicito (vt loquuntur Theologi) contritionis actu, peccator grauissimas quasque noxas ex animo expunxit. Atque hæc prima, & princeps Dæmoni crux, à Sanctorum pignoribus per varias Ecclesias piâ diribitione dissipatis, figitur vbique terrarum.

S.Max.bidi Pachym.& reliq.

S.Chrys hom. 33.in c.10.S. Matth.

Idem. hom. 27.in c. 15. epist.ad Rom. & hom. 41. in.c.19.Act. Apost.

Secunda est tormentorum acerbitas, & propudiosa ipsius è corporibus Energumenorum exactio. *Nunc audisti* (inquiebat ad suos Mediolanenses

diolanenſes Sanctus Ambroſius) *clamantes Dæmones , & confitentes Martyribus* (Geruaſio ſcilicet & Protaſio , quorum recèns inuenta lipſana omnium proſpectui tùm proſtabant) *quòd pœnas ferre non poſſint , & dicentes : quid veniſtis , vt ante tempus nos tam grauiter torqueatis ? Et Ariani dicunt. Non ſunt iſti Martyres , neque torquere Diabolum poſſunt , nec aliquem liberare , cùm tormenta Dæmonum ipſorum voce probentur.* &c. *Ariani dicunt : non ſunt Dæmonum vera tormenta , ſed ficta, & compoſita ludibria. Audiui multa componi, hoc nemo vnquam fingere potuit , vt Dæmonem ſe eſſe ſimularet. Quid illud , quòd ita exagitari eos videmus , quibus manus imponitur ? vbi hîc locus fraudi eſt ? vbi ſuſpicio ſimulandi ?* Arianos ſecutus , vel etiam exuperans Vigilantius eandem ſacrarum exuuiarum in Dæmonem exercitam vim, ac poteſtatem pernegare non erubuit. Cui lepidè ſubſannando Beatus Hieronymus infit. *Sentio , ſentio , infœliciſſime mortalium , quid doleas,quid timeas. Spiritus iſte immundus , qui hæc te cogit ſcribere , ſæpe hoc viliſſimo tortus eſt puluere , imo hodiéque torquetur ; & qui in te plagas diſſimulat , in cæteris confitetur. Niſi fortè in morem Gentilium , impiorúmque, Porphyrij & Eunomij has præſtigias Dæmonum eſſe configas , & non verè clamare Dæmones , ſed ſua ſimulare tormenta. Do conſilium , ingredere baſilicas Martyrum , & aliquandò purgaberis. Inuenies ibi multos ſocios tuos , & nequaquam cereis Martyrum , qui tibi diſplicent , ſed flammis inuiſibilibus combureris , & tunc fateberis , quod nunc negas , & tuum nomen , qui in Vigilantio loqueris , liberè proclamabis.* Apud eundem ſanctiſſimum Doctorem, Diua Paula *vidit duodecim Patriarcharum ſepulchra , & Samariam. Ibi ſiti ſunt Elizæus , & Abdias prophetæ , & Ioannes Baptiſta : vbi multis intremuit conſternata mirabilibus. Námque cernebat variis Dæmones rugire cruciatibus , & ante ſepulchra Sanctorum vlulare homines more luporum , vocibus latrare canum , fremere leonum, ſibilare ſerpentum , mugire taurorum.* Beatus Paulinus S. Felicem in ſuis exuuiis probare ſe Martyribus *titulis,virtute , merito parem* exiſtere canit elegantiſſimè.

in feſt.SS. Geru.& Proth.MM.

ibid. poſt aliqua.

S.Hier.lib. adu.Vigilant. cap.4.

Idem in Epit. S.Paulæ c.6.

S.Paulin. Nat.3.S.Felic.

——————cùm iure potenti
Dæmonas exercet , deuinctáque corpora ſolu
Nam ſibi Felicem cæcis incumbere pœnis,
Peſtiferi proceres triſti clamore fatentur ,
Occultáſque cruces gemitu teſtantur aperto ,
Velatúmque oculis mortalibus ; at manifeſtum
Auribu . *& multo præſentem numine produnt ,*
Cùm captiua intra deprenſi corpora , Chriſtum
In ſancto fulgere ſuo clamántque , probántque
Membrorum incuſſu tremuli , capitúmque rotatu ,
Tormentiſque ſuis , ſed non ſua corpora torquent ,
Clamantes proprios aliena per ora dolores,
Orantûm veniam : latet vltor , pœna videtur.

Tum si quos grauiore malo violentior hostis
Vinxerit, ista dies diuino munere soluit.
Cernere tunc passim est sacrâ purgata medelâ
Pectora liminibus sterni, iam mente refectos,
Gratantes iam voce suâ: concurrit hiantum
Turba tremens hominum; mistæ inter gaudia cunctis
Prosiliunt lacrymæ; præsens Deus omnibus illis
Creditur, immensi Fœlix est gloria Christi.

Idem Nat. 7. & 8. Idem inculcat natali septimo, redditque rationem, cur in plures annos Energumenorum purgatio, & Dæmonum è possessis corporibus abactio nonnunquam produceretur, atque adeo quàm immaniter Dæmones sub lucem Diuo Felici sacram, quos insederint, exagitarent, tandémque in hæc verba perorat: illum credas lipsanomachos affari.

Mira hæc sunt, & magna, quis abnegat? & tamen vsu
Nota magis, minus auditu miranda videntur,
Quamlibet & visu reuerenda, & grandia facto.

S. Chrys. hom. 66. ad pop. Antioch. Diuus autem Chrysostomus Regum, & Imperatorum mausolæa, & cadauera cum Sanctorum tumulis, sacrisque pignoribus componens, & his posthabens infit. *Sanctorum ossa Dæmones sistunt, & torquent, & vinctos ab illis soluunt sæuissimis vinculis: Quid hoc foro magis reuerendum, cùm videatur nemo, nemo Dæmonis instet lateribus, voces sentiuntur, & lacerationes, flagella, tormentáque, ac linguæ ardentes, terribilem illam vim Dæmone non ferente? Et corpus induti incorporeas opprimunt potestates: & cinis, & ossa, & fauilla inuisibiles illas potestates dilaniant.* postque pauculas voces subdit: *Futuri namque iudicij vestigia, & signa, Sanctorum ædes exhibent, vbi Dæmones flagellantur, corriguntur homines, & liberantur.* Aduocare huc possem Augustinos, Gregorios Nazianzenos, vno verbo Patres pene omnes: Appellare possem quotquot Sanctorum res præclarè gestas literarum monumentis mandarunt: at cui bono? nisi si meridiano soli lucem, Oceano aquam infundere allaborem.

S. Aug. lib. 9. Conf. c. 7. ep. 137. lib. de cura pro mort. agẽda. c. 17. &c.

S. Greg. Naz in Iamb. 18. orat. 3. in Iulian. &c.

Tertia crux, ab Indigetum lipsanis olim Dæmonibus fatiloquis intoleranda extitit, impositum oraculis de subito silentium. *Iulianus* Apostata, inquit Theodoretus, *cùm in animo haberet bellum contra Persas gerere, ad omnia oracula, quæ erant intra fines Imperij Romani consulenda misit. Ipse verò supplex orat Apollinem Daphnæum, vti, quæ sibi essent euentura, ostenderet. Respondit Apollo, mortuos quosdam in proximo humatos impedimento esse, quò minùs daret vaticinia. Eos igitur primùm inde transferendos esse: deinde, quid futurum sit, se prædicturum pollicetur. Nam se nisi purgato loco, nihil profari posse. Eodem tempore in eo loco Reliquiæ inuicti Martyris Babylæ, & adolescentium, qui vnà cum eo pro fide decertarant, repositæ iacuerunt. Atque falsus vates apertè monstrauit, se gratiâ illius martyris à consuetis, & commentitiis oraculis edendis prohibitum. Quod vbi intellexit Iulianus (non enim*

Vid. Tyræũ 3. part. disp. de Dæmon. c. 43. Theod. lib. 3. hist. Eccles. c. 9. Sozom. lib. 5. hist. c. 18. Ruffin. lib. 1. c. 35. Euagr. lib. 1. c. 16. Socrat. lib. 3. cap. 16.

ignarus fuit virtutis, quæ in vetere pietate Martyrum residebat) nullum quidem corpus mortuũ inde deportandum curauit, sed imperauit Christianis, vt Reliquias duntaxat Martyrum ex eo loco transferrent. Qui ad lucum lubentibus animis profecti, loculum in bigis collocant, omnésque ad vnum antecedentes saltare, Psalmósque Dauidicos canere cœperunt: & inter singula versuum membra, hæc verba interponere: Confundantur omnes, qui adorant sculptilia. Nam Martyris translatione Dæmonem victum existimarunt. Mirum est, quàm magnificè in hoc argumento versando Diui Chrysostomi sese explicet industria, & diues eloquentia triumphet: cuius integram orationem, vt exscribere non audeo, sic temperare mihi non possum, quin eius plagulam saltem huc transferam, quæ ad institutum nostrum facit quàm maximè. Illud ergo silentium, à S. Babylæ lipsanorum vicinitate, Dæmoni oracula fundere assueto impositum expendens sic ait. *Et bonus quidem vir, quisquis est, neque à sano consilio vel dando, vel capiendo, neque ab opere necessario faciundo per mortuum corpus prohibetur, imo (si animo sano est) vel ad ipsa sepulchra inhabitans, & temperantiam, & iustitiam, & omnem denique virtutem præstabit: prætereáque artifex, suæ quisque artis opera absque vllo impedimento facturus est; iísque, qui ipsum rogauerint, præbiturus non solùm cadaueribus propinquus assidens, sed etiamsi ipsa mortuorum monumenta exstruere opus sit, & pictor, & latomus, & faber tam lignarius, quàm ferrarius denique omnes sua ipsorum opera conferunt: vnus autem omnium Apollo per cadauera impediri se ait, quo minus futura prospiciat. Atqui & apud nos magni, & admirabiles viri extitere, qui res futuras quadringentis, ac mille etiam antè annis, quàm euenirent, prædixerunt: quod dum facerent, nullam prorsus harum excusationum, vel quæsierunt, vel causati sunt: neque mortuorum sepulchra perfringi, neque eos, qui intra ea iacerent, abiici, neque nouum, & impudentem effodiendorum cadauerum modum excogitari iusserunt. Attamen ex eis nonnulli impiis, ac scelestis gentibus vicini quum habitarent, vel in mediis ipsis barbaris, quorum omnia conspurcata, & polluta erant, verè futura vaticinati sunt, neque illis ad vaticinationem aliorum obfuit conspurcatio. Quid ita? quod quæ illi dicebant, ea re verâ per diuinæ virtutis opus dicebant: Dæmon autem, quum prorsus in eo diuina vis nulla esset, de futuris nihil habuit quod Imperatori prædiceret.* Hactenus eloquentissimus Patriarcha. Porrò mirabili hoc Dæmonis silentio, sanctus Babylas manifestissimè se Christi seruum, amicum, & testem probauit, quòd Dominum suum recens natum ipsemet mortuus sit perfectissimè tum imitatus, quippe qui vix è virgineâ matris aluo eeciderat, cùm oracula toto orbe vocalia de subito conticescere, vagiens, & mutus infans subegit. Quàm verò multa numerosaque tum temporis extiterint oracula, quis edisserat? certè pene infinita in pretio fuisse apud mortales veri Dei cognitione orbatos, ex iis, quæ noster Bulengerus integro de his libello annotauit, consequi coniecturâ potest

S.Chrys. lib. de S.Babyl. contr.Gent.

Buleng.lib.de oracul.

Gen. c. 2. v. 7. & interp. test nonnemo. Vero mihi simillimum est Verbo æterno tandem *facto in animam viuentem, seu loquentem* (quod de Adamo diuinæ effantur literæ) omnia totius Orbis oracula derepente obmutuisse. Certum enim saltem est proximè ante Verbi incarnati, natique tempora, celeberrimum Apollinis Delphici oraculum occlusum fuisse, nec vlla prorsus dedisse responsa, si quidem M. Tullius audiendus est, cuius hæc verba sunt. *Sed, quod caput est, cur isto modo iam oracula Delphis non eduntur? non modò nostrâ ætate, sed iamdiu, iam vt nihil possit esse contemptius? Hoc loco cùm vrgentur, euanuisse aiunt vetustate vim loci eius, vnde anhelitus ille terræ fieret, quo Pythia mente incitata oracula ederet. De vino, aut salsamento putes loqui, quæ euanescunt vetustate.* Certum itidem, & antiquorum scriptorum testificatione compertissimum est Apollinem, cui Augustus vulgo creditus Apollinis filius, Hecatomben immolarat, hoc ipsi effatum reddidisse, Christo vix primum hanc lucem hauriente.

Cic. lib. 2. d Diuinat.
Baron. Appar. ad Eccl. annal. n. 25.
Suid. Verb. Αὔγουστος.
Cedren in comp. hist. Niceph. lib. 1. hist. Eccl. cap. 17.

Me puer Hebræus, diuos Deus ipse gubernans
Cedere sede iubet, tristémque redire sub Orcum.
Aris ergo dehinc tacitis abscedito nostris.

Buleng. diatr. 3 ad c. 12. Exercit. Casaub.

Baronium hæc referentem Casaubonus, pro suâ cauillandi prurigine, deridiculum habet, sed quid facias homini: cui (vt laudatus Bullengerus lepidè ait) *oculi sunt sub soleâ, vt Ægyptij loquuntur.* Decuit nimirum Verbo increato, & incarnato, nobisque, vt diuina, sancta, salutifera loqueretur, nato, Dæmonum falsa, impura, lethifera mortalibus suadentium oracula, effatáque penitus obmutescere, ac pro nihilo haberi. Decuit & ad maiorem Diuini Verbi gloriam simul & maximam Dæmonum locutuleiorum crucem, & ignominiam, à vicinitate, atque præsentiâ sacrorum cinerum, ora ipsis oppessulari.

Quartam pessimis Geniis crucem Sanctorum exuuiæ tot in locis accurarunt, quot ipsorum templa, & statuas de cœlo tactas disiecerunt, & obtriuerunt, vti à triumphalibus D. Babylæ pignoribus factitatum fuisse, cùm laudati supra historici, tum maximè S. Chrysostomus meminerunt. Supersedeo, breuitatis ergò, auream eloquentissimi Patriarchæ orationem hìc attexere; sat fuerit admirari quàm bellè nobilissimus martyr Christum hoc in præclaro facinore sit rursus æmulatus. Quemadmodum enim Christo in lucem edito ædes Paci sacra quam à Numâ conditam refert Clemens Alexandrinus (quod Baronio displicet, licet aliquibus aliter videatur) funditùs concidit: ita S. Babylæ reliquiis Daphnen translatis Apollinis templum de cœlo tactum est, eiúsque tectum conflagrauit parietibus illibatis: & sicut paucos antè menses, quàm Octauius Augustus nasceretur, *in Capitolio multæ statuæ de cœlo tactæ liquefactæ fluxerat, deiectáque fuerant alia* Simulachra, tum Iouis columnæ insistens: vt annotauit Dio, in omen futuræ victoriæ, quam Christus sub Augusto nasciturus de Idololatriâ reportaturus erat: & quam gloriosè occœpit, cùm Ægyptum Simulachris

Clem. Alex. lib. 5. strom. cap. 1.
Baron. ad ann. 1. n. 11.
Dio lib. 37. hist. Rom.

lachris efflictim addictam infans à parentibus inuectus eſt, tùm enim vniuerſa Ægypti Idola corruerunt, & vt loquitur Origenes, *Regum fabricæ in Idolis destructæ ſunt*, vt nobile illud Iſaiæ de Chriſto vaticinium impleretur. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur ſimulachra Ægypti à facie eius, & cor Ægypti tabeſcet in medio eius.* Quod Patres, & interpretes vniuerſi, vnanimi conſenſu, perfectum fuiſſe profitentur, cùm Dominus omnium in corpore, quaſi nube vectus in Ægyptum deſcendit triumphabundus. Haud multum diſpar fuit de Apollinis Daphnæi templo, ſignóque S. Babylæ martyris victoria, & triumphus, de quo hæc habet Chryſoſtomus. *Babylas, intra ſacrum templi ſeptum erat, intra quod & priùs fuerat, antequam Daphnen tranſlatus fuiſſet. At malignus Dæmon ſtatim edoctus eſt fruſtra ſibi fraudis ſuæ artificia conficta, séque non iam certamen habere cum mortuo, ſed cum eo, qui viueret, qui efficax eſſet, quique non ſe modò; ſed omnes quoque Dæmones fortitudine ſuperaret. Is enim Deum precatus ignem in templum, vt cœlitus demitteret, totum illius tectum exuſſit, ipſóque Idolo ad extremos vſque pedes deleto, eodémque in cinerem, ac puluerem redacto, ab omnibus parietibus, qui ipſi integri adhuc ſtant, abſtinuit.* Hæc & alia, quibus huiuſce incendij mirabilitatem facundiſſimus Patriarcha eſt proſequutus, ſed paucula delibaſſe ſufficiat.

Pallad. hiſt. Laus. cap. 48. Orig. hom. 3. diuerſ. S. Ath. lib. de Incarn. Verbi. Euſeb. lib. 6. de demonſtr. cap. 20. &c. Sozom. lib. 5. hiſt. Eccl. c. 21. Niceph lib. 10. c. 31. &c. Baron. cit. n. 43 44. Interp. omnes. S. Chryſ. ſupr. cit.

Quintam crucem à Cœlituum lipſanis in eo quondam experti ſunt Dæmones, atque etiamnum identidem experiuntur, quòd ad ipſorum præſentiam omnis illorum vis magica, & infeſtatio debilitetur, eludatur, profligetur, & funditus euaneſcat. Multus eſt in hoc argumento è Societate noſtrâ, Petrus Thyræus, multus Martinus Del-rio, qui octauum aduerſus maleficia ſupernaturale remedium numerat, Sanctorum, qui in cœlis beatitudine perfruuntur æternâ, reliquias, de quibus illud, vt in cœlis, ſic in terris verum: *Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.* Ex innumeris quæ in Eccleſiaſticis hiſtoriis referuntur, exempla illi delibant paucula, ego, è pauculis vnum, quod poſtremum Del-rio breuiter memorat, paulò fuſiùs ex Theophylacto Simocattâ hîc dabo. *Eodem anno* (nempe ſub initia imperij Mauritij) *Paulinus quidam, ciuis haud obſcurus, & doctrinis liberalibus inſtructiſſimus, qui animam ſuam in barathrum præſtigiarum, incantationúmque demerſerat, deprehenditur. Modus, quo ſceleris huius compertus eſt, plurimum admirationis habet, quem exponemus. Erat venefico huic peluicula ex argento, eâ hoſtiarum, quas Dæmonibus ſacrificabat, ſanguinem excipere ſolebat, quoties eorum colloquio vti liberet. Hanc pretio vendidit argentariis: emptam illi præ foribus domunculæ ſuæ venalem proponunt. Eo ipſo tempore Antiſtiti Heracleæ, quæ olim dicta eſt Perinthus, Byzantij commorari neceſſe erat. Is venditionis cauſâ fortè ſuſpenſam malefici peluim conſpicatus, eam percupidè mercatur, & ad ſedem ſuam reuertitur. Quia verò diuinitus ſtillans vnguentum, ſiue oleum*

Thyr. part. 3. diſp. de Dæmon. c. 43. Del-rio lib. 6. Diſquiſ. Magic. c. 3. ſect. 3. quæſt. 3. Pſ. 138. v. 17. Simocatta lib 1. de reb. Maurit. c. 11.

de ossibus Sanctæ Glyceriæ Martyris ænea peluis etiamnum excipiebat, Episcopus rei tam venerandæ reuerentiâ tactus, vascula commutat, & à cultu sacratissimo æneum remouens, argenteum cœlesti stillicidio supponit. Ex eo operum mirandorum riuus desinit, fons gratiæ euanescit: non prodit publicitus vim suam Martyr, beneficium retrahit, donum aufert, sibique legem indicit propter detestandum excipulum vnguento in posterum non scaturire. Sanè quod purum est non debet impurum contingere, vt aliquid externæ eruditionis narrationi commodè inferam. Hoc cùm diebus compluribus euenisset, calamitatémque rumor per ciuitatem dissipasset, Episcopus sese in luctum dat, & quod fiebat, lamentatur: effectorum supra naturam interruptionem deplorat, donum reposcit, detrimentum non sustinet, causam indagat, dedecus indignatur; Ecclesiáque re tam admirabili viduata, vitam sibi vitalem non putat. Igitur ieiuniæ, & comprecationes instituuntur, profunduntur lacrymæ, ducuntur gemitus, totæ noctes in Deo suppliciter rogitando ponuntur, coniunguntúrque omnia, quæ iram eius conuertere in misericordiam possunt. Cùm itaque Deus, & execrandum illud & iure auersaretur, & ignorantiam iustè miseraretur, Episcopum de abominandis sacris in pelui illâ factitatis per quietem monet. Ille nihil moratus, peluim argenteam templo subducit, illatámque in medium æneam, perinde vt castam, & antiquam famulam, & virginem aliquam incorruptam, pro execrandâ præstigiatrice, venerabili monumento rursum subiicit. Statim sese miracula denuo effundunt, oleum depluit, beneficium scaturit, donum profluit, lacrymæ inhibentur, luctus præciditur, tristitia fugatur, piaculúmque detestabile perinde, vt in columnâ incisum cognoscitur ab omnibus, & peluis ænea postliminio gloriam suam recuperat. Reliqua de supplicio, quo Paulinus magus, filiúsque in nefariis impiisque strophis, carminibus, magicisque artibus patris discipulus & socius, de Imperatoris Mauritij sententiâ; multati sunt, quòd ad rem nostram faciant minus, exscribere prætermitto.

Ex his aliisque crucibus, quæ pessimis illis Geniis à venerabilibus Sanctorum lipsanis obueniunt, tantâ perturbatione, verecundiâ, metu, & horrore obruuntur infernæ illæ laruæ, vt ad ea propius accedere, quàm quod maximè refugiant, & auersentur. *Sume enim quempiam à Dæmone correptum, ac furentem* (Chrysostomi hæc oratio est) *& ad sanctum illud sepulchrum deduc, quo Reliquiæ Martyris* (scilicet Iuliani) *continentur, tum resilientem planè, atque fugientem videbis: vt enim si per prunas incessurus esset, sic ab ipso vestibulo statim exilit, & ne oculos quidem aduersus ipsam thecam audet attollere*: Sed ne tantùm infesto Dæmonis hospitio irretitos mortales id horroris pati causeris; en tibi sanctissimi Patriarchæ super ipsorummet cacodæmonum auersione, & fugâ pulcherrimam orationem. *Multis solibus illustriores sunt martyres & magnis luminaribus clariores. Propter eos, si dici potest, cœlo ipso ornatior terra lætatur. Sed in hac comparatione non attendas cinerem*

S.Chrys. hom. in S.Iulian.

Idem hom. de S.Babyla.

Idem hom. in SS.Machab.

Sanctorum corporum, nec fauillam reliquiarum carnis, omniáque ossa consumpta temporibus: sed aperi oculos fidei, & vide eos diuinâ virtute, & gratiâ Spiritus Sancti amictos, & diuini luminis claritate radiantes. Non tales de superno solis circulo in terram radij iaciuntur, quales à corporibus eorum prosiliunt coruscâ luce fulgores, & ipsos Diaboli oculos inuidentis obcæcant. Nam vt audaces latronum duces, siue impij sepulchrorum effossores, si fortè dum prædas agunt, aut spolia capienda conquirunt, in arma, loricam, clypeum, galeam, auro tota fulgentia, vel ornamenta Imperatoris incurrerint, quamuis cupidi prædarum, tamen ita, agnitis regiis insignibus deterrentur, vt fugiant, neque cominus accedere vel contingere audeant, vnde sibi non compendium procedere, sed periculum praeuident imminere, si quid audeant vsurpare. Ita profectò & Dæmones, qui verè latronum & principes, & magistri sunt, vbi coronatorum martyrum corpora viderint posita, longè illico à conspectu eorum pauidi fugiunt, & absiliunt. Non enim ad naturam eorum hîc interim mortalem intendunt, sed in arcanam dignitatem, & gloriam Christi, qui in agone certantium induta corpora martyrum suorum, sicut arma portauit. Huiusmodi enim armis non angelus, non archangelus, non vlla alia creaturæ virtus induta est; sed ipse Dominus virtutum, & angelorum, sicut Paulus clamat dicens: An experimentum quæritis eius, qui loquitur in me, Christus? Sic & isti clamare possunt, ac dicere; An experimentum quæritis eius, qui certauit in nobis, Christus? Sic ille, apud quem alibi, *non ita fulgur è cœlo demissum nobis terribile videri solet, vt martyris* Pelagiæ *corpus ex alto delatum fulgure grauius Dæmonum turmas tunc perterrefecit.* His, aliisque id genus aptissimis similitudinibus cùm ipsemet facundissimus Patriarcha, tum alij Sancti Patres ignominiosam cacodæmonum fugam, & sacrarum reliquiarum horrorem inexplicabilem explicare, exprimereque tentarunt.

2. Cor. c. 13. 3. Id. hom. de S. Pelag. virg. & mart.

Verùm hic fortè non inutiliter anquirat aliquis, veréne aliqua virtus Sanctorum reliquiis insita sit, quam Dæmones ferre non possint? Cui difficultati aliquot effatis faciam satis, si antè præmisero triplicem spectari posse virtutem, siue efficientiam. Vnam *merè naturalem*, alteram *merè supernaturalem*, tertiam ex vtraque *mixtam*, siue conflatam. *Merè naturalem* eam vocito, quæ ex naturæ principiis oritur: qualis est in igne facultas comburendi. Merè supernaturalem appello eam, quæ nullâ insitâ sua vi, sed solius causæ superioris imperio, voluntate, atque effectrice potentiâ quippiam conficit (vti est in eodem igne, vis illa mirabilis, quâ in piaculari carcere (quem *Purgatorium* dicimus) soluti corpore animi discruciantur. *Mixta* est, quæ partim inditâ sibi vi, partim superioris causæ ope, atque præsidio effectum quidpiam dat: quo modo pulsante cytharam Dauide Saül à Dæmone infesto melius habebat. His præmissis

1. Reg. c. 10. v. 13. Toyr. loc. cit. Delrio lib. 2. disquis. magic. q. 30. sect. 3. & lib. 6. c. 2. q. 3. sect. 2.

Assero primùm, vim naturalem, quâ Dæmonia terreantur, vexentur, abigantur, Sanctorum cineribus, vel quibuslibet ipsorum lipsa-

nis

nis penitus inesse nullam. Quid enim à naturâ roboris, & facultatis directè, ac proximè habere possunt, in spiritus ab omni materiæ concretione secretos, exucca mortalium corpora? in mentes vitâ immortali donatas emortui cineres? in malos Genios tenuissimus defunctorum puluisculus? cùm nulla inter illa naturalis intercedat habitudo, viriúmque proportio, quâ inuicem committi, ne dicam, expugnari possint. Eapropter pereruditè proximè à nobis laudatus Chrysostomus monuit, Dæmones *in naturam* Diuorum *minimè intendere*, cùm *ab* eorum corporum *conspectu pauidi fugiunt*, *& absiliunt.*

Secundùm assero, Nullâ pariter mixtâ facultate Cœlituum exuuias pollere, quâ pessimos Genios torquere, ac fugare queant: Cùm enim Sanctorum reliquias omnis efficientia ex penitissimis naturæ orta principiis penitus deficiat, quî possit esse mixta? Nec tu mihi salutiferum Callionymi piscis iecur, cuius suffitu Raphael abegit à Tobiâ Dæmonem, memora. Nam si cum Del-rio, aliisque dixero, illum ad effugandum *Dæmonem directè* saltem, contulisse nihil, quid euinces? si cum Serario malim concedere liberaliter, fumi illius aduersus Dæmonem efficientiam *quadantenus naturalem* extitisse: nulla iam erit inter Diuorum reliquias, & Callionymi iecur comparatio.

Tob.c.6.v.8. & 19. Del-rio ibid. Serar. in. c. 8. Tob. quæst. 2. 3.

Assero igitur tertium, mirabilem illam virtutem, quâ Dæmones ad sacras Beatorum exuuias exagitantur, eiiciuntur, ac profligantur, à Dei vnius omnia potente, pollentéque Numine proficisci: quod prudenter voluisse, ac censuisse Chrysostomum, hæc superiùs allata ipsius verba liquidò satis manifestant. *Sed in arcanam dignitatem, & gloriam Christi, qui in agone certantium induta corpora martyrum suorum, sicut arma portauit.* Vult enim Dæmones è corporibus humanis, quæ insederant, turpiter exactos, vnius Christi hominis-Dei *arcanam potestatem* potiùs, quàm infirmam *corporum naturam* reformidasse; quippe qui nouerant illis, velut armis chalybe induratis, tùm in agone aduersus tyrannos, tùm in sui abactione aduersus seipsos, Christum vsum fuisse, ad maiestatem, & potentiæ suæ *gloriam* magis, magísque illustrandam. *Id in simili causâ egregiè demonstrasse Apostolum Petrum,* noster obseruauit Thyræus: *Cùm enim aliquando quendam ex vtero claudum curasset, & ob id in se omnium oculos, vultúsque conuertisset, hac oratione à se in Deum, patratum miraculum amolitus est. Viri Israelitæ,* inquit, *quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostrâ virtute, aut potestate, fecerimus hunc ambulare. Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus patrum nostrorum, glorificauit filium suum Iesum. In fide nominis eius, hunc, quem vos nunc videtis, & nostis, confirmauit nomen eius, & fides, quæ per ipsum est dedit integram sanitatem istam, in conspectu omnium vestrum.* ita Petrus.

Thyr. supr. cit. n.17. Art.3.v.12.

Ad vltimum tamen assero verè triumphales Sanctorum exuuias profligare potuisse Dæmones virtute omnia potentis obedientiæ, siue (vt loqui amant, Theologi) *potentiæ obedientialis* vi, per quam res omnes

creatæ

creatæ nihil non poſſunt, omnipotentis Dei imperio, voluntati, effectricique potentiæ obſecundantes, modò nulla contradictio inuehatur. Iam verò eáne vis potentiáque cerei, perfectíque obſequij, quæ Diuorum ineſt pignoribus, Phyſica ſit, an moralis? viderint in ſuis exedris Theologi, quos inter omnium nouiſſimè, R. P. Ioannes Baptiſta Roſſi, peræquè humaniorum literarum ac Theologicarum diſciplinarum ſcientiſſimus, mihíque longè cariſſimus, eruditos de potentiâ obedientiali commentarios iuſto volumine elaborauit. Hos, vt voluas, ſum auctor. *Roſſi comment. de potent. obedient.*

Hactenus de multiplici fine, propter quem Deus Opt. Max. voluit Sanctorum ſuorum corpora membratim, & partitè à noſtris Myſtagogis diuiſa per Orbem Chriſtianum religioſâ diribitione diſtribui, abundè ſatis eſt diſputatum, vt ex his intelligat nonnemo, quàm parum baſilicè, piè, parúmque *Eccleſiæ Catholicæ* (ſi ſuperis placet) *defenſori* congruenter, Sereniſſimus Brittanniæ Rex, Iacobus, animo ſanè ſaniori, & veriori fide dignus cenſuerit, ſcripſeritque beatarum mentium exuuias ab Orthodoxis incidi, diuidi, & vbique gentium aſſeruari *ad eius infamiæ imaginem, quam perditis hominibus, publicóque iudicio damnatis conſtituimus in pœnam poſt mortem duraturam.* Intelligat à piâ, & laudabili ſacrarum reliquiarum diſtributione ſuſcipiendam, & ſuſpectam earundem, quæ in diuerſis Eccleſiis ſeruantur, coluntúrque, multitudinem potuiſſe ortum accipere, vel incrementum: intelligat denique quanto cum pietatis ſenſu Fideles Beatarum mentium exuuias, vti rem ſacram, glorioſam Deo, Chriſto percharam, Eccleſiæ vtilem, opportunam imperiis, mortalibus ſalutarem, ad extremum Dæmonibus nimiùm quantùm terribilem, ac formidandam, vbicunque terrarum, locorum, & gentium aſſeruentur, debeant exoſculari, ornare donis, & religioſâ proſequi veneratione.

Hic ego finem dicendi facturus, priori huic libro, coronidis inſtar, piiſſimam hanc Beati Chryſoſtomi parænesim, conſilium, & orationem impono. *Quemadmodum qui ſuas ædes ſplendidiores, & elegantiores reddunt, floridâ eas picturâ vndique exornant, ſic & nos in mentis noſtræ parietibus cruciatus martyrum*, imo & aliorum omnium Sanctorum ſpontaneas cruces, & præclara virtutum facinora *depingamus. Nam illa quidem pictura eſt inutilis; iſta verò plena commodorum: non pecuniis indiget, non expenſis, neque adeo vlla pictura hæc: ſed vice omnium promptam voluntatem, mentemque generoſam, ac vigilantem ſufficit adhibere, atque his quaſi manibus peritiſſimos ipſorum deſcribere cruciatus. Depingamus ergò in animâ noſtrâ hos iacentes in ſartagine, illos autem ſuper carbones extenſos; hos in lebetes deiectos, illos in mare demerſos; alios vngulis laceratos, alios in rotâ diſtentos, alios in præcipitium actos; atque hos quidem cum beſtiis depugnantes, illos verò in barathrum deuoluos, vt cuique contigit, mortem oppetere*: vno verbo reliquorum Cœlituum incruentos, & triumphales agones exprimamus: vt huius *picturæ varietate domum noſtram illuſtriorem cùm reddiderimus, aptum cœlorum* *S. Chryſ. hom. in SS. Mart.*

Regi diuersorium præparemus. Etenim si eiusmodi viderit in nostrâ mente picturas, veniet cum Patre, & mansionem apud nos faciet cum Spiritu sancto, eritque deinceps regia quædam mens nostra, nulláque in eam ingredi poterit absurda cogitatio, dum martyrum, & eorum maximè, quorum perfruimur lipsanis, Diuorum *memoria, velut pictura quædam omni tempore in nobis manebit, multúmque in eâ splendorem emittet, atque in nobis Rex vniuersorum continuè diuersabitur. Quòd si ita Christum in hac vitâ susceperimus, post nostrum discessum, poterimus in æterna recipi tabernacula: quod nobis omnibus præstare dignetur gratia, & benignitas Domini nostri IESV CHRISTI, per quem, & cum quo Patri gloria vnà cum sancto, & viuifico Spiritu, in sæcula sæculorum,* Amen.

FINIS LIBRI PRIMI.



LIBER



LIBER SECVNDVS
DE
VERIS RELIQVIIS
IN TANTA EARVMDEM
MVLTITVDINE SECERNENDIS, ET ADORANDIS.



VOMODO in tantâ, tamque numerosâ earumdem numero ſacrarum Reliquiarum multitudine, veræ à ſuppoſititiis & adulterinis, atque prototypæ ab ectypis internoſci poſſint? & an omnes? quóue cultu, & veneratione affici debeant? rogantem me ijſdem libenter compellabo verbis, quibus Elias abiturus, vel potius in fœlicem, ac ignotam mortalibus regionem igneo curru inuehendus Eliſæum flebiliter expoſtulãtem, ac ſupplicabundum, vt in ſe *duplex eius fieret ſpiritus*, olim blandè affatus eſt, *rem difficilem poſtulaſti.* Nec iniuriâ idem dixero. Res enim perquàm ardua, & intricata eſt in tam copioſâ eiuſdem generis Reliquiarum vi, vera à ſuppoſititiis, & prototypas ab ectypis ſecernere: Siquidem verendum eſt (vt loquitur Petrus Gregorius prorſus verè, ac prudenter) *ne ſi liquido non conſtet, quæ veræ ſint Reliquiæ, pro falſis veras improbes, vel ne vtriſque veris, impiè de aliquibus iudices: & proinde tunc, vbi ambiguæ vtrinque promuntur probationes, conſultiùs ſit, ſi intacta res relinquatur, per iudicium non liquere. Stricta namque ratio nonnumquam in ambiguis Religionis quæſtionibus omitti ſolet: cùm ſumma ſit ratio, quæ pro religione facit, nec auſus eſt Angelus Michael, cùm diſputans altercaretur cum Satanâ de corpore Moſis, illi inferre iudicium blaſphemiæ, ſed ad Deum reiecit, dicens imperet tibi Deus.* Hæc ille.

4 Reg. c. 2. v. 10.

Petr. Greg. part. 1. ſyntagm. iur lib. 2. cap. 12. num. 4.

S. Iudæ canon. v. 9.

Iam mirare inter Eccleſias, Vrbes, Populos, & Prouincias Catholicas interdum religioſas ſuper Diuorum Reliquiis controuerſias intercedere; quandoquidem etiam inter Angelos pro Moſis pignoribus, ſiue lipſanis incensâ contentione olim decertatum fuit. Angelicæ verò contentionis quod fuerit princeps caput, non ſatis liquet, dum alij

Serar. in Epi. S. Iudæ. alia censuerunt. Ego autem ad Serarij nostri sententiam libens concedo, qui non dubiâ opinione ductus existimauit Archangelum Michaelem non esse ausum Diabolo notam impingere maledicti, vt fert versio Tigurina, siue meritum ipsi conuitium ingerere, quòd ille venerabile Mosis corpus in terra Moab idolorum cultui addictâ condi vellet; sperans fore, vt pro more Paganorum, vel inhonorè tractaretur, vel eius loco infame aliquod idololatræ corpus sufficeretur (quæ mea suspicio est) vel debitis honoribus priuaretur. Cùm e contrario S. Michael Iudaicæ gentis tutelaris genius Mosaicas illas exuuias non tam in paradisum terrestrem, quàm in terram Chanaam vero Numini consecratam inferri sepeliendas, acerrimè contenderet. *Glyc. 2. part. Annal. Pantal. or. de S. Michaele.* Nihil enim absonum, & indecorum est, si Ecclesiæ, Vrbes, populique orthodoxi aliquando in magnam, & acrem animorum veniant contentionem pro beatis sanctorum pignoribus sibi religiosè vendicandis; de quibus ferre sententiam, & iudicium pronuntiare, vtræ sint veræ, vel adulterinæ? germanæ, an subdititiæ? protypæ, an ectypæ? vt non cuiusuis est, ita & summopere obscurum, & implicatum videtur. Eapropter *magnam à maioribus semper adhibitam fuisse diligentiam*, testatur Baronius, ne quid sanctarum Reliquiarum inexploratum, & à Pontificibus nondum approbatum à Fidelibus admitteretur, admissúmve coleretur. *Baron. tom. 1. Annal. Eccl. ad ann. 55. n. 19. 20.* Verùm, vt hæc subsit difficultas, nihil tamen verebor aliquot huiusce difficultatis extricandæ rationes primùm indagare easque in medium adducere, quibus si non quidem singulis, at coniunctim consideratis, vera diuorum pignora ab adulterinis, germana à suppositititiis, prototypa ab ectypis in tantâ earumdem multitudine valeant internosci. Tùm an eædem tanto in numero vniuersim à Fidelibus coli, & quo tandem cultus genere adorari debeant, disquirere tentabo. Hæc dicendorum, hæc libelli summa.

PARS PRIOR.

QVI VERÆ RELIQVIÆ IN EARVNDEM multitudine dignosci possint?

TRiplex in vniuersum ad illud via menti se offert meæ. Prima est, quâ per humana; secunda, quâ per diuina; tertia, quâ permixta humanis, diuinísque præsidia in numerosâ earumdem Reliquiarum copiâ, veras à falsis secernere aliquo modo possumus. Hac triplici ratione, veluti totidem prælucentibus tœdis, aliquid in tam densâ nocte peruideri posse credo, & spero, sed ad singula, fauentibus superis, descendamus.

CAPVT



CAPVT PRIMVM.

HVMANA PRÆSIDIA.



VAMVIS in rebus sacris, diuiniſque perueſtigandis humana aduocare præſidia videatur à ratione, quàm quòd maximè alienum; nihilo tamen minus, vel ipsâ duce, ac magiſtrâ experientiâ perdocemur, ita cœleſti lege comparatum eſſe, vt mutuam ſibi operam humana, diuinàque commodent, vt vbi deficiunt humana, adſint & adiutent diuina. Apud Clementem Alexandrinum *Plato, qui eſt ex Hebræis Philoſophus, iubet agricolas non irrigare, neque aquam ex aliis ſumere, niſi cùm prius apud ſe foderint, vſque ad terram (quæ virginalis dicitur) & terram aridam, & aquæ expertem inuenerint, quàm* (vt nunc habent Platonis codices) *cretam* ipſe appellat, vt annotauit Heruetus: Idcirco autem forſitan Stromateus Platonem *ex Hebræis Philoſophum* vocitat, quod (vt ipſe ait) *hanc ſuam legem ex Hebræis hauſerit fontibus*, nempe ex Salomone Philoſophorum, mortaliúmque ſapientiſſimo, cuius hæc verba ſunt, *bibite aquam de vaſis veſtris*, ſiue, vt noſtra tranſtulit verſio. *Bibe aquam de ciſternâ tuâ, & fluenta putei tui.* Salomonis ſtylo nos præmonente diuini numinis ſapientiâ, vt in rebus abſtruſis diſquirendis, & inueniendis. antè vſitatis communibus, & humanis, quæ nobis ad manum ſunt, præſidiis, & adiumentis vtamur, quàm ad extraordinaria, mirabilia & diuina recurramus, ne nobis illud Iudithæ quis meritò occinat, *& qui eſtis vos, qui tentatis Dominum?*

Clem. Alex. lib. 1. ſtrom. cap. 1. Plato lib. 7. de leg.

Heruet. in cit. Clemen. loc. & Collectan. in eund. Prou. cap. 5. v. 15. Salaz. in en- nd. Salom. loc.

Iudith. cap. 8. v. 11.

Ergo ab humanis ordiemur præſidiis, quæ non parum conferre poſſunt ad eam, quâ de agimus, diſquiſitionem. Ea verò ad quinque ſexue præcipuè reuoco, videlicet ad Reliquiarum ipſarum affectiones; tabularum, & titulorum auctoritatem; conſtantem famam, proborum hominum teſtificationes & Eccleſiarum antiquam traditionem; demum ad Regum, Epiſcoporum & Pontificum reſcripta, quibus addam preces, ieiunia, & reliquas corporis afflictationes; picturas veteres & ſacra ſigna templorum parietibus appicta, affixa, ſuſpenſa, & alia id genus ſingula totidem articulis expendemus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Sanctarum Reliquiarum Affectiones.

S. Carolus Borrom. in Concil. Prouinciali Mediol. 4. cap. de SS. Reliq.

PRudenter omninò, & iure sanctissimus Cardinalis Carolus Borromæus, inter cæteras regulas, quas in sacris Diuorum pignoribus recognoscendis, seruandas præscripsit, hanc nominatim esse voluit, *vt singulæ sacræ Reliquiæ, quas extare compertum est, reipsâ cernantur.* Imperfectiùs enim pleraque nos docent, sicut &

Segniùs irritant animos demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

Quod cùm in quamplurimis aliis rebus vsu veniat, tùm in recognoscendis sacrosanctis Reliquiis hoc veriùs esse euincitur; quò magis ab earum inspectione totum huiusce disquisitionis negotium dependet, ac certò constat. Hinc vides, quàm sapienti consilio Eminentissimus Palæottus Cardinalis recogniturus beatas sanctorum Vitalis, & Agricolæ Martyrum Bononiensium exuuias anatomices peritissimos aduocarit, vt quamlibet ipsarum partem recognoscerent, & antè compellarent, quàm suis ipsis, pro more, thecis occluderentur. Cùm ergò cōsulendi sint imprimis fideles oculi; hæc mihi præsertim sedulò despicienda videntur, cum Signio, qui aliqua paucissimis verbis delibauit.

Palæot. Card. in Concil. Prou. Bonon. 4. part. de translat. SS. Reliq.

Signius Reliquiar. c. 2. S. Ambr. lib. 10. epist. 85.

Principiò *corporaturam Sanctorum* (vt ipse loquitur) *hoc est, staturæ proceritatem, vel paruitatem, si ex historiis haberi queat, animaduertendam puto.* Illâ cautelâ lego vsos non paucos, & ex omnibus maximè D. Ambrosium, vt inuenta recens à se lipsana, veras & germanas Sanctorum Geruasij, & Protasij esse exuuias, tùm ipse colligeret, tùm Mediolanenses intelligerent vniuersi, *Inuenimus*, inquit, *miræ magnitudinis viros duos, vt prisca ferebat ætas, ossa omnia integra, sanguinis plurimum.* Præclarè, ac sagaciter Antistes sapientissimus monuit, addiditque (*vt prisca ferebat ætas*) *quod pro ætatum varietate, maximæ in corporum humanorum mole varietates extiterint*, fiántque in dies nouæ, ne dicam deteriores, vt de nostro hoc æuo iure illud Satyrici vsurpare possis.

Plin. lib. 7. hist. natur. c. 16. Iuuen. satyr. 5. Temporar. pag. 10. Gen. c. 6. v. 4. S. Cyrill. lib. 3. in Gen. & lib. 9. in Julian. Theodor. quæst. 48. in Genes. Salian. tom. 1. Ann. Eccl. Vet. Test. ad ann. 1042. n. 9.

Terra malos homines nunc educat, atque pusillos.

Ecquis ergò & Tibilo, & conuitio semporarium non consectetur, quem non puduit pro reformata sua libertate sacrarum paginarum veritati repugnando asseuerare nūquam, ne quidem ante diluuiū homines maiore, quàm nunc sunt staturâ fuisse, quod vsquā memoriâ proditum sit? Quem cùm Patres omnes, interpretes sacri, & Annalium Ecclesiasticorum veteris testamenti conditores vniuersi iampridē falsi conuicerint, non est cur in eius vesanâ opinione refutandâ diutiùs immoremur. Maluit nimirum (vt nouæ Sectæ, ita & veterum errorum assectator) cum aliquibus antiquorum sentire, ac credere *magnitudines corporum*

longè

longè ampliores olim non fuisse, quàm nunc sunt (vt loquitur Augustinus) qui auctoritate nobilissimi ac doctissimi Latinorum poëtæ eos egregiè confutat, apud quem (is est Virgilius Maro) *vir fortissimus illorum temporum, pugnans, lapidem ingentem, & rapuit, & cucurrit & intorsit, & immisit.*

S. Aug. lib. 15. de ciuit. Dei c. 9. & 23.

Vix illum (inquit) *lecti bis sex ceruice subirent,*
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Significans maiora tunc corpora producere solere tellurem quantò magis temporibus recentioribus mundi, ante illud nobile, diffamatúmque diluuium. Sed de corporum magnitudine plerumque incredulos, nudata per vetustatem, siue per vim fluminum, variósque casus sepulchra conuincunt; Vbi apparuerunt, vel vbi ceciderunt incredibilis magnitudinis ossa mortuorum: Et ne quis crederet ipsum plus nimiò alienæ fidei, dictísve tribuisse subinfert Sanctissimus Antistes: *Vidi ipse non solus, sed aliquot mecum in Vticensi littore molarem hominis dentem tam ingentem, vt si in nostrorum dentium modulos minutatim concideretur, centum nobis videretur facere potuisse, sed illud gigantis alicuius esse crediderim.* Hactenus Augustinus dentes similiter Beati Simeonis stylitæ suâ figurâ indicarunt (inquit Euagrius) *qualis diuinus ille Simeones fuerit, & quâ staturâ.* Iam tecum ipse reputa, quantum inter huiusce nostri æui mortales, & priorum sæculorum homines discrimen magnitudinis intercedere necesse sit; Si ætate Virgilij, vel Augustini iam mortales à priscis illis Gigantibus, mole corporis tantopere abfuerunt, téque cum exploratoribus terræ promissæ Israelitis credo confestim exclamaturum. *Vidimus monstra quædam filiorum Enacim degenere gigantæo, quibus comparati, quasi locustæ videamur.* Vides ex his quàm prudenter Sanctus Ambrosius ex mirâ magnitudine corporum SS. Geruasij, & Protasij coniecerit, se veras, germanásque ipsorum exuuias ex diuino monitu adinuenisse. Idem factitatum in sacra Diui Sosij Martyris pignorum inuentione, ex Ioanne Diacono illius vitæ, & inuentionis scriptore narrat Surius, eius enim staturam quinque pedum, & sex digitorum prolixam fuisse obseruauit, quæ corporis, seu staturæ amplitudo ea fuit, quàm in tyronum delectu olim Romani exigere consueuerant, apud quos illa iusta censebatur, si senos, vel certè quinos pedes, & denas vncias habere probarentur, vt scribit Vegetius. Imperatores Valentinianus, & Valens totidem pedes, & septem vncias vsuales ad iustam tyronum proceritatem exigi voluerunt. At ne puta pedem Romanum adeò fuisse breuem, quin aliarum gentium pedem longitudine superarit, quod in lectione historicorum diligenter est obseruandum, ne facilè erretur. Ogygius apud Erasmum exhibitum sibi fuisse memorat in Anglicanâ peregrinatione articulum humani digiti è tribus maximi, quo exosculato, cuius essent Reliquiæ? rogitantem se didicisse Diui Petri Apostolorum Principis: tùm articuli magnitudinem, qui gigantis videri poterat, contemplatus, *oportuit* (inquam) *Petrum fuisse virum prægrandi corpore. Ad hanc vocem*

Vide. Plin. loc. cit. Fascl. lib. 1. rer. sicul. dec. 1. c. 6. Ibid. Idem, S. Aug. qui prægrandes illos homines, staturosos appellat.

Euagr. lib. 1. hist. Eccl. c. 13.

Numer. c. 13. v. vlt.

Ioan. Diac. apud Sur. tom. 5 vit. 23. Sept.

Veget. lib. c. 1. 5. Cod. Theod. de tyron. l. 4. & 5.

Erasm. colloq. peregr. sæpe cit.

è comitibus quidam in cachinnum solutus est. Id certè molestè tuli, Nam si is siluisset, æditus nos nihil celasset reliquorum. Hæc de se Ogygius. Subodoror in istiusmodi conficto tam bellè cachinno, Caluinianam fidem, & pietatem, quâ irreligiosior ille Ogygij comes sacrum S. Petri lipsanum (vt loqui assolent Lipsanomachi) *subdititium, & adulterinum* esse crederet, seque ita credere, significaret reformato illo suo cachinno: quasi verò B. Apostoli articulus, vt ea ferebat ætas, longior ad magnitudinem, & mensuram articulorum proximè superioris æui mortalium perquàm accuratè exigendus esset; sed dandum est aliquid hominis cachinnantis ignorantiæ, aut incogitantiæ potiùs, quàm irreligiosæ infidelitati. Rudolphus Abbas S. Trudonis agens de corpore S. Gereonis inuento, ad rem nostram appositè sic scripsit. *Eleuato autem superiori lapide de Sarcophago post octingentos, & aliquot plures annos Martyrij Thebæorum, inuentum est in eo corpus magnum per scapulas amplum, per pectus, & brachia torosum; indutum chlamyde militari purpurei coloris,* & reliqua lectu periucunda, quæ volens prætermitto. Aigulphus multò emunctioris naris, & maioris religionis, quàm Ogygius ille Erasmianus se esse probauit, cùm Cœnomanensibus impensè supplicantibus, virgineum S. Scholasticæ corpus donare certus, ne D. Benedicti exuuias imprudens impertiretur, vt vtraque ossa indistinctè vnâ eâdem capsâ includebantur, Ex Aristotelis placito minora secerni, vtpotè fœminea, iussit, simúlque collecta tanquam ipsissimæ Scholasticæ ossa, præeunte diuino calculo (vti post paulò inferiùs, articulo quinto dicemus) Cænomanensibus est elargitus. Tanti est sacrorum pignorum magnitudinem pro temporum varietate prudenter spectare. Beatâ Scholasticâ multò proceriorem extitisse sanctam Euphemiam, gloriosissimam Martyrem, hæc verba Euagrij manifestò euincunt. *Intra testitudinem ad orientem, est sacrarium decorè instructum, in quo sanctissimæ martyris reliquiæ in capsâ bene longâ (quam propterea quidam μακρὰν, id est longam, veluti proprio nomine, appellant) eâque ex argento valde scienter confectâ conditæ reponuntur:* vt capsæ magnitudo Diuæ corpori responderet.

Rudolph Abbas in Vit. S. Gereon. apud Sur. tom. 6. Vit. SS. 24. Nou.

Io. à Bosco. supr. sæpe cit.

Arist. problē, sect. 10. quæst. 38.

Euagr. lib 2. hist. Eccl. cap. 3.

Neque tantùm temporum, sed etiam locorum habendam volo rationem, quòd non mediocris à soli, cœlique varietate molis humanorum corporum existat varietas. *Corporum proceritatem hominibus sub glaciali & æstuosâ mundi plagâ natis; medio verò terræ, modicum corporum habitum,* experientiâ magistrâ tribuit Plinius. Cui præiuit Aristoteles, quo teste *Vtrique magno corpore adolescunt, eò quòd, qui frigida colunt, insito calore abundant: qui calida, calore loci refouentur: quippe cùm in calidis, & à calore incrementum sequatur: frigus autem vim adstringendi, constipandíque habeat. Cùm igitur alteri principium in se vehemens augendi obtineant; alteri nullo extremo frigore impediantur, meritò vtrique augeri possunt pleniùs.* Hæc Philosophus: cui patrocinatur natura, vnum ex Floro exemplum petere placet. *Rex Teutobocchus quaternos, senósque equos transilire solitus* (inquit ille) *proximo in saltu comprehensus*

Plin. lib. 2. hist. nat. cap. 78.

Aristot. problem. sect. 13. quæst. 8.

Flor. lib. 3. cap. 3.

comprehensus exercitui Mariano *ingens spectaculum fuit, quippe vir proceritatis inter Cimbros suos eximiæ supra trophæa ipsa eminebat.* Eleganter, atque pro more humano pereruditè, Regem illum glaciali è solo profectum trophæa ipsa supereminuisse scribit, vt eximiam ipsius proceritatem aptiùs exprimeret: quòd victoriarum gloriæ, trophæísque excitandis præalta, & annosa arbor, &, vt plurimum maximi senij quercus à victore quærebatur. Præluxit suis Romanis exemplo primus omnium Romulus, qui Acrone deuicto δρυῦ ὑπερμεγέθη *quercum supra modum excelsam, ponendo Ioui trophæo selegit:* quem sequutos fuisse posteros Virgilius, Claudianus, Sidonius Apollinaris, aliíque poëtæ vel ingeniosè finxerunt, vel verè scripserunt: eámque maximè ob causam, vt grauibus hostium interemptorum armis ferendis arbores pares essent, & longiùs prospectui paterent.

Plutarch. in Romulo.

Virgil. 11. Æneid. v. 5. Consule Seru. La Cerda Pontan. &c. Interpr. Claudian. paneg. 2. Stilic. Sidon. Apol. carm. 2. & 5.

Ad internoscendas igitur veras SS. Reliquiarum à subdititiis, & adulterinis, operæ pretium erit diligenti, fidelíque oculo explorare ipsarum molem, & quæ fuerit SS. illâ ætate, sub illo cœlo, & in illo solo corporum magnitudo? quæue paruitas? sedulò ex veterum monumentis anquirere, vt faciliùs de earum veritate, vel falsitate constet. Hinc factum est, vt quædam ossa, quæ SS. Innocentibus alicubi adscribuntur, veræ, ac legitimæ illorum infantium exuuiæ ab aliquibus minimè censeantur, vt his verbis testatur Caietanus. *Nec obstat ætati bimatus, quia monstrantur ossa quædam Innocentium testificantia ætatem maiorem; tum quia non constat huiusmodi ossa esse illorum Innocentium, quamuis deuotio Fidelium illa veneretur: tum quia possibile fuit, vt aliqui essent ibi Innocentes, futuri proceræ staturæ, ac per hoc ex tunc habentes maiora ossa, quàm communes homines.* Priorem admitto rationem, posteriorem improbo, siue quia multiplicat, vel potiùs fingit miracula sine vllâ necessitate, siue quia tam futilis, vero vix similis, & ab erudito Theologo aliena ratio videtur esse quàm maximè, siue quia illa ossa alicuius Sancti, cui ignoto fortè nomen *Innocentis*, fuerit inditum, sunt reuera exuuiæ.

Caiet. in c. 2. S. Matth.

Secundo loco, sacrorum lipsanorum color spectandus erit, vt enim is melior, vel deterior fuerit; ita magis erit in promptu assequi coniecturâ, habita temporis, quo asseruantur, ratione; quæ vera, quæue suppositiia, vel falsa existant. Enimuerò cùm ea sit rerum antiquarum, & annosarum conditio, vt languescenti, buxeo, surdo, lurido, & arido plerumque sint colore; imò etiam (vt breuiùs & veriùs loquar) sine colore consistant, ecquis amabo te siquidem sanâ mente valebit, secundum illas Diuorum Reliquias non ferat super ipsarum veritate sententiam? quas Reliquias viderit non modo natiuum, & viuidum colorem imbutas retinere; sed etiam à diuinâ bonitate, atque interminatâ potentiâ multò elegantiorem, suauiorem, diuiniorémque colorẽ duxisse? atque adeò ab annosâ suâ vetustate amœniorem nescio quem floridioris iuuentæ vigorem, ac succum traxisse diuinitus? Cuius rei mirabilitatem non pauca produnt exempla. Pri-

S.Ioan. Dam. hist.Iosaphat & Barlaam.

mum omnium adduco ex Diui Ioannis Damasceni historiâ petitum; is agens de venerabilibus SS. Barlaami; & Iosaphat exuuiis à Rege Barachiâ in Indiam transuectis hæc memorat. *Illa nullâ interpositâ morâ* (inquit) *cum ingenti populi multitudine iter init, atque ad speluncam tandem peruenit, ac sepulchrum intuetur, illicque calentissimis lacrymis fusis integumentum tollit, cernitque Barlaamum, & Iosaphat membra composito habitu sita habentes, corporáque nihil à pristino colore immutata, verùm integra, & prorsus incolumia vnà cum indumentis. Hæc igitur sacra Sanctarum animarum tabernacula suauissimum odorem emittentia, nec fœdi quidquam exhibentia, præclaris loculis imposita Rex in patriam transfert. Vt autem ea res ad plebis aures peruenit innumerabilis multitudo ex omnibus vrbibus, ac finitimis locis ad beatorum illorum corporum conspectum, & adorationem confluxit.* Hæc ille, qui deinceps multa miracula, morborúmque depulsiones, tùm in corporum transuectione, tùm in eorum inhumatione, deinde etiam posteris temporibus Dominus per suos famulos effecit De Sancti Ferreoli corpore Viennæ à Sancto Mamerto inuento, sic scribit Gregorius Turonensis.

S.Greg.Turon. lib.2.de glor. Mart.c.2.

Cúmque aperuisset & tertium tumulum, inuenit in eo virum iacentem, illæso corpore, integro vestimento, qui deciso capite, caput amplexus aliud brachio retinebat (videlicet Sancti Iuliani Martyris) *Erat enim ac si nuper sepultus, neque pallore faciei demutatus, neque capillorum decisione turpatus, neque vlla putredine resolutus: sed ita integer, inlæsus, vt putares eum adhuc sopore corporeo detineri.* En tibi natiuum, ac viuidum in vultu Sancti Ferreoli Martyris post tot sæcula efflorescentem colorem, neque, vt mortuis assolet, à fuso sanguine in pallorem demutatum, iam accipe, quo pacto à coloris disparitate Sanctæ Thomæ Apostoli exuuias ab aliis reliquiis Lusitani discreuerint *sub hæc* (inquit noster Maffeius lib. 8. hist. Ind.) id est, post perquisita inuentáque Sanctæ Thomæ lipsana, *repertum aliud cuiusdam è Diui Thomæ discipulis cadauer; cœterùm tetro, ac terreo aspectu: quemadmodum & Sagami Regis, vt si alia argumenta defuissent, ex ipsomet propemodum colore* dignosci Apostoli ossa potuerunt. Audi venerandam Sancti Ausberti Rotomagensis Episcopi faciem mirabili post mortem purpurisso rubescentem. *Cùm Hilbertus Abbas, eiúsque religiosi sanctum illius caput velamine opertum denudassent* (inquit Angradus) *tantæ suauitatis fragrantia inde manauit, veluti si diuersorum aromatum, ac thymiamatum odoribus vniuersa compleretur Ecclesia. Nam & facies illius ita in ruborem erat versa, quasi in sopore esset, viuentis effigiem gerens.* Hæc ille. Idem miraculi in exuuiis tot Sanctorum pene euenisse credo, quot olim eorum corpora post mortem incorrupta, & illibata memorantur, de quibus inferius erit dicendi locus.

Maff.lib.8. hist.Indic.

Angrad.Monach. in vita S.Ausberti apud. Sur. tom.1.vit.SS. 9.Febr. Vid.Theobald. Ep.in vit.S. Guilielm.cap. 29.

Non prætermittam hîc referre, quæ nostri Tursellinus, Orlandinus, du Iarric, & Matthias Martinez de gloriosissimo Indiarum, & Iaponiæ Apostolo, S. Francisco Xauerio vitâ functo memoriæ tradiderunt. Huius apponam verba, si antè præmisero corpus illius Apostoli

Tursell.lib.5. vit. S. Xauer. Orlandin. lib. hist.Soc. Iesu. Du Iarric. tom.1.rer. Indic.c.26. Matth. Martinez ibid.

ſtoli viuâ calce (vt erat arcâ ligneâ incluſum) ad carnem exedendam, tetrúmque odorem, qui timebatur, pellendum, prudenti conſilio fuiſſe circumfuſum, vt nuda deinde oſſa in Indiam tranſuehi poſſent commodiùs. Tertio poſt menſe Antonius S. Fidei, quem Sanctus Franciſcus Xauerius Goâ ſecum aduexerat, nauarchum *enixè, poſtulat, vt ſpectatâ fide virum mittat, qui aperto, effoſſóque loculo, an Franciſci corpus calce aſſumptum eſſet, intentiùs exploraret. Venit ille ad tumulum, arcam effodit, excuſſáque calce conſpicit corpus, mirum dictu! prorſus integrum reperit, modò humatum crederes, nullus grauis odor, ſed potius ſuauis, nulla tabes, color viuax, color planè recens, veſtimenta nullâ parte tabefacta, læsáve. Ne vigor quidem, qui ex ſpiritu conſtat, deſtituerat vultum; vix vt ille Xauerio, velut ſpiranti, admouere manus ſuſtineret.*

Tertio loco à colore odor è Diuorum lipſanis expendendus erit tetérne ſit? an ſuauis? natiuus? an medicatus? naturalis? an diuinus? Nam quò ſuauiorem, & præter naturæ leges diuiniorem ſacra Diuorum lipſana odorem ſpirabunt, hoc iuſtiùs vera, & germana eſſe, poterunt æſtimari; vtpote quibus omnium præpotens conditor Deus inſolentem illum molliſſimi odoris habitum mirabiliter afflauit, vt maiorem ſeruorum ſuorum exuuiis fidem, ipsíſque venerationem conciliaret anguſtiorem. Peritè Bozius inquit, *quòd verò odor, & quidem maximus ex aliquibus erumpit, id eſt inſigne diuinitatis inſitæ argumentum. Hinc Sybillæ oracula ſuis carminibus explicans Virgilius, & hanc rem, quam dicimus (intelligeretne id, ac crederet? haud curamus) reſpiciens cecinit Aſſyrium vulgò naſcetur amomum, notum namque eſt omnibus amomum eſſe herbam odoratiſſimam.* Sic ille: ex eadem ſententia de venatrice perſonatâ, Venere, infit Maro

Ambroſiæque comæ diuinum vertice odorem
Spirauere.

Quam diuini odoris ſuauitatem hic vates comæ Veneris tribuit Homerus, aliíque Poëtæ Gentiles, omnibus fictitiorum ſuorum Numinum membris innatam ingenioſè finxerunt, vt ipſorum interpretes annotauêre iampridem. Quâ in re aliquod furtum ab audacibus illis plagiariis è ſacrarum literarum Myrothecio factum ſubodoror, quòd in veri Numinis cultu ſacris, ac ritibus odorum fragrantiam ex diuino imperio vſurpatam paſſim legerent, vel tanquam inſigne diuinitatis inſitæ argumentum, vel tanquam rerum diuinarum ſymbola, expreſſiſſimáſque figuras, vt D. Areopagita Dionyſius acutè vidit. Quocirca vt verbis Bozij pergam vti) *Si cadauera aliquorum Sanctorum ſpirabunt odores, & illos haud ſimiles terrenis, atque humanis, neque id vllâ fuerit arte procuratum, cateráque adfuerint, quibus deprehendatur id à Dæmone eſſe non poſſe: procul dubio hoc erit euidens ſignum*, illas Reliquias eſſe veras, non adulterinas; *quando hoc non niſi à Deo fieri queat; & ad ſummam illius poteſtatem pertineat, futuræque reſurrectionis, & gloriæ Sanctorum teſtificationis, & inſigne ſit argumentum maximæ cum Chriſti corpore affinitatis, & coniunctionis, quâ Cœlites illi*, ad quos hæc ſpectãt

Simillima leges de S. Honorato Episc. Arelat. apud. S. Hilar. ſucceſſ. ſerm. de vit. & morte S. Honorati. apud Sur. tom. 1. vit. SS. 28. Ian. de S. Margar. Hungar. 20. Febr. de S. Guill. Aq. Duce. 25. eiuſd. de S. Photina tom. 5. vit. SS. 15. Oct. de S. Heduuige Duciſſ. Polon. c. 8. & aliis eiuſd. tom.

Apud. Steph. Iuliacum in vit. S. Coleta c. 75.

Apud. Ioan. Brugmãnum 3. part. vit. S. Lyduuinæ c. 12. & ſic de reliq.

Bozius lib. 15. de ſign. Eccl. Sign. 64. c. 8.

Virgil. lib. 1. Æneid.

Ouid. lib. Faſt. 5.

Adi. S. Dionyſ. Areop. lib. de Cœleſt. Hier. c. 1. Pachym. ibid.

Bozius loco cit.

Signius Reliquiar. c. 5.

lipſana, *ad illud appropinquant magis.* Præter illa mirabilis ſacrarum exuuiarum fragrantiæ, quæ vir pereruditus refert, luculentiſſima exempla, ſexcenta eiuſdem generis alia, Surius, Baroniúſque ſubminiſtrabunt. Ego tamen duo, aut, vt maximè, tria congruenter diſputationi noſtræ adducam. Cùm fama ferret S. Malloſum Martyrem apud Bertunenſe oppidum martyrium conſummaſſe, hominibúſque incompertum eſſet, quo ille loco humatus iaceret? Diaconus quidam Metenſis diuino monitu locum edoctus, illò Epiſcopum rectâ duxit, *at ille* (verba ſunt Gregorij Turonenſis) *cùm fodiſſet quaſi in ſeptem pedes, attigit nares eius odor immenſi aromatis, & ait, Credo in Chriſto, quòd oſtendit mihi martyrem ſuum, quando me hæc ſuauitas circumdedit, & fodiens reperit ſanctum corpus illæſum.* Iamdudum anxia, & anceps cura Beatum Eligium Nouionienſem Epiſcopum (vt erat ſacrarum Reliquiarum ſtudioſiſſimus) vehementer coxerat quâ parte baſilicæ, B. Quintini martyris inuictiſſimi lipſana condita fuiſſent? Illic enim iacere corpus, vbi à populo colebatur, obfirmatè præſagiendo pernegabat. Ergo poſt fuſas diu noctúque ad Deum preces, tandem ad extremam Baſilicæ partem, humum ad decem, & amplius pedes effodi iubet, *mox* (vt loquitur Surius) *reperit tumbam ſanè veteranam tegentem corpus ſacratum*; tunc *gaudio magno repletus cum ſarculo, quod manu geſtabat, audaciſſimè latus fodiſſet ſepulchri, confeſtim forato tumulo tanta odoris fragrantia cum immenſo lumine ex eo manauit, vt etiam ipſe Sanctus Eligius fulgore luminis odoréque inenarrabili percuſſus vix ſubſiſtere potuiſſet.* Haud abſimilem diuini odoris ſuauitatem corpus integrum, & incorruptum Sancti Humberti è ſarcophago inhalaſſe idem memorat in hunc modum. *Centeſimo quinquageſimo tertio anno poſt mortem Sancti Humberti monente Angelo ab Abbate Rodino leuatum eſt de tumulo S. viri corpus. Admirari autem nemo ſufficit, quantâ miri odoris ſuauitate perfuſi ſunt, qui aderant: & quod magis ſtupendum, ſacrum corpus ita illæſum, & incorruptum inuentum eſt, ac ſi eadem die ſpiritum emiſiſſet, vt ſi lectulo compoſitum videres, dormire hominem exiſtimares, verùm linteamina, quibus ipſe inuolutus fuerat, nihil in ſe corruptionis habebant. Sed & herbæ, quæ ſepulturæ eius die appoſitæ fuerant quas nullas pro temporis antiquitate putares, adeò virides ſunt repertæ, ac ſi terræ radicitùs inhærentes, irriguis aquis vireſcerent.* Enimuerò poſt tot alia ſuper alia ſimul aggeſta miracula meritóne in dubium vocari poſſet à cordatiſſimo quoque viro, illæne veræ, an adulterinæ forent S. Quintini exuuiæ? Rectè Ogygius apud Eraſmum memorans in Angliâ ſibi in æde B. Virginis oſtenſum fuiſſe *fragmentum deſectum è trabe in quâ Virgo mater viſa eſt conſiſtere, ait, odor mirus protinus arguebat eſſe rem oppidò ſacram.*

S. Greg. Turon. lib. 1. de glor. Mart. c. 63.

Sur. tom. 5. vit. SS. 31. Octob.

Sur. cit. 6. Septembr. Vide paria exempla apud Sur. 17. Ianu. de inuent. SS. MM. Diodori, Mariani, & Soc. 25. Ianu. de S. Euſebia, & S. Popone, 28. eiuſd. de ſancta Margar. Hung. 29. de S. Conſtantio Ep. Peruſ. & reliq. aliis tom. eiuſd. Apud Ioan. Brugm. de S. Lyduuina 3. p. vit. eiuſd. c. 12. Henr. de Hincmaria ſerm. 2. de tranſlat. S. Aug. & ſexcentos alios. Eraſm. colloq. cit. peregr.

Quarto loco ſacrorum artuum, oſſiúmque figuræ non magis indiligenter explorandæ, ac circumſpiciendæ ſunt, quàm moles, color, & odor ipſorum. Suadere nos iſtud ſubigit nebulonum olim memoratorum ad omne ſcelus proiecta, & præfracta audacia. Non ita pridem ex

Vid. ſuper. lib. 1. c. 10. art. 2.

me audiuisti, quâ fronte rediuiuus in Caluino Lucianus orthodoxos per summam calumniandi libidinem irridens mentitus sit ipsos *quæcumque ossa asini, aut canis, vice ossium Martyris, sufficere consueuisse.* Audiuisti Spambembergium, eiusdem farinæ ministellum multò impudentiùs Catholicis sacrilegæ superstitionis crimen impingentem, quòd quæuis ossa pro Sanctorum Reliquiis adoranda proponerent. Quæ, malum! est ista tanta mentiendi, & calumniandi audacia atque amentia? Audiuisti detestabilem illum Reliquiarum propolam Burdegalensem *dentes talpæ, & ossa murium*, ad nefandos quæstus faciendos solitum venditare: vt obturetur *os loquentium iniqua*, Beatorum ossium figuræ non segniter spectandæ sunt. Aliæ enim sunt figuræ capitis & crurum ossa; aliæ costarum, & tibiarum sunt configurationes, & ita de reliquis humanorum cadauerum ossibus, quæ prout erit diuersarum Ecclesiarum anticipata super his persuasio, accuratè lustranda sunt, vt ea censeantur esse verissima, & germana, quæ ad natiuam ossis, quo de controuertitur, figuram propiùs accedere videbuntur.

Vid. super. lib. 1. cap. 10. art. 3.

Ibid. cap. 9. art. 1.

Longior omnino sim, quàm pro instituto, & præfinitâ mihi breuitate par sit, si omnium sacrarum Reliquiarum affectiones sigillatim prosequi dicendo velim. Ex his enim quæ hîc cursim, & strictim delibaui, satis supérque in promptu erit nonnemini, quid in earum singulis pro cuiusque naturâ, & habitu expendendum sit, assequi coniecturâ, iam ad reliqua præsidia progrediamur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Tabularum, & titulorum Auctoritas.

CVm in rebus aliis, tum maximè in sacris, quàm multùm faciat ad veritatem, & fidem magis, magísque confirmandam tabularum, & titulorum auctoritas, olim me dicere memini. Queruntur Catholici apud D. Augustinum, quòd ad iuris sui æquitatem contra Donatistas asserendam, & propugnandam, *tunc inquirere, & ad horam veteres chartas in archiuiis Ecclesiasticis discutere non poterant.* Eapropter non leue præsidium erit tabularum ex archiuiis Ecclesiasticis petitarum, aut titulorum sacrosanctis memoriis, & lipsanothecis inditorum auctoritas ad prudenter intenoscendum, quænam inter tot eiusdem generis lipsana habenda sint vera? quæue subdititia, & adulterina?

S. August. breuicul. collat. contr. Donatist. die 3. tom. 7. oper.

Viderat hoc peracutè (vt erat in rebus sacris lynceus Beatissimus Cardinalis Borromæus cuius hæc in Reliquiis recognoscendis princeps præceptio est. *Primò vt scripta, tabulæ, literæ, certi Annalium codices, aliáue cuiusuis generis monimenta, quæ in ijs ipsis Ecclesijs, earúmque atrijs, atque ædibus, aut alijs locis extant, schedulæque vasculis, arcisue sacrarum Reliquiarum affixæ, inclusæue recognoscantur accuratè, &*

S. Carol. Borrom. Concil. 4. Mediol. Concil. Bonon. 1. cap. de SS. Reliq. Vid. infra art. 5.

 diligenter

diligẽter;unde illarũ vel translatio vel collocatio ibi facta cognosci, aut alia eiusmodi notitia earumdẽ haberi queat. Sapienter omninò ille. Amentis enim esset eas Diuorũ Reliquias pro adulterinis habere, quarũ veritas veterum tabularum, Elogiorum, seu titulorum auctoritate suffulta constaret: illas è contrario veras ducere, quæ istiusmodi monimentorum fide prorsus carerent. D. Martini bene consultam sagacitatem dilaudat meritò Sulpitius Seuerus, quòd incertis fidem adhibere nescius ab his, *qui maiores erant natu, presbyteris, vel clericis flagitabat sibi nomen Martyris, qui falsâ persuasione ab imperitâ plebeculâ colebatur, vel tempora passionis ostendi, tabulis* Ecclesiasticis, vel titulis sepulchralibus consignata. Rupertus S. Eliphij vitam, in literas missurus iussu Albani Abbatis, ait, *se nihil aliud inuenisse pertinens ad memoriam eiusdem Martyris, cuius penes se corporis pretiosum thesaurum reconditum gaudebant, præter scriptum illud, quod non satis iucundum, neque satis idoneum æstimabant, propter nimiam simplicitatem.*

Sulpit. Seuer. Loc. cit. sup. lib 1. c. 8. art. 2.

Sur. tom. 5. vit. SS. 16. Octobr.

Diu, multúmque pro D. Cæciliæ Virginis & Martyris gloriosissimæ pignoribus Longobardiam inter, & Franciam magnâ animorum contentione certatum est, dum illa integro virginis corpore, auro, gemmísque pretiosiore se locupletatam iactaret; hæc Parisijs ad S. Nicolai Campestris eiusdem caput se diceret asseruare: composuit ipsámet virgo laureata quondam hanc litem, cum Paschali summo Pontifici per somnum visa ipsum docuit à Longobardis quidem impensè desideratas, ac sedulò conquisitas; sed renuente Deiparâ minimè inuentas fuisse corporis sui exuuias, proinde, vt in eandem disquisitionis curam incumbat, hortatur, breuíque se optatis potiturum sperare iubet. Dictum factum, primùm iussu Pontificis ad S. Sixti cœmeterium humus foditur, tùm integrum martyris corpus aureis amictum vestibus effoditur; inuehitur deinde in Basilicam à Paschali magnificè ornatam, demùm ad translationis memoriam ante faciem altaris incisa marmoreæ tabulæ inscriptio collocatur. Post octingentos septuaginta octo annos, tandem superiori proximè sæculo, Paulus Sfondratus Cardinalis marmoreum memoratæ virginis sepulchrum detexit, quo sepulchro arca cupressina claudebatur, quam ipse Baronius de *Clementis Octaui Pontificis imperio aperuit; simul, & venerandum Cæciliæ corpus ita inuenimus* (inquit ille) *nempe ad pedes eius, quæ madida fuerant sanguine vela, & serica fila auro obducta, quæ visebantur, iam vetustate solutæ vestis illius auro textæ, cuius idem Paschalis meminit, indices erant. Alia verò supra Martyris corpus serica, leuia tamen velamina posita, ipsáque depressa situm ipsum, & habitudinem corporis ostendebant; visebatúrque quod admiratione dignum erat, non (vt assolet) in sepulchro resupinum positum corpus, sed vt in lecto iacens honestissima virgo supra dextrum cubare latus, contractis nonnihil ad modestiam genibus, vt dormientis imaginem redderet potiùs, quàm defunctæ; ipso ita ad insinuandam in omnibus virginalem verecundiam composito situ corporis: adeò vt (quod æquè admirandum) nemo quantumuis curiosus inspector, ausus omnino fuerit,* ne

Baron. tom. 9. Annal. Eccl. ad ann. 821. num. 20.

Idem & aliquid amplius refert Metaphrastes de S. Photinæ Virginis corpore apud Sur. tom. 1. Vit SS. 15. Febr. in sanct. Martiniani vita.

ne Pontifex quidem ipſe reductis velis, *virgineum illud, & exiccatum detegere corpus reuerentiâ quadam inenarrabili repercuſſus, perinde ac ſi cœleſtis Sponſus aſſiſteret, vigilans cuſtos dormientis ſponſæ, monens, & minans ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit. vidimus, cognouimus, & adorauimus.* Hactenus piiſſimus Cardinalis. En tibi igitur B. Cæciliæ, integerrimum corpus Romæ aſſeruatum, quid iam fiet Ticinenſi & Mediolanenſi? quid Pariſienſis Cæciliæ capiti? quid Anicienſis denti? Bononienſis manui? quod ex laudato ſuperiùs titulo nullo modo ad Beatiſſimam illam martyrem attinere luce clarius patet? ni bicipitem Cæciliam malimus credere, vt nugari amant Lipſonomachi: Audiamus Martyrologij Gallicani conditorem Sauſſayum ſuper hac re ſuam ſententiam in hæc verba conceptam pronuntiantem. *Cùm martyris illius celeberrimæ, quæ ſeruatur Romæ in ſuo titulo, corpore integra. (quemadmodum ſub Clemente VIII. reperta eſt) omnino eſſe nequeat, non abs re eſſe Cœlitis eiuſdem nominis cum illa martyre, & gloriæ virginalis participis exiſtimari poſſet.* Quæ autem fuerit illa eiuſdem nominis Virgo idem docet, aítque, fuiſſe filiam S. Romarici Sanctimonialem, & Abbatiſſam ſecundam montis Romarici in Lotharingiâ præcellenti ſanctitate fœminam, quæ triplici inſignita nomine olim Gegoberga, tùm Clara, deinde Cæcilia nuncupata eſt; cuius ſacra pignora, vt in vno è duodecim ſacellis, quæ in illo erant conſtructa monte, condita fuerunt, indéque *Sacellum S. Cæciliæ* dicitur etiamnum; ita & ipſius caput in Pariſienſi Baſilicâ S. Nicolai aſſeruatum magnâ in veneratione habetur? ſícque pius, & innocens error à nominis ſimilitudine profectus iam nullus eſt: quódque, vt verum S. Cæciliæ Virginis & Martyris caput colendum ſit, tùm ex inuenti corporis integritate, tùm ex elogij ſepulchralis inſcriptione liquidiſſimè conſtat, & quò in conſequentes ætates eiuſce rei veritas inconcuſſa deinceps tranſmitteretur, & infracta ſeruaretur placuit Eminentiſſimo Cardinali Sfõdrato intus in argenteâ laminâ rei geſtæ ſeriem inciſam includere, & Clementi Pontifici maximo titulum argenteæ lipſanothecæ foris adſcribere. Quis certò affirmaret S. Bartholomæi corpus in Baſilicâ, quæ ab Othone 3. Imperatore D. Adalberto Martyri, in inſulâ Tyberinâ, loco vrbis notiſſimo, poſita fuerat, cuſtodiri, Leone Oſtienſi affirmante B. Paulini Epiſcopi Nolani pignora pro ſanctiſſimi Apoſtoli corpore fuiſſe ſuffecta à Beneuentanis, ne tanto theſauro ab Imperatore ſpoliarentur? quis, inquam, certò affirmaret veras S. Bartholomæi exuuias in illâ Romanâ Baſilicâ ſeruari, niſi Paſchalis 2. Pontifex maximus poſt centum, & tredecim annos reſtituto in priſtinum honorem, nitorémque templo, ſtrictâ oratione inſcriptionem, ac titulum præfixiſſet: quo intra eius ſepta veneranda vtriuſque Diui corpora compoſita eſſe conſtaret? vti refert Baronius. D. Aurelij Epiſcopi exuuiis ſe ditatam ignoraſſet Germania, ni ſibi titulo ſepulchrali vendicatas cognouiſſet, rem narrat idem Eminentiſſimus Cardinalis. Vbi Leo IX. Pontifex maximus poſt multas preces, & irritum

Anſoſſ. lib. de SS. Reliq. cultu &c. §. 17. n. 1. & ſeq.
Morig. ſanctuar. Mediol. cap. 4.
Odo Giſſey lib. 3. hiſt. Anic. Deip. cap. 22.
Sauſſ. in append. ad Martyrol. Gallic. lit. C.

Leo Oſtienſ. lib. 2. c. 24.

Baron. tom. 10. Annal. Eccl. ad ann. 1000.
Idem Card. tom. 11. Annal. ad ann. 1049.

irritum operarum laborem, ſanctiſſimi præſulis ſepulchrum inueniſſet, *eo recluſo* (inquit) *ſuauiſſimus odor exhalauit, qui omnes, qui aderant, mirâ ſuauitate ſui reficeret. Inuenerunt itaque ſanctiſſimi Confeſſoris Chriſti Aurelij ſacratiſſima oſſa ſericis inuoluta pannis pulchrè in formam corporis debito collocata ordine&c, ad caput eius tabulam ex plumbo iſta continentem. Corpus S. Aurelij Epiſcopi, tempore Arnulphi Regis repoſitum, Herderado Abbate VIII.* Kal. *Sept.* ſuper ſancti Sabini Antiſtitis Canuſini (de quo plura S. Gregorius Magnus) venerabilibus lipſanis controuerſia Canuſinos inter, & Barrenſes intercedebat, vtra eorum ciuitas illis potiretur: Illi in Eccleſiâ ſuâ credebant aſſeruari, quæ hi reipsâ apud ſe habebant. Cuius rei fecêre fidem, primum duæ inſcriptiones ſeu tituli ad latera ſepulchri inuenti exaratæ, quas exſcripſit Baronius; tùm tabula marmorea intus incluſa, cui inſcriptum legebatur. *Angelarius Epiſcopus attulit corpus S. Sabini.* Deinde poſt annos ducentos quadraginta, Elias Barrenſis Archiepiſcopus Beatorum pignorum *inuentionem, tempus, noménque ſuum* tabulæ marmoreæ incidi curauit. Denique rei geſtæ hiſtoriam tandem inuentam notarius in tabulas publicas retulit, quæ ſic habet. *Fidem facio. Ego Notarius Io. Bapt. Pirris de Barro præſentem copiam diligenter extractam eſſe à libro antiquo lectionum Sanctorum, grandibus litteris manuſcripto in paginis papyraceis exiſtente, in Archiuio regalis Eccleſiæ S. Nicolai Barrenſis inibi relicto Mri Coll. ideo præſentes feci, & ſignaui requiſitus. Laus Deo & B. Mariæ Virgini.* Hæc ibi. Inciſum à D. Hieronymo B. Paulæ Elogium leges apud ipſum, ne ſim longior.

S. Gregor. Magn. lib. 3. Dialog.

Baron. tom. cit. ad ann. 1091.

D. Hieron. epiſt. 27. de titulo adſcripto Sanct. Memoriæ Gallæ, vid. Greg. Turon. lib. de glor. Conf. cap. 36 Vid. etiam Folcard. Abb. cap. 29. vit. S. Bertulphi apud Sur. ſup. cit. Nodgerij in vit S. Landoaldi Lib. 1. & alios ſexcentos.

Cùm pluribus olim de tabulis, titulíſque dixerim, non eſt cur in præſentiâ in hoc argumento immorer. Vnum tamen ad ſummam obſeruatu dignum monebo, in tabulis excutiendis, earum vetuſtatem, vel nouitatem, integritatem ſignorum, ſubſcriptorum, Notarij, teſtiúmque nomina, dignitatem & fidem, temporis adſcripti notas, aliáque id genus accuratè conſideranda eſſe. Quò enim vetuſtiores fuerint tabulæ, quò integriora fuerint ipſarum ſigna, & ſubſcriptorum nomina; quò dignitas, & fides eorumdem extiterit maior; quò temporis nota erit antiquior: hoc iuſtiùs, & prudentiùs ex Diuorum Reliquijs, præ reliquis, de quibus controuertitur, veræ habendæ erunt. In ſchedularum, quæ lipſanis, eorúmue capſulis affiguntur, inſcriptionibus, in Elogiis, Epitaphiis, & reliquis ſepulchralibus titulis examinandis proportione ſeruandum puta.

Iacob. Seuer. chronol. hiſtoric. Archiep. Lugd. in S. Irenæo § 7. in S. Elpidio. init. cap. 18. Anſoſſ. lib. cit. ſup. §. 35. num. 2.

Cœterùm quæ de huiuſmodi ſchedulis, titulis, atque alijs eiuſdem generis inſcriptionibus diximus, multò magis cadunt in tabulas, quæ publico in loco, multis abhinc retroactis annis, vel ſæculis expoſitæ fuerunt, quæ licèt nulla ſubſcriptione aut ſigillo ſint communitæ, non deſinunt tamen plenam facere fidem, vti quamplurimi Doctorum iuriſperitiſſimorum auctoritatibus eruditè probat Anfoſſius. Etverò non alio probationis genere ad multarum ſacrarum Reliquiarum veri-

tatem

tatem, identitatem, translationes, ac vindicationem astruendam Eminentissimus Cardinalis Baronius, cùm in suis accuratissimis ad Martyrologium Romanum notis; tùm in eximio Annalium Ecclesiasticorum opere vsus est. Hunc imitati Papienses, teste laudato proximè Anfossio, suorum lipsanorum veritatem confirmant ex antiquissimâ tabellâ in membranis exaratâ, & ad posteritatis memoriam, ac pietatem in Ecclesiæ sacrario appensa. Huiuscemodi autem tabulæ, seu Reliquiarum indices, ac *Patrociniorum* (vt aliqui amant dicere) *Chartulæ*, hoc maiorem conciliant fidem, quò diligentiùs auctoritate publicâ, & legitimâ, vel ab Episcopis, vel ab eorum Vicariis, aliisve personis, quibus ea cura incumbit, conscriptæ, in visitationibus excussæ, approbatæ, atque in loco aliquo sacro, & publico expositæ fuerunt, tùm ad Fidelium, qui ad venerandas Diuorum exuuias adorandas religiosè accedunt, augendam pietatem; tùm maximè in gratiam Cleri, qui de beatis illis Cælitibus in persoluendo precum horariarum officio, vel super incruentum Missæ Sacrificium debet meminisse. Vt eam ob causam in paucis crediderim Patres Synodi Tholosanæ anno quingentesimo nonagesimo supra millesimum habitæ sapienter decreuisse, *vt appensæ, vel affixæ singulis Ecclesiis tabellæ Reliquiarum omnium nomina publicè descripta proponantur.* Vti apud Bochellum pereruditum decretorum Ecclesiæ Gallicanæ coactorem legere est. Etenim non admodum est verosimile Episcopos inre tanti momenti permissuros aliquid erroris irrepere & illorum Sanctorum Reliquias coli, de quarum veritate certi haberetur nihil.

Idem lib. cit. §. 3. n. 13.

Bochell. lib. 4. decretor. Eccl. Gallic. tit 5. cap. 17.

Idem Anfoss. cit. §. 35. n. 10

ARTICVLVS TERTIVS.

Proborum virorum testificationes, & Ecclesiarum antiqua traditio.

EÆ non minus certam, sanctámque fidem dubiis Reliquiis afferre debent, quàm tabularum, titulorúmque auctoritas; quando & his vniuersam, quam merentur, & obtinent fidem vulgò mortales tribuant. Hanc ob causam S. Carolus Borromæus in Reliquiis recognoscendis accedere locupletium testium fidem postulat, ita scribens. *Testes præterea conquirantur, si qui sunt, qui testimonium dent antiquæ, constantisque traditionis; ex quâ certa earum cognitio constet.* Prætulêre sapientissimo Præsuli facem alij, quos superiori libro retuli sanctitissimi Antistites, & Pontifices Summi. S. Augustinum Cantuariensem, & S. Martinum Turonensem loquor. Nam ille commentitiis inconditæ plebeculæ rumusculis adiungere fidem numquam potuit, Sixti, nescio cuius, Reliquias, qui apud suos incertâ famâ, & *Sanctus*, & *Martyr* audiebat, veras, & adorandas esse exuuias, quòd nullis proborum hominum testimoniis, miraculis nullis, nullis veterum tabu-

S. Car. Borr. Conc. 4. Mediol. cit.

larum, aut historiarum monimentis probata, firmata, consignatáque præsumpti Martyris sanctitas, ac passio forent. Ideóque super ea re, quid sibi è rei Christianæ publicæ bono faciendum esset, sedem Apostolicam censuit esse consulendam, vt quam fidei venerabatur magistram, in probandis reprobandisve hisce Reliquiis haberet auctorem. Eâdem prudentiâ vsus S. Martinus, *non temere adhibens incertis fidem*, teste Sulpitio Seuero *ab his qui maiores natu, Presbyteris, vel Clericis flagitabat sibi nomen martyris, quem pronâ magis, quàm certâ & tuta fide imperitum colebat vulgus, vel tempora passionis ostendi, grandi se scrupulo permoueri dictitans, quòd nihil certi constans sibi maiorum memoria tradidisset.* Piissimi præsulis cautam formidinem, timidámque meritò prouidentiam Deus ratam, & gratam habere visus est, diuinitus enim obiectâ teterrimæ vmbræ specie, editóque iacentis nomine cognouit, eò loci consceleratissimi latronis cadauer conditum fuisse, atque à falsâ hominum opinione, ac præstigiatrice Dæmonis fraude, tanquam sanctissimi Martyris venerabiles exuuias coli. S. VVolphelmum Abbatem Bruuillerensem memorat Surius diuinâ similiter reuelatione collustratum didicisse in ædiculâ, Monasterij sui viculo conterminâ, quam oraturus intrauerat, ne micam Sacrarum Reliquiarum asseruari. *Surgens* enim *ab oratione* (inquit ille) *cum secum consistentibus accessit ad altare, & velamine subducto cùm omnia diligenti intuitu perlustrasset, nihil omnino vel sub sigillo, vel rimarum fissuris, præter nidificationes vespertillionum, & telas reperit aranearum. Vnde, vt par erat, mente consternatus, à Coloniensis Ecclesiæ præsule, quem de eâ re certiorem fecit, acceptis Diuorum pignoribus, & ibidem honorificè collocatis altare*, secundum Africanorum Conciliorum decreta, ædiculámque illam Deo *Opt. Max. per Hezelinum Scarnensis sedis Antistem consecrauit.* Sanctus verò Gregorius Pont. Max. ab Augustino Cantuariensi per literas rogatus (vti paulò antè referebam) respondit locum, in quo præsumptum Sixti Martyris cadauer iacebat, *omnibus modis esse obstruendum, ne permitteretur populus certum deserere, & incertum venerari.* Incertum autem venerabatur, quòd Martyr ille ex anticipatis solùm opinionibus habitus, & honoratus, *nullis illic miraculis coruscaret, neque aliqui de antiquioribus existerent, qui se à parentibus passionem eius audisse fateretur.* Quantum addidisse fidei Edinerum putas venerandis illis reliquiis, quarum particulam ex osse capitis S. Martyris, & Virginis Priscæ diffringere per VValonem Episcopum Parisiensem sibi licuit, quando de ipso primùm audiuit sacrum illud os sibi ab illius loci Cardinale in mutui amoris pignus dono datum fuisse, tùm à Petro quodam Monacho Cluniacensi, viro sua ætate auctoritatis maximæ, eodemque Vrbani, atque Paschalis Pontificum Camerario, coram accepit vera omnino esse, quæ bonus Antistes dixerat, *séque præsentem fuisse, quando idem os à corpore Martyris sublatum à Cardinale susceperat.* Fidem pariter maximam hauserat S. Ambrosius se veras inuictissimorum martyrum Prothasij, & Geruasij exuuias aduenisse ex miraculis,

Sulpit. Seuer. lib. de vit. S. Martini c. 8.

Sur tom. 2. vit. SS. 22. April.

S. Greg. lib. vltim. Epist. supr. cit.

Ediner. lib. 2. vit. S. Ansel.

quæ ad eas in dies edebantur:at multò maiorem duxit ex ſenum Mediolanenſium teſtificationibus. *Nunc enim* (vt ipſe ad ſororem ſuam ſuper hoc argumento ſcribens loquitur) *ſenes repetunt audiſſe ſe aliquando horum Martyrum nomina titulumque legiſſe ſic nimirum euaſit* piiſſimus Antiſtes *non mediorem pudoris ſarcinam formidantibus etiam clericis*, ne ſuâ ſpe deluderetur, *dum inuenit vnum hoc, quò videatur præſtare maioribus, & ſanctorum cognitionem, quam illi amiſerant, ipſe adeptus eſt*. Quin enimuero D Ambroſius ſe veras Sanctorum Geruaſij, & Prothaſij Reliquias crederet inueniſſe, quandoquidem Imperatrix Pulcheria, religioſiſſima fœmina, accedente, vel potius præcedente cœleſti à S. Thyrſo Martyre reuelatione, non didicit modò à quodam Macedonianæ Clerico,vbi quadraginta Sebaſtenorum Martyrũ exuuiæ extra ciuitatis Conſtantinopolitanæ mœnia conditæ iacerent; verùm etiam tandem inuentas, & effoſſas, vti ipſiſſima, & germaniſſima eorumdem lipſana pretioſiſſimo loculo incluſit. Fatebatur enim ſe dum adhuc adoleſcens Monaſticam edocebatur diſciplinam à ſenioribus inſtitutoribus ſuis accepiſſe, *ac certò ſcire Martyres iacere circa loculum Euſebiæ*, quæ Macedonianos illos Pſeudomonachos iureiurando adſtrinxerat, ne cuiquam mortalium ſecretum ſibi commiſſum aperirent. Quid multis? effoſſa egeſtàque humo Euſebiæ primùm ſarcophagus, tùm SS. Martyrum loculus inuentus eſt, per cuius foramen, pro more, immiſſa virgula, miram vnguentorum fragrantiam trahit, certamque optati theſauri fidem fecit: Deniquẽ diſruptis tumuli ferreis gomphis triumphales SS. Martyrum cineres duabus argenteis incluſi pyxidibus, educti ſunt, omnibus lætitiis triumphante Auguſtâ, rem totam pluribus refert Sozomenus. Prudenter pro ſuâ ſagacitate Auitus homo pius, & genere Hiſpanus venerabiles protomartyris Stephani recens à Luciano Presbytero inuentas ad Balchonium Epiſcopum Bracharenſem per Oroſium Presbyterum mittens, earum veritatem, quâ ſuis,quâ Luciani epiſtolis voluit eſſe teſtatiſſimam,vt multis narrat Baron.Pari prouidentia vſus FraterGuilielmus Molette è ſacrâ PP. Dominicanorum familiâ religioſus ſibi dono data vndecim millium SS. Virginum lipſana voluit tabulis obſignatis omnibus eſſe teſtatum antè, quàm ea deferret Anicium, vt noſter Giſſeyus in ſuâ hiſtoria Deiparæ Anicienſis enarrat. Iacobus Seuertius refert tabulas, quibus octo Doctorum, viſitandis ſanctorum ſex ſupra quadraginta exuuiis, addictorum teſtificationes exhibentur.

S. Ambroſ. l. 10. epiſt. 85.

Sozom. lib. 9. hiſt. Eccl. c. 2.

Baron. tom. 5. Annal. Eccl. ad anno 415.

Obſeruare me olim memini, non ſolas duntaxat proborum virorum teſtificationes ad verarum Reliquiarum auctoritatem deſideratas; ſed etiam illarum fidem iuramento fuiſſe nonnunquam alligatam. Rem exemplo breuiter confirmo. Cùm inuentum, & ſubleuatum D. Benigni Diuionenſis Martyris corpus, B. Anno Colonienſis Archiepiſcopus (vt erat cogendarum Reliquiarum auidiſſimus) in Monaſterium Sigebergenſe recèns à ſe conditum tranſuehendum in mandatis dediſſet. *Poſt menſem, & dimidium* (inquit Surius ex ſcriptore vitæ S. An-

nonis) *monachos pretiosi corporis glebam ferentes, Coloniæ cum gaudio suscepit. Quibus fidem astruere nitentibus publicis Sacramentis, quod non alius, quàm qui rogabatur, Benignus esset, non permisit dicens, eius veneratione, de quo agebatur, hunc se indubitanter habiturum.* Ex hisce verbis vides Reliquiarum veritatem non tantùm priuatorum, sed etiam *publicorum Sacramentorum fide*, ac religione olim firmari consueuisse. *Publica verò Sacramenta* ea interpretor, quæ coram magistratu solemni ritu, ac formulâ, & auctoritate publicâ, sacramento rogati concipiunt ad faciendam suis dictis, seu testimoniis fidem. Iamnon video cur inter tot eiusdem generis Reliquias, quæ diuersis in locis Ecclesiisve feruntur asseruari; illæ veræ, ac germanæ haberi non debeant, quæ religiosis proborum virorum testificationibus fulciuntur. Si enim in aliis omnibus negotiis, & controuersiis ad testimonij fidem, vel sola viri amplitudo plurimum aliquando valet, quantò potiori iure probitas valere debet? Hinc intelligas quàm sapienter, atque ex rectâ ratione Carolus Magnus, Christianissimus Imperator, hanc legem tulerit. *Optimus quisque in pago, vel ciuitate in testimonium assumatur.* Et rursus, *testes tales eligantur, quales optimi in ipso pago inueniri possunt.* Si autem aliquorum Sacrorum pignorum veritatem siue priuati, siue publici iurisiurandi religione testatam eleuare quis iniustè voluerit, næ ille iustissimè insanus audiat. Idem sapienter præstitit è S. Ioannis Hierosolymitani Ordine religiosus nescio quis, de quo hæc refert Matthæus VVestmonasteriensis. *Circa hos dies Sanguis Christi, qui in terrâ Sanctâ habebatur thesaurus pretiosissimus, datus, & missus est Domino Regi Anglorum per quendam fratrem Hospitalis, qui cum eodem thesauro literas detulit testimoniales, de ipsius thesauri certitudine, omni acceptione dignissimas à Domino Patriarchâ Hierosolymitano, & à Magistris militiæ Templi, & Hospitalis qui omnes vnanimi voluntate, & promptâ deuotione, Domino Regi ipsum thesaurum donantes contulerunt, & præsentarunt; & ipse speciali domui suæ, Ecclesiæ S. Petri VVestmonasterij, die scilicet translationis Sancti Eaduuardi ipsum dedit ex suâ sibi innatâ regiâ munificentiâ, & liberalitate.* Sic ille.

Sur. & Baron. tom. 5. Annal. Eccl. ad ann. 1415.

Iacob. Seuert. Chron. hist. Archiep. Lug. In Rodulpho. 2. § 2 Odo. Gyss. lib. 3. hist. Anic. Deip. cap. 22.

Carol. Magn. lib. 3. Cap. l. 32. & 78.

Matth. VVestmonast. in florib. anno 1247. & Matheus Paris.

Multò faciliorem iuxtà, ac maiorem fidem apud cordatissimos quosque peruetus Ecclesiarū inter se controuersantium traditio debet obtinere. Huic enimverò non pauca, quæ Apostolicis, ac diuinis traditionibus meritò tribuuntur initâ æqui, bonique ratione possunt appositè accommodari; atque illud imprimis, quòd præeūtibus sanctis Patribus, rerum fidei controuersarum tractatores contra veteres, nouósque hæreticos olim inculcarunt, atque etiamnum passim inculcant, & occinunt. Priscam scilicet Ecclesiæ totius traditionem ad fidei firmamentum valentissimam esse, atque adeò omni demonstratione potentiorem simul, ac *euidentiorem* existere, illam præsertim, cuius *consuetudo confirmatrix* (vt verbis vtar Tertulliani) *& fides est obseruatrix. Nec quisquam, auctore Basilio, iis, qui vel mediocriter in Ecclesiæ iure versatus sit, contradixerit. Si enim, quæ scripta non sunt, sed moribus tantum, & consuetudi-*

Tertull. lib. de cor. mil. c. 4.

ne retinentur, tanquam magni momenti non sint, reiicere aggrediamur: imprudenter ipsis Euangelij partibus præcipuis damnum afferemus. Hactenus Basilius, cuius auctoritate vsus S. Ioannes Damascenus. *Vnde enim vobis*, inquit, *notus Caluariæ locus? vnde Sepulchrum vitæ? Nonne quia parentes filios, ea non scriptis, sed voce singulis ætatibus docuerunt*? Hęc, & alia pluribus pergit dicere doctissimus Pater, quibus tanquam amentatis telis vesanam Iconoclastarum hæresim potenter configit. Idem de singularum Ecclesiarum perantiquis traditionibns pro ratâ proportionis regulâ, ius, fásque est censere, imò cum Chrysostomo dicere: *Traditio est, nihil quaras amplius*: præsertim, cùm neque veterum tabularum, neque titulorum, neque aliorum id genus testimoniorum auctoritate earundem numero Reliquiarum, de quibus inter diuersas Ecclesias controuertitur, explorata, certáque veritas constare, ac fulciri potest. In quam rem aptes non malè, quod diuino Spiritu afflatus monuit Iobus, *Interroga generationem pristinam, & diligenter inuestiga patrum memoriam.*

S. Basil. lib. de Spirit. S. ad Amphil. c. 27.

S. Ioan. Damasc. or. 1. & 2. de SS. Imag. cultu.

S. Chrysost. hom. 4. in 2. ad Thessal.

Iob. cap. 8. v. 8.

Hinc prudenter Ansossius asseruit sufficienter probatas venerabiles Iobi laudati, Tobiæ, & aliquot aliorum Cœlituum exuuias in æde S. Ioannis in Burgo Ticini asseruari. *Ex ipsâ solâ Sanctæ Papiensis Ecclesiæ traditione.* Longior sim, quàm instituti mei fert ratio, si paria hûc conuehere velim exempla ex Baronio, aliisve scriptoribus emunctæ naris; vno verbo dixerim omnia, vix Ecclesiam vllam nunc inuenias (hæc fuit temporum iniquitas) quæ sacra sua lipsana traditione potiùs, quàm scripto non tueatur. Verùm quò inconcussa stet, velim eam traditionem esse plurium annorum curriculis confirmatam, velim perpetuò fuisse constantem; velim nullis maioris auctoritatis, ac fidei argumentis concuti posse, velim denique tacito, vel expresso Episcoporum sibi longâ serie succedentium consensu comprobatam. Ad summam quæcumque illarum Ecclesiarum traditio, inter quas de iisdem numero Reliquiis intercedit controuersia, vetustate, & memoratis circumstantiis præstabit magis, hoc maiorem, de earumdem veritate sibi fidem meritò, iuréque optimo conciliabit.

Ansoss. lib. cit §. 22. n. 19.

Baron. in not. ad Martyrol. Rom. idib. Maij & 16. Kal. Aug. Item tom. 7. Annal. ad ann. 526. n. 17. Ansoss. cit. §. 34. n. 23. & seq.

Neque enim verisimile est à tot sæculis, tot sanctissimos æquè, ac eruditissimos Antistites ita sui muneris oblitos, aut negligẽtes extitisse, vt cùm earum Reliquiarum veritatem tùm conualescentem in dies Ecclesiarum suarum traditionem, maturo iudicio, deliberatione accuratissimâ, eo ritu, iisque omnibus perquàm studiosè seruatis, quæ tunc temporis præscribebat, & obseruabat Ecclesia, per supinam inexcusabilem, & inexpiabilem socordiam, prætermiserint, aut (quod grauius est) neglexerint inuestigare.

ARTICVLVS QVARTVS.

Preces, Ieiunia, & Reliquæ corporis afflictationes.

PRoborum virorum testimoniis multò potentius præsidium ad veras internoscendas Diuorum Reliquias esse duco, non solùm traditionem singularum Ecclesiarum, sed etiam fusas ad Deum super eâ re preces, ieiunia, aliásque id genus vltro susceptas corporis macerationes, quibus diuinum Numen diu multumque consulendum, & exorandum est, vt quæ vera, quæue adulterina sint, in tanta eorundum sacrorum pignorum multitudine dignetur pro sua benignitate, & sapientia prodere, ac euulgare. Non enim feret Deus, quâ est in suos pietate, vt diu in tam graui, & periculoso errore versentur sperantes in se, ipsiusque gloriam in præsumptis famulorum suorum lipsanis, religione, quàm possunt maximâ, quæritantes. Præluxit nobis suo exemplo non semel à nobis laudatus D. Martinus, qui cùm ab loco, in quo anticipatâ opinione Martyr dicebatur compositus, *aliquando se abstinuisset*, vt loquitur S. Sulpitius Seuerus, *nec derogans religioni, quia incertus erat, nec auctoritatem suam vulgò accōmodans, ne superstitio conualesceret quodam die paucis secum adhibitis fratribus ad locum pergit: Deinde super sepulchrum ipsum adstans orauit Dominum, vt quis esset, vel cuius meriti sepultus ostenderet.* Nec incassum cecidere preces; exemplo trucem vmbram videt, nomen ediscit iacentis, ipsum denique latronem extitisse pernoscit. Eodem precum adiumento vsos lego duos Constantinopolitanos, vt sanguine, sic, & virtute germanos fratres, qui cùm loculum, quo S. Euphemiæ lipsana condebantur, Copronymi iussu in mare deiectum, vndisque miraculo innatantem in suam cymbam collegissent: *angebantur* (verba Theophanis ex Baronio refero) *& dubitabant cuiusnam Sancti essent Reliquiæ? neque sciebant, quid agerent; nisi quòd solummodò Dominum inuocabant, vt eis reuelarentur, sanctumne esset? an commune?* Auditæ fuere piorum iuuenum preces, quibus tandem obiecta SS. Glyceriæ, & Euphemiæ per somnum species, has esse ipsissimas D. Euphemiæ exuuias significarunt. Multo suarum precum ambitu haud dubiè à Deo obtinuerunt Alpini Monachi (de quibus olim ex Glabro memini) vt Reliquias, quas sacrilegus lipsanorum propola, & *Mango callidissimus*, pro veris S. Iusti Martyris exuuiis Marchioni Mainfredo venditarat, quasque vir religiosissimus impiâ nebulonis fraude delusus, vel potiùs præstigiis dementatus in Basilicâ recèns à se constructa honorificè condiderat non subdititias modò, sed etiam prorsùs fictitias, & adulterinas esse breui intelligeret. Cùm enim pij illi Cœnobitæ

Sulpit. Seuer. supr. sæpe cit.

Baron tom. 9. Armal. ad ann. 766. n. 13. 14. & 15.

Glab vt dixi ib. 1. c. 9. art. 1.

Cœnobitæ nocturnis incumberent, pro more, precibus, *visa sunt à quibusdam Monachorum, seu aliorum religiosorum monstruosa in eâdem Ecclesiâ phantasmata, atque à locello, in quo inclusa habebantur ossa, formæ nigrorum Æthiopum exisse, nec non ab Ecclesia recessisse.* Verba sunt Glabri, quibus nocturnarum precum à religiosis viris fusarum vis, & ad detegendas veras ab adulterinis Diuorum Reliquias, & sacra pignora singularis facultas enitescit. Quâ verò arte S. Aigulphus Floriacensium Abbas S. Scholasticæ lipsana, quæ Cœnomanensibus daturum se spoponderat, à D. Benedicti fratris secreuerit, operæ pretium fecero, si exscribente me, ex Adreualdi verbis ediscas, Hæc vero sunt, *Dum igitur diu de his hæsitaretur, & certum quid indicari non posset diuinitati adhuc ancipiti sententiæ taliter finem imponere placuit. Nam cùm continuis diuinitatem precibus per totum noctis spatium vtrique populi pro tanto sibi manifestando negotio pulsauissent: facto mane conspiciuntur eminus duorum paruulorum cadauerum exequiæ, quorum vnum erat masculini sexus, alterum fœminei. Igitur salubri accepto consilio ad se, exanimata corpora deferri iubent: Quod cùm factum esset, masculi corpus prope ossa poni fecerunt, quæ magnitudine præstare videbantur, miróque modo mox, vt mortui tetigere ossa iacentis per mortuum mortuo vita reddita est. Similiter illis placuit vt penes minora mortuæ puellæ corpus poni deberet. Deus autem, vt demonstraret germanos esse, qui ferebantur, merito, quemadmodum vnâ carnis procreatione, vno, eodemque tempore pares merito, pares voluit esse miraculo; ita vt puella eâdem horâ ab officio funeris surgeret, & quæ à flentibus amicis portabatur ad tumulum, iisdem gaudentibus rediret domum. Antiquum inusitatúmque post Helisæi actum renouatùm hîc constat esse miraculum. Quia omnipotentis Dei manus, vt demonstraret B. Benedictum, nec nouis, nec antiquis Patribus imparem merito, palam illum extulit Prophetarum operibus, completurque veridica vox veritatis promittentis; Qui crediderit in me, opera, quæ ego facio, faciet, Omnes igitur lætis animis, magnisque vocibus benedicebant Dominum qui, quæ sibi occulta fuerãt: luce clarius propalare dignatus est.* Hæc ille tam prudenter, quàm verè. Non minùs fuere potentes Eusebiæ Romanæ obsecrationes, quæ Angeli monitu iussa Gallias petere ad perquirendas S. Quintini Martyris Reliquias, cùm ad locum fluminis, in quo iam quinquaginta quinque annos demersæ iacebant, *peruenisset* (inquit ex veteri auctore Surius) *prostrata mox in oratione Deum intentissimè orabat, vt. Sancti sui corpus ostenderet, & vbi esset tantus thesaurus ipsi, quamvis peccatrici manifestaret,* &c. *Completâ oratione cœpit moueri locus,* vt mox dicemus. Iam amabo te, ecquis adeò lynceus sit, qui in tantis tenebris, hoc est, in maximâ, & indiscretâ sacrorum lipsanorum similitudine, & in tantâ earundum numero Reliquiarum, quæ diuersis in locis feruntur asseruari, multitudine, quæ veræ, quæ supposititiæ, quæve adulterinæ reipsâ sint, valeat acutùm peruidere, internosse, secernere, certóque de suis nominibus compellare? nisi si à diuturno, & constanti multarum precum ambitu sibi lumen accendat, siquidem de

Adreuald. lib. hist. translat. S. Bened. c. 8.

Reg. 15. v. 21.

Sur tom. 5. vit. SS. 31. Octob.

S. Iac. ep. c. 1. v. 17. S. Iacobi Apostoli sententia. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.*

Tob. c. 12. v. 8. Quid autem non exoret oratio si comitem habeat corporis afflictationem? Docente enim Angelo Raphaele, *bona est oratio cum ieiunio,* siue quia extenuato per inediam corpore habilior animus redditur, qui clariori lumine diuinitùs illustretur, siue quia oratione, ac ieiunio quasi duplici machinâ, Dei benignitas expugnata faciliùs adducitur ad anteuertendas Cacodæmonum, & suorum emissariorum fraudes, ne in adulterinis Reliquiis devenerandis Fideles incauti, cautíue in errorem præcipites agantur. Non enim minus ad vera Diuorum pignora à falsis internoscenda, quàm ad inuenienda cœlesti mentis collustratione opus est. At non antè Hilduinus Abbas cum Comite suo Barleico Sacerdote venerabiles SS. Martyrum Marcellini, & Petri exuuias in Basilicâ B. Tiburtij Martyris, viâ Lauicanâ reperit, *quàm illi triduano suscepto, expletóque ieiunio, corpora macerassent*; simúlque humillimâ prece Dominum Iesum Christum ad sua vocassent vota, atque adeò beatissimos Martyres veniam poposcissent, vt apud Baronium commemorat Eginhardus, cui laborabatur, & in cuius gratiam pium hoc furtum, annuentibus scilicet illis ipsis Diuis, susceptum, fiebat. Duplici autem illo voluntariæ inediæ, humilísque obsecrationis præsidio muniti, *ad tumbam* (inquit laudatus Eginhardus) *B. Marcellini, & Petri descendunt, atque lapidem, quo summitas sepulchri tegebatur de suo loco leuare moliuntur, quo sublato vident sacratissimum S. Marcellini corpus in superioribus eius sepulchri partibus positum.* Et ne ipsis aliqua fortè de nominibus Martyrum accideret dubitatio, *tabulam ad caput positam, quæ titulo, quem continebat, euidens indicium dabat, cuius in eo loco Martyris membra iacuissent.* Sic ille. Iam augurare quantum apud veritatis, ac rectæ fidei auctorem Deum spontaneæ corporis afflictationes precationibus humillimis coniunctæ valere possint, ac debeant ad internoscendas ab adulterinis, & falsis veras Diuorum Reliquias; quando periculum imminet, ne in suspectâ earumdem multitudine Fideles in errorem rapiantur. Plus enim, ne in religionem peccetur, discriminis, vt in homine Catholico, impendet, falsas pro veris adorare Reliquias, quàm cuius illæ sint Cœlitis innocenti inscientiâ ignorare. Hactenus de his abundè.

Baron. tom. 9. Annal. Eccl. ad ann. 826. n. 24.

ARTI

ARTICVLVS QVINTVS.

Regum & Pontificum rescripta & visitationum Episcopalium commentarij.

CVm ad faciendam dictis, factisue fidem personarum amplitudo plurimum valeat, cuius futuri sint ponderis ad alicuius lipsani veritatem astruendam Regum maiestas, Episcoporum reuerentia, summorúmque Pontificum sanctitas augurari coniecturâ nemo non potest. Idcirco simul quid erit certi de aliquibus Reliquiis, per Regum rescripta, Episcoporum diplomata, sacrósque summorum Pontificum apices, mirùm quàm veræ, germanæque habebuntur.

Non aliam ob causam crediderim D. Ludouicum Francorum Regem Christianissimum voluisse vnam è spinis, quibus adorandum Christi Seruatoris caput, præcinctum, & compunctum fuit, ad Ecclesiam, Clerúmque Toletanum à se plusquam regiâ munificentiâ transmissam regio suo rescripto firmare, quod rescriptum in illius Ecclesiæ tabulario deinceps accuratè seruatum est, vt tanti, támque pretiosi pignoris veritatem astrueret, atque in subsequentes ætates omnes, Præsulibus, & ciuibus Toletanis de eâdem spinâ faceret certam, & inconcussam fidem. Neque minoribus, neque infirmioribus nixi auctoritatibus se veras S. Benedicti exuuias possidere asseuerant Floriacenses, vt pote qui trium Imperatorum Christianissimorum, Caroli Magni, Ludouici Pij, & Caroli Calui rescripta; & Regum Francorum quatuor, Pepini, Lotharij, Ludouici, & Hugonis solemnes literas apud Ioannem à Bosco producunt, *Nec tui ô Beatissime Eduarde Rex, & Confessor, possim ratione obliuisci* (sic Regium illum Cœlitem eruditus æquè, ac pius è nostro Ordine Petrus Halloix compellat) *Haud enim scio, an quidquam aliquando tulerit terra Anglia nomine tuo vel maius, vel sanctius; sed simul, & coniunctim gloriæ S. Dionysij celebrandæ & tutandæ deuotius. Nam cùm præter solitam in sancta regni tui loca, & indigetes tuos liberalitatem, ac munificentiam Dionysij quoque licet peregrini memor esses: ac prædiuitem ei villam, plurimísque abundantem commodis elargirere, ita ferè dicebas*; ita in Regni Francisci gloriam pro veris beatissimi Areopagitæ pignoribus *scribebas. Ego Eduardus Rex Anglorum, cùm essem in pace, in gloriâ regni mei, pro salute animæ meæ, Patrum meorum, qui ante me regnauerunt, cum consultu, & decreto Primatum, Fideliúmque meorum, dedi S. Dionysio (qui celebris memoriæ apud nos quidem nominatur, Apud Francos autem, & colitur, & habetur) villam quandam* &c. Audis D. Dionysij exuuias apud Francos haberi, non alio ex ore, ac stylo, quàm Angli, & Regis

Io. Marian. lib. 13. hist. Hispan. cap. 8

Io. à Bosco Inuentar. rescrip. authen. cap. 3.

Petr. Halloix vit. S. Dion. Areop. cap. 27

gis, & Sancti; vt veras esse fateare. Renati Hierosolymorum, Siciliæ &c. Regis, eiúsque prædecessorum Regum complura rescripta laudat, e Nostris Guesnayus, quibus intelligas diuæ Magdalenæ (quam Regiis suis apicibus Renatus *Secretariam*, *& solam Apostolam Iesu-Christi* vocitat) venerabiles exuuias, veras, vnásque ad S. Maximini reipsa religiosè asseruari, monstrari, coli. Hæc, aliáque sexcenta, ex hisce duntaxat Galliis Regum Christianissimorum in medium adduci possent diplomata, quibus ad verarum Reliquiarum fidem confirmandam, non inutiliter vti possis: sed hæc paucula plusquàm abundè sufficiant, ne frustra in pluribus aliis aliunde congerendis multus sim.

Guesn. in Magdal.adu. Massil.cap. 30. 32.
Pro sindone Compendiensi vid. apud. Nic.Gilles.& Chifflet.crisi. hist.cap.26. rescripta Caroli Calui Imp. & Philippi Reg. Franc.

Plus autem ponderis, ac momenti Episcoporum, quàm Regum auctoritas habere debet, vt eæ Diuorum Reliquiæ præ alijs veræ, germanæque ducantur, quæ de illorum iussu recognitæ, calculo approbatæ, ac diplomatibus fuerint confirmatæ, nec immeritò sanè. Ipsorum enim muneris & partium est, venerandas Sanctorum exuuias post diutinum, maturúmque consilium comprobare, comprobatásque Fidelibus, qui sua tenentur ditione, tùm denique proponere adorandas. Ad eam rem faciunt Conciliorum sanctiones, Concilij quidem Tridentini decretum sic habet. *Nouæ Reliquiæ ne recipiantur, nisi Episcopo recognoscente, & approbante, qui simul atque de his aliquid compertum habuerit, adhibitis in Concilium Theologis, & alijs piis viris ea faciat, quæ veritati & pietati consentanea iudicauerit*, Nomine verò *nouarum Reliquiarum* à Concilio Tridentino significari vulgò negant Doctores eas, quæ ad aliquem è Cœlitibus. qui necdum fuerit in numerum Sanctorum cooptatus, attinent, iámque de nouo sint inuentæ; sed illas solùm volunt intelligi Reliquias, quæ spectant ad Sanctum iam vindicatum, licèt de nouo prodierint in lucem. Vt enim solius summi Pontificis est, non Episcoporum, quempiam in album Sanctorum adscribere, illíque solemnes honores decernere, ita eiusdem duntaxat est, nouas illius Reliquias approbare. Reliquias ergo de nouo inuentas ad aliquem Sanctorum iam vindicatum pertinentes, *Episcopus, quilibet inconsultâ sede Apostolicâ approbare potest, & illo approbante tanquam veras, & ad illum sanctum pertinentes posse absolutè venerari*, auctor est, cum grauissimis aliis scriptoribus, Augustinus Barbosa. Concilio Tridentino adstipulantur Concilia Mediolanensia & Bononiense superiùs olim à me laudata, dum Episcopis imperant, vt accuratè suarum Diœceseon sacrosancta lipsana recognoscant, approbent, proponántque Fidelibus adoranda. Quin ergo illæ Reliquiæ meritò veræ habeantur præ aliis, quarum nulla sit ab Episcoporum auctoritate fides? Certè nemo cordatus audeat derogare fidem Floriacensibus affirmatè profitentibus se ipsissima B.Benedicti Patriarchæ sui pignora possidere, dum tot Archiepiscoporum, & Episcoporum diplomata, quæ in eam rem Ioannes à Bosco suprà citatus laudat, in medium adducunt, & ne Massilienses, Sandionysianos, & complures alios è nostratibus solis memorem; vnum S. Carolum Borromæum, cuius paulò antè prouincia-

Concil. Trident. sess. 25.

Azor.lib. 9. Instit.Mor. ca. 8.quæst.8. Suar.tom.3. in 3.part. quæst.25.art. 6. disput. 55. sect.2. Sanchez tom. 1. in præcept. decal.lib.2. cap.43.n.11. Layman. lib. 4 tract.7.cap. 5.quæst. 4. Barbosa de off. & potest. Episc.allegat. 97.n.13.&c. quos citant. Supr.lib.1. cap.8.art.1. & cap.9.art.1 Io.à Bosc. supr.cit.c.2.

le Concilium protuli, & cuius simul venit in mentem recordari, præterire non possum; quippe qui Gabrieli Palæoto Cardinali Eminentissimo, iuxta, ac Illustrissimo Bononiensi Archiepiscopo beata lipsana, quorum translationi tùm fortè inuitatus intererat, postulanti, de more, aliqua elargitus amplissimo diplomate de ipsorum veritate constare voluit, ne posteritati in dubium venire aliquando possent. Eius diplomatis primariique scripti exemplum apud eundem Palæotum inuenies exscriptum.

Palæott. Concil. Benon. 4. part. de SS. Reliq. transl. pag. 289.

Quid verò Episcopalium visitationum commentarij? Illos ego ad veras reliquias à falsis secernendas maximi esse ponderis, ac momenti, non vnam ob causam existimarim. Episcoporum enim sunt partes in sacrarum exuuiarum inquirere veritatem, integritatem, ornatum, venerationem, cùm ad Ecclesias sibi obnoxias perlustrandas accedunt. *In illis Ecclesiis, in quibus Sanctorum reliquiæ erunt* (inquit Antonius Resta Episcopus Andriensis) *statim completâ visitatione præmissâ sacramentorum, expediet priùs Sanctorum reliquias visitare, antequam maioris altaris, ac Ecclesiæ visitatio fiat, ac præcipuè, si huiusmodi reliquiæ super altare maius conseruentur.* Quod consilium rationi est, quàm quod maximè, consentaneum; propterea quòd, si à sacramentis discesseris, nihil sit, quod ad Dei opt. max. & Sanctorum gloriam accedat propiùs: nihil quod ad Fidelium vtilitatem, ciuitatum præsidium, Dæmonúmque fraudes, & conatus infringendos potentiús conferat, quàm verarum reliquiarum præsentia, & cultus. Tum pergit Antistes prudentissimus tradere methodum, quâ huiusmodi venerabilium reliquiarum visitatio ritè, rectèque peragi possit, quámque curioso Lectori perlegendam relinquo? quod tamen ad sacrorum pignorum assequendam veritatem summoperè facit, omittere nec possum, nec debeo. Ait igitur: *Videantur nomina, documenta, certitudo, antiquitas illarum reliquiarum, ex quibus certæ sunt scribendæ, & vsu receptæ à non receptis secernendæ: si non sint documenta, & non habeant nomen; fiat Congregatio Theologorum, aut in Concilio Prouinciali discutiendum proponatur; aut sacra Congregatio Romana per literas consulatur.* Deinde post aliqua, quæ sacrorum lipsanorum ostensionem spectant, subdit. *Prohibeat* Episcopus, *ne reliquiæ incertæ quæ non habent inscriptionem sui proprij nominis, aliquo pacto ostendantur, sed tantùm reuerenter conseruentur.* Peractâ visitatione libellum indicem conficiendum quamprimùm curet, si non habeatur, & in visitationum commentarios referendum mandet, vti à se factitatum idem memorat, si autem iam habeatur, exhibendum consulit, *vt legatur, & videatur diligenter, si integræ, & omnes sint reliquiæ, ne deficiant, & si bene conseruentur.* Hæc & alia complura ille: nósque de eâdem re pluribus ad prioris huiusce partis calcem, si superi aspirent.

Luc. Ant. Resta Direct. Visit. part. 1. cap. 18.

Idem ibid. vid. sup. art. 2.

Infr. huius part. cap. 4.

Hæc cùm ita se habuerint, in dubium meritò vocari vix poterit, quin ex Episcopalium visitationum eâ curâ, & studio confectis commentariis, atque adeò in Episcopali tabulario diligenter asseruatis, haberi

debeant veræ, germanæque reliquiæ, præ aliis, quas alibi custodiri easdem numero fama est, & de quarum veritate, per similes commentarios, æquè veteri confectos æuo, constiterit planè nihil. Etenim apud Iuris Canonici scientissimos quosque in confesso est, libris visitationum plenissimam habendam esse fidem: quoniam, vt loquitur Barbosa, *Visitationis liber plenam inducit probationem, quoad visitationem personarum, sacramentorum, & aliorum pertinentium ad officium visitantis, prout decisum refert Aloysius Riccius*, & alij, quos laudat.

Zerola prax. Episc. part. 1. Verb. Visitatio.
Barbos. de off. & potest. Epi. alleg. 73 n. 43. &c. quos citat.

Quorum hoc verior est sententia, quò diligentiùs ab Episcopis longâ, & constanti serie sibi succedentibus in sacris Diuorum exuuiis examinandis, & perlustrandis, nauata est opera, simul & visitationum commentarij studiosiùs in tabulario Episcopali fuerunt asseruati, vt proximè dicebam; quandoquidem libri omnes ex officio conscripti, éque publico tabulario deprompti indubitatã faciunt fidem, si vtriusque iuris consultissimos audire placet. Quare prudenter Ansossius argumento e visitationum Episcopalium commentariis quamplurimorum Antistitum sibi continenter succedentium calculo approbatis, firmatísque hausto, Ecclesiæ Ticinensis reliquias, & veras, & easdem in indiuiduo existere demonstrauit.

Mascar. tom. 1. de probat. concl. 254. n. 12. & concl. 316. n. 6. Rot. Rom 1. part decis. 189. n. 5.
Ansoss. sæpe cit. § 22. n. 35

Ad summam in earumdem Reliquiarum multitudine eas merito veras esse credas, quibus comprobandis summorum Pontificum auctoritas, & sacri apices ad magmentum accesserint. Cùm enim penes Pontifices Romanos summa sit secundum Christum rerum sacrarum procuratio; temeritatis esset longè maximæ suspicari, esse ea Diuorum pignora adulterina, quæ ipsi diuino spiritu afflati suo calculo, & Pontificiis rescriptis approbassent: eò spectauit Concilij Lateranensis sub Innocentio 3. coacti decretum, quo decreto vetatur, *ne inuentas de nouo Reliquias quispiam publicè venerari præsumat, nisi priùs auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ*; *Reliquias* autem *de nouo inuentas*, iam suprà explicui illas debere intelligi, quæ attineant ad aliquem Sanctum, qui nec dum fuerit in album Diuorum relatus. Nouerat hoc satis superque Carolus nomine Magnus, reipsâ ter Maximus, idemque Christianissimus Imperator, ad quem cùm perlatum fuisset adorandum Christi sanguinem Mantuæ, Italiæ ciuitate pernobili, fuisse repertum, ex templo (quâ erat in summos Pontifices obseruantiâ) ad Leonem tertium oratores misit, qui eum impensè rogarent, vt super huius famæ veritate anquiri vellet, iuberétque. Nihil moratus sanctissimus Pontifex se in viam dedit, ac primò quidem in Longobardiam profectus est: *re multum examinatâ* (inquit Baronius) *Inuentus est, & comprobatus ille fuisse, qui ex Christi latere fluxit tempore passionis eius, non autem ille, qui Beryti, vt vidimus, ex sacra Crucifixi imagine fluxerat. De quâ veritate dicuntur sacra diplomata Romanorum Pontificum extare, vt de his non sit ampliùs dubitandum. Sed ego non vidi.* Hactenus doctissimus Cardinalis, viderint iam alij sítne fas in dubitationem reuocare, Floriacenses Beatis D. Benedicti exuuiis locupletatos

Concil. Lateran. cap. 62. sup. cit. sæpe.

Baron. tom. 9. Annal. Eccle. ad ann. 804. n. 1. & 2. Platin. in Leon. 3.

tos potiri, quandoquidem duobus Leonis ſeptimi reſcriptis, vno Alexandri 2. altero Alexandri 3. ad ſummam Eugenij 3. Clementis 3. Honorij 3. Innocentij 3. Vrbani quinti, & Clementis octaui ſummorum Pontificum ſacris apicibus tantorum pignorum poſſeſſio illis iampridem addicta fuit. Viderint alij, an ſit amplius dubitandum veriſne S. Magdalenæ lipſanis Maſſilienſes perfruantur, cùm tribus Bonifacij octaui bullis, adeóque Benedicti vndecimi, Gregorij vndecimi, Ioannis vigeſimi ſecundi, Eugenij 4. Clementis ſeptimi Pontificis literis (vt audio) mirùm quantùm glorientur. Viderint denique alij (ne in plurimas, de quibus controuertitur, Reliquias, excurram incaſſum) viderint, inquam, alij quo iure Cœnobitas Dionyſianos, perantiquâ corporis S. Dionyſij poſſeſſione Ratiſponenſes tenſent exuere, quàm ipſis Nicolaus 2. Seephanus 9. Alexander 2. Innocentius 4. aliique Pontifices Maximi, à tot antè retrò actis ſeculis, non tam adiudicarunt, quàm adiudicatam Pontificiis, ſuis reſcriptis confirmarunt. Ego certè non dubitem obfirmate aſſerere eas Diuorum exuuias, in earumdem multitudine meritò veras eſſe iudicandas, quibus ſacræ Romanorum Pontificum bullæ veritatis fidem, & inconcuſſam conciliant auctoritatem, modò vt à ſede Apoſtolicâ reipsâ emanarint.

Ioan. à Boſco cit. cap. 1.

Io. Gueſn. cit. cap. 26.

Iac. Dublaus lib. 2. Antiq. Abba. S. Dionyſ. cap. 9. & 10.

Eò de induſtriâ dixi (*modo vt ab ſede Apoſtolicâ reipsâ emanarint*) quòd me minimè fugiat nebulones & falſarios neſcio quos Pontificia reſcripta nonnumquam vel comminiſci, vel ſubreptitias bullas obtrudere, vel integras interiectis quibuſdam voculis adulterare: quæ ſuppliciis omnibus mactanda præfidentia eſt. Næ! mihi triumpho dignus Petrus Halloix videatur, qui de Auentino, ſcriptore hæretico, tam fœliciter victor euaſit, dum fictitiam illam Leonis 9. Pont. max. (ſi ſuperis placet) bullam ſagaci ſtylo confixit: quâ bullâ perſonatus iſte Pontifex in Galliæ noſtræ iniuriam longè maximam, venerabiles S. Dionyſij Areopagitæ Reliquias Noſtratibus calamo potiùs, quàm reipsâ ſuffurari connisus earum poſſeſſionem Germanis addicere nequicquam auſus erat; & ſanè perfeciſſet, niſi in lynceos homines incidiſſet, qui impudentis hominis fraudes, & fabuloſas præſtigias acutùm peruiderunt, quos inter Noſter Halloix non vltimas tenet: eum, ſi conſules, mecum ipſi fauebis & applaudes.

Halloix loc. ſup. cit.

ARTICVLVS SEXTVS.

Picturæ veteres, & sacra signa templorum parietibus appicta, affixa, suspensa simul & tituli sepulchrales.

NOn leuis suboriri potest difficultas, & controuersia super venerabilium Reliquiarum, quas in variis locis, ac templis custodiri, & coli fama est, veritate, & multitudine, fidésne aliqua sit habenda, veteribus picturis, imaginibus, ac sigillis sacris, quæ sacellorum, & Basilicarum parietibus coloribus expressa, affixa, & suspensa aliquando, & alicubi visuntur, cùm certa titulorum tabularum, aliorúmve idgenus testimoniorum desideratur auctoritas? Rationem dubitandi suggerit vetus illud & omnium ore passim iactatum Venusini poëtæ pronuntiatum--------------------*pictoribus, atque poëtis*

Horat. de art. poët.

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Vtramque pingendi, & pangendi versus, facultatem congruenter coniunxit Horatius; quòd è Gentilibus Plutarcho, & Philostrato: è Christianis, S. Gregorio Nysseno, aliísque non paucis scriptoribus pictura nihil aliud sit, quàm *muta poësis*, *nec poësis aliud*, *quam pictura loquens*. At præposterè & immerito illi pulcherrimis artibus iniuriam non mediocrem irrogarunt, qui à *fingendo* quidlibet potiùs quàm à *faciendo*, quæ veritati consentanea sunt, nomen ποιητικῆς, seu *poëtices* impositum fuisse inscienter, ac falsò crediderunt, vti iampridem obseruauit non vnus literatorum, Certè in vtramque illam facultatem iure optimo cadit, quod Iulius Scaliger, de poësi vna, tanquam è tripode pronuntiauit, & scripsit: *videtur sane res ipsas* (verba ipsius do) *non vt aliæ, quasi Histrio narrare; sed velut alter Deus condere, vnde cum eo commune nomen ipsi non à consensu hominum, sed à naturæ prouidentiâ inditum videtur.* Illum verò id hausisse crediderim ex Philostrato, apud quem Damis, vel potiùs Apollonius *pictorem Deum* esse concludit ex Damidis oratione nec adeò ineptè, *Nam quæ omnium opifex condidit Deus,* multò meliùs penicillo, & coloribus *eorum* pictura *actor est*, quàm poësis.

Plutarch. & cum eo Philostr. Iun. in præf. suar. imag. pagin. 883. edit. Græcolat. Greg. Nyss. orat. de S. Theod. Mart. Iul. Scalig. lib. 1. poët. c. 1. Mallon. in c. 3. hist. de admir. Christi stigm. Alph. Palæoti. Iul. Scalig. l. 1. poët. c. 1.

Philostr. in vit. Apoll. l. 2.

Iam verò quis credat? (si sanæ mentis est compos) pictoribus, atque poëtis ita *quidlibet audendi esse potestatem*, vt nulli religioni ducere debeant ad arbitrium quidlibet cõminisci, & absurdissima simul, & mendacissima quæque penicillo, calamóque expressa pro veris obtrudere. Si quidem in terris *Dij* quodammodo sint, vel certè *Dei* optimi maximi (qui vnus *Veritas est*) imitatores. Non iuit in hanc sententiam

tentiam Horatius, qui liberam illam *quidlibet audendi potestatem* pictoribus, & poëtis his finibus circumscripsit.

Sed non, vt placidis coëant immitia, non vt
Serpentes auibus geminentur, Tigribus agni. Horat. loc. cit. Init.

Etenim vti paulo antè cecinerat per quàm lepidè.

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si velit, & varias inducere plumas
Vndique collatis membris, vt turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa supernè
Spectatum admissi risum teneatis amici.

In eàdem sententia fuit Vitruuius, quem conquestum lego homines, qui verè naturam, vel potius naturæ auctorem imitari debuissent fabulosa, inepta, & mera, putáque mendacia commentos esse, quæ natura ipsa nequeat efficere. Pari ingenio Bulengerns noster censuit pictores complures *chymeras pingere, quas vulgo vocant*, Grotesques, *ineptissimè*, quæ chymæræ nihil aliud penitus sunt, quàm *pictoris cogitationibus suis indulgentis exerrationes, qui penicillo, vt eum animi fert impetus abutitur, ludit in vagis suis, & errantibus hallucinationibus, & in his manus requiescit.* Sic ille de pictoribus quibusdam, qui dùm nugis, dùm somniis, dùm mendaciis, mentisque suæ aberrationibus penicillo, & coloribus effingendis operam collocant, oleum & operam perdunt ne dicam persæpe suos, ac spectatorum animos, vt peregregiè docuit Iulianum Apostatam S. Cyrillus.

Vitruu. lib. 7.
Bulleng. lib. 1. de pictur. c. 1. & l. 2. c. 2.
S. Cyrill. Alex. lib. 6. cont. Iulian. non longè à princ.

In quam rem diuinè Patres Conscripti Tridentinæ Synodi, sanciuerunt, vt in templis, sacrisque ædibus *nullæ falsi dogmatis imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes, statuantur.* Meminerant tunc fortè S. Gregorij Pontificis maximi scribentis, *si pictura indoctorum est liber, ecquid è falsâ haurietur lucis?* Vtvt sit, hoc Tridentini Concilij oraculum tanti factum, visúmque Molano est, vt prudenter in hæc verba dixerit. *Non est autem mirandum quòd Sanctum Concilium dicat se vehementer cupere abusus istos imaginum prorsus aboleri; præsertim si attendimus, quantâ diligentiâ mater nostra Ecclesia omnes malos libros è filiorum suorum manibus eripere conatur. Quid enim differunt picturæ à scriptis? quid aliud pictura, quàm picta scriptura? quàm picta historia: Vnde etiam Græcè ζωγραφία, hoc est, viua Scriptura vocatur; sicut annotat Beda in libro de Templo Salomonis.* Et verò imagines (vt loquitur SS. Patrum non vltimus Basilius) *quæ sermo historiæ per dictionem præbet, eadem & pictura tacens per imitationem ostendit.* Eodem genio secundùm illum, aliis licet verbis SS. Gregorij Romanus, & Nyssenus, atque Sanctus Ioannes Damascenus in paucis censuerunt: *Etenim* inquit iste, *illiteratis hominibus hoc sunt imagines, quod literatis libri. Et quod auribus oratio est, idem est oculis imago, cui tamen imagini intelligentia coniungimur.*

Concil. Trid. sess. 25. cap. 1.
S. Greg. lib. 9. ep. 9.
Molan. lib. 2. hist. de SS. imag. cap. 2.
Bed. tom. 8. l. de Templ. Salom. c. 19.
S. Basil. or. in 40. mart. Initio.
S. Greg. l. 9. e. 9
S. Greg. Nyss. orat. in Theod. M.
S. Ioa. Damasc. or. 2. de SS. Imag.

Segniùs irritant animos dimissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus. *Horat. loc. cit.*

Eaque

Eáque quibus exprimendis penicillo pictorum incubuit industria non minùs doctos, & indoctos frequenter afficiant, quàm ea quæ in literas missa leguntur. At ecquis vel tantillum bonæ mentis compos, non ferat iniquo animo pictores non solùm in obscœnis imaginibus elaborandis conferre studium; sed etiam imò multò magis in sacris picturis depingendis vel leuissimum *falsi dogmatis, & periculosi erroris intermiscere?* Vetuerunt id plurimæ Synodi Ecclesiæ Gallicanæ, dum *apocryphas historias* æquè, ac ethnicas parietibus appingi prohibuere. Audi, quisquis es; Ethnicum hominem, & ab Euangelica luce quàm maximè extorrem, exortémque fidei Christianæ, Damidem loquor, qui sciscitanti Apollonio Tyaneo, censerétne *aliquid esse picturam? Certè,* inquit ille *si quid est, & veritas.* Maius aliquid effatus esse mihi videtur Philostratus, cùm sic scriberet. *Quicumque picturam minimè amplectitur, non modò veritatem; verum & eam, quæ ad poëtas pertinet, iniuriâ afficit sapientiam.* Appositè omninò, & verè illi, vt minùs cordato, & Christiano, Catholicóque homini mirum videri debeat: si morum magistri lethalis culpæ reos faciant illos, qui figuram è cera, aliásque quascumque imagines *offerunt in signum falsi miraculi, aut falsi beneficij accepti, quod magna religioni irrogetur iniuria, & fides Christi veritate euacuetur.*

Cōcilia Prou. Tolos. Senon. Carnot. Turon. Aquisext. &c. apud Bochellum lib. 4. decret. Eccles. Gallic. tit. 5. Philostr. in vit. Appollon. cit. & in exord. Hellad. Sanchez lib. 2. in decalog. cap. 37. n. 9. Caiet. Verb. superstitio c. 1. Sayer. & alij verb. eod. Molan. lib. 2. hist. SS. Imag. cap. 19.

Vnum tamen hîc te monitum, peruelim cum Molano *quia nullis incertis, ac proinde nec falsis Ecclesia delectatur, nemo arbitretur pictores in eo reprehendēdos esse quòd quædā in picturis exprimant, quæ in historiis non habentur. Hoc enim non solùm probabiliter, & conuenienter, sed & necessariò quandoque faciunt, & communi quodam totius Ecclesiæ sensu, atque consensu approbatur. Exempli gratiâ in historiâ Incarnationis Dominicæ, Euangelia non exprimunt, quid egerit Beatissima Virgo, cùm Angelus Gabriel intraret eam salutans; steteritne? an sederit? an verò flexis genibus meditationibus fuerit intenta. Quia verò aliquid horum, dum historiâ pingitur, necessariò est superaddendum communi quodam pictorum consensu, & aliorum approbatione receptum est id, quod maximam habet probabilitatem. Probabile verò est, quòd flexis genibus superbenedicta Virgo eo tempore se occupauerit, in redemptionis nostræ meditatione. Si enim nec Danieli viro desideriorum tempus natalis Christi nuntiatur à Gabriële, ne Zachariæ Sacerdoti præcursor Messiæ, nisi intentissimè orantibus: anne existimandum est Gabrielem ad hanc Virginem venisse Deo non intentam?*

Hæc, aliáque eiusdem generis exempla viræquè pius, ac doctus scribere pergit. Ideóne asseras Ecclesiam multa incerta, & falsa in suis picturis exhibere? Apagesis. Quamuis incertum ex sacrâ historiâ sit, fueritne B. Virgo piarum rerum commentationi intenta, nécne? quid hoc incōmodat religioni? fidei quid repugnat? quid obluctatur veritati? Illa enim meditabundæ Virginis Mariæ delineatio, non id certò constare, sed tantùm probabiliter existimari, dici, ac pingi significat

Non

Non igitur huiuſcemodi picturæ hac in *parte incertum aliquid* repræſentant, *ſed quod certum eſt. Certum eſt enim hæc ſuam habere probabilitatem:* ſed à diuerticulo ad viam.

His præmiſſis, ac poſitis affirmo prudenter adhiberi poſſe picturas veteres, & ſacra ſigilla, templorum parietibus appicta, affixa, ſuſpenſa, quibus Diuorum Reliquias illis in templis aſſeruari, ac religioſo à Fidelibus cultu affici ſpectantibus innoteſcat. Etenim auctore vel teſte D. Ioanne Damaſceno, *Idcirco imagines inuentæ ſunt, quæ nobis ad rerum occultarum demonſtrationem, atque notitiam, tanquam itineris duces, aditum patefaciant. Prorſus autem ad vtilitatem, & beneficium, ac ſalutem noſtram pertinet, vt rebus notatis, atque deſcriptis, ea quæ nos latent, intelligamus.* Hinc rectè Anfoſſius iuris vtriuſque peritiſſimus aſſerit, Guallam hac probandi ratione prudenter, ac iure vſum eſſe, vt venerabiles Sanctiſſimi Iobi exuuias Ticini conſeruari demonſtraret, quòd earum tranſlationis hiſtoria parietibus Baſilicæ S. Ioannis in burgo coloribus expreſſa etiamnum videatur. Longè ante ipſum prudentiſſimus Annalium Eccleſiaſticorum conditor Cardinalis Baronius obſeruauit, haud admodum longè ab Hiſpali in loco, qui dicitur Alcala de trio, coli Sanctum, nomine *Gregorium*, *quem ferunt pluribus coruſcare miraculis, multáque tùm in ipſo ſepulchro ſigna, tùm in parietibus picturas* cerni, *quibus viri ſanctitas poſſit intelligi.* Verùm quòd abſque ſcripti alicuius monumentis Gregorij iſtius, ob Gothorum, & aliorum barbarorum Hiſpanias vaſtantium illata damna, obſcura prorſus memoria remanſiſſet: *conſultum fuiſſe videtur* (inquit) *Vt magnus ibidem Gregorius, Pontifex maximus coleretur duodecimo menſis Martij, quo eiuſdem Pontificis natalis celebrari conſueuit.* Eo modo conſuluiſſe Fidelium pietati viſus eſt ipſemet D. Gregorius, cùm ab Auguſtino à ſe in Angliam miſſo per literas accepit, illic coli, quendam incognitum *Sixtum* Martyrem, de quo certi conſtaret nihil; Etenim ne religio aliquid detrimenti caperet vigilantiſſimus æquè, ac conſultiſſimus Pontifex illuc alterius *Sixti* Martyris lipſana tranſmiſit. Non iterùm hîc inculco ex inuentâ S. Soſij Martyris effigie muſiuo opere affabrè factâ venerandarum ipſius exuuiarum veritatem non mediocriter fuiſſe corroboratam. Vide quæ inferiùs ex Surio retulimus capite de præſidijs mixtis. Suppoſititium (vt olim diximus) Leonis Papæ noni diploma pro corpore S. Dionyſij Areopagitæ Ratiſponenſibus vindicando, confirmandóque hoc eodem argumento, & probationis genere, vſum video. Verba perſonati illius Papæ ſunt huiuſmodi. *Nos vtriuſque partis precibus inclinati, nec volentes vlterius corda fidelium huius dubij ambiguo caligare; in fratrum noſtrorum, ac plurium Epiſcoporum, ac Prælatorum præſentiâ, & conſpectu, ſcripta Arnulphi Auguſti, ordinéque rei diligentiſſimè perlegentes, nec eo contenti capſas, thecas, & ſcrinia, in quibus ſacræ Reliquiæ conditæ dicebantur; ac titulos, & epigrammata eorum, oculo tenus ſolerti examine diſcutiendo, nihilque obmittendo, quod ad indagationem certitudinis pertinet, tam Imperialibus,*

S. Io. Damaſc. orat. 3. de SS. imag.

Anfoſſ. lib. de SS. Reliq. cultu &c. §. 35. *n.* 11. & 35. *qui etiam citat. Villegam in præfat. Vit. S. Chriſtoph.*

Baron. tom. 9. Annal. Eccl. ad ann. 544. *num.* 13

quàm Papalibus Antecessorum nostrorum litteris sufficienter instructi, picturis quoque parietum multiplicibus, & sculpturis vetustissimis exprimentibus indicia veritatis, & notas, indubitatâ fide comperimus dicti Doctoris, & Martyris ossa venerabilia, exceptâ particulâ vnicâ simul, & minimâ manus dextræ apud memoratum B. Emmerani cœnobium integraliter contineri. Sic ille. Quidquid verò sit, de huiusce rescripti fide, atque auctoritate, nihil obstat quin ad probandum veras alicubi Diuorum exuuias asseruari, ex picturis templorum parietibus affixis, appensísve, non leue peti possit argumentum. Et quamuis aliquibus forte non tam leue, quàm nullum videri possit probationis genus; eos meminisse velim primùm probationes non esse angustandas, sed illis fauendum esse quàm maximè, tùm in iis quæ difficilis sunt probationis, leuiores posse sufficere. Denique frequenter in vtroque foro probationes minus sufficientes admitti, ne angustetur probatio. Vti multis, atque ex multis grauissimorum vtriusque iuris Doctorum auctoritatibus perquàm eruditè confirmat Eminentissimus Cardinalis Thuscus. Firmum tamen à veterrimis picturis, ad sacrarum Reliquiarum veritatem astruendam, confirmandámque duci posse non paucis, iis denique potentissimis hisce argumentis, vt credam, adducor.

Card. Thusc. tom. 6. concl. 778. 792.

Nemo est hominum, qui eat inficias tabularum, titulorum, epigrammatum, elogiorúmue scriptionibus adhiberi solere fidem; at picturæ sacrarum ædium parietibus appictæ sunt genus aliquod scriptionis, nisi si Ioannes presbyter & in secundâ Nicænâ synodo Apostolicarum sedium Orientis vices gerens, allucinatus fuit, cùm in nobilissimo illo consessu sic diceret: *Non aduersantur pictores scripturis; sed quidquid scriptura dicit; id demonstrant: ita vt sint assertores eorum, quæ scripta sunt*, & post eum Ammorij Episcopus Theodosius, clariùs in hæc verba censuit. *Ipsæ sanctæ atque colendæ Imagines, & picturæ, & materiales scriptiones, atque musiua ad nostram doctrinam, & æmulationem, & formam sunt, & scripta consistunt.* Et ne huc iterum aduocem superiùs proximè Bedam citatum, placet eo longè præstantiorem audire Pontificem max. S. Gregorium. *Idcirco* (inquit) *imagines in Ecclesiis adhibentur, vt qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent*: & alibi, *quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus: quia in ipsâ legunt, qui literas nesciunt, vnde præcipuè Gentilibus pro lectione pictura est.* Quidni ergo picturæ veteres, & signa Diuorum sacris affixa, & appicta parietibus non facient fidem ibi veras, germanásque ipsorum Reliquias asseruari, vbi vulgò coluntur?

Sept. synod. Gener. in Nicæn. 2. act. 4.

S. Greg. lib. 7. epist. 109. ad Seren. Episc. Massil. Idem lib. 9. epist. 9.

Indubitatum & constantissimum est, apud omnes locupletium testium sermonibus, atque adeò proborum virorum testificationibus haberi fidem: multò igitur magis veterrimis picturis, & imaginibus, quæ tacitè pro veris Diuorum lipsanis loquuntur, fides est adhibenda. *Nam* (vt Ioannes laudatus ait) *maior est imago sermone, & hoc Dei prouidentiâ factum est propter idiotas homines. Solet* certè, vt S. Gregorius

S. Greg. Nyss. orat. sup. cit.

rius Nyssenus appositè infit, *pictura tacens in pariete loqui*, *maximéque prodesse*, tum ad alias complures causas, quas sancti Patres in septimâ synodo à nobis citatâ, aliíque passim scriptores sacri memorant, tùm vt eas veras esse Reliquias Diuorum, tacitè loquendo testentur, quæ intra templorum parietes, in quibus huiuscemodi veteres picturæ sunt delineatæ, studiosè summa cum Religione custodiuntur, monstrantur, & fidelibus adorandæ exhibentur.

Veteribus, & approbatis auctorum libris non minùs facilè nos credere solitos nouit non nemo. Cur ergo pari facilitate perantiquis pictorum orthodoxorum operibus, tabellis, & imaginibus, quibus templorum ornantur parietes, non credamus, quando aliquarum venerabilium Reliquiarum, quas in illis haberi fama est, veritatem muto sermone, hoc est, sui aspectu nos edocent, & affirmant? Picturas autem veteres, & approbatas in paucis *libros* esse, nemo vnus est, qui ausit pernegare; si quidem in SS. Patrum lectionem se abdidit. Gregorium Romanum non iterum huc aduoco, sed potius Nyssenum, qui agens de laureato sancti Theodori Martyris agone à pictore Christiano ædis sacræ parietibus appicto, sic loquitur, ac scribit. *Omnia nobis tanquam in libro quodam, qui linguarum interpretationes contineat, coloribus artificiosè depingens certamina, atque labores martyris nobis expressit.* Idem voluere, ac censuere omnes illi, qui cum sancto Damasceno picturas illiteratis idem esse dixerunt, & *literatis libros*; in quibus *oculis legunt*, quæ alioquin illos præ inscitia lateret. Non egregiè minùs, quàm sapienter S. Nilus, Olympiodoro Præfecto per literas rogitanti, nùm sibi templum maximum ad honorem tam SS. Martyrum, quàm Christi extructuro decorum foret *imagines ponere in sacrario? & variis animalium venationibus parietes implere? sed & in communi domo mille cruces infigi, & picturas volucrum, & iumentorum, ac repentium, ac diuersorum germinum fieri?* egregiè inquam, & sapienter in hæc verba respondit. *Ego ad ea, quæ scripta sunt, dixerim: quia nimirum infantium est, & paruulos decet his, quæ prædicta sunt seducere fidelium oculum; firmi verò & virilis sensus proprium est in sacrario quidem ad orientem diuini templi, vnam & solam crucem formare* (subdit post pauca) *Historiis autem veteris, & noui testamenti replere hinc, & inde manu optimi pictoris templum Sanctorum, quatenus, qui nesciunt literas, neque possunt legere diuinas scripturas, contemplatione picturæ memoriam sumant præclari facinoris eorum, qui vero Deo seruierunt.* Hæc, & alia S. Nilus, S. Paulinus eodem afflatus œstro se S. Felicis Martyris basilicam variis, ijsdémque sacris picturis decorasse in hunc modum eleganter cecinit.

Greg. Nyss. orat. de S. Theodoro Mart.

S. Nilus relatus in VII. synod. gener. art. 4.

Propterea visum nobis opus vtile totis
Fœlicis domibus picturâ ludere sanctâ,
Si fortè attonitas hæc per spectacula mentes
Agrestûm raperet fucata coloribus vmbra,
Quæ super exprimitur titulis, vt littera monstrat,

S. Paulin. Natal. 9. de S. Felice.

Quod manus explicuit.

Pluribus pius, ac diuinus Vates. Mitto laudare poëtam alterum Christianum, videlicet Prudentium, impræsentiarum, mox eius verba daturus. Præterea Patres Gallicanos Concilij Prouincialis Senonensis habiti anno 1528. quos Bochellus refert, aliósque complures qui *sacras picturas, Idiotarum libros vocitarunt.*

Bochell. lib. 4. Decret. Eccl. Gallic. tit. 4. cap. 17.

Hæ verò picturæ, & sacra Diuorum signa templorum appicta parietibus, validissimum est probationis genus, vt hinc iure conficiamus eas esse vera, germanáque Beatorum lipsana, quæ in illorum fauissis iactantur asseruari; si quidem veteres, & approbatæ fuerint huiuscemodi picturæ. Enimuerò illius æui, quo primùm iis ornati fuerunt sacrarum ædium parietes, Episcopi pro suo iure, ac munere haud dubiè vehementi intercessione, huiuscemodi Diuorum simulachra effingi prohibuissent, si de illarum Reliquiarum veritate tùm minus liquidè ipsis constitisset. Ecquis autem animum inducat suum, post elapsa tot annorum & sæculorum curricula, è Præsulibus neminem vmquam pensi deinceps habuisse, vt eius generis picturæ, & Diuorum imagines è Basilicarum parietibus abraderentur, si appictæ; vel deijcerentur, si affixæ, aut suspensæ fuissent: cùm primùm ipsis foret perspectum, & exploratum, Reliquias ibi iam esse nullas, aut fuisse numquam, vel adulterinas esse? Cùm ergo iam plurima sæcula intactæ steterint hæ picturæ, videntibus, & conniuentibus Ecclesiarum Episcopis, ac Præfectis, eorúmque intercesserit nemo; non est, cur venebilium illorum lipsanorum, quæ vulgò coluntur alicubi, veritas meritò vocari possit in dubium.

Vltimum, at nihilominus reliquis inferius ad astruendam veterum picturarum hac in re, de quâ disputamus fidem, & auctoritatem mihi videtur esse, perantiqua Maiorum nostrorum consuetudo, à nemine (quod meminerim) hactenus obseruata, quâ solemne ipsis video fuisse iis in templis Diuorum imagines, & præclara eorumdem facinora coloribus exprimere, intra quorum parietes illorum sacrosanctæ exuuiæ forent compositæ, seruatæ, adoratæ. Prudentis æquè, ac piæ huiusce consuetudinis non pauca, illustriáque apud locupletissimos testes, & scriptores exempla legere est, quæ hic exscribere operæ pretium duco. Agmen ducat Prudentius, cuius in S. Cassiani Foro-corneliani gratiam, hi sunt versus.

Prudent. περὶ στεφ. hymn. 9.

Stratus humi tumulo aduoluebar, quem sacer ornat
Martyr, dicato Cassianus corpore.
Dum lacrymans mecum reputo mea vulnera, & omneis
Vitæ labores, ac dolorum acumina.
Erexi ad cœlum faciem, stetit obuia contrà
Fucis colorum picta imago Martyris
Plagas mille gerens totos lacerata per artus,
Ruptam minutis præferens punctis cutem
Innumeri circum pueri, miserabile visu!

Confossa paruis membra figebant stylis.
Vnde pugillares soliti percurrere ceras,
Scholare murmur annotantes scripserant.
Æditiuus consultus, ait. Quod prospicis hospes?
Non est inanis, aut anilis fabula:
Historiam pictura refert, quæ tradita libris
Veram vetusti temporis monstrat fidem.

Sic poëta ille Christianus veterem nos edocet consuetudinem, quam paucis confirmat Euthymius Diaconus in secundâ Nicænâ synodo, Episcopi Gotthiæ vices gerens, cùm ex miraculis S. Anastasij Martyris ista legeret; *Ingresso ciuitatem* (Cæsaream nimirum Palæstinæ) *sancto Anastasij Martyris lipsano ciues de communi consilio cœperunt construere oratorium sancto iuxta Tetrapylum, quod erat in medio ciuitatis: statuerunt autem imaginem eius ibidem*, & reliqua. In eadem synodo statim post legati Hadriani Pontificis maximi dixerunt: *Hæc imago sancti Anastasij vsque in hodiernum diem est Romæ in monasterio ipsius cum pretioso eius capite.* His verò luculentius est B. Asterij, Amasiæ Antistitis, testimonium, quod paulò antè in eodem augustissimo consessu Thomas, reuerendissimus Monachus Monasterij Cheuolacri, proferre minimè dubitarat, & quod ex laudati Episcopi libro Constantinus Diaconus, & Notarius legerat in hæc verba; Græca illa quidem, sed latinitate sic donata. *Mulier quædam virgo sacra, & incorrupta, Deo pudicitiam vouens, Euphemiam vocitant eam. Cùm autem tyrannus aliquando piè viuentes persequeretur, nimis alacriter mortis elegit periculum. At verò ciues, ac religionis consortes, pro quâ & vitam effudit; vtpote virilem, & sacram Virginem demirantes, iuxta sacrarium thecâ constructâ, & posito loculo honores ei concelebrant, & annuam festiuitatem, & nouum, ac publicum conuentum agitantes. Ergo alij quidem mysteriorum Dei tractatores seu Hierophantæ, verbo memoriam semper celebrant, & qualiter tolerantiæ certamen consummauerit, diligenter eos, qui simul assunt, edocent. Pictor autem piè agens, & ipse ex arte, pro viribus totam historiam in sindone delineans, illam iuxta sacram thecam proposuit spectandam.* Ægrè admodum perelegantem omninò, & integram generosissimi tantæ Virginis Martyrij descriptionem, hîc repræsentare prætermitto, ne longior sim, veritus lectoris non tàm fortè tædium, quàm censuram; quamuis me huiusmodi tenere non deberet cura, quam flocci fecisse video Epiphanium Diaconum, qui in eodem Concilio, consequenti actione sextâ, illam ipsam totidem verbis descriptionem recitare non erubuit. Tam auidis, gratísque auribus, animísque Patres omnes conscripti illam exceperant, vt eamdem iterum audiendi, etsi bene longa esset, nullum ipsos ceperit fastidium.

Septim. synod. Gener. cit. act. 4.

In ead. synod. cit.

Ibid. action. 6.

Ad summam non pigebit tertium me huc aduocare, S. Gregorium Nyssenum, nec fortè pium, & eruditum lectorem tædebit eloquentissimi præsulis, super eâdem consuetudine, testificationem audire longiusculam, & omni exceptione maiorem. Is verò inuictissimi Marty-

ris Theodori venerabiles exuuias componens cum aliorum mortalium vitâ functorum corporibus, *quæ communi & vulgari morte dissoluta sunt*, imo ne comparandas quidem existimans, idque *in simili materiâ naturæ*, in hunc modum eloquitur. *Cæteræ quidem Reliquiæ etiam abominabiles plerisque sunt, ac nemo lubenter sepulchrum præterit, aut si ex inopinato apertum offendit, deformitate nimirum earum rerum, quæ inibi iacent, faciem aperiens omni iniucunditate oppletus, & humanæ naturæ conditioni grauiter ingemiscens prætercurrit. Quod si venerit ad aliquem locum similem huic, vbi hodie noster conuentus habetur, vbi memoria Iusti, sanctæque Reliquiæ sunt: primùm quidem earum rerum magnificentiâ, quas videt, oblectatur, dum ædem, vt templum Dei, & magnitudine structuræ, & adiecti ornatus decore splendidè elaboratum intuetur, vbi & faber in animalium figuram lignum efformauit, & latomus ad argenti lænitatem crustas lapideas expoliuit: Induxit autem etiam pictor flores artis in imagine depictos, fortia facta martyris, repugnantias, cruciatus, efferatas, & immanes tyrannorum formas, impetus violentos, flammeam illam fornacem, beatissimam consummationem Athletæ, certaminum Præsidis Christi, in humanâ specie, effigiem, omnia nobis tanquam in libro quodam, qui linguarum interpretationes contineat, coloribus artificiosè depingens certamina, atque labores Martyris nobis expressit, ac tanquam pratum amœnum, & floridum templum exornaut. Solet enim etiam pictura tacens in pariete loqui, maximéque prodesse. Lapillorum item concinnator historiæ par opus in pauimento, quod pedibus calcatur, effecit.* Hactenus S. Gregorius. Hîc iam de te anquiro, & rogito, potuítne Nyssenæ ciuitatis incola? potuítne Christianus, piúsque aduena ædem D. Theodoro sacram ingrediens, & ipsius imaginem & laureatum agonem coloribus expressa contuitus prudenter subuereri, ne veneranda illa, quæ inibi asseruabantur lipsana, veræ germanæque forent B. Theodori exuuiæ? Nequaquam ita te opinatarum arbitror: & vera alia omnino fuisse Nyssenorum sensa *idem nos Gregorius* sequentibus posteà verbis edocet. *His igitur*, inquit, *arte laboratis operibus, quæ sensui exposita sunt, vbi oculos oblectauit, cupit deinceps ipsi conditorio appropinquare; sanctificationem, ac benedictionem, eius contrectationem esse credens; quod si quis etiam puluerem, quo conditorium, vbi Martyris corpus quiescit, obsitum est, auferre permittat; pro munere puluis accipitur, ac tanquam res magni pretij, condenda terra colligitur. Nam ipsas attingere Reliquias, si quando aliquâ eiusmodi prosperâ fortunâ contingat, vt id facere liceat, quàm id sit multum desiderandum, & optandum, ac summarum precum donum sciunt experti, vt eius desiderij compotes facti. Quasi corpus etiamnum per se viuens, & florens qui intuentur, amplectuntur, oculis, auribus, ori, omnium sensuum instrumentis admouentes. Deinde officij, & affectionis lacrymas martyri, quasi integer esset, & appareret superfundentes, vt pro ipsis deprecator intercedat, supplices preces offerunt, cum tanquam satellitem Dei, & quasi accipientem dona cùm velit, inuocantes.* Illáne Christiani vmquam factitassent, si fortè venissent in dubium, vel in minimam

S. Greg. Nyss. orat. sæpe cit. in laudem S. Theod. Mart.

minimam suspicionem in illo templo B. Theodori veras exuuias nequaquam asseruari, vti pictura, sacris delineata parietibus, tacitè loqui videbatur?

Ad vltimum placet ad disputationis nostræ confirmationem perillustre facinus ex Paulo Diacono secundùm Molanum hîc exscribendo referre. *Ariulphus*, Dux Spoleti Gentilis, in bello Camerino contra Romanos *vidit quendam strenuè pugnantem, & clypeo suo aduersæ partis ictus à se auertentem. Peracto prælio rogauit suos quis præ aliis fortiùs bellasset? responderunt se illic nullum fortiùs bellantem, quàm ipsum ducem vidisse. Ille ait: certè multò me per omnia meliorem ibi alium vidi. Cúmque Dux aduenisset prope Basilicam Sancti Sabini interrogabat, cuius illa tam ampla domus esset? responsúmque est ei à viris Fidelibus Sabinum ibi Martyrem quiescere, quem Christiani, quoties in bellum contra hostes irent, præsidium haberent, ac eum propterà in auxilium vocarent. Ainulphus adhuc Gentilis respondit: Et potest fieri, vt homo mortuus aliquod viuentibus auxilium præstet? Quæ cùm dixisset, equo desiliens Basilicam conspecturus intrauit: aliisque orantibus ipse picturas mirari cœpit; cúmque figuram martyris Sabini depictā vidisset, mox cum iuramento affirmauit talem omnino eum virum, quo in bello* protegebatur, formam, habitúmque habuisse. Sic ille. Imo aliquid amplius addo in hanc rem, quâ de agimus, nimirum quàm frequentissimè Diuorum res præclarè, ac fortiter pro Christo gestas pro capsis, quibus ipsorum condebantur exuuiæ, coloribus fuisse adumbratas, vt Acta Sanctæ Euphemiæ factitatum in hæc verba loquuntur. *Pictor autem & ipse pietatis studiosus vniuersam historiam, quo potuit artificio, propè capsam in Sindone effigiatus, sacrum hoc spectaculum ibi dedicauit.* Quibus è duobus locis tria intelligere, ac colligere nonnemini in promptu est. Primum, quàm constanter apud varias gentes in moribus, vsúque antiquo inter Christianos receptum fuerit, Diuorum imagines, & rerum ab ipsis fortiter, ac piè patratarum historias, ad eorundem Confessiones, parietes ædium, & capsas coloribus adumbrare. Secundum, sacris illis picturis Christianos quâ doctos, quâ indoctos mirificè recreari, affici, & doceri solitos, cùm in parietes, intra quos venerandæ Diuorum exuuiæ compositæ iacebant, intuerentur. Tertium, ex eiusmodi picturis, & Sanctorum signis, ea lipsana hoc certiùs pro veris, ac germanis habenda esse, quo clariùs constiterit, vetustiori memoriâ, æuoque, illius Indigetis, de cuius pignoribus controuertitur, coloribus expressos vultùs, gestáque fortia olim figurata etiamnum superesse.

Paul. Diac. lib. 4. Longobard. cap. 5. Molan. lib. 3. hist. SS. Imag. cap. 59.

Acta S. Euphem. & Euagr. lib. 2. hist. Eccl. c. 3.

Vide egregiam historiam de Imagine S. Cornellij Centurionis à pictore, miraculo ad viuum expressa in eius templo apud Metaph. & Sur. 13. Sept. ad calcē vitæ.

Maneat ergo certum, & indubitanter constans picturas, & sacras imagines templorum parietibus appictas, affixas, suspensasve (si quidem illæ veteres & tacito, vel expresso Prælatorum consensu approbatæ, atque adeò haud procul à Diuorum memoriis, thecísve sacra lipsana continentibus collocatæ diu extiterint) non mediocrem super sacri alicuius lipsani veritate fidem facere posse, ac debere, cùm explorata veterum tabularum, titulorum, inscriptionum, aliorúmve id genus

nus humanarum testificationum auctoritas deest.

Denique vlteriùs infero, si inter duas Ecclesias de possessione earumdem numero reliquiarum intercesserit controuersia, iure secundum illam fieri posse sententiam, quæ vetustiores picturas, & antiquiora Diuorum, de quorum exuuiis controuertitur, simulachra ab Episcopis rite approbata simul, & pluribus antè sæculis conseruata steterint, Argumentum enim est non mediocre sacras illas cœlitum Reliquias, ad quarum thecas, memoriásve huiuscemodi appictæ, vel suspensæ, fuerint imagines, veras, ac germanas esse; eas verò, vel suppositītias vel adulterinas meritò posse haberi, pro quibus vendicandis nec simile, nec par probationis genus afferri potest in medium.

Cæterùm, quod de veteribus Diuorum picturis, ac signis coloribus, ac penicillo expressis hactenus à me disputatum est, de sigillis, ac simulachris eorumdem cælatis auro, argento, ære fusis, pictis encausto, è marmore, lignóve sculptis, aliísque id genus imaginibus, seu iacentis seu prominentis ductus, dictum & intellectum volo. Etenim huiuscemodi Sanctorum tabellæ ad ipsorum exuuias, & sepulchra, figi, poni, ac dedicari consueuerant, vt hæc Anastasij Bibliothecarij nos verba docent *Ante corpus B. Laurentij Martyris posuit passionem eius argento elusam.*

Anast. Biblioth. passim. Iac. Guther. lib. 2. de iure manium. cap. 26. & 27. Supr. lib. 3. 6. art. 2.

Agendum hîc deinceps nobis de *Titulis* olim inscribi, infigi, includíve ad Christianorum sepulchra solitis, superesset; quòd ad verarum reliquiarum ab adulterinis discretionem lucis plurimùm conferant, potissimum si vetustate præstiterint, nisi si iampridem libro superiori de illis fuisset disputatum, pro institutâ breuitate, abundè satis, cùm *de titulorum exitio, & interitu* dissereremus. Quin enim apud Christianos tantum habeant ponderis, & auctoritatis ad SS. Reliquiarum astruendam, confirmandámque veritatem; quantum apud Gentiles: quibus huiuscemodi *elogia, titulósve sepulchris superaddendi, infigendi, inscribendi, includendíve* consuetudinem fuisse, bene multis Gutherius aliíque moris antiqui probè scientes demonstrarunt.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

FACTI AD SS. RELIQVIAS concursus sacri, & prophani.

QVo pacto, & quàm multum conferant ad verarum Reliquiarum ab adulterinis discretionem, post paulò dicturi sumus fauentibus superis, si priùs præmiserimus, quinam *sacri*? qui *prophani* sint concursus? & quàm frequentes ad ipsas olim à maioribus nostris fuerint facti.

Vides

Vides ergo me duo genera concursuum ad Sanctorum exuuias fieri solitorum constituere. *Sacros* eos appello, quos religio, & studiosa erga Diuorum lipsana conciliauit pietas, quocumque tandem fine pio, ac religioso ad illa Fideles coëant: siue Deum opt. max. & cælites ipsos in suis pignoribus deuenerari; siue eosdem beneficium quodpiam supplices orare simul & exorare: siue omne infortunij genus abs se studeant amoliri. Hos Sancti Patres suis ore ac scripto eò cōmendauere impensiùs, & crebriùs quò frequētiores extiterūt. S. Chrysostomum in huiusce pij concursus prædicatione multum fuisse video, & lego: Encomium S. Meletij in hunc modum orditur. *Per venerandum & sacrum hunc gregem oculos vbique circumferens, & vniuersam ciuitatem aspiciens hîc præsentem, nescio quem priùs beatum pronuntiem: sanctúmne Meletium, quòd vel post mortem tanto honore fruitur: an vestram charitatem, quòd tantam in vestros pastores beneuolentiam etiam post decessum ostenditis. Beatus enim ille, quòd tantum amorem vobis omnibus potuerit immittere: beati vos quoque, quòd cùm charitatis depositum acceperitis, eam ei, qui deposuit, integram huc vsque perpetuò conseruaueritis. Quintus enim iam annus præteriit, ex quo ille migrauit ad Iesum, quem desiderabat, ac perinde ac si heri, & nudiustertius eum vidissetis, tam feruenti amore ad eum hodie accessistis. Propterea beatus ille est hodie iudicandus, quòd tales genuerit filios: beati autem estis vos quoque iudicandi, quòd vobis obtigerit, vt talem patrem haberetis. Egregia est radix, & admirabilis, sed fructus quoque non sunt indigni hac radice. Etenim quomodo radix quæpiam admirabilis, quæ latet in sinu terræ, ipsa quidem non apparet per fructus autē ostendit vires suæ virtutis: ita etiam beatus Meletius in hac capsâ conditus, ipse quidem non cernitur à nobis oculis corporis; per vos verò, qui estis fructus, suæ gratiæ vires ostendit. Et licet nos sileamus, sufficit dies festus, & feruor vestri studij, ad tubâ clariùs proclamandum sancti Meletij in vos amorem, tanquam in filios.* Sub finem verò suæ orationis eosdem affirmat *non secus ac apes fauum, corpus Meletij circumuolare.* S. Chrysost. or. in S. Melet.

Quàm frequentes ad honorandas Hieromartyris Phocæ reliquias, quæ Constantinopolim ex Ponto transuectæ fuerant, ciues extitissent, pauculis hisce verbis liquidò significauit eloquentissimus Patriarcha. *Licet enim corpora vestra coarctentur, tamen animus excitetur; neque enim vestram coarctionem, sed animi vestri alacritatem specto. Gubernatori quoque mare fluctibus agitatum iucundum est, & doctori Ecclesia turbis vndans.* A persimili Nyssenorum ad beatorum quadraginta Martyrum reliquias confluentium compressione se maximam capere voluptatem S. Gregorius ingenuè in ipsomet orationis aditu professus, *Ego*, inquit, *quam promam orationem in eiusmodi conuentu? quis mihi dabit vocem tubâ clariorem, & magis sonoram, vt resonantiâ strepitum multitudinis superet, & in auribus congregatorum verba recondat?* Tandem cùm tumultu, ac strepitu certatim confluentis, & sese constipantis in templo multitudinis exaudiri, præterquam à proximè adstantibus non Idem in ora. de S. Phoca. S. Greg. Nyss. or. in laud. 40. Martyr.

posset, vtpote qui *exili esset voce*, *linguáque tarda*, orationem incohatam abrumpere coactus in posterum diem rem distulit, quâ die rursus abruptæ orationis reliquias colligens initio prorsus egregiæ multitudinis confluentis, seseque comprimentis vndas, & fluctus in hæc verba describit. *Meministis prorsus qua parte orationis hærebamus, cùm optatus ille, & iucundus nobis ex multitudine congregatorum tumultus confundebat eorum, quæ dicebantur, auscultationẽ, cùm animatũ illud Ecclesiæ mare multitudine aliorum super alios confluentium, & ingruentium inundans, ad impetum, & impulsionem eorum, qui semper vi irrumperent, fluctuaret, atque æstuaret, sonitu quoque ipso verum imitans mare, velut rupibus littoralibus, auribus nostris vndarum strepitum infringens, & illidens: In quibus igitur tumultu, quasi tempestate iactatam reliquerimus orationem meministis prorsus, quibus recordatio martyrum cordi est.* Quid hac oratione floridius? Numerosissimam pariter Fidelium ad B. Theodori martyris lipsana veneranda vndequaque concurrentium coitionem, idem facundissimus Pater in hunc modum deprædicat. *Vos, qui populus Christi, qui grex sanctus, ac regale estis Sacerdotium, qui vndique, & ex vrbibus, & ex agris cateruatim confluxistis, vnde, signo itineris accepto ad hunc sacrum locum venistis? quis vobis huc veniendi adeò seriam, ac quasi præstitutam necessitatem imposuit? hocque tempore hyemis & à bello quies est, & miles armaturam amouet, & nauta gubernaculum supra fumum ponit, & agricola aratores boues in præsepio curans quiescit? an palam est, quòd S. Martyr ex militaribus ordinibus & tuba cecinit, & multos è diuersis regionibus excitatos ad suæ requietis locum, ac sedem vocauit; non ad bellicum instruens apparatum, sed ad dulcem, ac maximè Christianos vtique decentem pacem cogens?* Tum reliquâ oratione pergit recensere, quâ contentione, ac studio pro se quisque cuperet deinceps *conditorio appropinquare, sanctificationem, ac benedictionem, contrectationem eius esse credens*, & reliqua, quæ, quòd alibi eadem retulerim, hîc rursus exscribere non insisto. Non refero S. Ambrosium populi Mediolanensis ad SS. Geruasij, & Protasij exuuias recèns abs se repertas, noctes, ac dies per biduum perdurantis studium, non denique aliorum SS. Patrum, ad sacra Diuorum lipsana percolenda, densatis agminibus conuolantium populorum ardorem celebrantes adduco testificationes, vt vatibus Christianis eandem Fidelium frequentiam pangentibus locum demus. Priores obtinebit S. Paulinus, cuius hæc verba sunt in gratiam S. Felicis.

Idem or. 2. in eosd. — *Idem or. in S. Theodor. Mar. tum initio, tum sub finem & in funere S. Meletij sub fin.* — *S. Ambr. serm. 5. de Inuent. SS. Geru. & Prot.* — *S. Paulin. nat. 3. S. Felic.*

Alma dies magnis celebratur cœtibus, oræ
Gaudent terrarum, & ridere videtur apertis
Æthra polis: vernum spirare silentibus auræ
Flatibus, & lætum plaga cingere lactea cœlum.
Nec modus est populis coeuntibus agmine denso,
Nec requies: properant in lucem à nocte, diémque
Expectare piget; votis auidis mora noctis
Rumpitur, & noctem flammis funalia vincunt.

Stipatam multis vnam iuuat vrbibus vrbem
Cernere, tótque vno compulsa examina voto.
Lucani coeunt populi, coit Appula pubes,
Et Calabri, & cuncti, quos adluit æstus vterque
Qui læuâ, & dextrâ Latium circumsonat vndâ:
Et quâ bis ternas Campania læta per vrbeis,
Ceu propriis gaudet festis, quos mœnibus amplis
Diues habet Capua, & quos pulchra Neapolis, aut quos
Gaurus alit, læta exercent qui Massica, quíque
Vfentem, Sarnúmque bibunt, qui sicca Tanagri,
Quíque colunt rigui felicia culta Galesi,
Quos Atinapotens, quos mater Aricia mittit,
Ipsáque cœlestûm sacris Procerum monumentis
Roma Petro Paulóque potens, rarescere gaudet
Huius honore die, portæque ex ore Capenæ
Millia profundens ad amicæ mœnia Nolæ,
Dimittit duodena decem per millia denso
Agmine: confertis longè latet Appia turbis.
Nec minùs ex alia populis regione profectis
Aspera montosæ carpuntur strata Latinæ,
Quos Præneste altum, quos fertile pascit Aquinum:
Quosque suburbanis vetus Ardea mittit ab oris,
Quique vrbem liquere Cales, geminúmque Teanum,
Quam grauis Auruncus, vel quam colit Appulus asper,
Huc & oliuifero concurrit turba Venafro,
Oppida Samnites duri montana relinquunt.
Vicit iter durum pietas, amor omnia Christi
Vincit, & alma fides: animísque, locísque rigenteis
Suadet acerba pati, simul aspera ponere corda.
Vna dies cunctos vocat, vna & Nola receptat,
Totáque plena suis, spatiosáque limina cunctis;
Credas innumeris, vt mœnia dilatari *Idem natal. 1.2. & 8.9.*
Hospitibus; sic Nola assurgit imagine Romæ.

Ecce tibi quantus diuersorum populorum ad Beati Felicis tumulùm, venerandásque exuuias, religionis ergò peregrè aduentantium concursus, quotannis fieret. Accipe iam nunc quàm multi, frequentésque populi tota ex Italiâ, laureatos Hippolyti martyris cineres deueneraturi confluerent, Prudentio sic canente. *Pruden. hym. de S. Hippol.*

Iam cùm se renouat decursis mensibus annus,
Natalémque diem passio facta refert.
Quanta putas studiis certantibus agmina cogi,
Quæue celebrando vota coire Deo?
Vrbs Augusta suos vomit, effunditque Quirites,
Vnà & Patricios ambitione pari.

Confundit plebeia phalanx vmbonibus æquis
Discrimen procerum, præcipitante fide.
Nec minus Albanis acies se candida portis
Explicat, & longis ducitur ordinibus.
Exultant fremitus variarum hinc inde viarum
Indigenæ, & Picens, plebs & Etrusca venit.
Concurrit Samnitis atrox habitator, & altæ
Campanus Capuæ, iámque Nolanus adest.
Quisque sua lætus cum coniuge, dulcibus & cum
Pignoribus, rapidum carpere gestit iter.
Vix capiunt patuli populorum gaudia campi,
Hæret & in magnis densa cohors spatiis.
Angustum tantis illud specus esse cateruis,
Haud dubium est, ampla fauce licet pateat.

Verùm non satis suo muneri factum putarunt sancti Patres, nisi insuper Fideles hortarentur, vt frequentissimi ad sacras Diuorum reliquias cohonestandas, visendas, adorandásque conuenirent. Non vno aut altero dumtaxat loco Beatus Chrysostomus id se præstitisse demonstrat: Nam in ipso ingressu orationis, quam in laudem S. Phocæ supra memorati, & in hæreticorum confutationem olim habuit, ciues suos Constantinopolitanos, qui sacris illius exuuiis obuiam procedere neglexerant, in hunc modum affatus cohortatur. *Beatos illos, qui conuenerant, prædicaui, quique suauis eius odoris participes fuerant, & eos, qui aberant, miseros appellaui: verumtamen, ne damnum eorum fiat irreparabile, rursus ipsum altera die prædicamus; vt & ij, qui ob negligentiam abfuerunt, à martyre impertitam duplicent diligentiâ benedictionem. Etenim, quod sæpenumero dixi, hoc quoque dicere non cessabo: non pœnas peccatorum repeto, sed ægrotantibus medicinam paro. Absfuisti heri? saltem hodie adesto, vt eum in proprium videas locum deduci: vidisti eum per forum ductum? cerne iam ipsum per mare nauigantem, vt eius elementum vtrumque benedictione repleatur. Nemo ab hac sacrâ solemnitate absit, non virgo domi remaneat: non mulier ædibus se contineat: exhauriamus vrbem, & traiecto mari nos ad sepulchrum martyris conferamus: nam & Reges vnà nobiscum choreas agunt. Quámnam igitur veniam meretur priuatus, cùm regia palatia deserant Reges, & Martyris sepulchro assideant? talis nimirum est virtus martyrum, vt non modò priuatos, sed etiam eos, qui diademata gestant, sagenâ concludat. Hæc Gentilium est ignominia, hæc erroris ipsorum opprobrium, hæc Dæmonum perditio, hæc nostra nobilitas, & Ecclesiæ corona.* Pari eloquentiâ Fideles excitat ad sanctarum Bernices & Prosdoces virginum & martyrum, & Domninæ earum genitricis pignora sæpiùs adeunda. *Fortasse*, inquit, *non mediocri erga sanctas illas amore exarsistis: cum hoc igitur ardore coram ipsarum reliquiis procidamus, ipsarum capsulas complectamur, multam enim possunt virtutem capsulæ martyrum obtinere, quemadmodum & ossa martyrum vim magnam habent; neque die tantum huius festiuitatis, sed etiam*

S. Chrysost. supr. cit. orat. de S. Phocâ.

Idem hom. in SS. Bern. & Prosd. mart.

etiam aliis diebus ijs assideamus, eas obsecremus, obtestemur, vt patronæ sint nostræ. Multam enim fiduciam obtinent non viuentes modo, sed & mortuæ: multóque magis cùm sunt mortuæ. Iam enim stigmata ferunt Christi: cùm autem stigmata hæc ostenderint, omnia Regi possunt persuadere. (Notent hæc Hagiomachi, & Lipsanomastyges nostri) *Quando igitur tantâ illæ virtute pollent, tantâque apud eum amicitiâ, cum continuâ velut obsessione, ac perpetuâ illarum visitatione in familiaritatem nos illarum insinuauerimus, ipsarum operâ Dei misericordiam impetremus.* Plures alios locos, quibus Fideles ad frequentem sacrarum reliquiarum visitationem vsurpandam animat beatus Patriarcha, compendij causâ, referre supersedeo; Infinitum esset huc conuehere testimonia ex sacrarum historiarum Gregorij, Sulpitij, Seueri, Metaphrastis, & aliorum id genus scriptorum tam veterum, quàm recentiorum monumentis deprompta, simul & haud dubiè foret chartam, atramentum, & operam imprudenter perdere, cùm pij huiuscemodi Orthodoxorum concursus ad Diuorum lipsana visenda, colenda, exosculanda factitati quotidie pene in oculos incurrant. Iam ad profanos conuentus, quos ad sacras Indigetum reliquias cogi solitos dixi, nostra se conuertat oratio.

Idem hom. in SS. Iuuent. & Max. Men. & in S. Ignat. &c.

Prophanos eos appello, ad quos cogendos indifferens, & prophanum quodpiam mentis propositum, consiliúmque induxit: vti sunt nundinæ, animi relaxatio (si quidem locus, in quo sitæ sunt sacræ reliquiæ ad amœnitatem à naturâ factus, fictúsque est) moderatæ familiares inter ac sodales, domesticósve epulationes, choreæ aliæque id genus ex minus religiosâ animi destinatione suscepta. Nundinas verò ad sepulchra Martyrum olim celebrari solitas manifestissimè quadragesima hæc interrogatio apud Diuum Basilium euincit: *De nundinis illis, quæ in Sanctorum celebritatibus, quid?* Etenim proximè antè sanctissimus Pater, quæ in vendendis mercibus (vt erat tum Monachorum consuetudo) ab illis ratio tenenda esset, tradiderat: cui difficultati facturus satis, in hæc verba respondet, *Verum enimuerò neque nundinationes illæ, quæ ad sepulchra sanctorum Martyrum celebrari solitæ sunt, conuenire nobis putandæ sunt: neque enim vllam aliam ob causam adesse decet Christianos ad martyrum conditoria, aut istis contigua loca inuisere, quàm orandi causa, & vt Sanctorum constantiæ admoniti, in qua illi ne pietatem amitterent, ad necem vsque fortiter perseuerarunt, ipsi quoque ad similis fortitudinis æmulationem incitentur. Nimirum memoriæ tenendum est illud, quàm terrifica, & formidabili ira olim exarserit Dominus, qui cùm semper, & vbique mansuetus, & humilis corde fuisset, in eos tamen solos flagellum intendit, qui circum templum vendendis emendisque mercibus operam dabant, quippe quasi nundinatio illa orationis domum in speluncam latronum conuerteret. Neque verò, quod alij ante nos fuerint, à quibus solita olim in diebus sanctorum festis obseruari consuetudo, violata sit (quique cùm inter se alij pro aliis orare deberent, & vnà cum pluribus Deum adorare, & lacrymas offerre, ab eôque cùm peccatorum*

S. Basil. lib. regul. fusiùs disput. interrog. 39. 40.

veniam poscere, tùm de acceptis beneficiis gratias agere, seséque mutuis vicissim cohortationibus in pietate vera confirmare, & ædificare id, quod etiam memoria nostra vsurpari fuisse solitum scimus, pro his omnibus forum, ac nundinas, & communem mercatum, & tempus illud, & locum efficiunt) non ob hoc statim nos quoque illos imitari par est, & hoc modo auctoritate nostra prauam illorum consuetudinem confirmare: sed conuentus illos exprimere potiùs, de quibus in Euangeliis mentio est, præsente Domino nostro Iesu Christo solitos celebrari, & in his, quæ ab Apostolo descripta sunt, veluti huiuscemodi vitæ instituto conuenientia, facere. Scribit autem sic: Cùm conuenitis, vnusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet, omnia ad ædificationem fiant. Hactenus sapientissimus Antistes: cui adstipulatur in antiquâ huiuscemodi nundinarum celebrandarum, ad Sanctorum natales atque reliquias (vt reor) consuetudine confirmandâ præter Gregorium Nazianzenum, de quo inferiùs, doctissimus Cassiodorus: apud quem Athalaricus Gothorum Rex grauissimis pœnis coercendos illos iubet, qui facultates mercatorum ad natalem sancti Cypriani confluentium impiâ spoliatione diripere non dubitabant. Eius ad Seuerum scribentis verba sunt. *Frequenti probatione didicimus, Lucaniæ conuentu (qui priscâ superstitione, Leucothea, nomen accepit, quòd ibi sit aqua nimio candore perspicua) præsumptionibus illicitis rusticorum, facultates negotiantium hostili direptione sæpe laceratas: vt qui ad natale Sancti Cypriani religiosissimè venerant peragendum, mercimoniisque suis faciem ciuilitatis ornare, egentes turpiter, inanésque discederent.* Qualis verò, quámque populosus, festiuus & Lucaniæ quæstuosus foret eiuscemodi conuentus, in hunc modum insistit describere. *Est enim conuentus iste, & nimia celebritate festiuus, & circumiectis Prouinciis proficuus. Quicquid enim præcipuum aut industriosa mittit Campania, aut opulenti Brutij, aut Calabri peculiosi, aut Apuli idonei, vel ipsa potest habere prouincia, in ornatum pulcherrimæ illius venalitatis exponitur: vt meritò tam ingentem copiam iudices de multis regionibus congregatam. Videns enim illic collucere pulcherrimis stationibus latissimos campos, & de amœnis frondibus intextas subitò momentaneas domos populorum cantantium, lætantiúmque discursum. Vbi licet non conspicias opera mœnium, videas tamen opinatissimæ ciuitatis ornatum.* Tum pergit recensere, quæ in hoc conuentu venum exponerentur quæ compendij causâ prætermitto. E memoriâ pene exciderat locupletissima Beati Gregorij Turonensis super hac nundinationum Christianarum consuetudine testificatio. Is agens de S. Thomæ Apostoli lipsanis: *In suprà dicta vrbe,* inquit, *in qua beatos artus diximus tumulatos, adueniente festiuitate magnus adgregatur populorum cœtus, ac de diuersis regionibus, cum votis, negotiisque venientibus, vendendi, comparandique, per triginta dies sine vlla telonei exactione, licentia datur. In his verò diebus, qui in mense habentur quinto, magna, & inusitata populis præbentur beneficia. Non scandalum surgit in plebe, non musca insidet mortificatæ carni,*

1. Cor. c. 14.

Cassiod lib. 8. variar. ep. vlt

Greg. Turon. lib. 1. de glor. mart. cap. 32.

non

non latex deeſt ſitienti. Nam cùm ibi reliquis diebus, pluſquam centenum pedum altitudine, aqua hauriatur è puteis; nunc paululum fodias, affatim exuberantes inuenies, quod non ambigitur virtute beati Apoſtoli impertiri. Decurſis igitur feſtiuitatis diebus, teloneum publico redditur, muſca, quæ defuit, adeſt, propinquitas aquæ dehiſcit; dehinc emiſſa diuinitus pluuia ita omne atrium templi à ſordibus, & diuerſis ſqualloribus, qui per ipſa ſolemnia facti ſunt, mundat, vt putes illud nec fuiſſe calcatum. Ceterum an hæc nundinarum celebrandarum conſuetudo, culpâ vacet, non diſputo: certè Diuus Gregorius Nazianzenus acriter Fideles commonefacit, ne feſtum diem *rerum gerendarum, & negotiationum tempora eſſe arbitrarentur*, quibus verbis ſatis apertè ſignificat, inualuiſſe iam tunc corruptelam nundinas celebrandi, & contractus ineundi: imo ea vendendi, emendique corruptela, intra ipſamet Eccleſiarum ſepta, ætate S. Chryſoſtomi ſe penetrauerat, quippe quam Patriarcha ſanctiſſimus iure quàm optimo pluribus damnat. Verùm ne falcem in meſſem alienam videar velle immittere, & definitæ mihi breuitatis terminos tranſilire, hanc difficultatem Theologiæ moralis, iuríſque canonici profeſſoribus excutiendam, & complanandam volens, ſcienſque relinquo.

S.Greg.Naz. or. 6.

S. Chryſoſt. hom.36.in 1. Cor.

Nauar. in manual. cap. 13. n. 8.

Suar.lib. de feſt.cap 29. num. 4.

Azor. tom.2. lib 8.cap.9. quæſt. 5.

Caiet. &c.

Rayn.Heterocl.piet. ſect.2. punct.10.n. 17.part. 1.

Non ſolùm ad Sanctorum memorias, & veneranda lipſana, nundinationis agitandæ causâ, ſed etiam animi relaxandi ergò Fideles frequentiſſimi ſolebant conuenire, ſi quando loci opportunitas, ſolíque ac cœli amœnitas ferret. Hanc in paucis ob cauſam in ſuburbio Antiocheno collocatas olim fuiſſe à Gallo, piiſſimo æquè, ac ſapientiſſimo Imperatore ſanctiſſimas Beati Babylæ reliquias & ſuprà iam retuli, & iterum inferiùs ex Chryſoſtomo erit referendi occaſio. *Quum enim*, inquit ille, *Deus vidiſſet obſeſſum, in periculum venire, ne prorſus ab ijs deſereretur, qui grauiores eſſent, quique in honeſtate, ac modeſtia vitam degere in animo haberent: loci incommodum, & noxam miſeratus, miſit, qui contumeliam vindicaret. Etenim ipſe Daphnes locus pulcher, atque amœnus vt eſſet, Deus effecit, ſimul aquarum copia, & pulchritudine, ſimul terræ ingenio, ſimul cœli, atque aëris temperie, non quidem vti ſolum inde oblectamentum, ac leuamentum caperemus, ſed vti his de rebus ſe optimum opificem laudaremus: ſalutis autem noſtræ hoſtis (cuius ea eſt natura, vt Dei muneribus in opus contrarium ſemper abutatur) locum eundem quum occupaſſet, quà corruptorum iuuenum turba, quà malorum ſpirituum habitaculis, affinxit prætereà & infamem quandam fabulam, per quam ſuburbij decor omnis, ac gratia Dæmoni accepta ferebatur.* Eam ego, vt inſtituto noſtro inutilem, omitto: hæc tamen Daphnæi ſuburbij amœnitas quàm plurimos infirmiores alliciebat eo potentiùs, quò maior illis ſuberat ſpes, & pia cupido laureatas martyris exuuias viſendi & adorandi; *infirmiſſimos verò, non alio, quàm deliciarum captandarum nomine*, pertrahebat: verùm ſenſim illi ita ſe diuina quadam permotione, ad ſacrorum lipſanorum præſentiam afflari ſentiebant, vt non niſi mutati in viros alios ex eo loco recederent, vt alibi

S.Chryſoſt. lib. contr. Gentil.de S. Babyla.

Cap.2. art.6. ex D.Chrysostomi oratione inferiùs audiemus. Hinc est, cur idem sanctissimus Pater aliàs suos Antiochenos in hæc verba affaretur. *Non prohibeo, ne quis in suburbium abeat, sed ne crastino die* (S. Iuliano martyri sacro) *prohibeo: quam tandem ob causam? ne damnationi sit obnoxia delectatio; vt voluptas sit pura, damnatio verò non subrepat. Licet enim alio die, & voluptati indulgere, & eximi peccato. Quòd, si nunc etiam placeat voluptate perfundi, quid iucundius hoc conuentu? quid theatro spiritali gratius, membris tuis, tuorum fratrum congressu?* Hæc ille. Eandem loci amœnitatem, in quo ad S. Cypriani natalem, tantus fiebat mercatorum concursus, summopere commendat Athalaricus suprà laudatus. *Est enim*, inquit, *& locus ipse camporum amœnitate distensus, suburbanum quoddam Cosilinatis antiquissimæ ciuitatis, qui à conditore sanctorum fontium, Marcilianum nomen accepit. Hìc erumpit perspicua, & dulcis vbertas, vbi in modum naturalis antri absidis fabricata concauitas sic perspicuos liquores emanat, vt vacuum putes lacum, quem non dubitas esse plenissimum. Hic perlucidus vsque ad fundum patet, vt aspectibus tuis aërem potiùs apparere iudices, non liquorem. Æmulatur serenum diem aqua subtilissima: nam quicquid in imo geritur, inoffensà aëris claritate monstratur. Colludunt illic gregatim lectissimi pisces, qui ad manus poscentium veniunt, tanquam se nouerint non esse capiendos: nam qui tale aliquid præsumpsit efficere, mox pœnâ Diuinitatis cognoscitur excepisse.* Hæc & aliud singulare miraculum eiusdem fontis qui pridie sacri baptismatis conferendi, de subito excrescere consueuerat, à Cassiodoro relatum leges. Vnde sic demum concludit. *Quapropter & reuerentia loci, & vtilitas rei dare debet populis sanctissimam pacem: quia cunctorum iudicio sceleratissimus habendus est, qui talium dierum gaudia temerare contendit.* Iam

Cassiod. supr. citat.

Temperatissimas olim à Christianis celebrari solitas epulationes ad Sanctorum tumulos, ac sacra pignora, Sanctorum Patrum lucubrationes testantur. At ne autumes velim me de Agapis velle hìc agere, quòd longissimo illæ ab his abfuerint interuallo. Enimuerò *Agapæ* conuiuia erant (etsi Clemens Alexandrinus, cœleste id nomen terrenis dari conuiuiis, nunquam concoquere potuerit) quæ ad Christianorum, quos rei familiaris premebant angustiæ, leuamen aliquod, charitatis ergò agitabantur. *Cœna nostra* (inquiebat olim Tertullianus Gentilium refutans calumnias) *de nomine rationem sui ostendit, vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos est. Quantiscunque sumptibus constet, lucrum est, pietatis nomine facere sumptum: siquidem inopes quosque refrigerio isto iuuamus: non quâ penes vos parasiti affectant, ad gloriam famulandæ libertatis, sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi; sed quâ penes Deum maior est contemplatio mediocrium. Conuiuia* verò *reliquiaria* (liceat mihi per Ecclesiasticos scriptores, & puræ Latinitatis aucupes, inauditâ hac voce Christianas illas epulationes, quòd ad Sanctorum reliquias agitarentur, primùm appellitare) *conuiuia* inquam, *reliquiaria*, ad piam quandam

Clem. Alex. lib.1.pædag. cap.1.
Tertull. Apolog. cap.39.

duntaxat

duntaxat lætitiæ significationem, & honestam animi, corporisque relaxationem à Fidelibus inter sese mutuò celebrabantur. Audi Chrysostomum de eiuscemodi conuiuiis disserentem. *At etiam corporalis mensæ vis fieri particeps: hîc soluto conuentu licet iuxta Martyrium sub ficu, vel vite diuersanti, etiam corpori recreationem indulgere, & condemnatione conscientiam liberare. Martyr enim è propinquo spectatus, & cùm sit vicinus, ipsique mensæ adstet, voluptatem in peccatum effundi non sinit: sed tanquam pædagogus, aut pater optimus oculis fidei conspectus, risum comprimit, indecoras voluptates circumcidit, lasciuos omnes insultus carnis tollit, quos illic non licet euadere.* Quibus è verbis duo alia, inter modestas illas epulationes, discrimina elicio: Alterum est, quòd *Agapæ* sub noctem fieri consueuerant, quemadmodum ex istis Tertulliani verbis nemo non videt, si quid videt. *Editur, quantum esurientes capiunt; bibitur, quantum pudicis est vtile; ita saturantur, vt qui meminerint etiam per noctem* (scilicet proximam) *adorandum Deum sibi esse.* & post pauca: *Inde disceditur, non in cateruas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciuiarum, sed ad eandem curam modestiæ, & pudicitiæ, vt qui non tam cœnam cœnauerint, quàm disciplinam.* Hæc de die quis committat? sunt enim nocturnæ temulentorum grassationes, qui per vrbem cateruatim discurrentes, vino madidi, obuium quemque *cæsionibus*, verberibus, ac plagis, pro vt fert à vino furor, accipere, ac commolere solent. *Epulæ* autem *reliquiariæ, soluto conuentu*, hoc est (vt equidem ego interpretor) de meridie circiter, vel pauculas post horas ab adoratis Diuorum pignoribus, restaurandarum virium ergò instaurabantur. Alterum est, quòd Agapæ Dominicis plerunque diebus, ac priuatâ quapiam in domo, haud procul à templo, imo & intra templi septa (vt reputant nonnulli) peragebantur. *Conuiuia* verò *reliquiaria* nullo certo die (quamquam, vt plurimum diebus festiuis, & maximè Natali Sanctorum, ad quos attinebant reliquiæ) in agro circumiacente, *iuxta Martyrium sub ficu, vel vite*, lucóve, aut tabernaculis, vt fit, ex arborum ramis subitaneo excitatis opere consueuerant agitari. Perquam appositè in hanc rem facit hæc B. Gregorij, Pontificis maximi, ad Mellitum Abbatem scribentis oratio. *Qui boues solent in sacrificio Dæmonum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua solemnitas immutari, vt die dedicationis, vel natalitio sanctorum Martyrum, quorum hîc reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa easdem Ecclesias quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conuiuijs solemnitatem celebrent.* &c. Cæterum, qui de huiusmodi conuiuiis ad Cœlituum exuuias agi solitis plura volet, consulat SS. Hieronymum, Gregorium Nyssenum, Petrum Chrysologum, aliosque, qui omnes cum D. Hieronymo sapienter monent *nobis sollicitiùs prouidendum esse, vt solemnem diem, non tam ciborum abundantia, quàm spiritus exultatione celebremus; quia valde absurdum est, nimia saturitate velle honorare Martyrem, quem Deo scimus placuisse ieiunijs.*

S. Chrysost. hom. 47. in S. Iulian.

Tertul. loc. cit.

S. Greg. lib. 9. epist. 71.

S. Hieron. ep. 9. ad Eustoch. sub fin.

S. Greg. Nyss. in vit. B. Greg. Thaumat. sub fin.

S. Pet. Chrysol. serm. 129. de S. Cypr.

Verbulum de choreis, & ſaltationibus, quæ ad Sanctorum reliquias à Chriſtianis olim exercebantur, attingamus: Sicut enim Fideles, eiuratâ per baptiſmum Idolomaniâ, conuiuiorum morem feſtis diebus agendorum retinuerunt: ita & choreas & tripudia: ni fortè malis eos moderatarum ſaltationum exercendarum conſuetudinem ad Dauidis, ſanctiſſimi Regis, exemplum, & imitationem exegiſſe, qui in tranſuectione Arcæ fœderis *ſaltabat totis viribus ante Dominum,* quem *Michol filia Saul, proſpiciens per feneſtram, vidit ſubſilientem, atque ſaltantem coram Domino, & deſpexit eum in corde ſuo.* Arca enim Iudæorum erat religioſiſſimum lipſanum, atque adeo ſacrorum lipſanorum (ſcilicet tabularum decalogi, manna, & virgæ Aaronis, quæ fronduerat) pretioſiſſima capſa, ſimul & ſacroſanctarum noſtrarum reliquiarum ſymbolum, & figura. Solitos autem Fideles ad venerabiles Sanctorum exuuias, & monumenta modeſtè ſaltitare (licet deinceps, vt ſemper vulgus ad deteriora ſenſim prolabi amat; eâ indulgentiâ abuſi fuerint) ex his ſancti Chryſoſtomi verbis intelliges. *Saltantium virorum chori die craſtino*, ſcilicet à Beati Iuliani martyris feſtâ luce, *ſuburbium occupabunt: At eiuſmodi hominum conſpectus ſæpenumerò illum etiam, qui temperanter gerere ſe voluerit, ſenſim ad eiuſdem turpitudinis imitationem impellit; ac tum maximè cùm in medio illorum diabolus adfuerit. Adeſt enim à meretricijs cantilenis, à verbis obſcœnis, à diabolica pompa vocatus.* Vſque eò pij ac religioſi Maiorum mores in peius prolapſi degenerarunt, vt ad eam ſaltatorium orbem verſandi conſuetudinem non tam coercendam, quam penitus auerruncandam, excommunicationis fulmina fuerint ab Epiſcopis intorquenda vt habes in Concilio Cabilonenſi primo. Atque in hanc chorearum laſciuiam *& alias id genus faſcinationes nugacitatis obſcurantes bona*, ſancti Patres tantâ laterum contentione, ſtylíque acerbitate ſemper inuecti ſunt: tametſi ab eo tempore Eminentiſſimus Cardinalis Caietanus expedire pronuntiarit, ne diebus feſtis, à choreis exercendis inconditum Fidelium vulgus penitùs arceatur, & ad ſuam roborandam ſententiam aliquot attulerit rationes, in quam noſter etiam Azor conceſſit. Et verò cùm tripudia, & choreæ, ex ſeſe res ſint ἀδιάφορα, & in optimum finem conuerti poſſint, nihil eſt, quod poſſit obſtare, quin ad ſacras Diuorum reliquias, nataléſque cohoneſtandos vſurpentur, modo ab illis omnis procax licentia longiſſimè ſubmoueatur: *non enim* (vt cum B. Gregorio Nazianzeno loquar) *animi relaxationem interdictam volo, ſed coerceo petulantiam.*

2. Reg. cap. 14. 16.

ad Hebr. ep. c. 9. v. 4.

S. Chryſoſt. hom. ſup. cit. in S. Iulian.

Concil. Cabilon. 1. cap. 19.

Sap. cap 4. V. 12.

Caiet. ſumm. verb. chorea.

Azor. tom. 3. l. 3. c. 26. qu. 2

S. Greg. Naz. or. 44. in S. Pentec.

His ergo ita explicatis, & conſtabilitis iam aſſeueranter affirmo concurſus, quà ſacros, quà prophanos, ad venerabiles Beatorum exuuias lipſanáque à Fidelibus fieri ſolitos non mediocriter conferre poſſe ad verarum Reliquiarum à falſis, & adulterinis diſcretionem: quo autem id pacto fieri poſſit, breuiter explicemus. Quotieſcunque inter diuerſas Eccleſias ſuper veritate eorundem in indiuiduo lipſanorum intercedet controuerſia, ſpectandum imprimis erit, in quâ Eccleſiâ

non

non frequentiores, ac numerosiores extiterint hactenus Christianorum ad sacra illa lipsana concursus, sed antiquiores. Potuit enim contingere, vt vno in loco per Clericorum summam incuriam, crassam ignorantiam, supinámve populi negligentiam, ac consenescentem, vt fit erga suas reliquias pietatem, multò infrequentiùs ad veras alicuius Indigetis exuuias itum à Fidelibus fuerit, quàm in alio, vbi adulterinæ, imò forsitan nullæ, ostentantur, & ostenduntur reliquiæ. Cuius frequentioris concursus causa existere potuerit, inexplebilis aliquorum Clericorum auaritia, qui *quæstum facientes pietatem*, falsas pro veris obtrudere, ac venditare reliquias non dubitarint modò; sed etiam ad eas visendas & adorandas Fidelium plebem tam fraudis inscíam, quàm facilem & ceream ad fidem, acriori contentione, audentiorique facrilegio, & impietate impellere, atque adducere allaborarint; quemadmodum superiori libro à nobis satis superque est demonstratum. Cùm igitur certò constiterit, siue per publicas tabulas, siue per constantem Ecclesiarum traditionem, siue per vetera historiarum monumenta, siue per sacros Pontificum apices, siue per alia id genus argumenta, multò vetustiori memoriâ cuiuspiam Cœlitis reliquias in alterutrâ Ecclesiâ possessas, custoditas, monstratas, & cultas à Fidelibus fuisse; quàm in alterâ, quæ ijsdem numero se collocupletatam gloriatur: tùm vero simillimũ est secundum illius Ecclesiæ fidem pro suarum reliquiarum veritate ferendam esse sententiam. Quis enim credere prudenter possit vniuersos Præsules, qui ad illarum Ecclesiarum sederunt gubernacula, vsque adeò sui muneris vel immemores, vel incurios extitisse, vt nihil pensi penitùs duxerint de reliquiarum, quæ in suis Ecclesijs asseruari iactantur, veritate antè inquirere, quàm bonâ ipsorum cum veniâ, populis exponerentur adorandæ? Quis credat, Fideles tam cæco, & præcipiti pietatis æstu abreptos ad Reliquias alicubi visendas, & percolendas primùm frequentes confluxisse, de quarum veritate compertum, exploratúmque habuissent nihil? Consequens igitur est, vt ab cordatis hominibus ea lipsana præ aliis vera, germanáque censeantur, ad quæ vetustiori memoriâ, æuóque diuturniori, tam sacros quàm prophanos concursus celebratos fuisse indubitanter constat. Si enim, vti olim diximus, qui diu aliquid possedit, præsumitur etiamnum possidere; cur Ecclesia, quæ longè antè, quam alia, reliquias cuiuspiam Cœlitis possedisse, ac coluisse cognoscitur, veras etiamnum se obtinere non asseueranter affirmet? Quapropter Ecclesiæ, quæ multò recentiori æuo easdem numero reliquias se possidere gloriabitur, onus impendebit probandi contrarium, vt apud Iureconsultos est in confesso. Quo argumento vsus est Ansossius, vt Ticinensium lipsanorum veritatem, & identitatem euincat, additque insuper probationem in contrarium euidentissimam esse debere; in cuius argumenti firmamentum tum legum scita, tum Baldi, & Menochij sensa meritò laudat, quæ pluribus hic referre, breuitatis ergò, volens, sciensque prætermitto: sicut & alios

Ansoss. de transl. &c. Reliq. §. 14. num. 12.

 alios

Supr.lib.1. cap.12.art.1. sect.2.

alios omnes modos, quibus priore libro probaui SS. Reliquiarum identitatem probari posse.



CAPVT SECVNDVM.

DIVINA PRÆSIDIA.



CONVERTO iam stylum ad diuina præsidia, quibus vsquequaque, & ad veras Reliquias in numerosâ earumdem copiâ secernendas à falsis, quam maximè vsus est. Mirum enim quàm perparum ad earum veritatem indagandam, & consequendam humana conferant adiumenta; nisi accesserint diuina: vsque adeò id negotij perplexum, anceps, & in lubrico est. Meminisse potes quàm grauis cura Ragnemundum Parisiensem, Martinum Turonensem, Augustinum Cantuariensem, Episcopos, Gregorium Pont. Opt. Max. aliósque complures sollicitos tenuerit, ne qua de religione decessio fieret, si nimis facilè super incertarum Reliquiarum veritate, aut falsitate sententiam ferrent. Et verò non antè religiosior illorum anxietas planè, plenéque posuit, quàm de alterutra diuinitùs constitisset. Illos igitur in veris Reliquiis prudenter internoscendis imitemur, vel potiùs, si magis placet, ad Christi operantis exemplũ nos componamus, qui in omnibus rebus gerendis *in vtrâque formâ*, hoc est, vtraque naturâ, quâ constabat, *alia sociam adhibebat*, vt acutè, & doctè dixit & scripsit Damascemus, ita & nos similiter factitemus; atque in germanarum Requiarum veritate *Diuina præsidia* humanis *socia* adsciscamus, hoc est, Deum Opt. Max. vt socium, imò non tam, vt socium, quàm vt veritatis auctorem ad pios nostros conatus fortunandos supplices aduocemus.

Diuina verò præsidia vocito adiumenta illa, quæ à solius Dei præpotentis interminatâ benignitate, atque virtute proficiscuntur, vti sunt mirabiles Diuorum pignoribus affusæ, supra naturæ vires affectiones, denuntiata cœlitùs oracula, miraculorum edendorum vis, naturæ Deo famulantis ministeria: ad vltimum mirificèà sacrarum Reliquiarum inditæ rebus admotis virtutes: &, si quæ alia sunt, de quibus enucleatiùs est disputandum.

ARTI

ARTICVLVS PRIMVS.

Mirabiles SS. Reliquiis affusæ dotes.

HOc ego inter diuina præsidia veris Reliquiis internoſcendis accommodata primùm pono, quòd mirabiles illæ dotes Sanctorum pignoribus affuſæ, ſi quæ exiſtant, in oculos primùm incurrant, ex quibus non nemo prudenter coniecturâ conſequi poſſit ea veriſſima eſſe illius Diui lipſana, ad quem vulgò piâ Fidelium perſuaſione credũtur attinere, & quidem ſanè iure optimo. Corpus enim examine glorioſis hiſce dotibus diuina virtute informatum videtur ex eo tempore comparis animæ beatitatem participare, & iam tùm debitam, ſuis laboribus gloriam anticipatâ vſurâ habere ſibi diuinitus oppigneratam, vt intereà dum ſocia anima torrente voluptatis in cœlo potatur largiter, ſimul corpus aliquam futuræ ſuæ felicitatis promulſidem hîc in terris prægustet.

Verùm, ne longiùs à via, & inſtituto meo aberrem, Suppono primùm ex ſacrarum literarum, & Theologiæ placitis, quatuor gloriæ dotibus corpus poſt beatam anaſtaſim donandum eſſe: quas dotes maximus gentium doctor Paulus, ſub egregiâ ſeminis in terram iacti, & à ſuâ morte reuiuiſcentis metaphorâ nobis expreſſit in hæc verba. *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione.* ἐν ἀφθαρσίᾳ, ecce tibi *impaſſibilitatem* vt loquuntur Theologi. *Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria.* En tibi *claritatem.* *Seminatur in ignobilitate, ſurget in virtute.* En *agilitatem.* *Seminatur corpus animale, ſurget ſpiritale.* Ecce tibi *ſubtilitatem.* Certè, vt paucis explicat Tertullianus, & cum ipſo Patres ad vnum omnes: *Semina non niſi corrupta, & diſſoluta fœcundiùs ſurgunt omnia pereundo ſeruantur: omnia de interitu reformantur. Mira res!* (exclamat idem) *terra de fraudatrice ſeruatrix; vt reddat, intercipit; vt cuſtodiat, perdit; vt integret, vitiat; vt ampliet, priùs decoquit; ſiquidem vberiora, & cultiora reſtituit, quàm exterminauit.* Haud aliter corpora noſtra non priùs ad fœliciorem ſtatum refloreſcent, quàm fuerint terræ mandata, quàm fuerint in putredinem ſoluta, quàm fuerint à vermibus abſumpta: ideo finientur, vt reficiantur; deformabuntur, vt reformentur; deperibunt, *vt fœnore interitu, & iniuriâ, vſurâ, & lucro, damno, ſemel dixerim, in ſalutem & gloriam* æternùm perennaturam reſurgant.

D.Thom.3. part.quæſt.45 art.2:quæſt. 28. art.2. ad 3. In 4. ſent. diſt.49.quæſt. 4.art.1. & ſeq in ſupple. 3.p. quæſt.85. art.1. & ſeq. Leſſ.lib.3. de ſummo bono cap.3. & ſeq. Theol. omnes in D. Thom. cit.loc.

1.Cor.cap.15 V. 42.

Tertull. Apolog.c.48.Greg Nyſſ. diſp. de anima, & reſurrect. hunc D.Pauli locum egregiè explicat Idem Tert. lib. de reſurr.carn. cap. 12.

Suppono ſecundò illas beatorum corporum dotes ad naturalem ipſorum perfectionem eò ſupernaturali agnatione acceſſum iri, quò animæ omnibus ſuis numeris abſolutæ; corpus ſuis pariter dotibus exaggeratum tam aptè reſpondere poſſit, vt nihil de illo non modò conqueratur, verùm etiam ipſis Angelis beatitudine extenſiua, gloriæque productione antiſtet non mediocriter.

Suppono tertiò quamuis gloriosæ illæ dotes, vt rerum iam nunc fert ordo, non antè diuorum exuuiis debeant communicari, quàm animæ suis corporibus iterato nexu copulentur; nihilo tamen minùs consueuisse nonnumquam Deum (quâ est in famulos suos munificentiâ) beatis ipsarum exuuiis eximia illa diuinarum dotium ornamenta anticipatâ liberalitate conferre tum, vt quâ sint apud ipsum gratiâ Cœlites, mortalis quiuis intelligat; tùm, vt Fideles (quæ mea opinatio est) veras ipsorum Reliquias ab adulterinis internoscere, ac secernere possint, ac promeritâ prosequi veneratione. Quæ gloriæ dotes, si in tanta earumdem numero Reliquiarum multitudine, aliquibus diuinitus communicatæ videantur, nec ægrè, nec iniuriâ, nec imprudenter credideris eas esse ipsissimas exuuias illius Cœlitis, cui constanti famâ, & diutinâ maiorum traditione adscribuntur. Ni velis Deum auctorem veritatis patrocinari mendacio, & per inusitata miracula mortales inducere in errorem: quod vel leuissimâ cogitatione spontaneâ reuoluere, diuinæ maiestatis imminutæ crimen sit omnibus suppliciis expiandum. At quis memoret, quot Sanctorum lipsanis (ne de viuorum corporibus loquar cum Bozio) id decoris præpotens Deus contulerit? aliquot tamen sigillatim delibare operæ pretium est.

Boz. lib. 15. de sign. Eccl. 61. cap. 5.

D. Thom. 1. p. quæst 97. art. 1. & loc. supr. cit. fusè secundum ipsum omnes Theologi

Impassibilitatem vocant Theologi, supernaturalem quamdam affectionem, seu qualitatem beatorum corporibus à Deo inditam, quæ ab omni noxia vitiatione, atque interitu ipsa penitùs vindicet, æternúmque conseruet. Non ineptè forsitan quis eò spectasse putet Tertullianum, cùm scriberet de fœlici beatorum statu. *Dei quidem cultores apud Deum semper* (supple futuri sunt) at quales? *superinduti substantiâ propriâ æternitatis* (inquit pereleganter, & acutè) vt enim æternitas nulli prorsus vicissitudini obnoxia, vna, eadémque simul sibi constat: ita Beatorum corpora *superinduta*, velut au eâ cyclade, *substantiâ propriâ æternitatis*, hoc est, habitudine seu qualitate mutabilitatis omnis, & corruptionis penitus experte diuinitùs cumulata, æternum perennabunt.

Tertull. Apolog cap. 48.

Tertul. cit. lib aduer. Iudæos cap. 2. & lib. de resurr. car. c. 58.

Similia S. Greg. Turon. de S. Felice lib. de glor. Confess. c. 101 de S. Helio c. 62. de S. Virgine anonyma cap. 35. & S. Anton. 3 p. tit. 24. cap. 9 §. 13. de Ioan. imp. Tartarorum recens ad fidẽ conuerso. referunt Hẽric. Sedul. Apolog. aduers. Alcora. Franciscan. lib. 1. cap. 20. & Comm. ad Vit. S. Franc. cap. 15.

Hinc est cur idem Septimius pari dicendi venustate Enoch, & Eliam non vno loco vocauerit, *æternitatis candidatos*. Quid ita? quia nimirum *hoc ipso iam æternitatis candidati ab omni vitio & ab omni damno, & ab omni iniuriâ & contumeliâ immunitatem carnis ediscant*, sic ille impassibilitatem Theologorum eruditè describit, beatósque insuper viros asserit *futuræ integritatis esse documenta*. Vt autem fœlix illa corporum integritas Diuorum exuuias post anastasim duntaxat maneat: certo certiùs tamen est illas hac pernobili gloriæ dote à Deo mirum quàm frequenter ornari. Non hic repeto, quæ superiùs de illibato S. Francisci Xauerij Indiarum Apostoli corpore, ac de viuæ calcis edacitate mirabiliter triumphante iam retuli; silere tamen non debeo Franciscum alterum (Seraphicum loquor) & *de suo nomine* Gallicæ gentis perstudiosum, cuius ferunt *stare in pedes inanimatum corpus, tot annis, recentibus quasi vulneribus sacrorum stigmatum, etiam*

sanguine

ſanguine manantibus, facie erectâ in cœlum, oculis apertis, & ad ſummam prorſus viuentis habitu omnino integrum. Antonini Epiſcopi, ac Martyris corpus poſt annos à morte ducentos incorruptum à ſe viſum ſcribit, qui vitam ipſius memoriæ prodidit. *Quadringenteſimus, ac trigeſimus annus agitur*, inquit Bozius, ex quo migrauit Famianus Colonienſis, *eius cadauer ego vidi, nullis mancum membris, nullâ parte truncum, poſt quingentos circiter annos.* S. Barnabæ Apoſtoli corpus Anaſtaſio imperante, vti & S. Sigeberti Francorum Regis poſt annos quadringentos à morte; iterum poſt quingentos & octo apparuit illæſum. Elapſis octingentis annis SS. Gereonis, & Cutberti; mille S. Albani Martyris. Mille centum ſexaginta octo D. Zachariæ Prophetæ ſanctiſſimi venerabiles exuuiæ integræ; & prorſus incorruptæ humo effoſſæ ſunt. Hæc ex ſexcentis pauca; qui plura voles, Baronium, Bozium, & Surium conſules imprimis, & alios complures, qui res à variis Sanctis præclarè geſtas nominatim literarum monumentis commendarunt. Non enim refero quàmmulta Martyrum corpora, à feris, piſcibus, volucribus, aquis, igne, aliiſque id genus rebus fuerint diuinitùs conſeruata, quòd apud laudatos auctores, huiuſce mirabilitatis exempla paſſim occurrant.

Claritatem impaſſibilitati ſubiecit Paulus, quam Theologi ſecundùm ſacros codices volunt aliud nihil eſſe, quàm eximiam quamdam lucem, quæ intimis beatorum corporum partibus à Deo indita, inſtar vitri, illa tranſlucida præſtabit. Vermiculis pellucentibus compararit Cyrillus, ego certè, cum Daniele Prophetâ, Chriſtóque ſeruatore malim Stellis, atque adeò ipſi Soli æquiparare, cuius dotis rapacem venuſtatem Chriſtum in diuiniſſimo ſuo corpore, iam diu antè proluſiſſe cenſuit B. Pontifex Leo, quando *in monte ſancto transfiguratus eſt ante* Diſcipulos, *& reſplenduit facies eius, ſicut ſol, vt eius ſibi honoris conſortium membra promitterent, qui in capite præfulſiſſet.* Illius autem honoris pignus etiam in hoc exilio dediſſe videtur Deus aliquorum Sanctorum exuuiis, quibus mirandum gloriæ lumen anticipatâ donatione infudit. S. Margaretæ Virginis *Regiæ facies* tanta luce poſt mortem reſplenduit, *vt Archiepiſcopus Strigonienſis diceret, ſororibus, non debere eam flere, quaſi mortuam, in cuius corpore reſurrectionis inſignia apparerent.* B. Epiphanij Ticinenſis Epiſcopi *Sanctæ Reliquiæ* (inquit eius ſucceſſor Ennodius) *vſque in diem tertium, quo cum ſummâ veneratione recondita fuerunt, tanto lumine, ac decore veſtitæ cunctorum viſæ ſunt oculis, vt ſplendorem vitæ vultus ſignaret defuncti, & depoſitam gloriam iam nunc percepiſſe glorioſum vas crederetur, in quo verè fuit theſaurus magni Regis incluſus.* Sic ille. Quadraginta Martyrum Cappadocum cineres tyranni in profluentem abiiecerant, veriti ne à Chriſtianis ſublati magno in pretio haberentur, *& mundum vniuerſum complerent; & ecce Reliquiæ Sanctorum in aqua, tanquam ſtellæ fulgebant*, vt refert Metaphraſtes. Crederes cœlos in priſtinam rediiſſe materiam, vel aquas in cœlum iterum fuiſſe commutatas. Hæc & alia cœleſtis lucis

Boz. ſupr. cit. loc. & infra citando

De dexterâ S. Stephani Hungarorum rege integrâ & incorruptá Bonfin. Decad. 2. Rer. Hungar. lib. 3

Baron. in Annal. Eccl. Boz. lib. 15 cit. ſign. 63. cap. 7 & ſign. 61. cap. 5 &c. quos laudat. Sur. tom. 1. vit. SS. 4. Ianuar. 8. 13. 16. 19. eiuſd. 1. & 6. Febr. &c. tom. paſſim. B. Petr. Damian. de Vit. S. Romuald. c. vlt. & de Vit. SS. Rudolph. & Domn. cap. 13 Sedul. cit. cap. 25. Aliique complures.

S. Cyrill. Hieroſol. catech. 18.

Daniel. cap. 12. v. 3.

Matt. cap. 13. V. 43.

S. Leo hom. de transfig.

D. Petr. 2. epi. c. 1. V. 17.

D. Matth. c. 17. v. 2.

Garin. in Vit. S. Margar. apud Sur. tõ. 1 28. Ianua. & 22. eiuſd.

Ennod. in vit S. Epiphan. ſub fin. Dedigito S. Adal-

berti Episc. Pragensis mirabiliter lucente. Bonfin. *decad.* 2.*Rer. Hungar.lib.*1 *Metaphr. in Act.*40.*MM. Andr. Quercetan.ex Act. M. S. Vit. Petri Vener.*

lucis in Diuorum exuuiis emicantia decora suprà laudati auctores dabunt. Ego pariter non illibenter hîc dabo singulare prodigium,quod in corpore Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis, viri de Ecclesiâ optimè meriti, recens demortui diuinitus emicuit. *Factum est* enim (inquiunt eius vitæ acta apud Andream Quercetanum, qui illa in lucem edidit) *magnum miraculum in hac gloriosi patris venerabilis Abbatis Cluniacensis, corporis, & animæ separatione. Quia enim ipse Sanctus migrauit è corpore, vt nullum fieret impedimentum diuinis officiis S. Matris Ecclesiæ præcipuè illius diei* (scilicet natalis Christi) *quâ die, & eadem hora anima sancta eius discessit, qua credimus Verbum Dei natum de Virgine matre. Et bene hanc horam vt ascenderet, elegit, qui nato descendenti humiliter semper seruiuit. Litania ab Episcopo, & finitis orationibus defertur S. Patris corpus ad locum, vbi corpora mortuorum lauantur, & ibi vestimentis nudatum glorificati hominis gratia cunctis videntibus, & stupentibus apparebat. Erat ipsius corpus vitro purius, niue candidius, & mirabili quadam pulchritudine cœleste corpus in terrenis adhuc existens.* Hæc de corpore tanti Abbatis auctor Anonymus, cui non immeritò gloriosum illud corpus ob mirabiles huiuscemodi dotes mirabiliter à Deo affusas, *Cœleste corpus* visum est, vtpote cœlestis gloriæ iam in terris, & in ipsa morte candidatum.

Consequitur *Agilitas* apud Paulum, quæ suam habet, vti & claritas mirabilitatem, est enim vis quædam supernaturalis beatorum impressa non tam corporibus,quàm animabus,cùm sit earum corpus agere, & in omnem partem mouere, per quam vim momento poterunt ciere sua corpora simplici motu in quamlibet orbis partem incomprehensibili velocitate, *quæ tanta nos comitabitur* (vt loquitur Anselmus) *vt Angelis Dei æquè celeres simus, qui è cœlo ad terras, & è conuerso dicto citiùs delabuntur.* Quorum si tanta velocitas est: cur ergo, (subinfert, & rogitat Augustinus) *perfectos, atque beatos diuino munere spiritus sine vllâ difficultate posse ferre, quò voluerint, & sistere, vbi voluerint sua corpora non credamus?* Credemus autem dubio procul, si tantillum quo, quámque mirabili motu diuinitus aliquando cieantur Beatorum exuuiæ, spectare placet. Asiani gentiles venerabile D. Bartholomæi Apostoli corpus plumbeo inclusum loculo, ne à Christianis coleretur in profundum abiecêre; sed Dei operante prouidentiâ Sarcophagus plumbeus à loco illo aquis subuehentibus subleuatus innatauit, & ad Insulam Liparem illatus est. Iacuerat multos iam annos suo in mausolæo exanime S. Alberti Episcopi Ratisponensis corpus, cùm tandem eo aperto repertum est non supinum, vti pro more fuit compositum, sed in modum supplicabundi genibus nixum, vt vel mortuus pro suo grege, tanquam triarius de genu pugnaret. Eusebia matrona Romanos inter dignitate, opibúsque pernobilis, vt alias dixi, diuino monitu in hasce nostras Gallias profecta,vt sancti Quintini Martyris corpus non tàm perquireret, quàm quinquaginta quinque annos iam aquis immersum expiscaretur, summis infimísque precibus Deum orarat

Less. lib. sup. cit. cap. 6.

S.*Ansel lib. de simili.c.*51

S.August.lib. 13.*de Ciuit. Dei c.* 18.

S.*Greg.Turō. lib.* 1. *de glor. Mart.cap.*34.

Sur.tom 4. *Vit.SS.Iul.*8.

rat, vt ſe tanti theſauri compotem facere aliquando dignaretur: *cùm completâ oratione* (infit Surius) *moueri cœpit locus ille, vbi ſanctum corpus ſub aquâ iacebat, & criſpantibus vndis ſigna dare, tandémque magnâ Dei virtute eleuatum eſt S. viri corpus, & tergum vndâ præbente euectum, ac ſecurâ natatione vſque ad hominum manus deportatum. Caput verò, quod, cum eodem corpore non iacuerat, per alium meatum exiliens ad corpus vſque ſuum, vndâ portante, & Chriſto fauente mirabiliter perducitur, quæ pariter ſuſcipiens venerabilis matrona, cum gaudio de aquis eleuat, & tam ſanctum pondus pannis inuoluendum libenter deportat.* Alia Bozio recenſenda relinquo, vt duo ſingularia huiuſce mirabilis agilitatis, ſeu mobilitatis fidelium beatis pignoribus diuinitus conceſſæ, hîc exſcribam exempla, hoc ſanè lubentiùs, quò Gallias noſtras illuſtrant magis. Auctorem prodo S. Gregorium Turonenſem apud quem Hilarius quidam ſenatoriâ dignitate apud Diuionenſes ſpectabilis memoratur. *Quis, qualis, quantúſque fuerit* (reddo tanti Præſulis verba) *ſepulchrum eius hodie patefacit, quod marmore pario ſculptum renitet. Quo defuncto, & iuxta humanam conditionem ſepulturæ mancipato mulier deducto anni circulo ægrotauit, obiit, atque abluta eſt. Et quoniam ſepulchrum illud tam immenſum erat, vt ipſam iuxta imperium viri ſuſciperet, amoto operculo dum locaretur in tumulo, ſubitò eleuatâ vir dexterâ coniugis ceruicem amplectitur: quod admirans populus depoſito ſeceſſit operculo, cognouitque quæ eis caſtitas, qui timor in Deum, quæ etiam inter ipſos dilectio fuiſſet in ſæculo, qui ſe ita amplexi ſunt in ſepulchro.* Sic ibi. Haud ſcio an minus admiratione ſit dignum alterũ eiuſdem inuſitatæ in fidelium mortuorum pignoribus mobilitatis exemplum, quod ab eodem Gregorio Turonenſi literarum monumentis eſt commendatum: rem in pauca contraho, ſed ipſiſſimis eius verbis penè tantùm vſurus. *Iniurioſus quidam de Senatoribus Aruernis cum magnis opibus ſimilem ſibi in coniugio puellam expetiit, datóque arrhabone diem conſtituit nuptiarum. Erat autem vterque vnicus Patri, adueniente verò die, celebratâ nuptiarum ſolemnitate, vno in ſtrato ex more collocantur.* Vno verbo noua nupta, quæ ſe ſponſo Chriſto, & famulam, & ſponſam deuouerat, quâ verbis, quâ promiſſis, quâ lachrimis coniugem expugnatum eò adduxit, vt vellet, *Virginem caſtam exhibere Chriſto*, Virginéque thoro ſemper deinceps vti. *Et datis inter ſe dextris quieuerunt. Rem miram! multos poſteà in vno ſtrato recumbentes annos vixerunt cum caſtitate laudabili, quod poſtea in eorum tranſitu declaratum eſt. Nam ex conſenſu pari vir tonſuratus ad Clericatum; puella verò Religioſum induit veſtimentum: cùm impleto certamine puella migraſſet ad Chriſtum, peracto vir funeris officio quum puellam in ſepulchrum deponeret: ait; Gratias tibi ago, æterne Domine noſter, quia hunc theſaurum, ſicut à te commendatum accepi, iam immaculatum pietati tuæ reſtituo: ad hæc illa ſubridens: Quid, inquit, loqueris, quod non interrogaris? Illamque ſepultam ipſe non poſt multum inſequitur. Porrò cùm vtriuſque ſepulchrum è diuerſis parietibus collocatum fuiſſet; & vnum quidem ad meridiem, alterum ad Septentrionem, mira-*

Sur. tom. 5. vit. SS. 31. Octob.

S. Greg. Tur. lib. cit. c. 89. 90.

Prudent. hym. 5. de S. Vincent.

Boz. ſupr. cit.

Idē Greg. lib. de glor. Cōfeſ. c. 42.

Vid. apud eund. ſingulare quid de S. Riccio & ipſius cōiuge eodē tumulo mirabiliter cōpoſitis c. 75. item de S. Helij corpore ſepulturæ violatorē prehendente. cap. 62.

Idem lib. cit. c. 32. & lib. 1. hiſt. Franc. cap. 42.

culi nouitas, quæ eorum castitatem manifestaret, apparuit. Nam mane facto, cùm ad locum populi accederent, inuenerunt sepulchra pariter, quæ longe inter se distare reliquerant; scilicet, vt quos tenet socios cœlum, sepultorum hîc corporum non separet monumentum. Hos vsque hodie duos Amantes vocitare loci incolæ voluerunt. Hactenus Turonensis Præsul. Eia? quænam futura est virgineorum corporum in cœlis agilitas? quandoquidem tanta ipsis in terrâ defunctis inest vt anticipata diuinitus mobilitate se, suósque tumulos loco mouere possint, & aliò transmigrare.

Idem. ibid. c. 27. sepulchra duo comitũ. S. Martialis mirabiliter seiũcta refert. Metaphr. de S. Cornel. Cẽt. reliq. & sepulchro narrat quid simile, sicut & idem Greg. cit. c. 60.

Non carent hæc nostra sæcula similibus mirificæ mobilitatis exemplis, è quibus vnum duntaxat exscribo, quod Rossi, Nostrâ è Societate tam elegans historicus, quàm subtilis Theologus, memoriæ, literísque mandauit, agens de præclarâ morte duorum adolescentium, qui in ordine clericorum regularium ministrantium infirmis recens conscripto, sub Camillo de Lellis fundatore, religiosæ vitæ tyrocinium ponebant. Is memorat se de S. Ioanne Baptistâ Sartorio, probatæ per annos multos religionis sacerdote: simul & è Pœnitentiariis S. Petri vno, aliquoties narrante audiuisse, duorum illorum adolescentum (è quibus *alter natione Gallus, Ludouicus nomine; alter Italus, Iacobus Martinellus dicebatur*) *corpora aliquanto discreta interuallo in eâdem sepulturâ condita, in tabem, & puluerem ex communi iudicio resoluenda: sed secus accidit, quàm putabatur. Nam cùm reseranda aliquot post menses fuerit, vt fratris defuncti cadauer inferretur, quæ separatim funerator composuerat, & in arida redacta ossa existimabat, sociata, atque integra non sine ingenti stupore reperit, &, ô miraculum! exclamat: Accurrunt reliqui, & quod ægrè narrantium linguis credidissent, oculis hauriunt, in spelunca horroris, ac mœroris, spectaculum amoris & gaudij, insertis collo vlnis, vultibúsque renidentibus vicissim obuersis, Ludouicus, & Iacobus gratulari mutuo videbantur præsentem spirituum beatitatem cum Deo lætantium, & futuram corporum resurrectionem de sepulchro præstolantium.* Hæc totidem verbis Pater Rossi.

Vffingus lib. 2. vit. S. Idæ. c. 5. apud Sur. tom. 5. Sept. 4. & 13. Sept. de sepulchro seu potiùs capsâ S. Cornelij Cent. Rossi part. 1. vit. Camilli de Lellis cap. 28. §. 2.

Huc meritò referas vitales illos (vt ita dicam) sensus ac motiones, quæ in aliquot Diuorum emortuis exuuiis concitari etiamnum videmus. *Sanguis S. Ianuarij qui Neapoli in vitreâ ampullâ concretus asseruatur, cùm in conspectu capitis eiusdem martyris ponitur, admirandum in modum colliquefieri, & ebullire perinde atque recens effusus ad hæc vsque tempora cernitur.* Credas vitali rursus calore tùm maximè incalescere cùm propiùs capiti suo admouetur; cui miraculo non absimile est illud, quo sanguis S. Stephani, qui in æde Diuo Gaudioso sacrâ, ibidem religiosè colitur, altari superimpositus interea, dum sacris operatur Sacerdos, ita sensim soluitur, & liquescit, vt tùm primùm effusus videatur. Istud minus per vulgi ora hoc volitat, quò minus notum prodigium est, quod ex peruetustis Hispaniæ ac Germaniæ codicibus manu exaratis Ludouicus de Angelis, de corde B. Augustini Doctoris ter maximi, suíque in Christo parentis Sanctissimi ad

Baron. in not. ad Martyrol. Rom. 3. Aug.

Ludou. de Angelis lib. 6. de vit. & laud. S. Aug. c. 5.

mi ad Sigibertum Lurudunensem Episcopum ab Angelo quondam delato, ac cœlitus eidem summis, infimísque precibus supplicanti donato in hunc ferè modum exscripsit: Cùm pientissimo iubente Præsule Clerici, *Pro gratiarum actione, Te Deum laudamus, inciperent, mira res! & super naturam mirabilis! cùm enim versiculum, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, Deus Sabaoth canerent, cor in crystallo se mouere cœpit, & quasi os ad laudem Dei aperuit; tanquam diceret: ô sancta Trinitas, te dictando, prædicando, scribendo, canendo laudarem, si in corpore meo viuerem, quo viso Clerus, & populus Dei laudem clamarunt, & B. Augustinum dignis præconiis extulerunt dicentes, ô Sancte Augustine, lumen Ecclesiæ, ora pro nobis.* Necdum satis, vt enim certioribus argumentis constaret posteris huiusmodi lipsanum verum, germanúmque tanti Doctoris cor esse, *singulis quoque annis* (sic pergit scribere laudatus auctor) *in festo sanctæ Trinitatis cùm missa canitur, & cor super altare ponitur, mox omnibus intuentibus, se cor mouere incipit, quasi piscis in aqua, & sic inoleuit ex institutis Romanorum Pontificum, quòd semper in festo eius canitur præfatio de sancta Trinitate.* Hactenus ille, cui suffragatur Iordanus de Saxoniâ, vir non eruditione minus, quàm vitæ sanctimonia clarissimus in hæc verba. *Secundum probatissimorum virorum auctoritatem in totâ Ecclesiâ fide dignâ, famatum est, quòd cor istius Doctoris inclyti in vno crystallo inclusum, quoties sancta Trinitas coram eo nominabatur, vel liber eius de Trinitate expandebatur, cor ipsum quasi vitaliter, & intellectualiter exultabat, cuius simile de nullo alio Sancto dicitur.* Deinde aliquantò post subdit, *quòd cor Augustini post mortem habuit motus vitales, imo quasi intellectuales exultando ad præsentiam verborum sanctissimæ Trinitatis dictorum, vel scriptorum: super quo stupendo miraculo cadit quæstio, vtrum talis motus causetur immediatè à præsentia diuina, vel per aliquam subiectam creaturam? Ad quam quæstionem sine temeraria assertione, & præcipiti determinatione per modum inquisitionis potiùs videtur, probabiliter posse dici, quòd illa motio cordis Patris Augustini fuit immediatè à Deo, & non per mediam creaturam.* Hæc, aliáque pluribus vir pius. Idem miraculum de mirabili eiusdem cordis motione, miraculóque penitus inusitato confirmat Hieronymus Romanus Annalium Ordinis Eremitarum B. Augustini conditor. Inde factum volunt aliqui, cur S. Augustino cor ad manum depictum exhibeatur, quamquam alias huiusce rei rationes Molanus afferat, hæc insuper Romæus addit planè singulare, prodigiisque maximis simillimum. *Notandum ex historiis illustrioribus, ac veris nunquam in Ecclesiam, vbi cor S. P. N. Augustini erat, ingressum fuisse hominem hæreticum, vel enim intus moriebatur, vel in limine cadebat; hac de causâ pingi solet Augustini cor in vase pulchro super altare, ante quod multi iacent hæretici consternati, & emortui.* Hæc si vera sunt, vti tot authorum fides, & singularium effectorum mirabilitas contestantur, ecquis obstinatè audeat pernegare sacrum illud lipsanum extitisse verum, germanumque S. Augustini cor, quod olim

Iordan. de Saxonia. serm. 249.

Hier. Roman. Annal. Augustinian. centur. 6. ad ann. 51.

Molan. lib. 3. hist. ss. Imag. cap. 36.

olim, dum viueret, à Christo *dilectionis iaculo transfixum* fuisse memorat Florentius, inter Batauos notæ sanctitatis, & memoriæ gloriosissimæ scriptor. Eiusdem generis mirabilium motionum, quas in Sanctorum exuuiis diuinitus concitatas legere est, ea fuit, quam in demortuis Catholicorum, & Arianorum corporibus extitisse refert Paulus Morigius. Cùm Mediolani, ob grauem Orthodoxos inter, & Heterodoxos conflictum, corpora occisorum (quorum vis non exigua fuit) adeò inter se permixta, mutuóque in sanguine natantia ita indiscriminatim iacerent, vt ab hæreticis, Catholici haudquaquam secerni possent, D. Ambrosius nihil antiquius habuit, quàm vt supplex à Deo efflagitaret sibi affundi lumen, quo præmio, ac prælucente valeret internoscere fidelium corpora ab infidelium cadaueribus, & secernere agnos ab hœdis: dictum, factum. Orationem vix fuderat Præsul Sanctissimus, cùm de repentè Catholicorum corpora vi diuina moueri, obuertere sese, supina in cœlum ora torquere, &, quò animus iam victor euolaret intentis oculis suspectare. Arianorum è contrario cadauera obuersis in terram vultibus prona iacere, mordere quodammodo humum, & despicere inferos, quò damnati æternum animi præcipites anteiuerant. Ad hæc, Catholicorum sanguis miraculo coagulatus, & in rotam, globúmque diuina, angelicáve manu erotundatus circumuolui occœpit, atque per totam vrbem mirabiliter actus ad protomartyris Stephani basilicam vsque perrexit, vbi à tellure altissimâ absorptus est. Quis post hæc potuit esse orthodoxis dubitandi locus, quin ea corpora forent venerandæ fortissimorum Christi militum exuuiæ, quæ tam insolenti, piáque commotione agitata fuissent in oculis populosissimæ ciuitatis. Næ! D. Ioanni Baptistæ iniurius sim, quàm qui maximè, si stupendam, & sæculis omnibus deprædicandam reticuerim dexteræ ipsius motionem, de qua Græcorum Menæum hæc habet: *Dicitur Episcopus die sacrosanctæ Crucis exaltatæ venerandam hanc manum spectante populo sublimem tollere, eámque dum tollitur, subinde explicari, subinde contrahi per sese, atque per explicatam quidem manum frugum vbertatem portendi; contractione verò annonæ charitatem prænuntiat.* Credas id miraculi adeò insolentis sacræ illi dexteræ quotannis obuenire, in præmium singulare Christi aquis lustralibus, quondam ab ipsa tincti, atque adeò Christiani baptismatis diuinitùs occupati.

Florent. lib. 5. de Instit. Christian. cap. 11. Io. Mabur. Rosetti tit. 20. in fine. Morig. sanctuar. Mediol. cap. 4.

Menolog. Græcor. postridie Epiphan.

Restat de *subtilitate* breuiter agere, quæ aliud nihil esse vulgò creditur, quàm vis quædam supernaturalis alia corpora permeandi, & cum illis idem plane spatium occupandi, per quam beatorum corpora in spiritalem quamdam corporum *subtilitatem*, siue gracilitatem diuinitùs extenuata (vt censuit, dixítque S. Epiphanius) idonea fient, ad densissima quæque corpora peruadenda, & ad idem spatij cum ipsis adimplendum; vt propterea *corpus spiritale*, eleganter à Diuo Paulo orpus beatum, hac dote ornatum vocitetur. Huiusce verò spiritalis tenuitatis prima in diuinissimo suo corpore lineamenta exarauit Christus

S. Epiph. hæres. 20. & 64.

1. Corint. c. 15. v. 44.

ſtus, *cùm per obſerata oſtia* (verba ſunt non tam Euſebij Emiſſeni, quam Eucherij Lugdunenſis) *ſacrum dominici hominis corpus inlapſum, & depoſitâ terrenæ conſuetudinis fragilitate clauſis ianuis influxit defæcata, & glorificata ſubſtantia. Nihil nouum in virtutibus Christi. Hic eſt ille, qui inter ipſa adorandæ natiuitatis ſacra primordia ad nos inuiolato maternæ integritatis ſignaculo naturâ ſtupente proceſſit: nec mirum ſi innuptæ ſinus matris non reſoluerat natus, quos magis probatur ſanctificaſſe conceptus. Hic eſt ille, qui ex inferis remeans carcerem noctis æternæ nullo aperiente tranſgreſſus, conſequenter de monumento, hoc eſt, de corruptionis loco incorruptum corpus eduxit, & ad ſuperna remeauit.* Secundum ſe Chriſtus exanimis Sanctorum ſuorum cadaueribus, etiamnum in terra iacentibus eandem *ſpiritalem ſubtilitatem* aliquando impreſſit, vti corporibus viuis, ac ſpiritantibus illam frequenter indere non fuerat grauatus; *idque non aliam ob cauſam*, inquit Bozius, *niſi quia Christi corpori aliqua ex parte adiuncta ſunt, imò quoniam corpora ipſorum membra ſunt Christi*, vt ait Paulus. Eò fortè referre poſſis, quod Euagrius, & Nicephorus de Thoma quodam ſanctiſſimæ vitæ monacho recèns demortuo literis conſignarunt. Illius loci, vbi deceſſit, incolæ *cadauer eius proiecerunt in ſepulchris vulgi ignobilis*, (vt verbis vtar Ieremiæ) & aliis atque aliis, vt ſit ſuperingeſtis obruerunt, citiùs, quàm texerunt. Verùm beatiſſimi viri corpus ſcelerati forſitan oneris impatiens ſuperimpoſita cadauera permeans, ſemper ſupra illa ſe efferebat, donec re identidem tentatâ, toties emicans tandem obiecta, congeſtáque cadauera, & à ſe, & infra ſe longè ſubmouit. Miraculi ſpectatores rem ad Euphræmium Epiſcopum retulerunt; ille re cognitâ cùm publicam funeris pompam indixit, tùm beato corpori Antiochiam magnâ cum pompâ tranſuecto honorificentiùs monumentum, vrbi nouum patronum ciuibus peſtilenti luce affectis medicum mirificum donauit.

S.Euch. hom. 10. de Paſch.

Bozius lib. 15. cit. ſign. 61. c. 5.

1. Corinth. c. 6. v. 13.

Euagr. Niceph.

Ierem. c. 26. v. 23.

Forſitan non iniuriâ huc ſpectare dixerim mirabiles illas voces, quibus demortuæ aridæ, atque exuccæ Diuorum exuuiæ viuos aliquando ſunt allocutæ. Refert Morigia Sancti Dionyſij Mediolanenſis Epiſcopi, quem Conſtantius Imperator Arianus in Cappadociam deportari curauerat, ſacras Reliquias Mediolanum reportatas, D. Ambroſium obuiam ipſis prodeuntem, atque adeò reſerata capſula eas humiliter complecti molientem paramanter conſalutaſſe, dixiſséque, *Aue frater Ambroſi*, &c, quod mirere magis, à ripâ fluminis Adæ, ad baſilicam, in quâ erant ſacra lipſana, religioſè componenda obſtupefactis præ inſolentia rei populis, multa ſecum de fide Catholicâ, & Chriſti diuinitate inuicem fuiſſe collocutos. Coſmas Veſtiarius, atque ex eo Nicephorus non admodum abſimile miraculum venerabilibus Diui Ioannis Chryſoſtomi pignoribus, Comanis, vbi à Theodoſio iuniore in exilium iniuſtiſſimè pulſus vitam cum morte vel potiùs ægram, ac miſeram vitam, cum fœliciſſimâ commutarat, Conſtantinopolim tranſuectas memorant contigiſſe. Cùm enim ſanctiſſimi

Morig ſanctuar. Mediolan. c. 6.

Niceph. lib. 14. hiſt. Eccl. c. 45.

mi Patriarchæ exuuiæ thecâ argenteâ inclusæ succollantibus Sacerdotum humeris incredibili cum pompâ, populorúmque vndique confluentium vi maximâ, transuectæ primùm Chalcedonem; inde postmodum ab ipsomet Imperatore, ac Proclo Episcopo, clero, senatu, & populo Constantinopolitano penè vniuerso extra vrbis mœnia vndatim obuiam effuso, ac totum Bosphorum nauibus sternente, illuminante facibus, hymnisque circum latè sonantibus complente, Constantinopolim inuectæ, simul & ad basilicam SS. Apostolorum perlatæ fuissent? tùm summis infimísque precibus efflagitare, vrgeréque clamoribus inconditis populus cœpit, vti reduces beatissimi sui Antistitis exuuiæ patriarchali throno, quem ille viuens nobiliter impleuerat, imponerentur: dictum, factum. Vix collocatæ fuerunt, cùm ecce tibi circumstantibus salutem apprecari, dicereque, *pax vobis*, auditæ sunt: crederes mortuum de subito reuixisse, vt piam amantissimæ plebis charitatem sibi gratissimam extitisse testaretur. Demùm (vt riuos aliquando claudamus) si quæ cuiuspiam sancti Reliquiæ, inter alia complura eiusdem generis lipsana, beatis illis dotibus ornatæ alicubi præfulgere videbuntur; iure ipsas reliquis omnibus anteponas, atque adeò veras esse Reliquias meritò fateare, quandoquidem id tot linguis, quot gloriæ dotibus Cœlum inclamat; quòd si huiuscemodi beatorum corporum muneribus eæ Reliquiæ fuerint olim instructæ, nunc verò minimè, idem tamen de iis iudicium ferri potest, modò de rei veritate certò liqueat.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Oracula cœlitus missa.

Anfoss. lib. de ss. Reliquiar. cultu &c. §. 21. cap. 11.

COelestes, vt vocant, *Reuelationes* in diuinis adiumentis, quorum ope veræ Reliquiæ à subdititiis, & adulterinis secerni possunt secundo loco libens repono. *Cœlestes* dixi *reuelationes*, vt hinc longissimè submouerem plerasque reuelationes, quæ non tam à cœlis, quàm ab inferis: non tam à Sanctis, quàm ab atrâ bile, aut quapiam læsæ mentis aberratione; non tam à Deo, bonisve geniis, quàm à Dæmone transfigurante se in Angelum lucis proficiscuntur. Quo in argumento admodum arduo & intricato, accuratè tractando, tùm è vetustioribus, tùm è recentioribus scriptoribus versati sunt bene multi æquè morum sanctimoniâ, & doctrinâ præstantes viri: è quibus non vltimum duco Martinum Delrio, è nostrâ hac minimâ societate eximium lumen, è cuius perquàm eruditâ disputatione non minus lucis, & iucunditatis quàm vtilitatis haurias.

Del-rio lib. 4. disquisit. Magic. cap. 1. qu. 3. sect. 1. & seq. & cæteri, quos laudat.

Hoc igitur iacto fundamento, id est, posita cœlestium Reuelationum certâ, exploratâque veritate; cuius expiscandæ longè potentissimas

mas rationes te laudatus docebit auctor: sanctè assero diuinitus enunciata super aliquibus Diuorum Reliquiis oracula, præsentissimum esse præsidium ad veras ab adulterinis, & supposititiis internoscendas. Quod enim *prima veritas* siue per se, siue per suos administros edidit, ac edixit, ecquis nisi mentis inops illud audeat in dubium reuocare? Si enim hoc vocari posset in dubium, hæc in paucis vna causa foret, quòd in primam veritatem cadere posset mendacium: *quo admisso* (vt doctè simul, & verè dixit Augustinus) *omnis omnino disciplina fidei subuertitur. Nam fortè tunc mentitur* (quæ paulò antè ipsius verba erant) *quando præcipit, vt illi credamus: si autem Deus talem haberet voluntatem, non esset Deus*, vt sapienter subintulit Anselmus. Nec quidquam obstat, quod priuatæ cuiquam personæ diuinitus dicta sit huiusmodi dictio, tùm quia *prima veritas* æquè fallendi nescia est, cùm diuino oraculo priuatis aliquid edidit, quàm cùm toti Ecclesiæ quid enuntiat; tùm quia ex vi diuini moniti tam arctè, ac religiosè ad fidem illi adhibendam obstringitur priuatus ille, cui diuinitus missum est, quàm si toti Ecclesiæ fuisset nuntiatum. Cogita Saram, cui fides cœlesti oraculo habita, vt facilis, & cerea laudi fuit; sic & difficilis, & ardua vitio versa est. At de hac re pluribus Theologi. Cùm ergo cuipiam facta fuerit super alicuius Sancti Reliquiis reuelatio, non solùm is, qui diuinum illud accepit oraculum, obligatur credere eas veras esse cœlitis nominati exuuias, sed etiam alij, quibus cœlestis hæc dictio, quantum par est proposita extiterit, præsertim vbi Præsulum approbatio, Ecclesiæve auctoritas accessit; ne si secus faxint, haud aliter malè mulctetur, quàm ille Prophetæ socius, qui iussus ex oraculo, imperióque diuino ipsi plagam imponere, incredulus recusauit.

S. August. lib. de mendacio. cap. 8.

S. Ansel. lib. 1. cur Deus homo. cap. 12.

Paul. ad Heb. c. 11. v. 11. & Gen. c. 18. v. 13.

Suar. tract. de fide. disp. 3. sect. 10. & tom. 1. in 3. part. quæst. 25. disp. 55. sect. 1. &c.

3. Reg. cap. 20. v. 36.

Quam facilem, pro SS. Protasij, & Geruasij pignoribus sibi cœlesti monito indicatis, S. Ambrosius, Ambrosio dein affirmanti, D. Augustinus, vtrique orbis Christianus vniuersus fidem adhibuerit, ex ipsorum oratione audiamus: ille quidem de accepto super sacris illis exuuiis diuinitùs oraculo ad carissimam sororem suam scribens sic aiebat. *Respexit sanè humilia Dominus, qui latentes sub ignobili cespite Reliquias Sanctorum suæ Ecclesiæ reuelauit, quorum animæ in cœlo, corpus in terrâ.* At cuinam de Ecclesia hæc facta est reuelatio? *Sanctorum cognitionem, quam Maiores nostri amiserant, nos adepti sumus.* Huius verò Deum affantis ista oratio est, *Annus erat, aut non multò ampliùs, cùm Iustina Valeriani Regis pueri mater, hominem tuum Ambrosium persequeretur hæresis suæ causâ, quâ fuerat seducta ab Arrianis &c. Tunc memorato Antistiti tuo per visum aperuisti, quo loco laterent, Martyrum corpora Prothasij, & Geruasij, quæ per tot annos incorrupta in thesauro secreti tui recondideras; vnde opportunè promeres ad coercendam rabiem fœmineam, sed Regiam.* Hinc istud Christo Seruatori Eucharisticon cecinerat D. Ambrosius. *Gratias tibi, Domine Iesu, quòd hoc tempore tales nobis Sanctorum martyrum spiritus excitasti, quo Ecclesia tua præ-*

S. Ambros. lib. 10. epist. 85.

S. August. lib. 9. Conf. cap. 7 & lib. 22. de Ciuit. Dei c. 8 & serm. 120. de Inuent. S. Steph.

S. Ambros. suprà.

sidia

sidia maiora desiderat. Cognoscant omnes, quales ego propugnatores requiram, qui propugnare possint, impugnare non soleant. Hos ego acquisiui tibi, plebs sancta, qui prosint omnibus, nemini noceant. Tales ego ambio defensores; tales milites habeo: quorum quò maiora, eò tutiora patrocinia sunt. Horum etiam illis ipsis, qui mihi inuident opto præsidia, & reliqua. Vir Stephani, & Christi spiritu animatus, dignus profectò cui Deus cœlesti oraculo beatas inuictissimorum Athletarum exuuias aperiret. Meritò Religiosissima Imperatrix; Pulcheria, referente Sozomeno, inuentis venerabilibus quadraginta Martyrum Reliquiis, preces gratulatorias Deo fundebat, tùm quòd se cœlesti monito, tantíque thesauri reuelatione dignatus esset; tùm quòd Sanctorum pignorum inuentionem esset assecuta. At numquam in tam profusas lætitias, & gratias erupisset, nisi secundum illud Dei oraculum veras Beatorum Martyrum exuuias se consecutam credidisset. *Hoc eodem imperio* (ni fidem laudato scriptori velimus abrogare) *Deus multorum Sanctorum corpora manifestauit, cuiusmodi & illud est, quod tunc accidit in Zachariâ, vetusto prophetâ, & in Stephano Diacono ab Apostolis ordinato*: de cuius lipsanis, & miraculis ad illa editis fusissimè Diuus Augustinus. Ecquis prudenter veras esse, beatas D. Cypriani Martyris exuuias ausus esset pernegare, postquam sacratum ipsius corpus apud matronam Christianam summæ pietatis fœminam, instar thesauri longè pretiosissimi diu abditum, ac religiosè seruatum Deus *per reuelationem*, vt testatur S. Gregorius *Nazianzenus in apertum protulit?* A consimili miraculo, mulier quædam Christiana, inquit paulò antè laudatus Sozomenus, *quæ ex vrbe Gazâ minimè oriunda erat; sed ibi domicilium suum collocauerat, iussu diuino de nocte concubiâ ex aliis ossibus*, quæ Sanctorum Martyrum pignoribus, per summam impietatem, odiúmque Christianæ Religionis à paganis Gazensibus fuerant admixta solerter *selegit, atque in vrnam coniecta, Zenoni eorum consobrino seruanda dedit. Nam ita Deus ei in somnis mandauerat.* Et post diuinum illud oraculum hasce Reliquias adulterinas fuisse prudens suspicarere?

Sozom. lib. 9. hist. Eccl. c. 2.

Sozom. loc. prox. cit. Baron. tom. 5. Annal. Eccl. ad ann. 415.

S. Aug. lib. 22. de ciuit. cit. c.

S. Greg. Naz. orat. 18. in S. Cyprian.

Sozom. lib. 5. cap. 8.

Verùm non semper seipso Deus famulorum suorum exuuias, vel neglectim iacentes, vel diu mortalibus incognitas, vel in abditis terræ visceribus, casu, consilióve latitantes detegere dignatus est: sed etiam frequenter ad eas manifestandas, tùm Angelos, tùm sanctos ipsos internuntios adhibere amauit. Peruetus auctor apud Surium veneranda beati Quintini Martyris lipsana per Angelum inquiri iussa memorat in hæc verba. *Regnantibus Constantio Constantini filio, eiúsque cum eo fratribus Constantino & Constante, Matrona quædam nobilis Romæ erat, Eusebia vocabulo, dignitate, & opibus ditissima; sed ab annis nouem oculorum luminibus orbata; cui mos erat, studiosè orationibus incumbere, & pro se Dei clementiam exorare* (Ad fidem cœlestibus monitis faciendum non parum personæ illa accipientis sanctitas confert.) *Quadam verò nocte, cum pro suæ infirmitatis causâ Dominum promptiùs*

Sur. tom. 5. Vit. SS. 31. Octob.

Cur de die potiùs, quàm de nocte non fiant reuelationes Vid. apud Io. Sign. Reliquiar. c. 3.

promptius oraret, per visum Angelus Domini ei apparuit, eamque consolans dixit: Eusebia, preces tuæ exauditæ sunt & coram Deo acceptæ. Surge itaque, & perge in Gallias, & perquire locum, qui Augusta Vermanduorum dicitur, cuius situs est iuxta fluenta Sommæ, vbi via publica transit ab Ambianensium ciuitate, veniens contra Laudunum Clauatum. Eo igitur loco diligenter perquire, & inuenies corpus Beati Quintini Martyris Christi, diu iam paludibus, & aquis tumulatum; quod vbi fuerit euectum, & per te populis manifestatum, oculorum tuorum recipies visum, & salutis corporeæ pristinum statum. Hæc ille: dictum, factum: Inuentum corpus, oculis refusa videndi vis, ægræ salus de integro est restituta. Hæc scilicet primæ veritatis, & ipsius administri denuntiatio & fides fuit.

Ipsi verò cœlites, ad quos sacra lipsana pertinebant, multò frequentiùs, ex diuinâ voluntate mortalibus ea manifestarunt. Plenæ sunt huiuscemodi cœlestium monitorum Ecclesiasticæ historiæ, è quibus aliquot exempla perstringere operæ pretium duco. Celeberrima est in Annalibus noui testamenti Sancti Gamalielis, qui in Actibus Apostolorum nominatur cum laude, apparitio, & trina super suis, & SS. Stephani, ac Nicodemi pignoribus, ab eodem facta Luciano presbytero reuelatio. Cùm enim summoperè pientissimus vir sibi nimiùm quantùm metueret *à negotio perambulante in tenebris* hoc est, à malo aliquo Gemio *transfigurante se in Angelum lucis*, ita Deo diù enixè supplicauit: *Domine IESV Christe, si hæc visio ex te, & non est illusio; fac vt iterum, & tertiò appareat mihi, quando vis, & quomodo vis.* Rectè id omnino atque ex multorum Sanctorum exemplo sapienter, beatissimæ in paucis virginis (quæ ab Archangelo salutata, maturè, ac diu apud se cogitauit, *qualis esset illa salutatio*) prudentiam singularem imitatus tardam visis habuit fidem; donec à Diuo Gamaliele peracerbè increpitus ad Ioannem Episcopum Ierosolymitanum perrexit, totiúsque rei seriem præ gaudio collachrymanti retexens ab eo facultatem ad venerabiles Diuorum exuuias indagandas, vt in mandatis acceperat confestim obtinuit. Quid multa? Tandem effossâ humo, SS. Gamalielis, Nicodemi, ac Stephani pignora totidem inclusa loculis adinuenit: ne verò apud aliquos diuini moniti vacillaret fides, Deus Optimus Maximus Nygetium quemdam, notæ tùm sanctitatis monachum, eiusdem oraculi participem fecit, quo Lucianus mirificè recreatus diuinæ voluntati, Sanctorum mandato, suæ conscientiæ, ac piorum votis fecit satis; rem pluribus percensitam habes in literis Encyclicis eiusdem Luciani, quas suis annalibus Baronius inseruit, vt nobilem auro gemmam. Obserua hîc per transennam illas Reliquias minus indubitanter veras habendas esse, quas constiterit cognitas fuisse per missum cœlitus oraculum, quod persimilis aliqua reuelatio, vel etiam clarior (vt hic factum vides) confirmauit, syncerior enim, & ad faciendam fidem validior est illa reuelatio, quæ pluribus potiùs, quàm vni facta est, quæque citiùs,

Vide inferiùs art. 4. proximo de SS. Nazar. & Celso M.M.

Act. c. 3. 22.

Psal. 90.

Del-rio loc. cit. sect. 1.

Luc. 1. 29.

Baron. tom 5. cit. ad ann. 415.

per alios, quàm per eumdem; item per incognitos, quàm notos; per viros, quàm fœminas est roborata vt prudenter, & doctè scripsit Del-rio noster, simúlque eximiis illustrauit exemplis. Mitto dicere eadem ratione SS. Heuualdorum Reliquias ex Bedâ: S. Ioannis Baptistæ pignora ex Marcellino Comite: plurimas Sanctorum exuuias à Diuo Seuerino ex Eugippio Abbate; aliáque id genus lipsana diuinâ reuelatione inuenta sileo: vt vnum è Galliis nostris exemplum loquar. Anno à Christi ortu nongentesimo quadragesimo sexto apud Nouiomum (vt refert Baronius ex Surio) in Galliâ reperitur, & eleuatur, venerandum corpus S. Hunegundis virginis, quæ egregiâ claruerat sanctitate, sub Eligio, eiusdem ciuitatis Episcopo. Rei gestæ admirandæ satis historiam, eius temporis auctor scriptis mandauit his verbis. *Cùm diu sacrum corpus eius sub terrâ conditum iacuisset quædam sanctimonialis, Bertha nomine, miræ abstinentiæ, multæ patientiæ paupertatis valde studiosa, eximiæ humilitatis, misericordiæ operibus dedita, ieiuniis, & vigiliis, & precibus intenta* ex diuinâ reuelatione locum sepulturæ eius cognouit. Hìc expende, quibus virtutibus ornata refulserit pientissima illa fœmina (ne mulieri minimè credendum dicas) cui diuinum istud oraculum fuit enuntiatum, quò facilius intelligas quàm vera extiterit de laudatis Reliquiis offodiendis facta cœlitus reuelatio, si eam ad Del-rio regulas velis exigere, illius, & inuentarum Reliquiarum veritatem luculentiùs multò comprobarunt euenta, de quibus citatus auctor, sic pergit dicere. *Cùm immenso affecta gaudio Bertha tantum thesaurũ subito eleuare vellet, venerabundus presbyter Gito, SS. pignorum Quintiui, & Victorici martyrum custos, casu superueniens eam obiurgauit, dicens, fas non esse sine auctoritate Episcopi sacrum corpus leuari.* Et quidem ille secundum sacros canones sapienter, *ita ad dies triginta duos intactus mansit sarcophagus iam apertus, ad quem diu, noctúque sacris vigiliis incumbentes, Episcopi aduentum sustinebant. Quo spatio multa illic diuinitus sunt declarata miracula, atque ingens splendor perpetuò ad sacrum corpus permansit; ita vt à pectore virginis, & sursum pro sordibus pulueris, nitentia relucerent fragmina margaritarum, & quibusdam erumpentibus scintillis aspicientium reuerberaretur obtutus. Tanta etiam ibidem sentiebatur odoris fragrantia, vt omnium nares ineffabili satietate complerentur. Porrò odoris illius semper increscebat suauitas.* Hactenus locuples testis, & scriptor. En tibi tria verarum Reliquiarum, in vno Hunegundis corpore collecta argumenta oraculi diuini dictionem, cœlestis lucis splendorem, & eximij odoris fragrantiam, quam non quidem *signum principale Reliquiarum sacrarum* cum Signio facio: at certè inter optima cum Bozio non vltimum repono. Non committam, vt à me ingrato, & irreligioso pressum fuisse silentio Sardinia incuset, quod ipsamet ad maiorem Dei gloriam, indigetum venerationem, suíque solatium longè maximum, etiamnum tota gratulabunda deprædicat. Est autem huiusmodi. Anno, huius sæculi millesimi sexcentesimi labentis vicesimo tertio, 13. Kal. Ianuarias,

Del-rio loc. cit. sect. 5. consider. 5.

Beda lib. 5. de gestis Anglor. c. 11.

Marcell. Comit. Chron.

Eugipp. in vita S. Seuerin. cap. 9.

Boz. lib. 15. cit. Sign. 62.

Baron. tom. 10. Aunal. ad ann. 946.

Sur. tom. 4. vit. SS. 25. Aug.

De S. Benigni Mart. corpore à Guilielm. Abbate Reomaensi ex diui:za reuelat. inuento vid. P. Rouerium lib. 1. hist. S. Io. Reomaensis cap. 12.

Del-rio lib. cit. sect. 2. considerat. 7. & sect. 4.

Signius Reliquiar c. 5. Boz. lib. cit. c. 1. & nos sup. huius lib. c. 1. art. 1.

Ianuarias, ſanctíque Apoſtoli Thomæ peruigilio in Calaritano Societatis IESV collegio, maximâ cum ſanctitatis famâ fato conceſſit rerum domeſticarum adminiſter (coadiutorem vocamus) Franciſcus Hortolanus, quem Deus opt. max. (inter cætera Spiritus ſancti chariſmata, quibus dum vitam viueret, cumulatiſſime beatus extitit) inuſitato, planéque mirabili luce perfudit ad Sanctorum exuuias, quæ obſcuræ, ſimul & inhonoræ paſſim toto regno compoſitæ iacebant, acutiſſimâ mentis acie peruidendas, detegendas, educendáſque in lucem, notitiámque mortalium. Et verò antè, quàm cum morte vitam commutaret, iam ſupra ducenta beatorum Indigetum corpora, ipſo cœleſtibus monitis edocto, ac docente, monſtrantéque refoſſa numerabantur: & (quod fortè mirêre magis) inter chartulas eiuſdem exaratas manu, inuentus eſt commentariolus, in quo digeſtus erat indiculus veterrimarum complurium Baſilicarum, quæ vbinam locorum extarent, ipſe inaudiuerat nunquam, atque adeò Cœlituum deſcripta nomina, quótque ſingulis in templis eorundem exuuiæ ſitæ conderentur, diſtinctè recenſitæ legebantur. Ab eius è ſolo in cœlum fœlici migratione, variis in Sardiniæ locis inuenta ſunt Diuorum lipſana, quæ beati viri intimam cum Deo familiaritatem, eximiámque aduerſus Sanctorum reliquias pietatem poſteritati teſtatiſſimam reliquerunt. Ego certè nulli mortalium tam facilè hactenus de cœlo factam tot ſacrorum pignorum reuelationem legere me recordor, quàm Franciſco Hortolano Noſtro, cui tota Sardinia; ſupra Alcinoi, & Semiramidis hortos multò amœnior, veréque Paradiſi hortus fuit. Huiuſce veritatis teſtes allego non ſolùm ex Ordine noſtro PP. Antonium Cartam, & Franciſcum Pinam, viros perquam religioſos; illum Collegij Calaritani, hunc Domus Probationis Rectores, ac Franciſci arcanorum, quàm qui maximè participes; ſed etiam Illuſtriſſimum Franciſcum d'Eſquiuel, Calaritanum Archipræſulem alióſque Reuerendiſſimos eiuſdem Inſulæ Antiſtites: inſuper quamplurimos Principes viros, ac fœminas, necnon Excellentiſſimum Proregem, totúmque Sardiniæ Regnum, quod ſe tot, tantiſque ſacrarum reliquiarum theſauris collocupletatum, vnâ Franciſci Hortolani reuelatione, ac cœleſtibus monitis tandem cognouit, obſtupuit, lætitiiſque omnibus inceſſit, ſibíque etiamnum à detectis, inuentíſque Cœlituum corporibus impensè gratulatur, ne dicam, gloriatur: ſed de reuelationibus ſatis.

Carta relat. manuſcripta de vit. Franc. Hortolani ad R. A. P. Mut. Viteles, ſoc. Ieſu Præp. Gener. 20. Oct. 1625. miſſâ.

ARTICVLVS TERTIVS.

Singularia naturæ Deo famulantis obsequia.

Consule Rossi tract. de potentiâ obedient. disp. 1. quæst. 2. n. 14. Claudian. Paneg. de 3. Honor. Cons. S. August. lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 26. Osor. lib. 7. cap. 35.

TErtium hoc numero ad veras internoscendas Diuorum Reliquias præsidium prorsus diuinum, quòd Dei solius sit habere naturam sibi pro arbitrio famulantem

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Exclamat Christiano stylo potiùs, quàm animo & sententiâ Ethnicus, & à Christiano nomine, teste Augustino, *alienus*, Claudianus, demirans prodigiosa naturæ auxilia, quæ Dominus exercituum Deus Theodosio Imperatori aduersus Eugenium tyrannum decertanti de cœlo submiserat. Non minus *dilectum Deo* eum Cœlitem iure dixeris, ad cuius Reliquias manifestandas, & internoscendas: ille naturam inusitatis obsequiorum generibus famulari subegerit; quod pro singulari in suos pietate fecit non raro; tùm, vt, qua ipsi sint apud se gratiâ omnes intelligant; tùm, vt, eorumdem exuuias tanquam veras, & germanas maiori honore securiùs prosequantur. Exemplis aliquot rem comprobemus.

Superius lib. 1 cap. 10. art. 1.

Atque, vt à Cœlitibus ipsis ordiamur, reuoca tibi in memoriam quæ superiori libro retulimus de inuentis mirabiliter D. Euphemiæ Reliquiis, quæ cuiusnam essent? sanctæ an profanæ? cùm ignoraretur à nautis, in quorum manus diuinitus venerant, *Illâ nocte vident gloriam maximam, & lumina, & cereos, & viros candidis vestibus indutos, & Christum laudantes*, nec satis. *Aliâ deinde nocte acceperunt reuelationem Reliquiarum, per eius nominis enuntiationem* (inquit ex Theophane, & Metaphraste Baronius) *in illâ enim insulâ* (Lemno scilicet) *S. Glyceriæ iacebant Reliquiæ. Dictâ autem nocte visa est egredi ex insula Christi martyr Glyceria, & hæc è naui exisse & se inuicem esse complexæ, & cùm dixisset, quæ ex insulâ erat egressa, & quæ è naui exierat: Salue Martyr Christi, Euphemia benedicta, & se inuicem salutassent rursus per se recedebant. Tunc è somno excitati, & lacrymis & gemitibus pretiosas acceperunt Reliquias, & loculum sunt amplexi præclari naucleri, Sergius, & Sergonas (hæc enim erant eorum nomina) cùm autem fuisset dies enauigarunt.* Sic illi quibus è verbis discere est, Deum opt. maximum non Angelorum modò, sed etiam aliorum cœlituum ministerio vsum fuisse ad Sanctorum suorum pignora manifestanda. Imò, quod insolens & inusitatum magis est, ipsorummet Diuorum tùm capita à reliquo auulsa corpore vocalia reddidisse, tùm animas cœlo donatas aperiendis detegendísque suis exuuiis administras aliquando adhibuisse.

Baron. tom. 9. Annal. Eccl. ad ann. 766. n. 14 15. Metaphr. 11. Iulij.

Cùm

Cùm caput B. Eadmundi Anglorum regis, à Barbaris amputatum, & in locum vepribus, ac sentibus horridum abiectum diu mortales latuisset; incessit Fidelium animos illud conquirendi cupido, itur per loca inuia, & auia; lustrantur saltus; syluæ oberrantur; cùm ecce tibi, caput S. Regis longius semotum à suo corpore admodum ex insperato prorumpit in vocem, quâ indagantibus significat quónam loco consisteret, nec antè destitit clamitare, quàm omnes ad se pertraxit. Rem miram! lupum offendunt humi prostratum, qui naturalis oblitus voracitatis sacrum pedibus complexus caput à reliquarum ferarum dentibus illæsum ieiunus ipse tutabatur. Ad tam insolens spectaculum hærere vniuersi, stupore dicam? an veneratione defixi, dum belluam vident in exanimi Regis capite Regiam etiamnum maiestatem, & sanctitatem ab hominibus (si tamen homines dixeris) inhumanè contemptam deuenerari. Mirandum id quidem, attamen, quod subijcio, sua non caret admiratione. S. Iulianus, Basilissa, & socij Martyres capite plexi fuerant, cùm eâ nocte Sacerdotes, ac religiosi viri ad beatorum Athletarum reliquias colligendas coacti, præ multitudine cadauerum, quibus erant circumfusa Diuorum corpora, nullo prorsus modo internoscere valuerunt. *Positis ergo genibus* (vt loquitur ex Metaphraste Surius) *oratione completa apparuerunt eis in specie Virginum animæ Sanctorum: & vnaquæque suo corpori insedit, sicque sanctæ Reliquiæ collectæ sunt*, atque à prophanis cadaueribus diuinitùs secretæ.

Abbo Floria. in vit. S. Eadmundi cap. 12.

Metaphr. 9. Ianuar.

Secundo loco se offerunt aëriæ impressiones, quarum ope Sanctorum Reliquiæ vel fidelibus incognitæ, vel vndis demersæ, vel neglectim iacentes, vel terræ visceribus abditæ, vel denique inhonoræ in hominum notitiam diuinæ mentis consilio venerunt. In earum albo Regiæ sancti Eduardi Anglorum Regis, & Martyris exuuiæ non vltimas tenent. Iam annus fere elapsus erat, ex quo nouercali odio, inuidiáque Elfridæ Reginæ, nouercæ suæ, ac nouæ Megeræ sublatus è medio fuerat, eiusque venerandum corpus in paludem de eiusdem imperio demersum latitabat, cùm *volens præpotens Deus martyrem suum mundo innotescere, & quanti apud ipsum meriti esset, declarare, corpus eius venerabile à quibusdam fidelibus deuotè illud inquirentibus reuelare dignatus est. Nam eo in loco, vbi in paludem depressum erat, columna ignea cœlitus demissa apparuit, & suis radijs omnia circumquaque illustrauit.* Simile quid de columnâ igneâ à S. Osuualdi Anglorum Regis loculo ad cœlum vsque porrectâ refert Beda; quem consules cùm licebit, & libebit. Nonnunquam exhalationes aëriæ in stellarum formam, ac speciem conformatæ ad B. Diuorum pignora manifestanda, & collustranda indicio fuerunt. Persæ Carnifices D. Anastasij, cui violentas manus intulerant, gloriam ei simul, & Christianis sacras eius exuuias inuidentes, ipsius corpus pluribus aliis cadaueribus permiscuerunt. At, quia *non est consilium contra Dominum*, ne fideles latere posset, Deus opt. max. Martyris sui corpus, & à canum circumfusorum voracitate præ reliquis omnibus illibatum, & præfulgentis

Sur. tom. 2. vit. SS. 18. Mart.

Beda lib. 3. de gest. Angl. cap. 11.

Metaphr. 22. Ianuar. & 12. Oct. de reliquiis SS. Tarachi, & soc.

Prou. cap. 21. v. 30.

stellæ, quæ venerabili eius glebæ insidere visa est, radiis monstratum, & a carnificibus multo ære voluit esse redemptum. Quid? quod & beatæ quadraginta Martyrum exuuiæ in profluentem à tyrannis abiectæ, ne illas Christiani tollerent, & iis *mundum vniuersum complerent* (quæ ipsorum erat mentis inductio) non stellis monstratæ, sed ipsæmet in stellas quodammodo conuersæ suo se lumine Christianis prodiderunt sub altissimâ aquâ, tanquam sydera, præfulgentes: visæ anticipatâ felicitate, desponsam sibi gloriam proludere ac fidelibus præmonstrare: cuius rei innumera exempla præter ea, quæ superiùs attigisse me memini, Bozius, Surius & Annales sacri subministrabunt.

Metaphr. 9. Mart.

Boz. lib. 15. cit. signo 63. cap. 7.

Antè verò quàm è Cœlo in terras delabamur: spectemus volucres confirmandis aliquorum animis, quos ceperat dubitatio, veræne, quæ ab eis transuehebantur, S. Bertulphi essent Reliquiæ, Deo mirabiliter obsequentes, exoratus ab illorum Sacerdote Bugerino feruentibus precibus Deus, pro suâ misericordiâ, illustri ostento earum astruxit veritatem. Rem ipsius scriptoris Folcardi Abbatis verbis ad maiorem fidem memoro. *Tum ecce grex auium* (inquit) *desuper volitans apparuit, in cuius extremo agmine ales quidam candidi coloris quæ cæteris præstantior esse videbatur apparuit. Quam diligentiùs Sacerdos intuens: In nomine, inquit, Dei tibi præcipio, vt si veræ hæ sancti Bertulphi sunt Reliquiæ, tu super ipsas sine mora descendas. Quo dicto auis illa relicto præeuntium agmine descendit, & in gremio sacerdotis reliquias sacras tenentis resedit. Quam ille blandâ manu, quandiu placuit, cunctis admirantibus contrectauit. Itaque absterso à corde illorum omni dubitationis scrupulo, liberè abire permisit.* Quid mirum, si ad sacrarum exuuiarum veritatem confirmandam, quasi ex machinâ visæ sunt aues aduolasse, quando ad earum integritatem, & conseruationem, suæ nonnumquam oblitæ rapacitatis, peruigiles egerunt excubias, & ruentes ad ipsarum direptionem, &, vt ita dicam, viscerationem voracissimas feras, alis, vnguibus, rostro, continentes submouerunt. De S. Vincentij Martyris corpore, quod feris carpendum inter carices expositum fuerat ab excubante coruo mirabiliter seruato, Prudentium canentem audiamus.

Folcard in vit. S. Bertulphi c. 34.

Prudent. hymn. 5. Vide S. Greg. Turon. lib. de glor. Confess. cap. 34. agentem de grege columbarum feretrum S. Georgiæ Virginis circumvolitante. S. Aug. serm. 8. 9. 12. 13. S. Leo serm. de S. Vincent.

Quin si qua (alituum) *clangens improbè*
Circumuolaret eminus,
Trucis volucris impetu
Depulsa vertebat fugam.
Nam coruus Eliæ datus
Olim, ciborum portitor,
Hoc munus implet sedulo
Et irremotus excubat.
Hic è frutetis proximis
Infensus alarum sono,
Oculósque pennis verberans
Exegit immanem lupum.
Quis perfidorum credere
Ausit, rapacem belluam
Tauris paratam congredi,
Cessisse plumis mollibus?
Ibat malignum murmurans
Leui volatu exterritus,
Prædámque visam fugerat
Custodis imbellis minis.

Mira res! quæ sanctum Augustinum, & D. Leonem Pontificem maximum

maximum, præ multis aliis, meruit habere præconem.

Æquè miraculo plenam Diuorum pignoribus prodendis operam nauauere piſces, ac volucres. Vnum perquàm eximium, ac ſingulare in Sancti Luciani Martyris corpore produco exemplum. De Maximiani Imperatoris mandato inuictiſſimi Athletæ corpus molari ſaxo prægrauatum in profundo iacuerat quatuordecim iam dies, totidem nimirum dies, quot in carcere aduerſus immaniſſimos corporis cruciatus generosè decertarat, cùm quintodecimo tandem die delphin in ſublime delatum, alterum Arionem, ad maris littus tranſuectauit. *Ferebat autem extenſum mortuum*, inquit Metaphraſtes, *tanquam in lecto iacentem, erátque ſpectaculum admirabile ſuper corpus lubricum, & rotundum quietè manens mortuus. neque à ſuo pondere, neque à vi fluctuum deuolutus ab eo, quod ipſum portabat, vehiculo. Cùm autem delphinus fuiſſet prope continentem, fluctu ſublime fuit ſublatus & terræ applicuit*, depoſitóque, vt erat, integerrimo corpore, quaſi ſuo perfunctus munere *confeſtim expirauit.* Credas illum tam pio funeri à ſe elato gloriosè voluiſſe commori, ne inglorius moreretur. Fœlicem te omnino Arelatem (vt olim è ſuperiori loco in ipſius Martyris baſilicâ deprædicaui) ita & nunc rurſus dilaudo tuam à pretioſo, & venerabili eius capite, quo frueris, beatitatem: Vt iam vel Helenopolim, in qua priùs ſacræ illæ exuuiæ reconditæ iacuerunt æquiparare, vel cum illa de gloriâ, & fœlicitate certare, vel ob diuturniorem, & fortunatiorem tutelam poſſis illam vincere, & multis aliis nominibus antiſtare. *Gallulam Romam*, Martyr beatiſſime, tui perſtudioſam, ac verè tuam ſemper foue, ac mihi (quæ tua pietas erit) ſi placet è cœlo faue.

Metaphr. 7. Ianuar.

Auſon. de clar. vrbib. Saxius Pont. Arelat. prælud. pag. 7. ibi plures alias vrbes olim, Romæ, vocitatas notat.

Cederéntne terrenæ animantes cœli, ſolíque incolis? cederent enimuerò in æquè fidelem operam, & promptum obſequium Deo præſtarent, ad venerandas famulorum ſuorum Reliquias pro diuino arbitratu, Fidelibus præmonſtrandas, ſeruandas, honorandas. B. Dulæ corpus cùm in altiſſimam, & depreſſiſſimam conuallem proiectum fuiſſet, ne in notitiam, manúſque Chriſtianorum veniret aliquando; *duo paſtorum canes* (vt refert Metaphraſtes) *Sancti Martyris reliquias ſubodorati eſſent; vnus ex canibus venerandum illud corpus cuſtodiebat, neque volucrem aliquam ſinebat Reliquias Martyris attingere: Alter verò canis, paſtoris pallium ore deprehenſum ad S. Dulam martyrem tegendum attulit.* O humanum in belluis animum! eâ canum ſedulitate, cuſtodiâ, & obſequiorum mirabilitate paſtores primùm commonefacti, deinde ab illis pagani, tùm denique ab his circumiacentes Chriſtiani ſacras exuuias religiosè extractas, tumulo, quàm potuerunt honorificentiſſimo, compoſuerunt.

Metaphr. 15. Ianuar.

Hæc naturæ Deo in gratiam ſacrarum Reliquiarum fideliter ancillantis, obſequia, licet mirabilia ſint; multò tamen mirabiliora reor ea eſſe, quæ à Dæmonibus ipſis præſtita fuiſſe Eccleſiaſticorum annalium monimenta teſtantur. Reuolue in paucis animo, quâ cacodæmones

mones inuidentiâ Cœlites? quâ rabie ipsorum lipsana? quo eorum cultum odio prosequantur? tùm intelliges, quantæ sit mirabilitatis malos illos genios ad venerabiles Diuorum exuuias prodendas, & internoscendas per energumenos non parum aliquando contulisse. Non est vsque eò vulgare, quod in eam rem memorat paulò antè laudatus historicus. Permixtum infamibus reorum cadaueribus S. Andreæ Martyris corpus de Copronymi iussu iacebat, tam ignotum Christianis, quàm inhonorum? cùm ecce tibi duodecim viri, infesto Dæmonum hospitio irretiti, variis è locis in vnum, eumdémque locum, vbi capitalis in sceleratos animaduersio exerceri consueuerat, quasi conspiratione factâ conuenerunt. Inibi confusis vocibus, & incondito vlulatu Sanctum martyrem inuocare, manibus terram certatim defodere, atque in obiectorum cadauerum congeriem incidere. Verùm rem miram! aliis super alia reuolutis, neglectísque beatas Christiani Athletæ exuuias extemplo forsitan suaui, quem spirabant odore, agnouerunt, vi diuinâ, vti reor, subacti eas in apertum protulêre. Constitit operæ fructus; domum enim abacto Dæmone in mercedem indicati, effossi, inuenti, elatíque corporis sacri perfectè persanati redierunt. Habet mirabilitatis nescio quid amplius, & maius, quod subiicio ex D. Gregorio Turonensi, persimile exemplum eius citius verbis, quàm meis hìc narro: *In Malliacensi monasterio, (quod in agro Turonico quondam conditum fuerat,) cùm crypta adhuc haberetur occulta, & nulli Christianorum locus ille esset reuelatus, per singulas dominicarum solemnitatum noctes ab habitatoribus lumen cernebatur accensum, sed nullus sciebat, quid sibi hoc vellet illud mysterium; tantum suspicio retinebat homines aliquid ibidem retineri diuinum. Intereà aduenerunt duo Energumeni ex basilica S. Martini, qui conlisis in se palmis clamare cœperunt dicentes: Hìc requiescit solennis beatissimus in cryptâ abditâ. Reserate igitur sepulchrum amici Dei, quod cùm repereritis, velis tegite, lumen accendite, cultúmque debitum ei exhibete, erit regioni huic salubre, si quæ loquimur, adimpleueritis. Et hæc dicentes cum clamore magno effodere tellurem vngulis nitebantur. Tunc videntes incolæ, quæ gerebantur, accepto sarculo effodientes aperuerunt cryptam, in quâ per seriem graduum descendentes repererunt sepulchrum magnum, de quo testabantur illi adhuc mente infirmi hoc esse sepulchrum solennis beatissimi, qui mox sensu discesserunt recepto.* Hactenus S. Gregorius memorati Mausolæi spectator, è quo, si alia huiusmodi exempla petas, per me licet, abundè erit laudasse locos.

Metaphr. cit. 17. Octob.

S. Greg. Turo. lib. de glor. Confess. c. 21.

Idem lib. 1. de glor. Martyr. cap. 32. 33. 34. 35. &c.

His ita constitutis in promptu erit, cuilibet cordato homini prudenter conficere illas veras esse eius Cælitis, ad quem vulgò credentur attinere, Reliquias, quibus tale quid diuinitus contigisse, maiorum traditione, aut veteribus monimentis olim constiterit: vel quibus etiamnum fortè horum aliquid persimile euenire locupletium testium auctoritas, constánsque fama tulerint. Tot enim Cœlestibus,

vel diuinis potiùs ſignis, ſigilliſque illarum Reliquiarum veritatem, religionem, ac fidem firmatam, & magis, magíſque roboratam iure credas, quod ad eas manifeſtandas, dum laterent; ſecernendas, dum aliis indiſcriminatim permixtæ internoſci non poſſent; efferendas, dum in depreſſiora ſoli, ac ſali præcipitatæ iacerent; & ad ſeruandas dum omnibus expoſitæ paterent iniuriis, prodigioſa naturæ Deo fideliter ancillantis obſequia Deus Optimus Maximus dignatus fuerit adhibere.

ARTICVLVS QVARTVS.

Mirificæ rerum ſalutarium ſcaturigines.

TAntâ omnipotentis ſuæ virtutis copiâ Diuorum exuuias cumulauit benigniſſimus, ac munificentiſſimus Deus, vt nonnunquam in mirificas variarum, earúmque ſalutarium rerum ſcatebras euaſerint. *Quot, dic mihi?* (ſic Iudæos ſacras Iconas traducentes affatur Leontius Neapoleos Cypri Epiſcopus) *Quot, dic mihi, obumbrationes, ſcaturigines, ſed & frequentes ſanguinum fluores ex Imaginibus, & Reliquiis Martyrum factæ ſunt? & inſenſati corde videntes non credunt, ſed fabulas, ac deliramenta hæc exiſtimant.* Vnde nec immeritò, nec inconſultè poſſis colligere certas quaſdam Reliquias, quæ alicubi nominatim aliquibus Cœlitibus vulgò tribuuntur, verè ad ipſos pertinere, tametſi eædem diuerſis in locis ferantur aſſeruari; vbi nihil tale reipsâ operantur, quandoquidem verò ſacra lipſana, ſcaturigines vocitaui, ab aquis ſumpta metaphora, placet ab ijſdem exordium dicendi ducere. Celeberrima eſt toto orbe Chriſtiano iactata ſalutiferæ illius aquæ fama, quæ è ſacroſanctis B. Nicolai Myrenſis Epiſcopi pignoribus continenti ſcaturigine dimanat. S. Simeonis, (Metaphraſtis hæc verba ſunt) *è puriſſimis illis, & redolentibus membris per anteacta ſæcula in hanc vſque diem nectareus diſtillat liquor, certiſſima ſpiritualium & corporalium ægritudinum medicina.* Idem teſtatur Emmanuel Imperator, ſimúlque meminit de mirabili aquâ, quæ defluit è corpore S. Andreæ Apoſtoli, quod Amalfi adſeruatur. Quanquàm, auctore Bozio, *hoc miraculum dicatur aliquando in corpore S. Andreæ interrumpi. Similiter è corpore S. Matthæi, quod eſt Salerni, humor huiuſmodi manare ſolet, idémque contingere in corpore S. Felicis Nolani,* ſcribunt nonnulli. Placet ex eodem piiſſimo auctore hic adſcribere epigramma inciſum ſepulchro vetuſtiſſimo Nouariæ, in quo condita ſunt multorum martyrum corpora, in his B. Laurentij presbyteri ab Arianis obtruncati, è quo ſepulchro mirabiliter olim liquor ſcaturire ſolitus erat, vt hi verſus teſtantur.

Septim. ſynod. Gener. act. 4.

Metaphraſt. 6. Decembr.

Eman. Imp. Nouell. de feriis.

Boz. lib. 15. cit. ſigno 66. cap. 10.

Martyrol. Rom. 30. Nouembr.

Aspicis hoc marmor tumuli de more cauatum,
Id solidum est intus, rima nec vlla patet
Vnde queat tellus occultas mittere lymphas,
Manat ab ingestis ossibus iste liquor:
Si dubitas, medio sudantes tolle sepulchro
Relliquias, dices: vnda salubris vbi est?

Non impari iure B. Basilius salubritatem illius aquæ, quam ex S. Iulittæ, inuictissimæ martyris, sepulchro quondam manasse testis est, in hunc modum memorans magnificè deprædicat. *Terra benedicta huius beatæ aduentu ex proprijs brachijs naturam aquæ generosissimam emisit, vt modo lactis, omnes in ciuitate nutriat: ex quo pro martyre mater communis videtur effecta. Hæc enim & volentibus sanitas, & modestè delicatis voluptatis promptuarium, & ægris consolatio est. Gratiam, quam Hebræi apud Hiericunta senserunt, hanc nobis hæc martyr beatissima tradidit, vt aqua huiuscemodi præter loci naturam, cùm salsæ fere sint omnes, dulcem, mollémque, ac delectabilem omnibus, qui eam cum benedictione bibunt, degustationem præbeat.* Sic eloquentissimus Pater. Non inferioris notæ, atque virtutis mirificæ, videri debet fons ille, qui è sepulchro S. Brunonis, Sanctissimi PP. Carthusiensium Patriarchæ salutaris erupit, de quo F. Puteum Maioris Carthusiæ Priorem Generalem, & tanti Parentis vitæ scriptorem fidelissimum audire præstat: eius hæc verba sunt, *Sepultus est vir præstantissimus in Monasterio suo S. Stephani, post summum altare. Ad eius sepulchrum fons viuus prorupit, qui Christi virtute, & eius meritis varia affert permultis remedia sanitatis. Illuminantur illic cæci, surdi audiunt, manci, & mutili redintegrantur, leprosi mundantur, Dæmoniaci ocyus repurgantur.* Hactenus vir pius.

S. Basil. hom. in S. Iulitt. Mart.

Fr. Puteus in vit S. Brunon. cap. 31.

Sileo lac, & aquam è S. Pauli Apostoli trunco corpore scaturientia. Prætereo mirabilem liquorem è SS. Modoaldi Episcopi Treuirensis, & Samsonis pignoribus olim profluere solitum; vt illum memorem, qui è velis, quibus S. Eligij Nouiomensis Episcopi lipsanotheca obnubebatur, ad ægritudines depellendas præsentissimus mirabiliter scaturiebat.

Verùm non frigidæ modò liquor, sed etiam oleum, aliáque id genus vnguenta è venerandis, ac mirificis Diuorum lipsanis diuinitus persæpe fluxerunt. Huiusmodi fuisse B. Eligij proximè laudati exuuias, testis est locupletissimus S. Andoënus, quisquis enim oleo, quod è beatissimi Præsulis Mausolæo succrescebat, religiosè vngebatur, *quacumque laborabat infirmitate, statim fugiente morbo curari poterat.* Nicephorus refert ex vrnâ marmoreâ, quâ gloriosissimæ Martyris, Euphemiæ pignora condebantur, *Sanguinem, velut ab recens cæso corpore, vulnerum tabo mixtum, & vnguentis quibusdam ex seipsis natis temperatum dimanare consueuisse; quem exiguis vitreis vasculis Episcopus exceptum, atque diuisum turbæ aduentanti donabat.* Cùm verò Mauricius Imperator rei tam inusitatæ veritatem exploraturus Mausolæum B. Martyris signo imperiali obsignasset: *ecce tibi rursum*, infit Nicephorus,

Vid. Marsil. Columnam sect. 1. Hydrolog. cap. vlt. n. 34.
Greg. Turon. lib. 1. de glor. martyr. cap. 29.
S. Audoën. lib. 2. de vit. S. Elig. ca. 40
Idem cap. 52. & 59.
Niceph. Call. lib. 18. hist. Eccl. cap. 31.

rus, *sicut anteà sanguis vnguento conditus, instar riuuli è monumento promanat*, & multò sanè quàm ante copiosius. Audio eumdem scriptorem, prodigium æquè singulare, ac periucundum auditu recensentem, quod ex Simocattâ licet olim exscripserim, hic tamen breuiùs referre non pigebit. Cùm Episcopus Perinthi argenteum vas inscienter emisset (quod à Paulino perinsigni mago ad magicas artes adhibitum fuerat) & sancto corpori supposuisset, illud præ æreo diuinitus mananti vnguento maximè conuenire arbitratus, confestim riuus vnguenti constitit: crederes sanctissimam Martyrem ferre æquo animo non potuisse mundum immundo tangi. Re cognitâ oppidò quàm grauiter tulit Episcopus, fusúsque in preces, à Deo in somnis stantis vnguenti causam edoctus est, lancis subiectæ piaculum. Nec mora, quàmprimùm (inquit Nicephorus) *argenteam phialam subduxit, & priorem illam æneam perinde, atque puram & quasi virginem, atque immaculatam ministram cultui religioso restituit. Et ecce tibi de repente vnguentum rursum scaturiit, & miraculorum latex de integro exundat.* Suæque vrbi redditur gloria, pristináque beatitas. Nihilo inferiùs duco mirabile illud mannæ, oleíque profluuium quod è S. Andreæ Mausolæo scaturire S. Gregorius Turonensis sic narrat. *Andreas Apostolus magnum miraculum in die solemnitatis suæ profert, hoc est, manna in modum farinæ, vel oleum cum odore nectareo, quod de tumulò eius exundat. Perid enim, quæ sit fertilitas anni sequentis ostenditur: si exiguum profluxerit, exiguum terra profert fructum; si verò fuerit copiosum, magnum arua prouentum fructuum habere significat. Nam ferunt in aliquibus annis in tantum è tumulo oleum exundare, vt vsque medium Basilicæ profluat riuus ille*, post paucula. *Cùm oleum illud defluxerit, tantum odorem naribus præstat, vt putes ibi multorum aromatum sparsam esse congeriem. Quod non sine miraculo, ac beneficio habetur in populis. Nam ex hoc, seu inunctiones factæ, seu potiones datæ plerumque languentibus commodum præstant.* Hactenus piissimus Antistes, huc spectat illud Ogygij apud Amphibium, seu Protheum Erasmum Menedemo datum responsum roganti, *nihil est illic olei sacri?* (*ineptè*, inquit) *oleum istud non resudat, nisi è sepulchris Diuorum, velut Andreæ, & Catharinæ.* Cur autem è Sanctorum Mausoleis Deus oleum effluere, affluereque faciat strictim attingit Signius, quem satis fuerit laudasse.

Ibid. cap. 32.

S.Greg.Turo. lib.1.cit.de gl.mart.c.31.

Eras. dialog. supr. sæpe cit peregrin.

Sign. sæpe cit. cap. 6. de oleo è S. Elizabeth Hungariæ Reginæ corpore fluente.

Non carent sua mirabilitate flores in Diuorum tumulis vel enati, vel reflorescentes, aut perenni viriditate vernantes diuino, vt quidem reor, consilio, vt fatidica illa Dei promissio per Isaiam prænuntiata, tempore legis nouæ, reipsâ compleatur. *Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra, quasi herba germinabunt, & cognoscetur manus Domini seruis eius, & indignabitur inimicis suis.* Esto, in Iudæos Babylone exulantes primùm hæc cadat vaticinatio, quos è seruitute in libertatem ex ærumnosissimâ sorte in florentem fortunam, & quodammodo è morte ad vitam reuocatum iri Propheta prænuntiabat; mihi tamen dubium non est, quin & ad nascentis Ecclesiæ alum-

Bonfin. Dec. 2. lib. 7.

Isaiæ cap. 66. v. 14.

nos, & in paucis ad Martyres pro tuendâ Christi fide dirum in modum contrucidatos diuina huiusmodi promissio secundùm pertineat; quibus in præmium generosæ suæ fortitudinis, & inuictæ charitatis spopondit Deus fore, vt ad inimicorum suorum dedecus longè maximum etiam è demortuis ipsorum corporibus, ossibúsque aridis, & exuccis violæ, lilia, Rosæ, & vt cecinit Maro,

Virgil. eglog. 4 v. 25. vid. ibid interpr.

Assyrium vulgò nascatur amomum

Et ne suspicere Poëtica hyperbole, vel à vate sacro, vel à me dictum; Audi quid in tumulo S. Proserij, Vrbanus Diaconus viderit, Auctore Gregorio Turonensi. *Mirum dictu! vidit pauimentum rosis rutilantibus esse respersum. Erant autem magnæ valdè cum fragrantia odoris immensi. In ipsas quoque cancelli celaturas mirabatur rosas intus, nonus enim erat mensis, & hæ ita erant virides, ac si eadem ipsâ putares horâ, & momento ramis virentibus esse decerptas. Tunc cum grandi reuerentiâ collectas secretiùs posuit multis exinde infirmis medicamenta distribuens.* Seuerum sacerdotij, & vitæ sanctimoniâ conspicuum idem Antistes deprædicat, solitum fuisse, dum viueret, verno tempore lilia colligere, ijsdemque parietes à se constructæ ædiculæ, quasi florulento quodam peripetasmate, circumuestire. Ex iis lilium vnum ab eo collectum, & in basilicâ, in qua sibi sepulchrum elegerat repositum, *prætereunte tempore* (do verba scriptoris) *laxatis deorsum florum folijs, arente comâ emarcuit, & ita siccatum videtur, vt si contingatur manu, putetur in puluerem extemplò resolui, totúmque annum in hac ariditate perdurat. Adueniente verò die, quo Confessor migrauit à corpore, in rediuiuâ viriditate resurgit: videásque folijs paulatim reuirentibus ipsos flores attolli, & sine vllo aquæ, ac telluris humore, in eâ specie, quâ quondam fuerat, renouari: & sic beatus profert nouos flores è tumulo, qui cum Sanctorum Reliquiis, vt palma floret in cœlo.* Idem lilij reflorescentis prodigium iteratò alibi recenset piissimus Antistes, sed breuiùs, eumdémque Martyrem vocat, vt hoc maximè nomine, ipsum fuisse *lilium inter spinas*, lilium illud in eius tumulo reflorescens, tacitè videatur indicare; Verùm multò mirabiliores flores idem ipse Gregorius memorat, qui vnde, quoque oriantur modo, ex ipsiusmet auctoris oratione accipies, vt certior habeatur tam inusitato, penéque incredibili miraculo fides. *Eulalia gloriosa apud Emeritam vrbem passa, magnum miraculum in die immolationis suæ populis profert. Sunt igitur ante altare, quo sancta membra teguntur tres arbores, sed ignarus ego cuius sint generis. Cúmque iam medio mense decimo quando eius passio celebratur, sint ab omni foliorum decore nudatæ, ea die illucescente cœlo, in modum columbæ alitis, flores proferunt suauitatis scilicet, quòd sanctus eius spiritus in columbæ specie penetrauerit cœlos; & quòd beatum eius corpusculum iam exanime, vestibúsque nudatum, nix cœlitus decidua molli vellere contexisset. Quod miraculum si solitâ arbores protulerint libertate, scit populus sibi annum vel pressuris vacuum, vel frugibus plenum. Quòd si tardiùs flores ex more paruerint, cognoscit plebs, suâ hoc fieri noxâ. Nam priusquam erumpant, querula*

Greg. Turon. lib. 2. de glor. mart. cap. 40.

Idem lib. de glor. Conf. cap. 51.

Idem lib. 1. de glor. MM. cap. 24.

Idem ibid. cap. 91.

rula ad sepulchrum martyris, ac mœsta decumbit, deprecans, vt solitam promereatur conspicere gratiam: sed nec psallendo procedit, si hæc manifestata non fuerint: iam si placatur Martyr à lacrymis plebis, emergunt protinus ex arboribus gemmei flores, qui odorem nectareum respirantes, animi mœstitiam, & aduentu lætificent & reficiant suauitate. Dehinc diligenter collecti, & in basilicam sacerdoti delati processio cum gaudio celebratur: Nam & hos flores sæpius infirmis prodesse cognouimus. Sic ille, at vndénam illis arboribus adeò mirifica ad salutiferos flores edendos, alieno, & iniquo præsertim tempore, facultas? nisi à beatissimis sanctissimæ Martyris exuuiis, à quibus floriferum, & salutarem humorem præter naturæ vires trahebant.

Si, quæ olim Ebreduni mirabilis pyrus è loco, in quo SS. Nazarij, & Celsi Martyrum veneranda pignora clam mortalibus inhonora iacebant, diuinitùs pullulauit, voluntario silentio reticerem, esset cur religiosissima, & antiquissima ciuitas me reum ageret, vt immemorem sui. Fortissimorum igitur Atlhetarum corpora, vt Gentiles lateret (quæ tùm erat eorum hominum & temporum acerbitas) adeò tacitè, támque altè humi à Christianis mandata fuerunt, vt in subsequentes ætates, & laureatæ Martyrum exuuiæ, & sacri funeris locus, penitus obliuioni darentur. Verùm tandem præpotens Deus singulari prodigio vtraque in lucem, hominúmque notitiam protulit, quod sæpe sæpius à me laudatus Turonensium præsul Gregorius in hæc verba veriùs, quàm latiniùs refert. *Referre erat solitus vir* nescio quis (nomen enim siletur) *natam fuisse super hæc sepulcra pyrum arborem, & fuisse quemdam pauperem hortellum in hoc loco, qui hanc arborem concludebat: verùm cùm poma iuxta morem tempore debito ferret, quicumque exinde infirmus qualibet ægritudine detentus pomum mordicus decerpsisset, mox ablata infirmitate conualescebat. Vnde magnum quæstum pauper ille habebat; sed cùm se reuelantes Martyres arborem incidi iussissent, pauper ille in magnis fletibus prorumpens incidi arborem non sinebat. Quo remoto succisa pyro, basilica miro opere ædificata est.* At heu! Lipsanomachorum aut potius Theomachorum nostrorum rabie, vsque eò obtrita fuit, vt cum inibi triennio toto agerem, ne vestigium quidem pulcherrimæ illius ædis obseruare potuerim. *O curuæ in terras animæ, & cœlestium inanes!* quibus vel ipsæ cœlituum memoriæ magis horrori sunt, quàm Gentilium vrnæ, *& damnatorum hominum monumenta.* *Idem lib. cit. cap. 47.*

Ne se, Diuíque Baudillij triumphalem dicam? an sepulchralem? laurum prætereaem me commonet Nemausus, quandoquidem B. Martyrem olim è superiori loco habui deprædicare, par est, vt stylum in præsentia tantillum illi accommodem, vt & linguam. Accommodabo enimuerò, duce B. Gregorio Turonensi, cuius hæc verba sunt. *Et apud Nemausensis vrbis oppidum B. Martyris Baudillij gloriosum sepulchrum, de quo sæpius virtutes multæ manifestantur; ex quo sepulchro laurus orta, & per parietem egressa arborem foris fecit salubri comâ vernantem. Quod sæpe loci incolæ, in multis infirmitatibus habere cœleste remedium* *Idem lib. sup. cit. c. 78.*

medium sunt experti. Pro quibus virtutum beneficiis cùm plerumque nudaretur à foliis, vel ipsâ quodammodo cortice, arida est effecta. Neque tantum se Nemausensis agri, vel Occitaniæ finibus salutaris illius laurus fama virtúsque continuit, sed etiam ad Orientem vsque penetrauit, *nam fertur celebre à negotiatore quodam in Orientem de his foliis deportatum pignus fuisse, sed priusquam portum negotiator attingeret, Energumenus in Ecclesiâ adire Baudillium Martyrem Orientalem plagam stupentibus populis declamauit.* Sic ille. Ex quibus extremis verbis velim obserues oriri potuisse, vt in diuersis locis eiusdem Diui Reliquiæ asseruari metonymicè dicerentur, in quibus nullæ prorsus illius exuuiæ vnquam visæ, & habitæ fuerunt: vt aliàs annotasse me memini. Cæterùm, quæ de florum, pomorum, & arborum, è sacrorum corporum conditoriis diuinitus progerminantium mirabilitate retulimus, peropportunè reuocant in memoriam mihi eximiam sanè, ac florulentam Guerrici, Abbatis Igniacensis orationem, quâ Sanctorum sepulchra cum hortis amœnissimis componit in hæc verba. *Magna sanè differentia est sepulchrorum, & hortorum. Illa plena spurcitiâ & ossibus mortuorum: hi omni suauitate, & gloriâ florum, aut fructuum. Quid enim si aliquando sepulchra videntur in hortis? Nam & Dominus in horto sepultus fuit. Etsi enim sepulchra in hortis, numquid tamen horti in sepulchris? Ita fortassis, sed in sepulchris iustorum. Ibi planè vernabit gratissima quædam amœnitas hortorum, verno scilicet illo tempore resurrectionis eorum, cùm florebit cor eorum, & non solùm ossa iusti, sicut herba germinabunt, sed totus iustus germinabit, sicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum. Non sic impij, non sic, qui sepulturâ asini sepeliuntur, & sine omni spe meliorls resurrectionis subditi corruptioni, hac præsenti futuram auspicantur.* Sic ille. Non ablusit ab eius sensis Abbas alter, Theofridus, cuius hæc verba sunt. *Reliquiæ Sanctorum sunt, vt pretiosa aromata, & poma odorifera, quæ si quis manu tractauerit, manus eius ab eisdem odorem suscipit. Vt lilia, inquam, & pretiosa aromata redolent, nares mortalium miri odoris suauitate complent. Distantiâ quippe grandi diuisit Deus lucem à tenebris, hoc est, pios ab impiis, & minùs perfectorum ossa à Sanctorum reliquiis.*

Guerric. serm. 1. ad excitãd. deuotion. in psalmodia.

Theofr. cit. de SS. Reliq.

Haud scio mihíne potiùs, quàm Diuo Ioanni Euangelistarum Aquilæ, facerem iniuriam, si mirificas duarum rerum ex eius sepulchro profluentium scaturigines obuoluerem silentio (quandoquidem eo me Deus dignatus est honore, vt de ipsius augustissimo nomine vocitarer) ne igitur vtrique iniuriam inferam, mihíque in paucis ingrati notam imprudenter inuram; non committam, vt illæ ad Dei Opt. Max. ac Beati Ioannis gloriam sileantur. *In hoc igitur sacro loco*, inquit Simeon Metaphrastes, *ad quem hic cum pallio declinauit* (nimirum ab hac luce abiturus) *minutus quidam puluis manat, ac exoritur: cuius accedenti medelam ab omni morbo suppeditans. Cùm igitur in nocturnis laudibus festi ipsius ab iis, qui in eo ministrant, tradatur cœtibus ad hoc congregatis non facilè exhauritur, sed quò amplius hauriunt tantò*

Metaphr. in vit. S. Ioan. Euang. c. 16.

magis

magis manat, veluti perpetuus quidam thesaurus, qui simul, & participantes reddit ditiores, & seipso abundantior semper efficitur, gratiâ, & benignitate Domini nostri Iesu Christi. Hæc Metaphrastes. *Iam verò illud quis dignè miretur?* rogitat Eminentissimus Cardinalis Beatus Petrus Damiani, *quòd in sepulchro eiusdem Euangelistæ manna reperitur, & in terræ specu panis cœli non semel, sed quotidie nascitur? de manna quippe saluo altiori mysterio scriptum est, Panem de cœlo dedisti eis, Domine, habentem omne delectamentum. Veniant igitur omnes nationes gentium, & obstupescant miraculum omnibus inauditum. Veniant inquam, & admirantes aspiciant, quia in sepulchro, quod procul dubio domus est vermium, panis oritur Angelorum; adeò vt cum propheta in magni muneris admiratione pronuntiet, quod Israelitico populo manna Deus concessit in cibum, dicens: panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo; quod illis tunc mittebatur è cœlo, nunc scaturire conspiciebatur è sepulchro. Si enim magnum miraculum manna non esset, nequaquam Moysi Dominus seruari per sæcula illud præcepisset. Imple, inquit, Gomor ex eo, & custodiatur in futuras retrò generationes; vt nouerint panem, quo alui eos in solitudine, quando eduxi eos de terrâ Ægypti. Ecce quid meretur pudicitia virginalis? Ecce quantæ magnitudinis est integritas inuiolatæ carnis? Videte, fratres mei, considerate, perpendite quid deliciarum incorruptio carnis habet in cœlo, si cibum cœli germinat in sepulchro? Quantis illic honoribus sublimatur beata Virginitas, vbi nimirum sola est gloria? Si & in loco fœtoris, atque putredinis tam mirabiliter est gloriosa.* Hactenus Cardinalis beatissimus, sed longè ante ipsum S. Gregorius Turonensis scripserat suâ etiamnum ætate è Beatissimi Euangelistæ Mausolæo manna solitum fuisse salutari profluuio dimanare, illius hæc verba sunt: *cuius nunc sepulchrum manna in modum farinæ, hodiéque eructat: ex quâ beatæ Reliquiæ per vniuersum delatæ mundum, salutem morbidis præstant.* Viden', vt sanctissimus Apostolus, quâ viuens fuit in omnes mortales charitate, etiam mortuus inusitato pietatis genere suam illam charitatem, in omnes, tot iam antè actis sæculis explicet ac refundat? Charitas nescit mori.

Petr. Damian. serm. 2. de D. Ioan. Euang.

Sap. 10. v. 20.

Ps. 77. v. 29.

Exod. c. 10. v. 32.

S. Greg. Turon. lib. 1. de glor. Mart. c. 30.

Ad easdem rerum mirificarum scaturigines reuoco nescio quos è Diuorum lipsanis, ac sepulchris promicantes insolentis luminis radios, vnde miraculorum effectrix virtus consueuit emanare, præsertim in mortalium ægrotationibus persanandis plurimum salutaris. Huiusce generis fuit ille igniculus, quem è sepulchro Sancti Ioannis Cœnobij Reomacensis Abbatis primi, prosiluisse ipsius vitæ scriptor Anonymus primùm à R. P. Rouerio, è Societate nostrâ, viro perquàm erudito, in lucem editus in hæc verba commemorat, *Accidit autem vigiliâ festiuitatis, eiusdem Sanctissimi Confessoris, dum signa vespertini conuentus prænuntia à sacrorum custodibus, more Ecclesiastico quaterentur, ipsum (* Theudebertum scilicet, cui puerulo pastores linguam præciderant *) interesse, atque vnius sonum suæ manus officio temperare. Id dum sedulò ageretur, vidit, vt ipse post modum referebat*

Anonym. script. vit. S. Ioan. Abb. Reomac. lib. 4. c. 4. & in illu. Petr. Rouer. illustrat. 69.

ferebat, igniculum quendam instar ardentis stellæ, tanquam à sepulchro B. Patris Ioannis prodeuntem, claustrum sui oris ictu validissimo perculisse: quâ re immodicè affectus, iámque exanimi simillimus in terram collapsus est, adstantes monasterio caducæ passionis accessu, eum elisum argumentati elatum manibus lecto componunt, ille per noctem quiete soporiferâ reparatus, ita post Gallicinium loquelæ resumpsit officium, vt vniuersas nocturnæ stationis vigilias expetentes (quod est dictu mirabile) acutissimè affaretur. Denique intimas oris partes diligentiùs explorantes linguæ calamum integerrimè repererunt reformatum: magnificantes diuinam in Sancto Ioanne potentiam, cuius præcellentissimis meritis, & elinguem constat necessario officio redditum, & populum cœlestia opera intuentem in fidei robore solidatum. Sic ille salutares istiusmodi radios, è Sancti Elzearij capite prosilientes, refert eius vitæ auctor, Æger apud Notgerum Episcopum Leodiensem respondet *vidisse se, ceu faculam ardentem è lecto Beati Remacli vibratam ipsum subitò irradiare, & malum omne à corpore depellere.* Alter quoque *à Mausoleo beati viri, instar radiorum solis, lucernam coruscantem omne ipsius caput concussisse, luménque ipsi reddidisse, narrat.* Similiter leprosus, S. Audoeno teste, *ad sepulchrum Beati Eligij mirabili modo sanatus est radio quodam inde exeunte, & in eius horrida vulnera sese infundente.* Viden' vt prudenter annotante Rouerio nostro, indicatum diuinitùs fuerit mirificâ huiuscemodi radiorum, seu lucis scaturigine, *vnde virtus miraculorum effectrix emanaret?* Viden' vt plerumque, ac pene semper medici, ac salutares illi radij quos Diuorum lipsana, sepulchráve singulari eiaculabantur miraculo, non ægrotantium modò membra malè affecta circumfundere; sed etiam ipsámet vulnera penitissimè peruadere consueuerint? vt hoc faciliùs iustiúsque (quæ mea opinatio, & sententia est) veræ ac germanæ illorum Cœlituum, qui ad vota vocati fuerant, ibi iacere, asseruari, & coli crederentur exuuia, vbi ab ipsis propitiis, & auerruncis mirabiliter facta fuerat valetudini medicina.

Notger. lib. 1. miracul. 5. Remacli. c. 1.

S. Audoen. sup. loc. cit.

Rouer. loc. sup. cit.

Hæ autem salutiferæ lucis scaturigines oppidò sanè mirabiles, vt ad quorumdam Diuorum lipsana modò frequentiùs, modò rariùs obuenere; ita omni admiratione maius est, quod ad sancti Felicis Nolani exuuias perpetuum quoddam huiusce generis radiorum profluuium, & medicæ lucis portentum emicuisse, nostras ex infulatis vatibus non vltimus, Paulinus cecinit in hunc modum.

S. Paulin. Natal. 6. S. Felic.

Illicò sed positis ex ossibus ecce micat lux,
Quæ medicis opibus merita dare signa potentis
Hactenus ex illo nonnumquam tempore parcit.

Hoc multa sæcula perennante prodigio, diuinóque miraculo vesani potiùs, quàm imprudentis esset, in dubium vocare nùm illæ potius veræ, ac genuinæ fuerint Diui Felicis exuuiæ, è quibus salutiferæ huiusmodi insolentis lucis scaturigines dimanarunt, quàm eæ ad quas simile obuenerit nihil; licet alibi custodiri, monstrari, & coli iactarentur,

ctarentur, atque adeò crederentur esse ipsissima tanti Martyris lipsana.

De reliquo ad quascumque Diuorum Reliquias aliquando mirificæ illæ rerum salutarium, quæcumque illæ sint scaturigines diuinitùs ortum duxerint, si explorata classicorum testium auctoritate veterum tabularum monumentis, constantique plurium sæculorum famâ res certò constabit, non video quid obstet, quin prudenter ea sacra pignora verè ad illos Cœlites, quibus piâ Fidelium persuasione vulgò attribuuntur, attinere, multò potiori iure, credas, quàm eadem ipsa lipsana, quæ pari prodigio mirificàve facultate cassa, & destituta, feruntur alibi custodiri, & coli?

ARTICVLVS QVINTVS.

Edita omnis generis miracula.

SI ad ea, quæ hactenus tractauimus, diuina præsidia, accedant diuinitùs patrata miracula: næ! mihi in copiosâ earumdem numero Reliquiarum multitudine, illæ citiùs veræ sint Diuorum exuuiæ per quas Deus Optimus Maximus ea dignatus est edere, quàm aliæ, quæ diuersis in locis dicuntur haberi, quibus tamen mirificam illam prodigiorum facultatem, à Deo nouimus denegatam: *distantia quippe grandi*, vt rursus cum Theofrido Abbate sanctissimo loquar, *diuisit Deus lucem à tenebris, id est, pios ab impiis, & minùs perfectorum ossa à Sanctorum Reliquiis.* Etenim impij ab interitu suo miseriùs in inferis viuunt, quorum hîc cadauera exucca, fœtida, obscura, & neglecta iacent, contrà verò *post mortem carnis, sancti Dei meliùs viuunt, quorum hîc ossa in tot miraculis viuunt: de his mirificis Sanctorum ossibus dicit propheta veridicus, & ossa vestra sicut herba germinabunt. Ossa Sanctorum licet mortali conditione arescant, virtutum tamen viriditate, vt herba, germinant.* Sic ille, & piè & verè, vt non immeritò addiderit ex Apostoli Pauli sententia, *in dispositissimâ Dei tantâ quasi patrisfamilias domo. Sanctorum* exuuias esse velut *vasa in honorem*; Impiorum autem cadauera esse *vasa in contumeliam.* Ideo Cœlituum Reliquiæ, vt non malè philosophatur, *in vasis aureis, atque argenteis & gemmatis, atque in omnibus, quæ pretiosa sunt reconduntur:* quò mortales intelligant, Sanctorum corpora fuisse *vasa misericordiæ, quæ Deus præparauit in gloriam*, vt *ostenderet diuitias gloriæ suæ*, hoc est, diuinam omnis generis miraculorum edendorum vim, & facultatem, quam vel aridis, & exuccis seruorum suorum pignoribus, ad gloriæ suæ splendorem explicandum affudit. Quocirca prudentissimè non nemo credat inusitata omnigenûm effectorum miracula, quæ ad Diuorum Reliquias diuinitus, vel iam patrantur, vel olim fuisse

Theofrid. Abb. serm. 1. de sacr. Reliq.

Rom. c. 9. v. 21.

patrata, certò constat potentissimum esse præsidium, & auctoritatem omni exceptione maiorem, quibus in copiosa earumdem Reliquiarum multitudine veræ, ac germanæ alicuius Cœlitis Reliquiæ à subdititiis, vel adulterinis secerni, & internosci possint, vt meritò cum D. Chrysostomo dicere possis: *sententiæ nostræ abundè faciunt, quæ quotidiana à Martyribus eduntur miracula.*

S. Chrys. lib. contra Gentiles.

Non aliis certioribus verarum Reliquiarum notis, neque firmioribus ad earum fidem astruendam argumentis vsos fuisse sapientissimos, quosque Patres obseruo, quàm miraculorum diuinitus editorum auctoritate. S. Ambrosius, vt germanas SS. Geruasij & Protasij exuuias diuino monitu à se inuentas euincat, vt olim retulimus, hoc vnum vsurpat in paucis argumentum. *Cognouistis, imo vidistis ipsi multos à Dæmoniis purgatos, plurimos etiam, vbi vestem sanctorum manibus contigerunt, iis, quibus laborabant, debilitatibus absolutos. Reparata vetusti corporis miracula, quò semper aduentum Domini Iesu Christi gratia terris maior infuderat, vmbrâ quadam sanctorum corporum plerosque sanatos cernitis. Quanta oraria iactitantur? Quanta indumenta super Reliquias sanctissimas, & tactu ipso medicabilia reposcantur? Gaudent omnes extremâ lineâ contingere, & qui contigerit, saluus erit.* Hæc & alia benè multis mellifluus Doctor, tùm hac ipsâ concione, tùm altera, quæ de eorumdem inuentione, & miraculis diuinitùs tùm editis tota est.

Vide Æneam Gazæũ dialog. Theophrastus pag. 411. Bibl. PP. Græc.

S. Ambr. lib. 10. epist. 85.

Idem serm. 91. de inuent. SS. Geru. & Prot.

Quàm multa sua ætate ad venerandas protomartyris Stephani exuuias miracula patrata recenset, oculatus, & auritus testis Augustinus, ne quis in dubium reuocare posset, ipsissimásne gloriosi Christi Athletæ Reliquias Africa possideret? *Ad aquas Tibilitanas*, inquit, *Episcopo afferente Proiecto Reliquias martyris gloriosissimi Stephani, ad eius memoriam veniebat magnæ multitudinis concursus, & occursus. Ibi cœca mulier, vt ad Episcopum portantem pignora sacra duceretur, orauit; flores, quos ferebat, dedit, recepit, admouit oculis, protinus vidit, stupentibus, qui aderant: præibat exultans, viam carpens, & viæ ducem vlterius non requirens.* Longum esset reliqua, quæ deinceps recenset, hîc nequicquam exscribere. Non aliter apud S. Paulinum Nolanum Antistitem, B. Felicis corpus

S. Aug. lib. 9. Confess. c. 7. & lib. epist. 137.

Idem. S. Aug. lib. 22. de Ciu. Dei c. 8.

S. Paulin. Natal. 3. S. Felic. & Natal. 6. & 9. eiusd.

-- *Probat & sine corpore viuum*
Christus, vt ostendat maiorem in morte piorum
Virtutem, quàm vim in vitâ superesse malorum.
Ecce vides tumulum sacra Martyris ossa tegentem,
In spem non vacuam rediuiuæ corpora vitæ.
Vnde igitur tantus circumstat limina terror?
Quis tantos agit huc populos? quænam manus vrget
Dæmonas, inuitósque rapit, frustráque rebelli
Voce reclamantes compellit ad vsque sepulchrum
Martyris, & sancto quasi fixo limine sistit?

Paucula hæc libasse sufficiat. S. Gregorius Pontifex Maximus, Constantiæ Augustæ, quæ *Caput S. Pauli, aut aliud quid de corpore ipsius,*

ad se transmitti popoſcerat, rationem reddens, cur eius votis, & iuſſionibus non feciſſet ſatis. *Hæc facere*, inquit, *non poſſum, nec audeo. Nam corpora ſanctorum Petri, & Pauli Apoſtolorum tantis in ſuis Eccleſiis coruſcant miraculis, atque terroribus, vt neque ad adorandum ſine magno illic timore poſſit accedi.* Eo argumento probauit olim fidelibus apud quos è ſuperiori loco dicebat, *ſe ad SS. Proceſſi, & Martiniani corpora conſiſtere. Ad extincta namque eorum corpora viuentes ægri veniunt, & ſanantur. Quomodo ergo illic viuunt, vbi viuunt, ſi in tot miraculis viuunt hìc, vbi mortui ſunt?* Alter Gregorius, noſter, ſcilicet Turonenſis, veras S. Nicetij Lugdunenſis Epiſcopi Reliquias *Gennabenſem vrbem inuectas ex eo confirmat, quòd ſuppliciter exorantes, & cæci viſum, & claudi reciperent ingreſſum: nec dubitare quiſquam poterat præſentem eſſe confeſſorem, cùm videbant talia infirmis remediorum munera præſtari.* Idem agens de repertis à Theodoro Epiſcopo S. Valerij Confeſſoris, & Conſoranenſis primi Præſulis pignoribus ſacris, ſic ait: *Sanctum venerabilis viri corpus inquirens reperit duo ſepulchra; ſed neſciebat vtrum eſſet ſacerdotis illius è duobus. Tunc conuocato Clero vigilias tota celebrat nocte: deprecans, vt ſibi beatus confeſſor quo in loco iaceret, exponeret, impleuitque duas ampullas, vino, & poſuit ſuper vtrumque tumulum dicens; in quo falerna fuerint ampliata, ipſam manifeſtum ſit eſſe Valerij Antiſtitis ſepulturam. Data verò luce egreſſus de Baſilica, & oſtiis ſigillis munitis dedit membra ſopori. Surgens autem ad horam tertiam venit ad ſanctam baſilicam, reſeratis oſtiis cum clero, & populo reperit ampullam vnam parumper vini habentem. Alteram verò in tantum ore patulo exundare, vt totum beati Pontificis ablueret monumentum. Per hoc itaque cognouit ſacerdos, quis eſſet Valerij Epiſcopi tumulus. Sed euidentius ſcire cupiens, detegit monumentum, amotóque opertorio reperit venerabile corpus valde integrum, de quo non cæſaries deciderat, non barba fuerat diminuta, neque aliquid in cute corruptum aſpiciebatur, aut tetrum; ſed erant omnia inlæſa, ac ſi nuper fuiſſent recondita; tantúſque odor ſuauitatis fragrabat è tumulo, vt non dubitarent ibi quieſcere Dei amicum. Lauri etiam folia ſub ſe habebat, ſtrata, de quibus aſſumens Epiſcopus multis infirmis præbuit medicinam. De veſtimentis igitur eius Reliquias ſumpſit, rursúmque operto tumulo venerandum deinceps Antiſtitem honorauit, multáque miracula de his pignoribus cernens impoſterum.* Hactenus D. Gregorius. Ecquis amabo te prudenter non tam pernegare (quod eſſet inſani) quàm dubitare quoquo modo poſſet veras, & germanas eſſe illas exuuias D. Valerij, quarum veritatem mortalibus hactenus inexploratam vini, quâ penè exinaniti, quâ copioſiſſimè aucti, ac exundantis mirabilitas, integritas illæſi corporis, fragrantia odoris ſuauiſſimi, laureorum ſertorum vernans viriditas, incorruptio veſtimentorum quamplurimarum ægritudinum depulſio, & rerum à ſacris exuuiis ſeparatarum ſalutaris, & mirificus contactus, tot denique miracula diuinitùs aſſeruerunt, & aſſertam confirmarunt.

S.Greg. Pap. lib 3. ep. 30. Idem hom. 32. in Euãg.

S.Greg. Turon. in vit. S. Nicetij Ep. Lugdun.

Idem lib. de glor. Confeſſ. c. 84.

Tam superuacaneum,& importunum esset,quàm penè infinitũ sigillatim recensere,quàm insolenti omnis generis curationũ, beneficiorũ, ac prodigiorũ mirabilitate venerabiles Diuorũ Reliquias illustrauerit parens naturæ,& gratiæ auctor Deus,vt earũ veritati patrocinaretur,& genuinas ab adulterinis secerneret. Neque enim fieri potest,vt summa, & prima veritas, se mendacij, ac falsitatis fautorem,& auctorem præstare velit, & possit, ijs in rebus præsertim, quæ ipsius cultum, suorumque religionem spectant: quibúsque fidei veritas & spei Christianæ firmitas subnixæ fulciuntur. Præstaret enimuerò se falsitatis,mendaciique fautorem, & auctorem Deus, si vera miracula in adulterinarum Reliquiarum gratiam ederet, ac fideles suos, & in se sperantes huiuscemodi præstigiis circumueniret: Verùm hac de re fusè, atque ex professo Theologi, interpretes sacri, & Patrum antiquorum facilè principes. Quod si obiicias, ad adulterinas aliquando Reliquias (vt ex D. Gregorio Turonensi, memini me olim dicere) patrata fuisse miracula. Occurram edita fuisse quidem Dæmonum fraude mira; propria miracula non item, quemadmodum à Magis Ægyptiorum mira fuisse patrata Deo permittente sacræ loquuntur literæ: miracula vera ab ipsis edita, Patres, Interpretes, ac Theologi pernegant omnes, omnes. At vrges, quibusnam tandem notis *mirum à miraculo* discerni possit? Breuiter cum eruditissimo nostro Del-rio respondeo: Istis. *Prima, si effectus superet vires rei creatæ, & naturam, miraculum erit. Secunda, si effectus non habeat propositum bonum finem; puta, salutem spiritualem vel corporalem; sed tantummodò malum finem: vt puta, curiositatem, vel quid aliud bonis moribus, aut veræ fidei repugnans; non est miraculum. Tertia, Dæmonum mira sæpe deficiunt in minimis; miracula perfecta sunt vtpote Dei opera. Patet Exodi octauo de certamine magorum cum Mose. Quarta, Dæmonum mira, veris miraculis superuenientibus euanescunt, vt virgæ Magorum deuoratæ à Virga Mosis, & oracula Dæmonum coram sanctis hominibus eorúmue lipsanis obmutuerunt.* Quemadmodum aureâ prorsus oratione S. Chrysostomus Daphnitici sui Apollinis extemporaneum silentium ad S. Babylæ pignorum præsentiam impositum, Gentilibus exprobrans, lepidè est prosequutus. *Denique miracula fiunt per apertam, & seriam Dei inuocationem mira Magorum semper admixtis absonis, abditis, vanis, ridiculis, aut superstitiosis precibus, vel signis.* Alias notas veri, & falsi; genuini, & adulterini miraculi suppeditabunt Suarez, Valentia, Lessius, Bozius, aliíque sexcenti scriptores perquàm eruditi.

Del-rio lib.2. disquisit. Magic. quæst. 7. & reliq. quos citat.

S. Chrys. lib. cõtra Gentil.

Suar. tract. de fide disp.4. sect.3.n.9. Valent.tom. 3.disp.1. quæst.1.punct. 4.art.5. Less.lib. 1. de prouid.Num. rat.9. Boz.lib.15. de sign. Eccl. c.1.

Cùm ergo ex his, aliísque id genus notis constiterit vera miracula per aliquas Diuorum Reliquias, diuinitus fuisse perpetrata; illum ego de mentis potestate deiectum, non modò hæreticum duxero, qui audeat negare eas germanas esse Reliquias illius Cœlitis, ad quem vulgò feruntur attinere; reliquas verò, quibus diuina prouidentia, tanquam interminatæ suæ potestatis instrumentis ad edenda vera miracula non fuerit vsa, esse falsas, & penitus adulterinas. Hinc coniice,

ce, quæ Centuriatores Magdeburgenses vesania impulerit diuinæ Crucis inuentionem traducere; quæ rabies Caluinum transuersum egerit, vt *Helenam ad Crucis inquisitionem impulsam aut stultâ curiositate, aut curiosa stultitiâ* impiè, ac imprudenter scriberet. Quâ calumniandi libidine abreptus Lutherus affirmauit *Cruci Dominicæ, in inuentione, plus contumeliæ illatum; quàm honoris exhibitum.* Quo demum in sacrosanctam Christi crucem odio lipsanomachi mentiantur, vulgare quoddam, & petitum è triuio lignum pro vera Seruatoris nostri cruce fidelibus adorãdum per summam impietatem, & idololatriam proponi. Ita enimuerò de nouorum istorum prophetarum Baal sententiâ, & fide Deus falsitatis, mendacij, impietatis, Idololatriæ non tantùm stultæ curiositatis, aut curiosæ stultitiæ, atque adeò contumeliæ Cruci Dominicæ illatæ auctor extiterit; cùm exquisito prorsus miraculo, eóque (vt quidam scribunt) gemino diuinæ Crucis recèns à D. Helenâ inuentæ veritatem dignatus est confirmare. Rem totam sancti Ambrosij, Diui Paulini, Nolani Antistitis, Gregorij Turonensis, & aliorum scriptorum veterum stylo recensitam audiamus, vt obturetur os loquentium iniqua, impia, execranda.

Centur. Magdeburg. cent. 4. c. 13.
Caluin. admon. sæpe cit. pro Reliq.
Luther. concion. de S. Cruc. Inuẽt.

Principiò *non stultâ curiositate aut curiosâ stultitiâ* (vt nostri temporis impius Lucianus, hoc est, Caluinus impudenter mentitur) *sed diuinâ inspiratione* Beatam Helenam *ad viuificæ Crucis inquisitionem impulsam fuisse*, testantur laudati Patres. Sanctus Ambrosius quidem in hæc verba. *Venit Helena, cœpit reuisere loca sancta; infudit ei spiritus, vt lignum Crucis requireret.* S. verò Paulinus *non solùm de Christianis doctrina & sanctitate plenos viros, sed & de Iudæis peritissimos, vt propriæ, quâ miseri etiam gloriantur, impietatis iudices exquisiuit, & accitos Hierosolymam congregauit, Tunc omnium vna de loco testificatione confirmatâ iussit illicò, vrgente sine dubio conceptæ reuelationis instinctu, in ipsum locum operam fossionis accingi.* Sanctus Seuerus Sulpitius, eodem sensu, atque sententiâ. *Crux*, inquit, *non nisi tam fideliter requirenti meruit ostendi.* Socrates Imperatricem piissimam *admonitam per somnum*, Ruffinus *diuinis admonitam visionibus:* Sozomenus, *tum precandi causâ, tùm loca sacra visendi, quoniam erga religionem. Christianam erat affecta*, affirmant. Ad vltimum ipsammet Augustam, oratione ad Deum Patrem profusâ idem asserentem audiamus. *Tu, Domine, qui per vnigenitum filium tuum salutem generi humano per passionem Crucis conferre dignatus es, & nunc in nouissimis temporibus aspirasti in corde ancillæ tuæ, perquirere lignum beatum, in quo Salus nostra pependit, ostende euidenter ex his tribus, quæ Crux fuerit ad Domincam gloriam, vel quæ extiterit ad seruile supplicium.* Iam age, quisquis es, si quidem micam bonæ, ac sanæ mentis habes, hoccine est *stultâ curiositate, aut curiosâ stultitiâ ad crucis inquisitionem impulsam* fuisse? Sic nimirum execrando capiti *cælestes reuelationes, diuinæ visiones, spiritus infusiones, Patris æterni aspirationes*, videntur, & reipsâ sunt, *stulta curiositas, & curiosa stultitia?* Hoccine est *mulierem superstitiosam* extitisse diuinis visionibus aspira-

S. Ambr. orat. in funer. Theodos. Imp.
S. Paulin. ep. 11. ad Seuer.
S. Seuer. Sulpit. lib. 2. hist. sacr.
Socrat. lib. 2. tripart. hist. c. 18.
Ruffin. lib. 10. Eccl. hist. c. 7. & 8.
Euseb. Chron.
Sozom. lib. 2. c. 1.

tionibúsque fuisse fideliter obsecutam?

Secundò Lutherus inimicus Crucis Christi famosissimus, eâdem emotæ mentis rabie abreptus *Cruci Dominicæ in inuentione plus contumeliæ illatum, quàm honoris exhibitum* impiè iactitauit: haud dubiè non tam impudenter Dæmon ipse mentiatur, qui fraudem suam detectam, hactenus tulit ægerrimè, atque feret in omnem æternitatem. Verùm impactæ calumniæ admissæque mētitionis meritissimo cōuitio impiissimi Hæresiarchæ os, Patres, qui in ipsius inuentionis, & exaltationis laudem panegyres eloquentissimas ediderunt, vniuersi verberabunt satis, vt minùs necesse sit, acerbiori aceto, rursus os impurum perfricare. Vni, si placet, Helenæ Imperatrici, quæ illud *maximè insigne opus Imperij Christianorum* (vt loquitur Andreas Cretensis) diuinitùs inuenit, Golgotham accedenti auscultemus. *Ecce locus pugnæ, vbi est victoria? Quæro vexillum salutis, & non inuenio. Ego in Regnis, & Crux Domini in puluere? Ego in aulis, & in ruinis Christi triumphus ille adhuc latet, & latet palma vitæ æternæ? Quomodo me redemptam arbitror, si redemptio ipsa non cernitur? Video, quid egeris, Diabole, vt gladius, quo peremptus es, obstrueretur. Sed Isaac obstructos ab alienigenis puteos eruderauit, nec latere aquam passus est. Tollatur igitur ruina, vt vita appareat; promatur gladius, quo veri Goliæ caput est amputatum; aperiatur humus, vt salus fulgeat. Quid egisti, Diabole, vt absconderes lignum, nisi vt iterum vincereris? Vicit te Maria, quæ genuit triumphatorem, quæ sine imminutione virginitatis edidit eum, qui Crucifixus vinceret te, & mortuus subiugaret. Vinceris, & hodie, vt mulier tuas insidias deprehendat. Illa quasi sancta Dominum gestauit; ego Crucem eius inuestigabo. Illa generatum docuit; ego resuscitatum; Illa fecit, vt Deus inter homines videretur; Ego ad remedium peccatorum, diuinum de ruinis eleuabo vexillum.* Hactenus apud Diuum Ambrosium piissima Imperatrix.

Andr. Cret. orat. de exaltat. S. Crucis

S. Ambr. loc. sup. cit.

Postremò nostri æui lipsanomastyges, vile quoddam lignum pro Christi cruce ab Orthodoxis obtrudi, pari impudentiâ calumniantur: mirum! quòd geminorum latronum qui cum Christo cruci offixi fuerunt, infame lignum à nobis ostentari non venditent, an veriti sunt, ne mendacij probrum ipsis in os ingereretur? Cùm tot veterum Patrum, & historicorum monumentis liquidò, & constanter testatum habeamus, Deum viuificæ crucis trophæum, ab Helena primùm inuentum eximiis miraculis ab infami latronum ligno secretum prodidisse, atque deinceps eius reparabiliter dissectæ fragmina prodigiis vera esse, germanáque manifestasse. Quo autem modo id gestum fuerit, anquiramus. *Cùm tres pariter Cruces*, inquit Paulinus, *vt quondam fixæ Domino, & latronibus steterant, repertæ fuissent: gratulatio repertarum cœpit anxiâ dubitatione confundi iusto piorum metu, ne forsitan aut pro Cruce Domini, patibulum latronis eligerent, aut salutare lignum, pro stitipite latronis abiiciendo violarent.* Audin' lipsanomache, quàm sollicitâ, & religiosâ curâ Christiani studuerint veram Christi

S. Paulin. sup. cit. item S. Ambros. Sulpit. Seuer. Ruffin. Sozom. laudati.

Crucem

Crucem à latronum patibulis internoſcendo ſecernere? Sed ſi vni Paulino fidem abnegas, Ambroſium, Sulpitium Seuerum, & Ruffinum ſupra laudatos adi, quorum auctoritate caducam tuam fidem ſuſtentes, vel erigas. Cùm ergò ambigeretur, quænam Crux Dominica, è tribus reipsâ eſſet; *præſertim cùm*, ſcribente Sozomeno, *non illius modò inſcriptio ab ea diuulſa eſſet; verùm etiam ipſæ tres Cruces promiſcuè proiectæ fuiſſent: Helena huius Conſilij lumen infudit*, vti refert Paulinus, *vt aliquem recèns mortuum inquiri, & afferri iuberet, nec mora: Verbum factum, cadauer illatum eſt, deponitur; iacenti vna de Crucibus admouetur, ſed earum ligna mors ſpreuit. Poſtremò Dominicam Crucem prodidit reſurrectio, & ad ſalutaris ligni tactum profugâ morte, funus excuſſum, & corpus erectum eſt tremefactiſque viuentibus ſtetit mortuus, & funebribus, vt Lazarus quondam, vinculis expeditus, illicò inter exportatores ſuos rediuiuus inceſſit: Itàque (vt crucem Chriſti decuit) experimento reſurrectionis inuenta, & probata Crux Chriſti eſt.* Non vno illo miraculo veram Chriſti crucem ab infamibus latronum patibulis, diſcretam puta. Ruffinus enim feminæ feminæ incolumitate per viuificæ Crucis contactum redditâ, eamdem detectam, agnitámque teſtatur. Atque hoc *pretium fidei & laboris*, vt Seuerus loquitur, tantæ, támquæ religioſæ Imperatricis fuit. *Ergo crux Domini tot operta ætatibus, & Iudæis in tempore paſſionis abſcondita, neque gentibus* (quod ſolus notauit Paulinus) *in ædificatione fani Veneris, terram ſine dubio ad ipſam fabricam egerentibus reuelata eſt, nonne manu diuinâ latuit, vt tunc inueniretur, cùm religioſè quæreretur?* Ab eo tempore, quot per veneranrandas Crucis Dominicæ particulas toto Orbe Chriſtiano miracula fuerint diuinitùs edita, quis dicendo, ſcribendóve recenſeat? Qui eorum cognoſcendorum cupiditate, piâque curioſitate tenebitur, noſtrum Gretſerum duntaxat indiligenter euoluat, vtpote qui aureo illo de ſanctiſſima Cruce opere innumeras miraculorum formas collegit, ſtipauítque, ex quibus intelligat meritò, eas Diuorum, Chriſtíve Reliquias cenſeri debere veras atque germanas, quibus præpotens Deus, pro ſuâ in ſuos pietate, velut diuinæ ſuæ potentiæ inſtrumentis, vti dignatus fuerit ad omnis generis miracula patranda: alias verò vel ſuppoſititias, vel falſas habendas eſſe per quæ nihil veri miraculi editum vmquam fuiſſe certò conſtiterit. Quapropter metus ille imaginarius, animóque fictum periculum, quòd ineptè cauſatur cauillator Caluinus funditus concident. *Non* enim *adeò intricata, & confuſa erunt, vt adorari non poſſit os Martyris, quin periculum ſit, ne os cuiuſpiam ſicarij, aut latronis, aut potius aſini, aut canis, aut equi venerere.* Quàm appoſitè de belluis, belluinæ conſcientiæ homo loquitur quàm frequentiſſimè? quaſi verò Dei Opt. Max. prouidentiſſimâ ſapientiâ & infallibilis veritas vera miracula, per hos graſſatoris, parricidæ, canis, aſini, equíve exucca oſſa vulgò velit procudere vt Chriſtianæ fidei per infandam fraudem illudat? Næ! bellua ſit, qui id credat!

Gretſ. tom. 2. de S. Cruc.

Caluin. admon. cit.

Hoc

Hoc vnum insuper addo, si fortè accidat, vt ad aliqua Sanctorum lipsana, è tanto numero earumdem Reliquiarum ab vno loco ad alium transuecta diuinitus fiant frequentiora, & illustriora miracula, non parum ad eorum veritatem confirmandam conferre poterunt: Cuius rei non pauca Sacros annales peruolutanti occurrere possunt exempla. Repete, si placet, memoriâ quot in Africa testibus Augustino, & Euodio; in Galliis, Hispaniisve patrata fuerint per B. protomartyris Stephani exuuias miracula; quæ Hierosolymis, vbi primum & vltimum duxerat spiritum, simul & glorioso martyrio laureatus à Christianis conditus fuerat, ne ad vnum (quod equidem meminerim) prorsus edidit, vt Signius etiam annotauit, credas Sanctissimum protomartyrem, & inter Diaconos primum verbi præconem, voluisse mortuum in suis cineribus, exuuiisve Christi, cuius gratiâ Sanguinem fuderat, confirmare responsum, qui cùm à suis ciuibus rogaretur, vt aliquod in patriâ suâ signum ederet: *Nemo*, inquit, *acceptus est propheta in patriâ suâ.*

Io. Signius Reliq. c. 10.

Luc. c. 4. v. 24.

Cæterùm prius quàm finio, religioni ducerem vnum voluntario silentio præterire, quod in hanc rem nostram peropportunè facit, quódque non minus iucundum scitu quàm curiosum erit. Ingeniosè D. Gregorius Pontifex maximus, res præclare à B. Benedicto, suo in spiritu parente, gestas enarraturus Petrum Diaconum in hæc verba rogitantem inducit. *Quidnam esse dicimus, quòd plerumque in ipsis quoque patrociniis Martyrum sic esse sentimus, vt non tanta per corpora sua, quanta beneficia per Reliquias ostendant, atque illic maiora signa faciant, vbi minimè per semetipsos iacent?* Ad quod S. Gregorius infit, *vbi in suis corporibus SS. Martyres iacent, dubium, Petre, non est, quod multa valeant signa demonstrare, sicut & faciunt, & pura mente quærentibus innumera miracula ostendunt. Sed quia infirmis potest mentibus dubitari, vtrumne ad exaudiendum ibi præsentes sint, vbi constat, quia in suis corporibus non sunt, ibi necesse est eos maiora signa ostendere, vbi de eorum præsentiâ potest mens infirma dubitare. Quorum verò mens in Deo fixa est, tantò maius habet fidei meritum, quantò illic eos nouit & non iacere corpore, & tamen non deesse ab exauditione.* Hæc Doctissimus Pontifex peracutè, ac verè. Ex his beati Gregorij verbis mecum per transennam velim obserues ad clariorem prolati loci intelligentiam, *Reliquias* Sanctorum ab ipsorum *corporibus* ab erudito Pontifice distingui manifestissimè: quod ab eo factitatum scias more antiquo, vti & à Florentino, I. C^to doctissimo. Dixi (*more antiquo*) propterea quòd fuit aliquando tempus quum voce *reliquiarum cineres defunctorum*, vt Schardius interpretatur, vel ex aliis *ossa & cineres cadauerum* duntaxat significaretur; *corporis* autem nomine, *totum cadauer*. Eapropter annotante Gutherio, *mortui propriè est sepulchrum; reliquiarum, ossuarium, vel cinerarium, quod & sepulcrum appellatur, Non temerè ergo in antiquis inscriptionibus scriptum est, Corpus integrum conditum.* vt in Romanâ inscriptione, quam idem refert; aliàm exscriptam paulò post proximè exhibet, è quâ colligo

S. Greg. Magn. lib. 2. dialog. c. 38.

L. monumẽtũ D. de reliq. Schard. lexic. Iur. Verb. Reliq.

Guther. lib. 3. de iure man. c. 23. lib. 1. c. 8. D. r. 2. §. sepulchrum.

colligo manifestum earum duarum vocum discrimen expressum: Sic enim se habet.

D. M.

RELIQVIÆ
CORPORIS
TARQVINII CRISPI
FRONTONIS C. L.
TRIVMVIRI. CAP.

Nonnunquam tamen *corpus*, pro *reliquiis* vsurpatum, imo & accipiendum esse idem Gutherius obseruat: quod, quia ex veteribus Imperatorum legibus, SS. Patrum scriptis, & vulgari, ac tralatitiâ Ecclesiæ loquendi consuetudine, luce meridianâ clarius est, huc supersedeo exempla conuehere. Abundè mihi est ad Diui Gregorij elucidanda verba, illud in transcursu monuisse: sed à diuerticulo ad viam.

Illa verba Beati Gregorij vt verissima sint, dabit tamen veniam vir beatissimus aliud, quod in animum congruenter disputationi meæ venit, auctarij vice ipsius sententiæ addendi videri mihi eo consilio diuinæ mentis per Diuorum Reliquias maiora edi miracula, quàm per integra iacentium corpora, ne fidelium fides, atque religio super veris, germanísque Sanctorum exuuiis nutent, &, vt infidelium, atque impostorum calumniis, ac dolis eatur obuiam; itáque vera Beatorum pignora hoc clariùs à lipsanis supposititiis, & falsis secernantur, quò certioribus, & frequentioribus rerum mirabilium effectis fuerint ab auctore naturæ, ac gratiæ illustrata, approbata, & confirmata.

ARTICVLVS SEXTVS.

Pius à SS. Reliquijs animo iniectus horror, atque Religionis, & pietatis sensus.

GAudeo in hac verarum Reliquiarum nota mihi cum Signio, imò cum D. Chrysostomo conuenire. Cum Signio quidem, qui *præter odorem quemdam, suauémque fragrantiam, nullius determinati generis* (vt loquitur) alterum probandarum SS. Reliquiarum signum esse ait, *quod ossa hæc non terrent mortis cogitatione imò venerationem excitant, atque deuotionem. Et si dicas id à conceptâ opinione bona prouenire: amplius dico opinionem ipsam excedere, ita vt sentiat se vnusquisque præsentium interim commoueri, & numine cœlesti, ac diuino prorsus certificari de sanctitate illarum, idcirco statim humiliantur, genua flectunt, & venerantur.* Sic vir pius. S. verò Chrysostomus idem tùm experientiâ Fi- *Sign. Reliqu. c. 3.*

delium, tùm exemplo, denique pulcherrimâ, & verè aureâ oratione confirmat; posteaquam enim fabulam Daphnes ab Apolline deperditæ breuiter enarrasset, subiecit hæc auro contrà pretiosa omnino verba. *Et hæc quidem vetus fabula, at incommodum à fabula exortum non iam fabula fuit; postquam enim iuuenes permulti impudici illuc accedentes suburbij pulchritudinem contaminarunt* (suburbium vrbis Antiochenæ, vbi templum & ara Phœbo extructa tunc stabat, intelligit) *ibidem in comessationibus, & ebrietatibus victitantes: Volens Diabolus malum hoc magis, ac magis gliscere, fabulam eam, quam recitaui, confinxit, Dæmonem loci eius incolam esse diuulgans, vt huiusmodi historiâ maius illi impudicitiæ, atque impietatis incendium fieret. Ad tanta porro isthæc mala tollenda inuenit Imperator* (Gallus) *sapientissimum id remedium. Sanctum Babylæ Martyris corpus eum in locum si transferretur, æstimauit perinde fore ac si medicus ad laborantes mitteretur. Sin iter id, quod ab vrbe ad suburbium ferret, authoritatis regiæ mandato impediret, atque interdiceret, iudicauit mandatum id omnibus vulgò visum iri tyrannicum quoddam, agreste, ac crudele factum. Quod si mandato adderet, vt qui honesti, ac moderati essent, iis suburbij adeundi potestas fieret, qui verò incontinentes, atque intemperantes ab eo arcerentur; mandatum perplexum, ac difficile fore censuit; vtpote per quod prævidebat quotidianas censuras in diiudicandâ vniuscuiusque vitâ necessarias. Itaque Martyris præsentiam malorum omnium finem, ac remedium fore existimauit, quem quidem idoneum intelligebat, qui tùm Dæmonis potentiam antiquaret, tùm luxum Iuuenum emendaret, quâ vtique spe nequaquam falsus est. Nam vbi quis Daphne appropinquat, viso etiam Martyris monumento vel ab ipso suburbij vestibulo compescitur, atque emendatur, more adolescentis alicuius in conuiuio accumbentis, ac pædagogum adstantem contuentis, eumdémque vultus significatione iubentem, vt decenti ordine seruato bibat, edat, loquatur, rideat, cauens nec vbi modum supergressus suam ipse existimationem dehonestet. Porro ab eiusdem monumenti aspectu, tùm ab ea, quam de beato martyre concepit imaginatione factus ille religiosior ad capsulam ipsam continuò accurrit: ad quam cùm primùm peruenit, maiorem animo trepidationem recipit: mox abiecto omni metu, tanquam volatilis effectus, ita ab eo loco se domum recipit. Idem etiam eos, qui ab vrbe ad suburbium ascendunt, de via excipiens huiusmodi cum temperantia relegat ad Daphnes laxamentum, tantum non vocem illam exclamans: Exultate Domino in tremore, & Apostolicum illud adijciens: siue comeditis, siue bibitis, siue quoduis aliud facitis, ad gloriam Dei omnia facite: qui idem si incidat in nonnullos deliciis delibutos ex suburbio ad vrbem se recipientes* (*si quibus fortè vsu venerit, vt quadam quasi animi socordia frænum abijciant, atque in crapulam, & in absurdas aliquas delicias præcipites ferantur*) *hos ebrios in suum diuersorium excipiens, non permittit ebrietatis noxam gestantes domum abire, quinimo timore incusso refrænans, ad eandem reducit sobrietatem qua præditi erant, antequam ebrietate madefierent. Etenim quasi tenuis*

S.Chrysost. lib. contra Gentiles seu de S. Babyla.

Psalm. 2.

1.Cor.cap.10.

quedam aura eos, qui in Martyris æde fuerint, vndique circumspirans afflat; non ea quidem sensibilis, nec quæ ad augendam corporis vim faciat; sed quæ in ipsum tantum animum obrepat, eundémque vndique decenter compescens, ac terrestrem omnem sarcinam circumcidens reficiat, atque ingrauescentem iam & fractum agiliorem reddat, & quidem Daphnes forma, & pulchritudo segniores ad seipsa reuocat, at martyr quodam quasi in piscatu confidens, & ad se introgressis insidias parans, eos retinet, ac veluti ad normam quandam priùs compositos demittit, & ita demittit, vt amata in posterum pudicè, ac citra omnem incontinentiam sint vsuri. Dum enim ex hominibus alij socordiâ adducti, alij mundanis sollicitudinibus impediti Sanctorum Martyrum monimenta inuisere negligunt, perfecit Deus, vt hocce irretirentur modo, & talem ipsi fructum curationis animæ caperent, ac perinde fit, vt si quis ægroto medicamenta salutifera admittere nolenti, medicamentum dulci quodam condimento oblitum præparet: qui igitur inibi tandem curantur, eò perueniunt, vt iam non deliciæ solum, sed & visendi sancti desiderium, suburbij adeundi occasionem multis afferat; siue, vt verius dicam, qui honestioris vitæ sunt, hoc vno nomine illuc ventitant: qui infirmiores illis sunt, vtroque nomine: posteaquàm autem illuc peruenerunt, eos aduocans ad sese Martyr suis ipsius epulis splendidè exceptos, fortíque armaturâ præmunitos non patitur in malum prolabi: & est perinde mirum eo in loco mollem aliquem, ac socordem resipiscere, & tanquam è mediâ insaniâ sanum caput attollere; vt si quis in medios ignes coniectus, ab igne detrimenti nihil accipiat: circumuallatâ enim rationis arce ab iuuentute, ab effrenata audacia, à vino, à saturitate, molestiùs etiam à flamma ipsa, B. Babylæ ros inspectantium animam ex obtutu ipso influens, flammam ipsam sopit, incendium sistit, ac magnam certè animi religionem instillat. Atque in eum, quem dixi, modum, Babylas intemperantiæ tyrannidem subuertit. Quid hac oratione potest esse illustrius? quid iucundius? quid ad rei, quâ de agimus, auctoritatem potentius? Miratur optimo iure S. Paulinus pium huiuscemodi horrorem, terrorémque haud dubiè mirabilem, Diui Felicis, cæteroqui erga omnes beneuolentissimi, æquè beneficentissimi Cœlitis tumulo circumfuso dum in hunc modum sciscitabundus canit.

Ecce vides tumulum sacra martyris ossa tegentem, *S. Paulin. Natal. 6. S. Felic.*
Et tacitum obtento seruari marmore corpus.
Membra latent positi, placidâ caro morte quiescit,
In spem non vacuam rediuiuæ condita vitæ.
Vnde igitur tantus circumstat limina terror?
Quis tantos agit huc populos?

Illáne leuis, & imprudens mirandi occasio tibi fuisse videatur, grauissimo, iuxta ac prudentissimo Præsuli, oculis vsurpanti suis, tot, támque varios populos vndequaque Nolam peregrè profectos, atque adeo longâ, molestâ, & periculosâ peregrinatione perfunctos, insolenti horrore, terroréque percelli, simul ac compositas beati Felicis exuuias propiùs venerabundi accessissent? Quis non peruideat sacrum

illum, & amabilem piorum Fidelium terrorem, à Deo creari solitum fuisse in gratiam, honorémque serui sui Felicis, cuius veras, & germanas reliquias apud se tumulatas Nola seruabat, & ingenti veneratione prosequebatur? Ex his enim prudenter, & meritò conficiat nonnemo eas veras esse Diuorum exuuias, ad quarum præsentiam si quis propior accedat, huiuscemodi cientur animorum motus, pius nescio quis horror eius menti iniicitur, insolens ipsum subit religionis sensus, & momento mutatur in alium virum, acerbâ delictorum pœnitudine confectus. Sacro huiuscemodi horrore, metúque solitos concuti olim Christianos, qui ad sacrosanctum B. Petri corpus accederent propiùs, hæc D. Gregorij Papæ testificatio olim relata luculenter probat. *Maior* (inquit ille, Constantiam Augustam caput B. Pauli Apostoli impensissimè flagitantem alloquens) *me mœstitia tenuit, quòd illa præcipitis, quæ facere nec possum, nec audeo. Nam corpora SS. Petri, & Pauli Apostolorum tantis in Ecclesiis suis coruscant miraculis, atque terroribus, vt neque ad adorandum sine magno illuc timore possit accedi. Denique dum beatæ recordationis decessor meus, qui argentum, quod supra sacratissimum corpus beati Petri Apostoli erat, longè tamen ab eodem corpore, fere quindecim pedum spatio, mutare voluit; signum ei non parui terroris apparuit.* Hæc, aliáque sanctissimus Pontifex. Clementem octauum cum B. Cæciliæ Virginis & Martyris corpus à Cardinale Sfondrato detectum est, Religiosus horror, vsque eò perculit, vt virgineum illud corpus dormienti quàm simillimè compositum reuelare, ac contueri minimè sit ausus; imò contrà iusserit, vt erat superimposito velamine obuelatum, inuisúmque, vnà cum cypressinâ suâ capsulâ in pretiosiori thecâ ex argento affabrè factâ concludi: vsque adeò religiosè pudicus piúsque Pontifex fuit. Expertum audiamus Hieronymum. *Quando iratus fuero, & aliquid mali in meo animo cogitauero, & me nocturnum phantasma deluserit; basilicas Martyrum intrare non audeo, ita totus, & corpore, & animo contremisco.* Alios pio huiuscemodi horrore perculsos ad Sanctorum Iuuentini & Maximi Martyrum sepultorum aspectum memorat S. Chrysostomus, ad S. Heimerammi Episcopi Ratisponensis detectas exuuias Surius, & ad alia Cœlituum pignora complures alij scriptores. At vndénam amabo te salutaris ille animi, corporísque totius tremor? vnde religiosus ille ab admissâ noxâ conscientiæ fodicantis morsus? Vnde basilicam Martyrum adeundi? subeundíque tanta religio, nisi ab illorum sacris, verendísque pignoribus? quæ, si vera fuerint, propiùs ad se accedentes de subito incredibili quodam religionis sensu, ac pio nimium quantùm horrore complent, subigunt in genua procumbere, effundi in preces, à peccatis admissis dolore pungi, denique superfundente se diuinitùs lætitiâ delibutos domum redire. Sin autem falsa, & adulterina extiterint lipsana, tùm in rebus pietatis frigere animus, nullâ criminum anteactæ vitæ pœnitudine tangi, perterrefieri mortis cogitatione, cœlestibus solatiis destitui, ad vltimum ad res diuinas, & spiritales

S. Greg. supr. cit.

Baron.

S. Hieron. aduers. Vigilan.
S. Chrysost. hom. de SS. Iuuent. & Max.
Sur. tom. 5. vit. S. Heimer. 22. Sept.

ritales nauseare. *Delectat animum meum*, æquè ac personati illius, vt est, apud Erasmum Ogygij, *hæc contemplatio; virum bonum esse similem oui, malum noxiæ bestiæ. Vipera postea quàm periit, mordere quidem non potest, odore tamen, saniéque inficit: Ouis cùm viuit, lacte nutrit, lanâ vestit, fœturâ ditat, mortua porrigit vtile corium, totáque esculenta est. Itidem viri feroces, huic mundo dediti, ac sceleribus cooperti, dum viuunt, omnibus incommodi sunt, mortui non tam strepitu nolarum, & ambitiosâ sepulturâ molesti sunt viuis*, quàm suorum cinerum contactu, visu, graueolentiâ, & vicinitate viuorum corporibus, animísque non mediocriter incommodant. *Probi verò nulla non ex parte magnam omnibus de se præbent vtilitatem, dum in viuis sunt exemplo, doctrinæ monitis ad pietatem inflammant, consolantur destitutos, subleuant egenos, ac mortuorum pene maior vtilitas.* Quid enim ipsorum non possunt exuccæ exanimatorum corporum exuuiæ? quid viuorum ad sanitatem, & incolumitatem corporibus? quid ad virtutum adeptionem, vitiorum interitum æternamque salutem non conferunt animis? Peregregiè simul, & verè scripsit, dixitque Theofridus Abbas: *Si quid fortè natura negat, vel improuisus casus in humanis debilitat, ad Diuorum sepulchra clementia diuina restaurat. Cæcitatem illuminant, gressus consolidant, linguas reparant, aures reserant, Dæmonibus imperant, carceres aperiunt, vincula resoluunt, elisos erigunt.* Hactenus in gratiam corporum: quænam tandem in gratiam animorum prodigia Sanctorum edunt Reliquiæ? Audi paucis cuncta complectentem: *iniustos corrigunt, iustos dirigunt, Hæc operantur per corpora spiritus, qui iam diuinis assistunt obtutibus.* Sic ille.

Erasm. Colloq peregrinatio relig. causa.

Theofr. Abb. serm. de venerat. Reliq.

Quotiescumque igitur ex Sanctorum Reliquiis, earúmque conspectu, contactu, osculis, veneratione sacer nescio quis horror fidelium animis incutietur, religionis accendetur ardor, sensus pietatis augebitur, ingenerabitur odium vitiorum, virtutis accrescet studium, vitæ, mundi, terrenorum omnium fastidium creabitur, Cœlestium denique desideria magis, magísque conualescent, tùm ego toties veras & germanas Diuorum esse Reliquias, tam firmiter credam, & affirmatè iurem, quàm deuenerer religiosè. Contrà verò si alia omnia vsu venient non tam seponendas (quod minimum est) vel altissime in terram defodiendas (quod est humanum) quàm igne penitùs absumendas & in ventos spargendas huiuscemodi Reliquias auctor sim, quod multò iustius, securius, & fidelibus vtilius est.

Ad vltimum huc spectant quæcumque à sanctis Patribus super sacrarum Reliquiarum vtilitate, & spiritali potissimum fructu literis fuere commendata: quidquid Concilia Prouincialia, generalia, & in paucis Concilium Oecumenicum Tridenti habitum pluribus tradiderunt; quidquid Annales Ecclesiastici, Diuorum acta, historici sacri omnes, de eodem argumento literarum monumentis consignata reliquerunt, quæ, quia infinitum esset recensere, satis súperque fuerit viris eruditis, hos piorum, & spiritualium prouentuum, qui ex

Concil. Trident. sess. 25.

Supr.lib.1.c.12.art.3.sect.2. venerandis Diuorum pignoribus decerpi possunt, fontes digito quodammodo, & quadantenus commonstrasse.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

VARIA, PRO VERARVM, falsarúmve Reliquiarum discretione, diuina per saturam adiumenta.

AD vitandum longioris tractationis laborem, legentium fastidium, & inutilem prolixitatem, hîc aliquot strictim delibabo diuinæ prouidentiæ adiumenta, quorum beneficio, veræ, germanæque Sanctorum Reliquiæ à subdititiis, & præsertim à falsis, & adulterinis secerni, & internosci possint. Primùm esto; Cacodæmonum detectæ fraudes, vires elisæ, delusæ machinationes, & improbitas exarmata (quemadmodum pluribus olim ostendimus.) si quidem certo constiterit ad sacrarum Reliquiarum præsentiam id aliquando contigisse. Mirum quantùm S. Chrysostomus aureo suo stylo, & ore in hoc argumento exultat, dum per vicinas sanctissimi martyris Babylæ exuuias, garrulo Apollini silentium impositum deprædicat, eius hæc verba sunt. *Daphnem itaque hic Imperator* (Iulianum Apostatam loquitur) *grauitatem ore præferens conscendit, multis quidem cum donariis, & sacrificiis, manante etiam sanguinis torrente, quem mactatarum pecudum cædes effecerat. Tum à Dæmone magnâ instantiâ oraculum poscit, postulans sibi ille his de rebus responsum vt daret, quas animo agitabat. Ibi strenuus ille scilicet, qui pelagi modum, & numerum qui nouit arenæ, qui mutum capit, & surdum qui intelligit idem, vt de se ipse profitetur, bellè admodum cauit, ne in eum sermonem deueniret, vt apertè testaretur per sanctum Babylam, ac vicinorum virtutem, obstructum sibi esse os, ac propterea loqui nequaquam posse, nimirum veritus, ne cultoribus suis ridiculus fieret. Cæterùm cùm idem abumbrare vellet virium suarum à Babyla deuictarum conditionem, eum taciturnitatis titulum aperuit, per quem ridiculus magis reddebatur, quàm si prorsus tacuisset. Tacens enim imbecillitatem suam tantummodò detexisset, nunc verò & imbecillitatem, & turpitudinem, & impudentiam declarauit studens ea adumbrare, quæ adumbrari minimè queant. Quis enim color hic esse potest? Daphnes, inquit, locus cadaueribus scatet, id quod oraculum arcet. At quantò præstabat, pessime dæmon, Martyris virtutem non dissimulare, quàm titulum tam impudentem prætexere?* Hæc, & alia pluribus eloquentissimus Patriarcha. Vt autem constaret omnibus silentium, inuito Cacodæmoni per B. Martyris Babylæ Reliquias fuisse impositum;

S. Chrys. lib. contra Gentil. supr. cit.

Hæc

Hæc vbi audiuit fabulæ illius actor Imperator, iubet eius statim capsulam deturbari, quò omnibus à Martyre Dæmonem victum esse innotesceret: alioquin (vti rectè vir acutissimus philosophatur) *oportebat iuxta Dæmonis sententiam conditoria omnia, quæ in Daphne essent, effodere, & terriculum à Deorum aspectu, quàm longissimè amouere, multò verò magis brutorum cadauera, ac tantò certè magis, quantò brutorum genus humano genere contemptibilius est. Multorum autem canum, simiarum, asinorum ossa proximè templum defossa sunt, quæ potiùs mouenda fuerant, nisi fortè censes homines simiis esse viliores.* Reliquam orationem eloquentissimi Patriarchæ exscribere prætermitto & sanè non nisi admodum ægrè, vsque eò torosa, elegans, iucunda, & ad rem nostram peropportuna est: Verùm, vt dicitur, *ex vngue Leo.* Qui plura super hoc argumento volet consulat pereruditum nostrum Martinum Del-rio agentem de remediis supernaturalibus diuinis, seu Ecclesiasticis quibus magicæ incantationes, maleficæ noxæ, aliæque id genus Dæmonum infestationes ope sacrarum Reliquiarum depelli possunt. Quæ si fortè essent, vel erunt adulterina lipsana, nec iam essent, nec olim tantarum virium extitissent, vt Dæmonum artes, & conatus irriti per illa cecidissent vnquam. Quoties igitur per veneranda alicuius Cœlitis pignora Dæmonis vires debilitatas, fractas, & labefactatas, certissimis testificationibus, miraculísque constiterit; toties veras illas, & germanas esse Reliquias, non nemo prudens meritò affirmabit. Consule sis Thyræum pariter è Societate nostra, multæ, ac reconditæ doctrinæ virum.

Del-rio lib. 6. disq. magic. cap. 2. quæst. 3. sect. 3. remed. 8. & nos sup. lib. 1. cap. 12. art. 2. sect. 4.

Pet. Thyræus lib. de loc. infestis part. 3. cap. 67.

Secundum adiumentum peti poterit à variis suppliciorum generibus, quæ vera Diuorum lipsana inhonorè, sacrilegéque habentibus, inflicta fuere diuinitùs. Acutè prorsus Chrysostomus vidit Iulianum Apostatam, non alio consilio à venerabilibus D. Babylæ exuuiis conterendis, exurendis, aut in vastam aliquam solitudinem procul amandandis (quæ fuit semper tyrannorum erga sacra pignora immanitas) abstinuisse, nisi quia *formidabat*, inquit ille, *si hoc fecisset, ne fulmen diuinum, néve aliquem alium morbum in se ipse prouocaret: multa enim habebat Christi virtutis tùm in iis, qui ante se regnauerant, tùm in iis, qui vnà secum imperium administrabant, spectata argumenta. Nam ex superioribus Imperatoribus iis, qui similia attentauerant multis, iisque intolerabilibus calamitatibus acceptis, fœda, & miserabili morte interierant. Ita vt cuiusdam, dum adhuc viueret, sponte ex oculis pupillæ exilierint, Maximinus hic fuit; alius autem furore, alius aliâ id genus calamitate vexatus mortem cum vita commutauit.* Ita enimverò Dæmones suæ malitiæ suarúmque fraudium fidissimos administros malè mulctarint?

S. Chrysost. sæpe cit.

Tertium sit, eorumdem Apostatarum spirituum ad sacrarum Reliquiarum præsentiam, conspectum, contactum, applicationémve cruciatus, querulæ voces, atque ex obsessis, possessísque mortalium corporibus violenta exturbatio. Cuius rei cùm innumera sint apud D. Hiero

Thyræus loc. cit. maximè n. 9. 10. 11.

Act. 19. 12.

D. Hieron. in epitaph. Paulæ.
Lib. 1. cap. 12. art. 2. sect. 4.
Matth. 12. v. 27.

D. Hieronymum, Gregorium Turonensem, Surium, Eminentissimum Cardinalem Baronium, aliośque Ecclesiasticarum historiarum conditores luculentissima exempla, hic pluribus dicere supersedeo, allatorum suprà contentus. Si verò cum Pharisæis zelo, animo, verbísque Pharisaicis quis obiiciat: *Hic non eiicit Dæmones, nisi in Beelzebub Principe Dæmoniorum* (vt lipsanomachi, & rediuiui Vigilantij nostri æui nugari amant) continuò illi reponam cum Christo, *Omne regnum diuisum contra se desolabitur, & omnis ciuitas, vel domus diuisa contra se non stabit. Et si Satanas Satanam eijcit, aduersus se diuisus est. Quomodo ergo stabit regnum eius?* Verùm quod in re dissimili sapienter annotauit Petrus Venerabilis, idem & in sacrarum Reliquiarum veritate detegenda, & confirmanda sæpe sæpius vsu venisse, atque adeo etiamnum euenire, & deinceps euenturum præteritorum experientia satis edocet. *Licet*, inquit, *multa Dæmonibus insit nocendi facilitas, & prompta ad fallendum voluntas; occultâ tamen Dei dispositione ita miris & incomprehensibilibus modis, in ipsa sua falsitate plerumque falluntur, vt humanæ saluti* (addo & ego Sanctorum gloriæ) *cui sponte semper infesti sunt; inuiti quoque deseruire cogantur. Comprehendit quippe, vt scriptum est, vera sapientia falsos sapientes in astutia sua; vt vnde fallere volunt, inde fallantur, & vnde perimere volunt, ipsi potius perimantur. Vtitur eis sanè more prudentis patrisfamilias, vt malis seruis, qui cùm nullo ad seruiendum amore moueantur, seruili tantùm terrore Dominicis imperijs obsequuntur. Vnde aliquando sciẽtes, aliquãdo nescientes, semper autẽ nolentes ea, quæ ad hominum salutem, & ad SS. gloriam & venerationem pertinent, operantur. Quòd autem semper nolentes operentur, omnibus certum est. Quòd verò aliquando scientes, Euangelium loquitur, vbi ait, exibant autem Dæmonia à multis clamantia, & dicentia, quia tu es filius Dei; Nam credere Christum esse filium ad salutem hominum pertinere. Dæmones ista clamantes, non ignorabant, sed quia hanc confessionem non fidei deuotio proferebat, sed tormentorum acerbitas extorquebat, ipsi indicant, dum subiungunt; venisti ante tempus torquere nos.* Hæc, & alia pluribus ibidem Petrus Venerabilis: haud aliter persæpe Dæmones non ex fidei deuotione, sed ex tormentorum acerbitate non volentes, sed coacti à Deo; non Cœlituum amore, sed odio, & potestate subacti, & inuiti veras, germanásque ipsorum Reliquias, etiam cum mortales maximè id lateret, manifestare, confiteri, eárúmque virtutem deprædicare auditi sunt, & suamet ipsorum è corporibus possessis deturbatione, querulísque vocibus, ac latratibus contestati locupletissimè confirmarunt.

Pet. Venerab. lib. 1. de mirac. cap. 14.

Pet. Thyr. loc. cit. n. 15. 30. 31. & seq. fusè.
Ibid. idem n. 28.
Idem. Ibid. n. 6. 7. & seq.

Quartum esse potest Sanctorum corporum, quæ à tyrannis, & carnificibus per iniustam lanienam discerpta fuerant, redintegrata diuinâ virtute integritas, quâ integritate Beatorum exuuiæ, cùm subuehentur in cœlum, aliquando redonabuntur. Id miraculi sacrosanctis inuictissimorum aliquot martyrum corporibus diuersis locis, temporibúsque quondam euenit. Cùm *ab alterâ* Beati Stanislai *cæde*, inquit

inquit Longinus eius vitæ apud Surium ſcriptor, *Rex & impij administri crudelitatis eius, putarent iam corpus omne à canibus, & auibus abſumptum, à quatuor mundi partibus totidem raræ formæ, & magnitudinis aduolarunt aquilæ, magnóque ſtudio loca, in quibus diſſipata erant ſancti Præſulis membra, circumuolitantes non ſinebant ab vllis vel feris, vel volucribus ea attingi. Viderunt etiam viri religioſi nocte, quæ necem eius ſequuta eſt, miri ſplendoris radios in omnes partes diſſecti corporis cœlitus diffundi, totidemque ſingulis locis ardere lampades, quot illic partes corporis haberentur. Hæc verò triduò non ſolùm rumore vulgata, ſed etiam crebrò à Fidelibus conſpecta, quoſdam Eccleſiæ Cracouienſis Canonicos, & Primores, nonnullos etiam fide integros, & conſtantiores Laicos animarunt, vt neglectis regijs minis, ſacras partes illas accuratè colligerent, ſinguláſque apto naturæ ordine inter ſe coniungerent. Vbi tùm contigit miraculum omni admiratione digniſſimum. Nam ſimul atque id ita factum fuit, corpus adeo integrum conſpectum eſt, vt nulla vſpiam vel cicatricum veſtigia apparerent. Longè igitur ſecus euenit, atque Rex, & ſui putarant. Corpus vel mille ſectionibus anteà lacerum, repente priſtinæ integritati, nullo humano ſtudio, vel arte, ſed diuina virtute reſtitutum eſt. Tanta verò odoris ſuauitas inde prodiit, vt omnium nares ea complerentur.* De B. Venceſlao Bohemiæ Rege, ac Martyre ſanctiſſimo, quem fratris Boleſlai deteſtanda crudelitas meliori regno & coronâ donauit, hæc refert Dubrauius. *Corpus præterquam quod à corruptione poſt triennium incolume repertum eſt, inſuper etiam ab omnibus vulneribus erat percuratum: vna tantum auricula capiti defuerat, eam Premyſlaua Venceſlai ſoror ad limen templi, in quo occiſus frater erat, inuentam, arculâ clauſam habuit. Cæterum re, vt geſta fuit, cognitâ, ne quid de corpore ſancto deſideraretur, eandem ſtatim Pragam miſit, ſtatimque illa capiti ſuo adhæſit.* Non minori prodigio caput ſancti Herculani Epiſcopi Peruſini, quem Totilas Gothorum Rex immani peræquè, ac impio edicto iuſſerat obtruncandum, corpori ſuo coaptatum fuiſſe memorat in hæc verba Gregorius Magnus. *Ciues* Peruſini, de imperio crudeliſſimi tyranni in vrbem poſtliminio reduces, & *memores, vbi ſepultum eſſet corpus illius quæſierunt, vt hoc iuxta honorem debitum in Eccleſia beati Petri Apoſtoli humarent. Cúmque itum eſſet ad ſepulchrum, defoſsâ terrâ inuenerunt corpus pueri pariter humati, vtpote iam die quadrageſimâ tabe corruptum, & vermibus plenum*; *corpus verò Epiſcopi, ac ſi die eodem eſſet ſepultum. Et quod eſt adhuc magnâ admiratione venerandum, quia ita caput eius vnitum fuerat corpori, ac ſi nequaquam fuiſſet abſciſſum, ſic videlicet, vt nulla veſtigia ſectionis apparerent. Cúmque hoc & in terga verterent, exquirentes ſi quod ſignum vel de alia monſtrari inciſione potuiſſet, ita ſanum, atque intemeratum omne corpus inuentum eſt, ac ſi nulla hoc inciſio ferri tetigiſſet*: tametſi Comes, qui exercitui, imo & huic impiæ carnificinæ præerat, *eius cutem* (inquit idem beatus Pontifex) *iam mortui à vertice vſque ad calcaneum antè incidiſſet, vt ex eius corpore corrigia ſublata videretur.* Quid referam idem miraculi in vene-

Longin. vit. S. Staniſlai M. cap. 24. Sur. 8. Maij. Cromer. lib. 4. hiſt. Polon.

Dubrau. lib. 4. hiſt. Bohē. ſub fin.

S. Greg. lib. 3 dialog. cap. 13

Sur. tom. 2. vit. SS. 26. Apr. & tom. 6. 20. Nou.

randis Sanctorum Basilei, Eadmundi Anglorum regis, aliorúmque laureatorum martyrum exuuiis diuinitus contigisse: compendiosiùs dixero illa corpora, non imprudenter haberi posse germanas Diuorum reliquias, quibus certò constiterit id honoris à Deo fuisse concessum.

Supr. c. 2. art. 1. Sur. supr. cit. 20. Nouemb.

Quintum esto, inusitatæ quædam actiones, quas, exanima Sanctorum corpora, & aridæ reliquiæ ediderunt, perinde ac si vitali spiritu agerentur. Cuiusmodi sunt mirabiles motiones, de quibus aliàs memini; & locutiones vel abscissorum à reliquo corporis truncocapitum, vti caput Eadmundo Regi à Danis amputatum, & ab iisdem in loco sentibus obsitum, ne in Fidelium veniret manus, abditum, diúque nequicquam conquisitum, edidisse vocem ferunt, quâ voce, quónam tandem loco iaceret, & ab inquirentibus inueniri posset, liquidò significabatur: vel adhuc corporibus suis adhærescentium, cuius generis est insolens, ac planè stupendum Achatij è tumulo loquentis prodigium; quod Climacus sic enarrat. *Post quinque autem dies* (scilicet ab eiusdem obsequentissimi iuuenis morte) *abiit ad magnum quendam illic senem Achatij magister, dixitque illi: Pater Achatius mortuus est. Quod cùm audisset senior, respondit: verè, senex, non id mihi persuades. Qui ait, veni, & vide. Continuò surrexit senex, venitque cum beati pugilis magistro ad cœmeterium. Clamauit, tanquam viueret, ad eum, qui verè in beatâ requie viuebat, dicens, Frater Achati, putásne mortuus es? tum verò gratus ille obediens, etiam post mortem obedientiam ostendens, magno illi ita de sepulchro respondit. Et fieri quomodo potest, Pater, vt moriatur homo obedientiæ deditus? Tunc senex ille, qui pridie illius magister appellatus fuerat, territus in faciem cum lacrymis cecidit, atque à Monasterij Abbate petiit, vt sibi iuxta tumulum eius, cellulam construere liceret.*

Climac. grad. 4. de Obediētia.

Supr. prox. cit. Greg. Turon. lib. 1. hist. Franc. c. 42. S. Chrys. hom. de S. Romano. Niceph. lib. 16. hist. Eccl. c. 36. Procop. lib. 1. de bell. Vand. Bozius lib. 15. de sign. Eccl. 63. c.

Non iterum replico, quod in hanc rem appositè superiùs de Iniurioso retuli ex Gregorio Turonensi, quod sanè plurimum habet mirabilitatis. Hìc non anquiro an maius miraculum sit abscissis linguis loqui (quemadmodum de Sancto Romano Martyre B. Chrysostomus, de Persis, & Africanis martyribus Nicephorus, & Procopius, de Heimeranno Ratisponensi Episcopo Surius, contestatum reliquere) quod Bozius censuit, quàm abscisso, emortuóve capite profari? aliis id euentilandum relinquo, vtiliùs multò & ad institutum meum accommodatius erit.

Sur. 22. Sept. & 18 Oct. vit. S. Iustin. Thyr. de loc. Inf. part. 2. c. 26. n. 11. 12. & seq.

Sextum præsidium addere. Cùm igitur inusitatæ pulchritudinis species ad aliquas Cælituum exuuias adeunti obiectæ; pietatis sensum, & cælestes consolationes eius animo instillarint, veras & legitimas esse reliqaias non immeritò duxeris: è contrario cùm luridæ, tetræ & horrendæ Æthiopum, & monstrorum imagines visæ metum, consternationem, & rerum cælestium nauseam, atque fastidium menti intulerint, illegitimas, & adulterinas censere non iniuriâ poteris. Nolo tanquam recoctam crambem, allata iampridem in hanc rem exempla

exempla iteratò tibi obtrudere. Dixi, *si pietatis sensum, & cælestes consolationes animo instillarint*, quòd hac notâ beatissimus Pater noster Ignatius suos in spiritu filios, vt & suos olim sanctissimus Antonius, ambo viri in palæstrâ spiritus exercitatissimi (ne alios, quos laudat Del-rio, vitæ sanctimoniâ præstantes memorem) tanquam panopliâ impenetrabili aduersus occultas Dæmonum petitiones obarmarunt. Multò certiùs trahetur de illarum veritate, vel falsitate argumentum, si formæ illæ, quæcunque sint (nam quàm sæpe Dæmon se transfigurat in Angelum lucis?) illos, quibus se spectabiles exhibent, ad nefanda blasphemiæ, superstitionis, mendacij, luxuriæ, homicidij, desperationis, & alia id genus detestanda facinora suscipienda, conficiendáque cohortentur, animent, & minis, terroribúsque impellant: aut si contrariis planè permotionibus ad religionem, veritatis amorem, studium puritatis, spem, animíque in paucis demissionem, & reliquas eiusce modi virtutes capessendas, exercendásque inflamment. Quæ enim à Deo, & beatis Indigetibus ad ipsorum sacra lipsana obiiciuntur piè deuenerantibus imagines, non possunt non impellere ad odium vitiorum, amorémque virtutum, quibus cùm vitam viuerent, impensissimè studuerunt.

Supr. lib. 1. c. 9. art. 2. & hoc lib. c. 2. art. 3. S. Ignat. de Loyola lib. exercit. spirit. reg. de discret. spirit. Del-rio lib. 2. disquisit. magic. quæst. 26. sect. 3.

Complura alia eiusdem generis adiumenta diuina pro verarum reliquiarum à falsis, ac suppositiis Sanctorum pignoribus discretione, syncera verorum martyrum acta, aliorúmque Cælituum res præclarè gestæ, sacræ historiæ, Annales Ecclesiastici, priuatarum Ecclesiarum traditio, commentarij, tabulæ, martyrologia, & horarum Canonicarum libri, legentibus, & indagantibus subministrabunt. Superest, vt de mixtis præsidiis pro susceptâ breuitate pauca dicamus.





CAPVT TERTIVM

PRÆSIDIA EX HVMANIS, & Diuinis mixta.



CCVRRIT animo aliud ad secernendas veras Diuorum reliquias à falsis, & supposititiis præsidij genus, quod mixtum vocare placet. Elicio illud ex responsione S. Gregorij Magni, Pontificis maximi ad Diui Augustini Cantuariensium Episcopi interrogationem respondentis olim à me relatâ, & iam nunc necessariò rescribendâ, quæ sic se habet. *Mihi videtur, quia si corpus, quod à populo cuiusdam Martyris, Sixti videlicet, esse creditur, nullis illic miraculis coruscat, & neque aliqui de antiquioribus existunt, qui se à parentibus passionem eius audisse fateantur: ita Reliquiæ, quas petisti, condendæ sunt &c.* Cùm ergo *miracula*, en diuinum præsidium; simul & *antiquiorum testificationes*, en humanum, aliáve similia, ad quæ mortales, pro suâ parte contulerint, ad veritatem aliquarum reliquiarum comprobandam accesserint adiumenta, tùm *mixta* meritò illa nuncupes, quæ, vt plura esse possunt, ita ex illis aliquot sigillatim delibare necessitatis, & operæ pretium est.

S.Greg. interrog.8. Aug. Cātuar. Episc.c.9. Supr.c. 1. Art.3.

ARTICVLVS PRIMVS.

SACRARVM RELIQVIARVM in mediis ignibus integritas illibata.

HOc primum, ac palmarium inter *mixta* constituo præsidium, tum quòd ad venerabilium Reliquiarum, de quarum veritate, vel falsitate, dubitatio subesse potest, certitudinem expiscandam mortales contulerint, odio heterodoxi, orthodoxi fide: tum quòd interminata omnia potentis Dei prouidentiâ in illis mirabiliter medios inter flammarum globos conseruandis explicare sese nonnunquam dignata sit.

Non eò dixi, quod ignorem aliquando veras Diuorum reliquias, Deo iustas, nobísque ignotas ob causas permittente, flammis fuisse absumptas, vt olim cum Galliâ nostrâ defleuimus: sed quòd meminerim non semel earum aliquas ignium ardores, ac voracitatem diuinitus elusisse, falsas autem, & adulterinas vix vnquam, imo (vt veriùs loquar) nunquam, præsertim, quando de iis secernendis à veris actum est, atque Christianos inter, & Hæreticos, aut Gentiles certatum fuit. Mitto dicere quàm sæpe mirabiliter flammæ à venerabilibus Sanctorum Hilarij, Vitinonci, Medoaldi, Meinardi, Stephani Metensis Episcopi, Bertulphi Abbatis aliorúmque pignoribus amburendis casu coniectæ abstinuerint, quòd illa exempla non tam opportunè ad susceptam disputationem faciant, licet non parum conferre possint: eas verò Diuorum exuuias loquor, quas Gentiles vel Hæretici per summam rabiem, ac Christianæ religionis odium plusquam Auernale in ignem abiecerunt, abiectásque, ne Fidelibus deperirent, mirabiliter conseruauit Deus. *Passi* fuerant Berardus, Petrus, Accursius, Adiutus & Otto, è PP. Franciscanorum ordine *beati martyres*, inquit Surius, *anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo, decimo septimo Calendas Februarij, ante mortem beati Francisci anno sexto. Qui illorum vt audiuit martyrium, tanto gestiuit gaudio, tantâ perfusus est lætitiâ, quod facilè exprimi non posset. Corpora autem eorum iussu Regis extra palatium proiecta à Saracenis ligatis pedibus extra vrbem, variis ludibriis circa mœnia tracta tandem penitùs in partes conscissa, in campo relicta sunt, vt bestiis essent in cibum. Christiani verò nocte sequenti ad colligendas sacras Reliquias exeuntes, lapidibus à Saracenis sunt repulsi. Sequenti verò die, quorundam consilio, ne reliquiæ venerarentur à Christianis, vt sanctæ, Rex igni comburendas decreuit. Sed igne copioso accenso, cùm in eum Sanctorum corpora iactarentur, hinc inde flamma declinans reliquit intacta: imo (quod dictu mirabile est) cùm vnum de capitibus in ignem pluries proiectum esset, diuinâ virtute, de igne semper exiliens, nec in capillis est læsum; & nunc cum pelle, & capillis integrum demonstratur. Posteà verò Saraceni pretio sumpto, Christi martyrum reliquias Christianis vendiderunt.* Ita Surius. Multis ante sæculis Persæ eiusdem sacrilegæ impietatis facinus aduersus triumphales, virgineásque sanctæ Martyris Euphemiæ reliquias facere moliti sunt, sed incassum. Rem totam Theophanes, & Metaphrastes de eiusdem temporis Anonymo scriptore in hanc sententiam enarrant. *In eo templo quod est prope id, quod dicitur Hippodromum, erant eiusdem beatissimæ reliquiæ integræ, intactæ, illæsæ. E Chalcedone enim cum arcâ translatæ fuerant Constantinopolim, propter eam, quæ tum fuerat, Persarum incursionem. In arcâ autem fuerat diuina ara collocata, quæ supersanctissimas habebat reliquias: super eam autem peragebatur corporis, & sanguinis Domini IESV Christi, Dei nostri incruentum mysterium. In eadem arca erat paruum foramen, quod etiam stat nunc vsque in hodiernum diem, quod intus ferre potest, quasi manus humanæ magnitudinem. In qua, cùm ego quoque indignus*

Boz. lib. 15. de sign. 63. c. 7.
Sur. 6. Nou. in appẽd. 6. Ianu.
ibid. in vit. S. Melanij.
Sur. 16. Iani.
Theophan. & Sim. Metaphr. 11. Iul.
Baron. ad ann. 766. n. 5.

dignus ausus essem manum inferre, & loculum tetigissem, sensi bonum odorem, & gratiam apprehendi. Dicam autem quoque causam foraminis quod diuino consilio, & prouidentia factum est. Quando enim venerabiles, & miraculorum effectrices erant Chalcedone, cùm impij Persæ eum locum occupassent in diebus Mauritij Imperatoris, moti inuidiâ diaboli, quem colebant; cùm paleæ, & lignorum magnum aceruum circa aram congessissent, eam statuerũt comburere cum venerabilibus, quæ in ipsa erant, reliquiis. Sed nihil valuit eorum barbaricum, & Dæmoniacum incœptum; cùm Deus (prout scriptum est) seruet omnia ossa eorum, qui propter ipsum decertarunt. Ossa ergo eius ignis non tetigit; nisi solùm quod cùm ex arcâ globi forma resiliisset, prouidit, vt facilior daretur ingressus ad Reliquias iis, qui volunt haurire gratiam curationum per priùs dictum foramen. Quod verò ad foramen, eiusque causam spectat, merito refellit Baronius, tum quia longè ante Persarum incursionem oportuit extitisse in arcâ illâ venerandâ foramen ad hauriendum, quod è sacris illis Reliquiis fluebat, sanguine mixtum vnguentum; tùm quia absque eiusmodi vnguentorum scaturigine, foramen in lipsanothecis relinquere mos esset, per quod brandea demitterentur, vti supra pluribus à nobis demonstratum est.

Psal. 33.

Ibid. num. 7.

Supr. lib. 1. cap. 3. art. 3. sect. 2.

Nonnunquam etiam Fideles ad sacrorum pignorum veritatem stabiliendam, aut confirmandam, cùm iusta se dedit occasio, tulítne necessitas, veneranda lipsana exploratorio iniecerunt igni. Olim inuentas in Arianorum templis Reliquias ignibus Orthodoxos probauisse liquidò constat ex Concilio Cæsaraugustano secundo; vbi inter alia illud notatu dignum reperitur, annotante Baronio, *vt sacrosanctæ Reliquiæ, quæ inuentæ essent in Ecclesiis Arianorum, eædem repræsentatæ Episcopis igne probarentur, vt tunc legitimæ censerentur, si ab incendio illibatæ remanerent.* Idem gratiæ à diuina benignitate, prouidentia, & potestate Monachi Cassinenses olim sperantes, in particula lintei, quo pedes discipulorum suorum Christus exterserat, experti sunt. Etenim *cùm plurimi*, inquit Leo Chronographus Cassinensis, *fidem derogarent* (scilicet verúmne, ac legitimum reipsâ foret illud linteum, an adulterinum, quod se Hierosolymis Cassinum attulisse Monachi iactitabant) *illi fide præditi particulam ipsam ardentibus imponunt prunis, quæ mox in colorem ignis versa est, amotis tamen carbonibus ad pristinam speciem mirabiliter rediit.* Parem in Beatissimæ Virginis Deiparæ reliquiis integritatem recenset contigisse S. Gregorius Turonensis, visúmque abs se *hominem*, ait *Ioannem nomine qui à Gallijs leprosus abierat, & in ipso loco, quo Dominus fuerat baptizatus, aiebat se per annum integrum commoratum fuisse. Hic*, recuperatâ tandem sanitate, *Reliquias Beatæ Mariæ ab Hierosolymis accipiens, reuertebatur in patriam; sed priùs Romam abire disposuit. Verùm vbi altas Italiæ solitudines est ingressus, incidit in latrones. Nec mora, spoliatur indumentis, & ipsa quoque capsa, in quâ beata gestabat pignora, capitur. Existimantes enim inimici, auri ibidem sestertias aggregatas, effractâ claue omnia rimantur intentè.*

Baron. tom. 8. Annal. Eccl. ad ann. 592. num. 39.

Leo Chron. Cassin. lib. 2. cap. 34.

Gregor. Turo. lib. de glor. mart. cap. 19.

intentè. Sed cùm nihil in eâ pecuniæ reperissent, extracta pignora in ignem proyciunt, cæsoque homine discesserunt. Tunc ille semiuiuus exsurgens, vt vel cineres exustorum colligeret pignorum, inuenit super carbones accensos inlæsas iacere reliquias, ipsúmque linteum, quo inuolutæ erant, ita admiratur integrum, vt non putaretur prunis iniectum, sed aquis absconditum. Colligitque cuncta cum gaudio, & viam, quam pergebat, ingressus, vsque ad Gallias peruenit incolumis. Hactenus Antistes Turonensis. Venit in mentem,& stylum illibatæ medios inter ignes integritatis exemplum superiori non absimile, quod in sudario Christi exhibitum fuisse diuinitus enarrat in hunc modum Venerabilis Beda. *Sudarium capitis Domini post resurrectionem eius mox Christianissimus quidam Iudæus furatus, vsque ad obitum, diuitiis sibi affluentibus, habuit; qui moriturus interrogat filios, qui Domini sudarium? qui cæteras patris velit accipere diuitias? Maior thesauros rerum, Minor elegit sudarium. Et mox illi decrescunt opes vsque ad paupertatem, fratri autem cum fide crescunt & opes, quod vsque ad quintam generationem fideles tenuere. Hinc ad impios perueniens, diuitias tantùm auxit, vt Iudæis, & hoc multo tempore; donec post longa litigia, quibus Christiani Iudæi se Christi; infideles verò se patrum suorum affirmabant hæredes. Mahuuias Saracenorum Rex, qui nostrâ ætate fuit, iudex postulatur, qui accensâ pyrâ, Christum iudicem precatur,qui hoc pro suorum salute super caput habere dignatus est. Missum ergo in ignem sudarium, veloci raptu, effugiens euolat, & summo in aëre diutissimè quasi ludendo volucritans, ad vltimum cunctis vtrinque intuentibus, sese leuiter in cuiusdam de Christianâ plebe sinum deposuit: quod mane mox totus populus summâ veneratione salutabat, & osculabatur. Habet autem longitudinis pedes octo.* Hucusque Beda.

Bed. l. de loc. sacris cap. 5.

Non ausim affirmatè ac certò huc referre *Crucis examinationem*, quam Carolus Imperator & *Magnus*, & *Christianissimus* lege latâ, hísque conceptissimis prohibuit verbis. *Sancitum est, vt nullus deinceps quamlibet examinationem Crucis facere præsumat, ne Christi passio (quæ glorificatio est) cuiuslibet temeritate contemptui habeatur,* Dixi,*certò & affirmatè*, quòd probè nouerim *examinationem Crucis*, de communiori eruditorum hominum sententiâ, aliud nihil esse, quàm vsu Crucis, precibus ad eam fusis, & ad eiusdem conspectum postulare, prehensare, simul & expectare rei cuiuspiam occultæ manifestationem. Cuiusmodi fuerunt olim *ferri candentis, aquæ frigidæ, duelli, iuramenti ad Sanctorum Reliquias* (de quo mox)aliarúmque id genus apud Iuris vtriusque consultissimos quosque, variarum rerum vsitatissimæ examinationes, siue per illas,indicia, probationes, atque obscuræ veritatis inuestigatæ iudicia, de quibus è Nostris Gretserus, & Del-rio disputarunt: illum autem in paucis consules,si animus tibi sit modum pernoscendi, quo modo huiuscemodi *Crucis examinatio* peragi consueuerat. Quid tamen vetat, vt eam Caroli Magni lege prohibitam, referat quis etiam adillam Crucis explorationem, *quæ & hodie*, inquit Gretserus, *quibusdam in vsu est, qui lignum Crucis in ignem conijcere solent,*

Leg. Francicar. lib. 1. cap. 102.

Gretſ. tom. 1. de S. Cruc. lib. 2. cap. 21. & tom. 3. lib. 5. Paralip. ad cap. cit. & quos laudat Del-rio lib. 4. disq. magic. quæst. 4. sect. 1. & seq.

Suar. tom. 1. de relig. lib. 1. de irreligios. cap. 3. n. 8. &c

Matth. in lib. 5. Diosc. cap. 113.

De Crucis examinatione præter Gretserum citatum.

Vide Del-rio cit. loc. quæst. 6.

lent, & si illæsum in flammis perseueret, tùm primùm pro genuino Crucis ligno reputant? Quemadmodum Matthiolus suis in Dioscoridem notis obseruauit, qui addit non paucas, fraudis inscias, & plus æquo ad credendum faciles mulierculas, à falsarum reliquiarum nundinatoribus decipi, dum ipsis amiâtum pro ligno Dominicæ Crucis venditant, quòd ignibus minimè absumatur. Bonâ igitur cum veniâ Gretseri dixerim laudatis hisce Carolinæ verbis, *quamlibet examinationem Crucis*, comprehendi pariter posse, id explorationis genus, quâ nonnulli piè, impiéve curiosuli tentabant olim exploratorum ignium miraculo consequi, nùm Crucis Dominicæ segmenta, quæ à Fidelibus summâ colebantur veneratione, veræ & germanæ forent eius particulæ? an potius falsæ, adulterinæ, & suppositititiæ? vti ab impiissimis quibusdam nebulonibus in hoc sacrilego falsarum Reliquiarum mangonio exercitatissimis nimiùm sæpe factitatum & legimus. & dolemus. Enimuerò cùm ex citatis Auctoribus, & exemplis constet, sudarium, partem lintei, quo Christus præcinctus discipulorum suorum pedes eluit, & venerabiles Deiparæ Reliquias, ardentibus prunis impositas quondam exploratas, atque adeo pro veris approbatas extitisse: insolens minimè videri debet Crucis Dominicæ lignum eandem examinationis rationem subiisse, ac pro genuino, & natiuo tùm maximè fuisse habitum, & adoratum; cùm inter exploratoris ignis incendia illæsum, ac penitus illibatum perstitisset. At de hac *Crucis examinatione* paucula hæc attigisse satis, supérque fuerit, quod reliquum est, eruditorum senatui meæ sententiæ iudicium relinquo.

Iam illis præmissis, ac positis non leue, pro veritate sacrorum lipsanorum, de quibus inter diuersas Ecclesias controuersia intercedit, argumentum mihi videtur ex eo trahi posse, si illorum quodpiam prunis iniectum, ignes illæsum tulerit, alia non item. Quod Patres Conscriptos Concilij secundi, Cæsaraugustæ in Hispaniâ sub Rege Reccaredo habiti, censuisse superiùs audiuimus: at illi nunquam sancire fuissent ausi (quæ eorum prudentia, doctrina, & religio fuit) vt sacrosanctæ Reliquiæ, quæ inuentæ essent in Ariânorum templis, igne probarentur, eæque veræ, ac legitimæ censerentur, quæ ab incendio exploratore integræ, & illæsæ, Deo, superísque fauentibus, remanerent. Nec tu mihi cum Plinio, aut secundum Plinium obtrudas inuentum fuisse linum, *quod ignibus non absumeretur, viuum id vocant* (verba sunt Plinij) *ardentésque in focis conuiuiorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis splendescentes igni magis, quàm possent aquis, Regum inde funebres tunicæ, corporis fauillam ab reliquo separant cinere. Nascitur in desertis, adustísque sole Indiæ, vbi non cadunt imbres, inter diras serpentes: assuescitque viuere ardendo: rarum inuentu, difficile textu propter breuitatem. Rufus de cætero colos, splendescit igni: cùm inuentum est æquat pretia excellentium margaritarum.* Apud eundem *Amiantus alumini similis, nihil igni deperdit. In Cypri ærariis fornacibus ex medio igne, maioris muscæ magnitudinis volat pennatum quadrupes; appellatur Pyralis,*

Plin. lib. 19. hist. natur. cap. 1.

Plin. lib. 36. cap. 19. lib. 11. cap. 36 lib. 10 cap. 3. 67. lib. 29. cap. 3.

à quibusdam

à quibusdam pyrausta. Quandiu est in igne, viuit; cùm euasit longiore paulò volatu, emoritur. Lignum perfusum ouo, non ardet, ac ne vestis quidem contacta aduritur. Haud procul vrbe Roma in Faliscorum agro familiæ sunt paucæ, quæ vocantur Hirpiæ: quæ sacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini, super ambustam ligni struem ambulantes, non aduruntur. Et ob id perpetuo Senatusconsulto militiæ, omniúmque aliorum munerum vacationem habent. Hæc & alia ignis prodigia referat Plinius, congerat & alia multò plura Maiolus, quæ flammæ adlambere illæsa soleant, lædere nunquam possint: ex quibus conficere te posse putes, nullum trahi debere, aut posse argumentum eas veras, & germanas esse reliquias, quæ ab exploratore igni nullo planè modo fuerint violatæ. Aberras toto cœlo, & terrâ, mi homo, aberras. Quidni enimuerò illas ego Diuorum exuuias, & lipsana pro veris, & legitimis habeam, quas imprimis ad veritatis explorationem consultò prunis iniectas constiterit media inter incendia intactas, & illæsas perstitisse reliquias? Spectat enim ad diuinam prouidentiam, & suam aduersus Fideles, Ecclesiámque vniuersam pietatem, cauere, ne in sacrarum Reliquiarum explorandâ veritate (potissimum si Christianos inter, & Gentiles, Orthodoxos inter & heterodoxos de eâ controuertitur) error vllus irrepat, à quo Christiana fides, Ecclesiæ religio, & Fidelium candida pietas quidpiam capere valeant detrimenti. *Maiol. Colloq. 22. de Igne.*

In huiusce rei confirmationem venit in mentem recordari, quàm frequenter diuinum numen, in aliis rebus inter ignium voraces globos mirabiliter conseruandis, interminatam suam explicuerit potentiam, cùm de veritate fidei Catholicæ asserendâ, constabiliendâ, confirmandâque agebatur. Duo, triáve illustria protulisse in hanc rem exempla sufficiet. Rossis fidei catholicæ veritatem, missus ad eos à Basilio Imperatore Episcopus persuasit, cùm ipsis postulantibus liber Euangeliorum in caminum ardentem coniectus, & per multas horas ibi relictus, tandem extincto igne integer, nec vllo afflatus ardore fuisset repertus non sine maximâ contuentium, & contendentium stupore, ac voluptate, vti Zonaras & Cedrenus fideliter retulerunt. Cùm inter Hispanos sæpe sæpius de B. Isidori, seu (vt vocant) Mosarabum Missâ retinendâ, abiiciendâve, vel potiùs cum Romanâ liturgiâ permutandâ communi consensu, incassum tamen fuisset actum; *visum est* (inquit noster Ioannes Mariana secundum Villegam) *controuersiam ignis indicio permittere: Sic eius sæculi mores erant rudes, & agrestes, neque satis expersi ad Christianæ pietatis regulam. Rogo in plateâ accenso liber vterque Romanus, & Gothicus in ignem proiecti, & Romanus quidem continuò ex igne prosiliit: id populus victoriam interpretabatur: nam liber alter sub igne, & flammis diu permanens, illæsus inuentus est. Rege arbitro, populo nihilominus persuasum, vtranque precandi rationem superis placere, quando vterque liber ex incendio euasisset incolumis.* Hæc ille: reliqua in rem meam minimè necessaria volens *Del-rio sup. cit. sect. 3. Villeg. disp. hac de re, post Hispan. SS. vitas. Marian. lib. 9. de reb. Hisp. cap. 18.*

lens missa facio. Non minùs admirabile & Deo dignum à, B. Ephrem Antiocheno Patriarchâ susceptum audacter, confectúmque feliciter facinus fuit, quo Monachum stylitem ab Seuerianæ hæreseos impietate reuocaret. Illud ego è Prato spiritali, tanquam eximium florem, Sophronij manu consitum, & in hanc nostram areolam transuectum hîc pango. Hortatus ergo Stylitem, *vt accederet ad sanctum Apostolicum thronum, & communicaret sanctæ, & Apostolicæ Ecclesiæ* (verba do auctoris ipsissima) *Dicit ad eum Stylites: accendamus ignem, Domine Patriarcha, & ingrediamur simul, & quem flamma non læserit, ille Orthodoxus erit, illúmque sequi debemus. Hoc autem dixit, vt terreret Patriarcham. Respondit sanctus Ephrem Stylitæ: Oportebat quidem te, Fili mi, tanquam Patri obtemperare, nihilque ampliùs à nobis quærere: quoniam verò rem postulasti excedentem quidem vires infelicitatis meæ, confido tamen in miserationibus filij Dei, quia tuæ salutis causâ, & hoc faciam. Tunc ait D. Ephrem adstantibus omnibus. Benedictus Dominus, afferte huc ligna. Cùm verò allata essent ligna, succendit illa Patriarcha ante columnam, dicitque Stylitæ: Descende nunc vt iuxta decretum tuum ingrediamur ambo. Stupefactus ille ad Patriarchæ constantiam descendere noluit. Tunc dixit ad eum Patriarcha: Nonne tu hoc fieri petiisti? & quomodò id nunc facere non vis? Tunc exuens se, qua indutus erat, stola Patriarcha, cùm accessisset prope ignem, orauit dicens: Domine IESV Christe, Deus noster, qui propter nos dignatus es de sancta Domina nostra, Dei genitrice, sempérque virgine Maria incarnari, &, nasci ostende nobis veritatem. Et completa oratione, iactauit stolam suam in mediis ignibus. Cùm autem ignis, quasi per tres horas, durasset, lignáque iam igne consumpta essent, tulerunt inde stolam integram ita vt nulla ignis indicia in ea deprehendi possent. Tunc Stylites videns, quod factum fuerat, certior de veritate factus, anathematizauit Seuerum, & eius hæresim, accedénsque ad sanctam Catholicam Ecclesiam, de manibus Sancti Ephrem communicauit, & glorificauit Deum.*

Sophron. prati spirit. c. 36.

Mitto sexcenta, vt ita dicam, huc exempla conuehere, quibus euincere possem bene multos mortales ab ignium exploratoribus incendiis ad Fidei Catholicæ veritatem, vel innocentiam suam in dubium vocatam vendicandum, diuinâ virtute illæsos perstitisse, sed hoc me labore Gretserus, Del-rio, Maiolus, aliique non pauci iampridem leuauerunt.

S. Greg. Turon. lib. de glor. mart. c. 14. Idem lib. 2 hist. Fräc. c. 1. Leontius vit. S. Io. Eleemos. apud Sur. Polyd. Virg. lib. 1. hist. Angl. &c. Quercetan. mox citand.

Attamen quod Andreas Quercetanus in eruditis suis ad Bibliothecam Cluniacensem notis retulit, silentio præterire non possum, quòd nostram hanc de verarum Reliquiarum discretione sententiam luculenter illustret. Testatur enim *legi in vita S. Guillelmi Abbatis, de Dacia vulgo dicti*, virum non minùs fide, quàm innocentiâ præstantem *contra calumniatores quosdam verum sanctæ Genouefæ Virginis caput in capsa sua reclusum asseuerantem; id ipsum se per ardentis clibani indicium probaturum, publicè protestatum fuisse.* An verò ad id explorationis ventum sit, non meminit, certè hinc colligas rectè, ac prudenter euinci-

Andr. Quercet. in not. ad Bibl. Cluniac. lib. 6. ep. Petr. Vener. 28.

euinci, hoc Ecclesiastico ignis exploratorij examine sacrarum reliquiarum veritatem probari posse: hæcque satis supérque esse possunt, vt ex sacrarum reliquiarum, quæ mediis è flammis illibatæ diuinitus euaserint, integritate, ipsarum præ aliis veritas prudenter affirmari, credíve possit. Cùm ad eas ab ignium voracitate conseruandas neque innata proprietas, vt prolatis lapidibus, plantis, animantibus vsuuenit; neque Dæmonis, vt fit persæpe, ad omne fraudium genus facti, fictique malitia, & ad agendum vis maxima: sed sola Dei omnia potentis benignitas, atque potentia pro venerabilium reliquiarum cultu, fide, ac religione propugnandâ & roborandâ contulisse, post maturum eruditorum hominum iudicium ac censuram cognoscetur.

Quando autem, & quo pacto ad huiuscemodi ignium probationem descendere integrum esse valeat, fusiùs Theologis disputandum relinquo: veruntamen, vt breuiter dicam, quod censeo: in eâ sententiâ sum interdum ius, fásque esse posse, sacrarum Reliquiarum, de quibus dubitatio sit, veritatem nobis obscuram per ignem explorare. Primò, cùm neque de Diuini Numinis scientiâ neque de potestate, prouidentiâ, aliáve ipsius perfectione dubitatur: secundò, cùm alia omnia præsidia, quæ superius protulimus, deficiunt nos, per quæ de sacrorum Lipsanorum veritate certi nihil constare potest: tertiò, cùm illa quidem vera, germanáque credimus esse Sanctorum pignora, *volumus* tamen *clarius signum accidere* (quod de Beato Abrahamo, parente fidei nostræ sapienter dixit Chrysostomus) *quod possit infirmas nostras cogitationes solidare*: quartò, cùm de Reliquiarum veritate minimè dubij, propter maximam Dei Optimi Maximi gloriam, honorem beatorum Indigetum, communem, priuatámve Ecclesiæ fidem, Fidelium consolationem, conuersionem Infidelium, & debitam erga Sanctorum exuuias venerationem amplificandam, maiorem, firmioremque certitudinem, veræne sint, an adulterinæ? expiscari humiliter peroptamus; quintò, cùm Ecclesiæ Pontifices, & Concilium legitimè coactum necessarias, & iustas ob causas id factitandum sanciuerint. Tùm enim nulla Dei tentandi subesse potest suspicio; *cùm*, auctore Diuo Thomâ, *subsit iusta necessitas, seu pia vtilitas, & alia, quæ ad hoc concurrere debent*. Sextò cùm ita sumus animo bene comparati, vt de sacrarum Reliquiarum veneratione nullo penitus modo dubitaturi simus, tametsi Deus, pro suâ prouidentissimâ cognitione, noluerit in eiuscemodi ignium exploratione nostris votis obsecundare. Ad vltimum, cùm ex diuinâ permotione, ad illud desiderandum, audendum, perficiendúmque sumus adacti. Harum verò causarum si plures, vel potiùs omnes, ad eiuscemodi ignium explorationem suscipiendam confluxerint, nihil admodum video, quid plus irreligiositatis, ac noxæ in eâ committi possit; quàm cùm Elias propheta populo *claudicanti in duas partes* & animo fluctuanti, veríne Dei, an Baalis cultum esset amplexurus, proposuit, *Deus, qui exaudierit per ignem*; *ipse*

Valēt. tom. 3. disp. 6 quæst. 14. punct. 2. Suar tom. 1. de relig. lib. 1. de irreligios. c. 2. Del-rio loc. cit. sup. Baldell. lib. 4. disp. 17. &c. quos citat. tom. 2. theol. moral. Chrys. hom. 37. in Gen.

D. Thom. 2. 2. quæst. 97. art. 1. & seq & quæst. 178. art. 1. & 2. & Caiet. ibid.

3. Reg. c. 18. v. 21. & 24. & seq.

ipse sit Deus: admissâque perquam libenter à populo conditione, sacrificium apparauit ipse, quódque suspicias magis, apparatam victimam, præter prudentiæ leges, plurima aqua perfudit, & pia, humilique ad Deum fusâ prece, *Cecidit ignis Domini, & vorauit holocaustum & ligna, & lapides, puluerem quoque, & aquam, quæ erat in aquæductu lambens.* Ecce tibi, quàm ratum, sanctúmque id facinoris, & cœlestium ignium exploratio quàm Deo accepta extiterit: audi verò quid intulerit Deo gloriæ, & populo vtilitatis. *Quod cùm vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, & ait: Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.* At de his satis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Sacrarum Reliquiarum salutifera intinctio.

HAnc inter mixta Præsidia secundo loco propterea repono, quòd frequenter à Maioribus nostris vsurpatam fuisse meminerim, ad omnis generis ægritudines diuinitùs persanandas. Consueuerant enim vino, vel aquâ, quibus tam Sanctorum exuuias, quàm ipsarum thecas amabant intingere, magno cum fidei, ac pietatis sensu religiosè epotis mirificas procurare, ac perficere sanationes. Id piæ consuetudinis, vt ab aliis Christianis nationibus vsurpatum recolo, ita & Nostratibus vulgò in moribus fuisse, & ab ipsis populari voce, *Le sainct vinaige*, nuncupatum olim, atque etiamnum quàm pluribus in locis, quò præsertim hæreticæ prauitatis virus se non penetrauit, vocitari habeo pro comperto.

Ordior à Crucis Dominicæ intinctione, cuius historiam Ioannes Robles Corualan Hispanico scripsit idiomate primùm fusè, tum Melchior Treuinnius è Societate nostra Theologus in Latinum compendium redegit. Ea Crux, siue potius Crucis portio Carauacæ asseruata, pars illius, in quâ Christus affixus salutem humani generis moriendo restaurauit, fuisse, ac tertiâ Maij die Carauacam ab Angelo delata piè ab incolis creditur. *Ipsâ autem die*, inquit iste, *pro antiqua consuetudine adhibetur cærimonia, quâ sancta Crux immergitur in aquam.* Modus verò religiosæ huiusce intinctionis hic est. *Horâ septimâ matutinâ sancta Crux è sua theca super ferculum pulcherrimè exornatum imponitur, & supplicationis agmen exit, proceditque per spatium bis mille, & quingentorum passuum, partim intra, partim extra oppidum, donec perueniatur ad columnam, in qua Christi de Cruce pendentis effigies. Hanc columnam præterfluit riuus, siue torrens, qui maiorem partem hortorum adiacentium irrigat. Ibi (nisi hospes aliquis Ecclesiasticâ dignitate insignis præsens sit, cui hic honor habeatur) Sacerdos, cui ex officio incumbit, qui de more est Parochus oppidi, ex sodalitio S. Iacobi, Crucis è suâ thecâ extractæ partem extremam*

Treuinnius Comp. hist. S. Cruc. Carauac. cap. 5. Ioan. Robles Corualan. hist. de S. Cruce Carauacen. Melch. Treuinn. hist. eiusd. compē. cap. 17.

extremam ter vndis immergit, non tamen, vt vult Oncala, nudum Crucis pedem, sed pedem auro inclusum, & obductum. Quo tempore nullus est claudus, aut aliâ corporis infirmitate debilitatus, & implicatus, qui non illicò se in aquas immittat: &, si fides eorum meretur, aut ad animæ salutem conducit, multis valetudo restituitur. Alij in vasculis aureis, vel argenteis aquam à pede S. Crucis emanantem excipiunt, secúmque auferunt morbis, & ægritudinibus variis salutarem medicinam. Rursus post pauca, quo tempore is mos religiosæ intinctionis occœperit, in hunc modum enarrat. *Hæc consuetudo intingendi S. Crucem in aquas (vt retulit Ferdinandus Lopez Sacerdos, de quo superius) introducta fuit circa annum MCCCLXXXIV. quando ciuitas Lorcensis, & oppidum Totanum vexabatur à locustis, agros, vineas, & arbores gregatim depascentibus, pérque suos ciues Carauacam ablegatos petebat, vt sancta Crux, magistratus vtriusque permissu, in aquas immergeretur, de quibus ad plagam auertendam secum aliquid domum deferrent. Nec secus, ac sperarunt, euenit; cùm locustæ omnes triduo perierint, & mos ab hoc tempore Crucem quotannis in aquas intingendi inuiolabilis permansit, vndæque, vt loquitur Oncala, Crucis contactu sanctificantur. Et addit hæc; confestim densatis nubibus, imber descendit, & arua exsucca adeo fœcundantur, vt fruges hominibus, & pabula alendis pecoribus copiosè producant. Cuius rei non auritum, sed oculatum testem me fateor, qui vt scriptis meis fidem maiorem conciliarem, illuc profectus sum. Affirmant quoque oppidani ætate prouectiores, se nunquam meminisse hanc festiuitatem sine opportunis & exoptatis pluuiis celebratam, quæ vna causa est, cur fructus colligantur vberiores, & vrbs illa præ reliquis in vicinia, opibus abundet. Et hoc quidem munere compensat Deus naturæ vitium,* & reliqua. Sileo aliud miraculum persanationis, ope, ac beneficio aquæ, cui eadem Crux Carauacensis immersa fuerat, diuinitus accuratæ; vt, quæ idem Treuinnius de simili in aquam immersione frustilli sanctæ Crucis loco supra laudato memorat, in hæc verba subiiciam. *Sed non adeo mirandum ex huius bipalmaris Crucis immersione tot prouenire, & scaturire miracula. Scribit enim Illescas, parte secundâ Pontificalis, cùm agit de Pio IV. Pontifice, Ioannam Philippi II. Regis Hispaniarum sororem, Principem Lusitaniæ, habuisse frustillum ligni sanctæ Crucis, quod nunc asseruatur Madriti in cœnobio Monialium discalceatarum S. Francisci ab ipsa fundato, illudque iussisse intingi in aquam, & potandam dari ægrotantibus, qui pio affectu peterent. Et nouimus multorum corporibus attulisse sanitatem: multorum, inquam, non omnium, occulto Dei iudicio. Nam anno MDLIX. mense Octobri, nobilissima matrona, Maria de Castro, vxor Francisci de Cisneros, grauissimo morbo conflictata, summis precibus institit apud prædictam Principem, vt sibi mitteret aquam, cui portiuncula Crucis iniecta. Misit, sed non profuit; quia decumbenti præsentes notarunt ex vasculò emicuisse aliquid sanguinis, ex quo statim Ioanna Princeps collegit illam non conualiturã, pluribus asserens idipsum accidisse. Prædictionẽ comprobauit Mariæ paulò post mors secuta.* Hæc hactenus pius scriptor.

& cap. 11.

Idem cap. 29.

Idem cap. 17. supr. cit. Illescas 2. part. Pontifi.

Cæterum ex iis, quæ de salutifero Dominicæ Crucis ligno in aquam religiosè immisso retuli, venit in mentem, memoriámque, recordari salutiferi pariter illius ligni, *quod*, monstrante Deo, Moyses *cùm misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt*, vt sacri loquuntur codices. Quod autem fuerit lignum? eáne ad dulcorandas Maræ aquas facultate naturaliter imbuta fuerit, an illi præter naturæ vires, aliam insuper mirabiliter Deus indiderit? quáve ratione noxiam aquarum amaritudinem tam citò lignum illud abegerit? Valesio, Antonio Ponce, & Hieron. Bardi medicis; Caietano, Pererio, Cornelio à Lapide, Lyrano, Tirino, & cæteris sacrarum literarum interpretibus euentilandum relinquo: malo cum istis sentire, affirmaréque hoc salutari Mosis ligno, viuificam Christi seruatoris Crucem graphicè fuisse expressam, multóque minus mirandum esse, ab huiusce pia intinctione aquas medicam ac salutarem ad ægritudines, humanásque calamitates auertendas & funditus auerruncandas diuinitus contrahere consueuisse.

Exod.cap. 15. v.25. Ecclesiast.cap. 38.v. 3. Iudith cap.5. v.13.& ibid. Interpr. Vales.lib.de sacr. philos. c. 15. Ant.Ponce. in Auicen. opus.5. Bardi lib. medic.politic. cathol.cap. 5.append.3. §.7.

De reliquiis sancti Romani Abbatis hæc scribit Gislebertus, *Romani vino brachium lauatur beatissimum* à Rainulfo scilicet, Abbate Valliensi, quò mulier, quam infestus agebat Dæmon, curari posset. *Vinum verò ori mulieris infunditur Domini Abbatis manibus, ac vix per meatus intrauerat, in venásque se diffuderat vis vini, quod cœpit pugnare cum Dæmone, vtpote sacratum sancti contactu corporis. Sic in vno corpusculo contraria pugnant duo; vinum, quod lætificat cor; Dæmon, qui corpus possessæ agitat. At vicit vinum bibitum Dæmonis monstrum pessimum, & sancti Romani precibus cum riuo tetri sanguinis Diabolus excluditur, & exit.* Cùm verò mulier penè iaceret exanimis, eámque mortuam coniux queribundus defleret, *fusis super* iacentis *faciem lacrymis Rainaldus, Abbas humilis, iterum vinum brachio sancti Romani sacratum infundit labiis mulieris, quod vt glutiuit, surgit lento conamine fœmina de pauimento, & gratiam Deo, ac sancto agens Romano dicebat: Bene venisti, Pater Itale, Gallicanam nostram prouinciam dignissimè inuisere. Sicque soluta à catenis Diaboli læta remeauit ad sua, plenis gradiens incessibus.* Hæc Gislebertus de mulieris energumenæ sanatione per vinum à brachij sancti Romani contactu salutiferum accuratâ. Non absimile miraculum Auctor Anonymus in vitâ sancti Genulphi apud Ioannem à Bosco, in religiosæ illius consuetudinis confirmationem, retulit in hæc verba. *Quidam è proximo loco, nihilo minus sæuitiâ Dæmonis plenus vinctis manibus ad Monasterium est adductus; cúmque fratres sanctorum Reliquias lauissent vino, & ipsi porrexissent, mox per os eius cum sanguine Dæmon exiuit.* Audi quid Aymarus Falco in eandem mirificam & salutarem venerabilium Reliquiarum intinctionem super sancti Antonij Lipsanis enarret. *Ab antiquo*, inquit, *ad nostra vsque tempora extitit obseruatum, vt dicti sancti corporis Reliquiæ vino perfundantur, quod inde reseruatum, diuersorum morborum remediis vtilissimum affluenti populo propinatur, atque exhibetur, innumeris profectò experimentis probatum,*

Gisleb lib.2. de miracul. S.Rom.ca.18

Auct. Anony. lib.2.vit.S. Genulph.c.33

Aym.Falco part.2. Compend. hist. Antonian. cap.40.& 3. part.cap. 27.

probatum, & eius sanctificati vini virtutem aduersus sacri ignis incendia præsentaneam afferre medelam. Eóque ipso, quo scribimus, anno, plurimos nouimus irroratione, & conspersione vini illius ab ea sacri ignis lue, non sine summa diuinæ virtutis contestatione fuisse curatos. Nostráque memoria Reges, & Principes eo salutari remedio vsos fuisse perspicuum est. Quapropter eiusdem vini sanctificationem sedes Apostolica comprobauit, decreuitque nullibi licere tale vinum conficere, præterquam in ipso, quo sancti corporis reliquiæ conquiescunt, Beati Antonij monasterio, quod in Viennensi agro situm est.

Verùm non Sanctorum modò lipsana, sed etiam Lipsanothecas vino proflui solitas eiusdem Auctoris Anonymi Floriacensis probat testificatio, quâ testificatione pestem Gordonicenses dirum in modum depopulantem, & tandem vi precum, ac Reliquiarum S. Mauri præsidio, beneficióque depulsum bene multis describens hæc apposite in rem nostram memorat. *Expositis ergo in planitie eiusdem oppidi cuppis, defertur vinum certatim in amphoris* (nam vt post paulò ait) *idem castrum præ cæteris vino abundabat, & gaudium erat cuique, qui illud præbere valebat) & aliis vasis deportando vino aptatis, & funditur in eis, quatenus loto feretro, quo beati martyris continebantur membra, ex illa potione, quasi de ipsis condita membris, velut de confectione aliqua medicinali omnes potarentur. Videres nimirum omnes cateruatim confluere, vniuersæ ætatis sexum deferre cyathos, scyphos, crateras, & cuiusque generis vascula ad suscipiendum potum. Suscepto ergo in suo quisque calice illius medicaminis haustu, nequaquam aliquid, vt fieri assolet, exinde domi residentibus deportabat, priusquam sufficienter reficeretur, metuens si vel modica, postquam susceperat, morula intercederet, ne subita lues se perimeret. Etenim qui amplius ex eodem potum haurire poterat, ampliorem salutem se promeriturum sperabat.* Ita pluribus Auctor Anonymus, qui alia refert exempla variarum sanationum, ad quam ex morbo reditum est per eandem salutarem venerabilium reliquiarum Sancti Benedicti intinctionem. *Quicunque*, inquit, *febricitantium, siue quotidianis, siue tertianis, siue quartanis detentus fuit typhis; si aqua aut vino lauerit aliquam particulam lignorum ipsius arcæ* (quâ scilicet olim Sancti Benedicti exuuiæ occlusæ fuerant) *& eandem potionem, fide opitulante, hauserit: confestim emortua febre, sanus euadit.*] *Quod frequenter probauimus experimento multiplici.* Reliquis omissis, vnum duntaxat profert Verani, qui diu Floriacensibus moderatus fuerat, mirificæ curationis exemplum. *Is cùm quartanis validè per menses fere ter binos adureretur febribus*, tentatâ plurimorum medicorum ope, ne quidem profecisset hilum, *Diluculò cuiusdam diei surgens à lectulo, manibus suorum deportatus cubiculariorum, Ecclesiam intrauit, coram altari, in quo prædictæ conditæ fuerant Reliquiæ, sese in pauimento prostrauit, fletu, & gemitu subueniri sibi exposcens, beati Patris precibus: postremo de soli duritia subleuatus, & vlnis suorum baiulorum sustentatus, rogat custodem prædictorum sacrorum ossium, aliquam arcæ portiunculam*

Anonym. Floriac. lib. 4. de mirac. S. Bened. c. 21. apud Io. à Bosco.

Ibid. c. 25.

portiunculam sibi afferri, mero ablui, & sibi tribui. Quod cùm impetrasset, hausto eiusmodi potu, corde deficiens, de manibus sese baiulantium, ad terram prolapsus cecidit. Omnem deinde superflui humoris abundantiam, quæ sibi eam ægritudinem intulerat, euomens, per spatium fermè vnius horæ, humi prostratus iacuit, mentis deliquium passus. Vnde resumptis aliquantulum viribus, sese erigens, denuo ad lectulum deportatus, & tranquilla quiete paululùm soporatus, nullam ipsius morbi deinceps sensit angustiam. Cognouit ergò potiorem fore medicinam, omnipotentis Domini exposcere in infirmitate clementiam, quàm in pretiosarum succis, & viribus confidere herbarum. Hactenus ille. Quod verò de aquâ, in quam Sancti Benedicti exuuiæ immergi consueuerant ad febrium ardores extinguendos, Anonymus ille retulit, mihi reuocat in mentem, quod memini me legere apud Surium de sacris beati Guidonis pignoribus aquâ prolutis ad omnis generis ægritudines propulsandas. Ille enim agens de solemni venerabilium illorum Lipsanorum translatione sic infit. *Clerus, & populus, mandante Episcopo, triduanum celebrarunt ieiunium, atque ita ad sacrum sepulchrum accedentes, ossa beati viri è terra effoderunt, & cum magno tremore ad fontem ea abluentes, in media Ecclesia in congruum loculum reposuerunt. Ad eam translationem multa è vicinis pagis confluxit turba, & quotquot vel febribus, vel aliis vexati morbis, ex aqua, qua sacra eius ossa abluta fuerant, gustarunt, mox incolumes effecti sunt.* Nescio quid maioris, & vtilioris mirabilitatis contraxit aqua, in quâ Sancti Osuualdi, Anglorum Regis, & martyris ablutæ fuerant exuuiæ. Cùm enim Cœnobitæ Beardanenses erga regias illas reliquias parum pij, à columnâ lucis, quæ ab illis ad cælum vsque porrecta per totam noctem steterat, religiosiorem aduersus easdem animum seipsis meliores facti induissent: *mane facto*, inquit Beda, *qui pridie abnuerant* eas *excipere (quia etsi sanctum eum nouerant, tamen quia de alia prouincia ortus fuerat, & super eos regnum acceperat, veteranis eum odiis etiam mortuum insequebantur) diligenter ipsi petere cœperunt, vt apud se eædem sanctæ, ac Deo dilectæ reliquiæ conderentur. Tota igitur ossa intulerunt in thecam, quam in hoc præparauerant, atque in Ecclesiâ, iuxta honorem congruum, posuerunt; & vt regia viri sancti persona memoriam haberet æternam, vexillum eius super tumbam ex auro, & purpurâ compositum apposuerunt, ipsámque aquam, in quâ lauerunt ossa, in angulum sacrarij fuderunt. Ex quo tempore factum est, vt ipsa terra, quæ lauacrum venerabile suscepit, ad abigendos ex obsessis corporibus Dæmones, gratiæ salutaris haberet effectum.* Cuius diuini prodigij exemplum perquam illustre pergit enarrare, & Reginæ Merciorum, Offridæ confirmare testimonio asserentis *quòd de puluere pauimenti, in quo aqua lauacri illius effusa est, multi iam sanati essent infirmi.*

Sur. in vit. S. Guidonis 12. Sept. & 5. Sept. de reliq. S. Meinulphi aqua lotis Oct. 15. S. Osuualdi Vvigor. Episc. & S. Heduuinges.

Beda lib. 3. hist. Angl. c. 31.

Cæterùm quo ritu religiosa illa sacrarum reliquiarum intinctio soleret peragi, Christianæ antiquitatis curiosus nonnemo perquam libenter nosse fortè desideret. Hunc ego è chartâ pergamenâ, quam in

rerum

rerum ſacrarum apothecâ neglectim ſeruatam reperi, à me depromptum tanquam eximium nobiliſſimæ Lugdunenſium Eccleſiæ & Noſtratium pietatis monimentum, hìc exarare non grauabor, ſi priùs dixero id moris Lugduni, in Diui Ioannis Baptiſtæ (vbi eius olim integra maxilla (Biturigum Ducis donum auro, gemmíſque omnibus multò pretioſius, nunc perexigua duntaxat portio ab Hæreticorum rabie, manibúſque vix reliqua viſitur) id inquam pij moris viguiſſe, vt ſacroſancta ea maxilla, ad omnis generis ægritudines depellendas ſalutifero vino intingeretur. Sic verò ſe habet. *Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nunc, & vſque in ſæculum. Adiutorium noſtrum in nomine Domini: qui fecit cœlum & terram.*

Oremus. Deus, qui hominem mirabiliter creaſti, & mirabiliùs reformaſti, qui dediſti medicinam ad recuperandam humani corporis ſanitatem, per interceſſionem Beatæ Mariæ Virginis, & Præcurſoris Domini, & beati Stephani protomartyris tui, & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei, da benedictionem ſanctam de cœlis ſuper hanc medicinam, antidotum, vel poculum; vt in cuius corpore intrauerit, ſanitatem animæ, & corporis percipere mereatur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Filium tuum &c. Deinde *tingat de reliquia vinum, faciendo crucem. Sanctificet te Pater, † Sanctificet te Filius, † Sanctificet te Spiritus ſanctus. † Oremus. Omnipotens, ſempiterne Deus, da cordibus noſtris illam tuarum rectitudinem ſemitarum, quam beatus Ioannes Baptiſta in deſerto, vox clamantis, edocuit. Per Dominum noſtrum, &c.* Atque hæc fuit ſacri, ac ſalutaris illius vini benedicendi, conficiendíque ratio à Lugdunenſibus vſurpari ſolita; à quâ intinctione, cùm inuictiſſimi martyris maxilla ſæpe ſæpius vino macerata, & furto ſenſim ſubrepta minueretur, operæ pretium fuit, quod erat reliquum, auro illaqueare, vt rapientium ſacrilegis manibus ſubduceretur. Religioſam hanc ſacras Reliquias vino immergendi, ac benedicendi conſuetudinem vigere Anicij, antequam in Societatem admitterer, adoleſcens vidi, vbi ſingulis quibuſque diebus feſtis, & maximè Dominicis, huiuſmodi vinum ſacris expiatum ritibus è templo egredientibus in dexteræ volam effuſum propinabatur, quo prægustato religiosè facies, atque in paucis oculi proluebantur: an verò certâ aliquâ formulâ, ritu, conceptíſque verbis ad religioſam illam ſacrarum reliquiarum intinctionem vterentur, accepi nihil. Præter iſtiuſmodi vini ſalutiferi vſurpationem venio in memoriam alterius piæ conſuetudinis, quâ ſanctæ Anicienſis Eccleſiæ Canonici quotannis, hebdomadâ (ſi bene memini) ſanctâ, Dei genitricis imaginem à tot tantíſque miraculis toto orbe Chriſtiano celebrem, vino eluere ſolemne eſt, vti refert Noſter Odo Giſſæus, qui tamen ſacrum illud Deiparæ ſimulacrum, ſacro Ioannis Baptiſtæ die, anno M D C X. ſpongiâ vino perlitâ fuiſſe ablutam teſtatur, haud dubiè ad religioſas variarum ægritudinum perſanationes, aliáque id genus beneficia diuinitus impetranda, ex veteri Noſtratium more, factitatum olim vidi, & iam fieri credo.

Odo Giſſ. lib. 2. hiſt. Deip. Anicienſ. cap. 9.

Huc referre non verear, quod P. Ioannes Bourghesius, è Societate nostra Theologus litteris mandauit de lapillis, in agro Foyensi, seu Fidei repertis haud procul à Diuæ Virginis sacello, quos ægrorum potioni solitos iniici memorat ad morbos abigendos: Auctoris ipsissima do verba. *Ager est proximus sacello Virginis: in eo leui terræ conuersione, splendentes gemmarum in morem effodiuntur lapilli tantâ colorum varietate, ac venustate, vt natura, vel naturam supergressus Deus, in iis mirificè lusisse videatur. In his adamantis candidus nitor, in his Onychius pallor; in istis pyropi micat ignis, in aliys crystalli lux effulget: quidam chrysolithi aurum, aliy smaragdi virorem, lac aliy galactites, aliy opali rosam, aliqui amethysti purpuram, aliy hiacynthi violam; nonnulli coralli coccum, aliy hæmatitæ sanguinem æmulantur: nonnulli saturum ruborem amant, aliis dilutus rubor gratiam conciliat: denique videtur in hunc agellum Beata Mater omnium gemmarum colores, ac pretia transfudisse. Quodque magis mirandum, diuiniorem quandam vim iis indidisse ad salutem mortalibus impertiendam. Nam plurimi solo lapillorum attactu grauissimis leuati sunt doloribus, ac periculosis erepti morbi: febricitantibus verò passim haustus puluisculus lapillorum, aut potio, cui fuerit iniectus sacer lapillus; segminum denique vtriusque quercus saluti fuit. Theologo, viro iam ætate prægrandi, mihi eiusdem vitæ rationibus aliisque multis nominibus coniuncto, cùm pestifera lues grassaretur, enatum vlcus pestilens, ac lethale ab aure in humerum; vt de vitâ planè conclamarent medici. Venit in mentem Deiparæ Foyensis opem implorare, ac lapillum vlceri imponere, tum aquam, cui lapillus sacer erat iniectus, potare, voto nuncupato se quinquies ad aram Virginis Foyensis facturum. Illicò sensit vlcus maturuisse, ac præter spem medicorum erupit, eâque viâ expurato omni noxio humore pristinæ saluti restitutus, multos adhuc annos sanctæ Theologiæ lucubrationibus, ac sanctissimæ Matris laudibus celebrandis impendere se posse confidit.* Hæc & alia plura Marianus scriptor. Certè diuinam, & salutiferam sacrorum huiuscemodi lapillorum vim Nobilis viri ab acutissima febre non tam decumbentis, quàm penè conclamati restituta salute, olim expertus sum. Atque, vt finiam, non immeritò dixerim, quando huiuscemodi supra naturam, eique inditas à Deo vires, ad aliquorum indigetum lipsana patrantur effectus mirificè salutares: illa ego verè germana esse, præ aliis censuerim, ad quorum intinctionem tale fit nihil; si quidem de ipsorum veritate subrepat aliqua dubitatio, controuersiáque iactetur.

Bourghes. lib. Soc. Iesu Mariæ sacra. cap. 26.

ARTI

ARTICVLVS TERTIVS.

Iusiurandum ad Sanctorum lipsana vsurpatum.

QVando ad sacrosanctas cœlituum reliquias, siue criminis à se mouendi, siue innocentiæ suæ probandæ, siue anquirendæ veritatis causâ, solemni adacti sacramento, & illud falsò iurantes, continuò, vel paulò post à Cacodæmone correpti, vel incidente corpori, animóve aduersâ quapiam affectione occupati, dirum in modum fuerint diuexati: tum faciliùs creditu est eas veras, legitimásque reliquias existere, si ad reliquarum, quæ eædem alibi creduntur asseruari, examen, & explorationem nihil peræquè contigerit. Vtrumque verò apud maiores nostros vsu venire solitum non pauci viri bene literati iampridem obseruarunt.

De examine quidem, & iudicio Crucis Dominicæ, ad quam iurabatur, pluribus egit Gretserus, quem tu consule, si voles. Pro Sanctorum lipsanis testes do locupletissimos, Augustinum, vtrumque Gregorium, Romanum & Turonensem, & alios non paucos. *Nos nouimus*, inquit beatus Augustinus; *Mediolani apud memoriam Sanctorum, vbi mirabiliter, & terribiliter Dæmones confitentur, furem quendam, qui ad eum locum venerat, vt falsum iurando deciperet, compulsum fuisse fateri furtum, & quod abstulerat, reddere.* Idem sanctissimus Antistes in iudicio Bonifacij presbyteri, litigantes Nolam, vbi beati Felicis Nolani corpus conditum asseruabatur, peregrinatum misit: vbi ad venerabiles ipsius exuuias sacramento adactis, *terribiliora opera Dei, non sanam cuiusque conscientiam multò faciliùs aperirent, & ad confessionem vel pœnâ, vel timore compellerentur.* Eiusdem rei fidem facit *Magnus* re, ac dignitate peræquè ac nomine S. Gregorius Papa, cùm de Basilicâ sanctorum Martyrum Processi, & Martiniani, in qua eorundem pignora condita erant, hæc scribit. *Ad extincta namque eorum corpora viuentes ægri veniunt, & sanantur: periuri veniunt, & à Dæmone vexantur: Dæmoniaci veniunt, & liberantur.* Idem Menna Episcopo Tolosano maleuolorum calumniis appetito, ne dicam oppresso sic loquitur. *Mennam verò reuerendissimum fratrem, & coepiscopum nostrum, postquam ea, quæ de eo dicta fuerant, requirentes in nullo inuenimus esse culpabilem; qui insuper ad sacratissimum corpus beati Petri Apostoli sub iureiurando satisfaciens ab his, quæ obiecta eius opinioni fuerant, se demonstrauit alienum, reuerti illuc purgatum, absolutúmque permisimus.* Mitto referre Maximum Episcopum Salonitanum, *præstito Sacramento se Simoniacâ hæresi non teneri atque de aliis ante corpus sancti Apollinaris se innoxium esse, respondisse*, vt laudatus Pontifex pluribus memorat. Alter Gregorius, nimirum Turonensis idem egregiè confirmat exemplo

Gretſ. lib. 1. de S. Cruce cap. 83. lib. 2. c. 17. 21. & lib. 5. paralip. pag. 38. & seq.

S. Aug. ep. 137

S. Greg. Pap. hom. 32. in Euang.

Idem lib. 11. epist. 10.

S. Greg. Tur. lib. 2. de glor. mart. cap. 38.

plo Româ pariter petito, vbi ad sancti Pancratij lipsana concipi solita erant iuramenta, quòd in periuros acerrimum vindicem se præstaret. De iuramento, quod Henricus Angliæ Rex in Concilio Northmanniæ, apud Abrincam ciuitatem habito, super sacrilega nece S. Thomæ Cantuariensis concepit, hæc habet Rogerius. *In quorum audientiâ Rex Angliæ, pater, quinto Calendarum Octobris, feriâ quintâ, festo Cosmæ, & Damiani Martyrum, in Ecclesia sancti Andreæ Apostoli, purgauit suam innocentiam, coram prædictis Cardinalibus, & omni clero, & populo, præstito sacramento, super Sanctorum reliquias, & super sancta Euangelia, quòd ipse nec præcepit, nec voluit, quòd Archiepiscopus Cantuariensis occideretur; & quando audiuit, vehementer inde doluit.* Vide tomo Conciliorum octauo formulam iuramenti facti in Consistorio publico Concilij Basileensis per Oratores Sigismundi Imperatoris, *tactis sanctis Euangeliis, & sacris Crucibus, cum Reliquiis.* Piam hanc Fidelium consuetudinem in Galliis olim religiosissimè obseruatam Imperatoria hæc Caroli Magni sanctio clarissimè demonstrat. *Habemus in lege, Domino præcipiente: Non peierabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui, neque assumes nomen Dei tui in vanum. Ideo omnino admonendi sunt omnes diligenter, vt caueant periurium, non solùm in sancto Euangelio, vel in altari, seu in Sanctorum reliquiis* (vtpote quas sub altaribus condi mos erat) *sed & in communi loquela: quia sunt aliqui, qui per charitatem, & veritatem iurant, & cauent se à iuramento nominis Dei, & nesciunt, quòd idem est Deus, quod caritas & veritas; dicente Ioanne Apostolo, quia Deus caritas est. Item ipse Dominus in Euangelio, Ego sum via, & veritas: ideo qui in veritate, & caritate iurat, in Deo iurat. Item cauendum est, ne Pharisaicâ superstitione aliquis plus aurum honoret, quàm altare: ne dicat ei Dominus: stulte & quid est maius, aurum, an altare, quod sanctificat aurum?* Sic Christianissimus Imperator, qui sapienter periurium *in altari, seu in Sanctorum reliquijs* cauendum præcipit ob allatam in paucis rationem, cui ego libenter addiderim alteram; scilicet propter grauissima supplicia, quibus periuri à Deo, humanorum criminum æquissimo iudice, mactari solent, cùm ad Sanctorum, qui pro fidei, & mysteriorum catholicorum tuenda veritate fuderunt sanguinem, memorias, & sacra lipsana sacrilego ausu falsò deierare non dubitant: vti proximè suprà ex D. audiuisti Augustino, & vtroque Gregorio. Verùm, quæ de iuramentis ad sancti Pancratij martyris exuuias concipi, & de pœnis infligi peierantibus ibidem solitis vno verbulo attigi: iam nunc pluribus ab Antistite Turonensi accipe, quòd ad institutum nostrum faciat, quàm quòd maximè. *Est etiam*, inquit, *ab huius vrbis muro & Pancratius martyr, valde in periuros vltor. Ad cuius sepulchrum, si cuiuspiam mens insana iuramentum inane proferre voluerit, priusquam sepulchrum eius adeat, hoc est, antequam vsque ad cancellos, qui sub arcu habentur, vbi clericorum psallentium stare mos est, accedat; statim aut arripitur à Dæmone, aut cadens, in pauimento amittit spiritum. Ex hoc enim quis-*

Roger. in Annal. Anglo. & tom. 7. Concil. 1. part. sub Alex. Pap. 3. ann. 1172.

Tom. 8. Concil. Append. Basileens. Concil.

Capitul. Aquisgr. Carol. M. 63. de periuriis lib. 1

Leuit. cap. 19. v. 12. Exod. 20. v. 7.

S. Paulin. Natal. 9.

1. Ioan. cap. 4 v. 8. & in Euang. cap. 14. v. 6.

Matth. cap. 25. v. 17.

S. Greg. Turon loc. sup. cit.

Sur. 19. Oct. de S. Amabil. sepulchro, & S. Greg. Turō. cit. cap. 33.

Vvalfrid. Strabo lib. 2. vit. S. Galli cap. 21.

que

que fidem cuiuscunque rei ab alio voluerit elicere, vt veram cognoscat, non aliter, nisi ad huius basilicam destinat. Nam ferunt plerosque iuxta basilicas Apostolorum, siue aliorum martyrum commanentes, non alibi pro hac necessitate, nisi templum expetere beati Pancratij, vt eius seueritatis censurâ publicè discernente, aut veritatem audientes credant, aut pro fallacia iudicium martyris experiantur. Deus bone! quàm seueram, insolentem, & subitaneam luunt pœnam periuri! haud multùm illi absimilem subiisse nescio quem agri religiosi vsurpatorem, ad sepulchrum, & sacras S. Eligij Nouiodunensis Episcopi reliquias falsò iurantem hæc veteris scriptoris apud Surium docet oratio. *Abbas aliis omnibus remisit iuramentum, ne alterius flagitio implicarentur, solus ille agri vsurpator procerum sententia iurare iussus est. Itur ergo ad Ecclesiam B. Eligij, venitur ad sepulchrum eius, expectatur ab omnibus rei euentus. Vir temerarius rem paruipendens importunâ audaciâ imponit manum loco sacro, sed cùm vix medium expressisset iuramentum, toto corpore contremiscit, caput retrorsum in ceruicem curuatur, diductóque ore, & magno inde fumo erumpente: cùm hoc solùm dixisset Abbas Sparnæ, recipe terram tuam, repente humi prosternitur, & infelicem animam exhalat. Alius quidam cùm ille peierasset, vt domum, ceu victor, lætus rediret, priusquam limen domus suæ attigisset, extinctus est. Vnde tantus omnes inuasit timor, vt nullus hodie, etiam in causâ iustissimâ ad sepulchrum eius iureiurando se obstringere ausit; sed, si iuramentum faciendum sit, ad ostij circulum non sine magno timore id fiat.* Hæc ille, ex quibus, aliisque similibus diuinæ Iustitiæ exemplis procliue est intelligere, quàm seuerè Deus eorum sacrilegam castiget audaciam, & præfidentem, proiectámque temeritatem, qui mendaciter, ac falsò, ad beatorum Indigetum, qui semper, dum vitam viuerent, veritatem impensè coluerant, sepulchra, venerandásque reliquias, deierare nihil pensi ducunt.

S. Andoenus lib. 2. vit. S. Elig. cap. 51. apud Sur. 1. Nouemb.

Idem refert de S. Nicetij sepulchro B. Greg. Turon. lib. de glor. Mart. cap. 94. de S. Martini sepulchro lib. 8. hist. Franc. cap. 16.

At fortè de me inquiras, quo ritu, quáve formulâ, eiuscemodi iuramenta conciperentur? Dicam breuiter, & in transcursu, quod, vt non omnibus peruium est, ita & omnibus non erit iniucundum pernosse. Principio eius generis sacramenta plerumque semper auctoritate publicâ, sententiáque magistratus nuncupabantur, vt tum ex testimoniis iam allatis, tum ex iis, quæ paulò post à me disputabuntur, liquidissimè constabit. Secundò salivâ ieiunâ iurabatur. Quemadmodum Caroli magni hac lege præscribebatur. *Sed & nobis honestum videtur, vt qui in Sanctis habet iurare, hoc ieiunus faciat, cum omni honore, & timore Dei.* Haud scio, num sapientissimo, doctissimóque Imperatori obuersaretur tunc animo iusiurandum, quod Isaac fœdus cum Abimelecho, Ochozatho amico illius, & Phicole duce militum initurus, concepit. *Surgentes* enim *mane, iurauerunt sibi mutuò.* Quæ verba Lyranus expendens, *mane*, inquit, *surgentes iurauerunt, scilicet, salivâ ieiunâ propter reuerentiam iuramenti:* certè hoc mihi suadent opinari illa Christianissimi Imperatoris verba; *hoc ieiunus faciat, cum omni*

Capitul. sup. cit. Caroli Magn. Imp. Concil. Francoford. cap. 9. Gen. cap. 26. v. 31. Lyran. in Genes. cap. 26. cit. Tostat. ibid. qui aliã affert rationẽ.

omni honore, & timore Dei, in quam sententiam hoc faciliùs eo, quò clariùs lego in capitulis Herardi, Id iuberi *vt testes ieiuni iurent, ac priùs de periurio moneantur*, ne videlicet ab ipsis quidnam contra *reuerentiam iuramenti*, & *honorem, timorémque Dei*, periuriorum æquissimi vindicis sacrilegè mentiendo committeretur. Tertiò iuramento rogati manu vnâ, vel ambabus manibus, aram, sub quâ Sanctorum Reliquiæ iacebant compositæ vel tenebant, vel superimpositis coutingebant Formulæ veteres, præter allatam proximè ex Surio testificationem, id manifestissimè euincunt: in quarum aliquibus legas; *posita manu super sacrosanctum altare*, in aliis; *positis manibus super sanctum altare, iuratus dixit*, quod & Gentilibus in moribus pariter receptum fuisse hæc docent Iuuenalis verba,

Herald. cap. x. 12. cap. placuit. extra. de testibus.

Falsus erit testis, vendet periuria summâ
Exiguâ, Cereris tangens arámque, pedemque.

Iuuenal. sat. 14.

Imo, vt Paganos prætermittamus, visum est sancto Augustino ad eum morem allusisse sanctissimum Patriarcham Abrahamum; cùm seruum suum sic affaretur. *Pone manum tuam subter femur meum, vt adiurem te per Dominum cœli & terræ &c. Posuit ergo seruus manum sub femore Abraham Domini sui, & iurauit illi super femore hoc.* Quæ verba explicans Beatus Augustinus: *Pone, inquit, manum tuam sub femore meo, & sic iura. Quasi diceret: pone manum tuam ad altare, aut ad Euangelium, aut ad Prophetam, aut aliquid sanctum.* Cuiusmodi sunt Sanctorum exuuiæ, quæ dum viuerent, extiterant *membra Christi*, cuius *caro* sub illo femore, vt idem Antistes loquitur, *occulta erat*. Quartò conceptis verbis iusiurandum condebatur: cuius formulas hîc dabo ex libro veterum formularum, quæ secundum leges Romanas seruandæ præscribuntur, depromptas. *Veniens homo nomine, N. in pago illo, in basilicâ sancti illius, vbi plurima sacramenta percurrere videntur, ante virum magnificum illum, & reliquos complures bonos homines, qui subter firmauerunt, posita manu sua super sacrosanctum altare sancti illius, sic iuratus dixit. Hîc iuro per hunc locum sanctum, & Deum altissimum, & virtutem Sancti illius.* Quæ vltima verba sub finem eiusdem formulæ repetuntur. Sicut & in *notitia de homine forbatudo*, & *de herbis maleficis* & potionibus malis à fœminâ temperatis, & in breui sacramentorum, hæc habentur. *In basilica sancti illius, iuxta quod iudicium solum loquitur*, &c. *positis manibus super sanctum altare iuratus dixit: Per hunc locum sanctum, & reuerentiam istius sancti iuro.*

Gen. cap. 24. v. 2. 9.
S. Aug. in Psal. 44.
Idem in Psal. 68.
Tom. 7. biblioth. PP. formul. veter. form. 33 notitia sacram.
Ibid. form. 29. 34.

Aliam formulam supra reliquias iurandi Christianissimus Imperator, Carolus Magnus lege latâ præscripsit, quam legem eò libentiùs exscribam, quò illustriùs illa veteres ritus concipiendi iuramenti confirmat. Est autem huiusmodi. *Omne Sacramentum in Ecclesia, aut supra reliquias iuretur; & quod in Ecclesia iurandum est, vel cum VI. electis, vel si XII. esse debent, quales potuerit inuenire, & sic iuret. Sic illum Deus adiuuet, & illi Sancti, quorum istæ reliquiæ sunt, vt veritatem dicat.* Quintò stata erant templa, in quibus illius Indigetis reliquiæ

Caroli Magni capitul. Ecclesiast. 13.

liquiæ aſſeruabantur, ad quas iuſiurandum ex ſententia Iudicis, daturi erant: vt præter prolata exempla, formulas, & SS. Patrum teſtificationes loquuntur veterum Annalium monumenta. Burdigalenſibus in more poſitum fuiſſe lego apud Lurbeum, vt *Procurator, ſiue Syndicus Ciuitatis, & Scriba publicus non priùs inſignia Magiſtratus accipiant, quàm in Eccleſia ſancti Seuerini, tacti Diui fortis* λιψάνοις, *in leges iurauerint; ſicut & antiquitus Maiores Ciuitatis* (vulgo, idiomate Gallico, *les Maires de la ville*, dicuntur) *auſpicari Magiſtratum ab hoc ſacramento ſolebant*, vt beatos illos Cœlites, ad quorum templum reliquiáſque iuſiurandum condebant, ſuæ erga Rempublicam fidei obligatæ vades, ſeruatæ teſtes, & violatæ haberent iuſtiſſimos iudices, vt vltores. Verùm iam vnde aberrauit, ſeſe recipiat oratio.

Lurbeus chrō. Burdig. ad ann. 399.

Cùm ergo certiſſimè conſtiterit, iuramento ad ſacras reliquias mendaciter emiſſo, in periuros diuinam exercitam fuiſſe iuſtitiam: multò magis, cùm ſuper veritate earundem, de quibus interceſſerit controuerſia, ſacramento rogati, adactíque iuſiurandum ad ipſas condiderint, illíſque aduerſi, & infortunij diuinitus obuenerit nihil: tùm vero ſimillimum eſt, ea lipſana vera, & germana eſſe cenſenda. Aymarus Falco, qui Antonianam hiſtoriam in compendium redactam publici iuris fecit, refert *factam fuiſſe viſitationem corporis ſancti Antonij* (quod in Diœceſi, agróque Vienneñſi venerabiles Patres Antoniani aſſeruare ſe credunt) *per ſedis Apoſtolicæ legatos, Leonellum Epiſcopum Concordienſem, & Apronium Flores, ſanctæ ſedis Protonotarium anno quadringenteſimo nonageſimo primo ſupra milleſimum. Prius verò ad tollendam ſiniſtram opinionem quorundam, Antonius Rupemoranus, Abbas Generalis Ordinis ſancti Antonij, ſacramentum publicè præſtitit. Ego Antonius Abbas immeritus huius ſacroſancti Monaſterij S. Antonij Viennenſis, tam in animam propriam, quàm in animas fratrum meorum Conuentualium, & aliarum perſonarum noſtri Ordinis: iuro per paſſionem, & Reſurrectionem Domini noſtri Ieſu-Chriſti, & per ſignum ſanctæ Crucis, & per merita Sanctorum Dei, & per ſanctum Antonium, Patrem noſtrum, & per omnes ſanctas Reliquias, quæ in præſenti Eccleſia requieſcunt. Iſta eſt capſa, in qua reconditum fuit, & requieſcit corpus almi Confeſſoris, beati Antonij, Patris noſtri portatum ex antiquo, ex partibus vltramarinis, abſque eo, quòd ex ipſâ capſâ, aut ſancto corpore ablatum, ſubtractum, aut ſuppoſitum aliquid fuerit.* Hæc & alia piiſſimus Abbas. Hîc viderint alij, num probabili ſaltem argumento, illa Diuorum lipſana, ad quæ ſacramento rite rogati, adactíque Fideles & ſolemne iuſiurandum dederint, & à Deo, Diuíſque periuriorum vindicibus nihil retulerint infortunij, pro veris, & germanis legitimíſque reliquiis haberi, & percoli debeant, cùm in rebus minoris momenti, & in quibus religio, & Fidelium erga Cœlites pietas nihil caperent detrimenti, ipſas adeo ſeueras de periuris repetiiſſe pœnas certum ſit.

Aymar. Falco 4. part. hiſt. Anton. compend. cap. 32.

Vid. ſup. cap. 1 art. 3. de S. Benigni Reliq.

ARTI

ARTICVLVS QVARTVS.

DONARIA AD SANCTORVM exuuias appensa, oblatáve.

AD veras Diuorum reliquias ab adulterinis, & suppositiis prudenter secernendas non leue præsidium in donariis ad eas suspensis constitutum esse reor: propterea quòd ea semper fuit Christianorum cœlitibus, quos sibi apud Deum patronos adsciuerant, bene merentibus mutuam habendi & referendi gratiam religiosa voluntas, & studium, vt cùm primùm ipsis deprecatoribus beneficium aliquod diuinitus adepti essent, continuò ad ipsorum Confessiones, atque memorias anathemata offerre atque suspendere gratè, ac piè deproperarent. Solent enim Sancti ibi se præcipuè beneficos exhibere, vbi eorum corpora, exuuiæve contumulatæ iacent. De martyribus canit Paulinus.

S. Paulin. Natal. XI. apud Dunga.

Omnis enim, quâcunque manet mandatus in orâ
Martyr, stella loci, simul & medicina colentum est.

Imo ampliùs aliquid dixit, vt aliàs monui, super Beatorum Indigetum beneficentiâ, cum scriberet

——————————— *Neque tantùm, quâ iacet orâ*
Totum corpus, ibi positorum gratia viuit:
Sed quacunque pij est pars corporis, & manus extat,
Contestante Deo meriti documenta beati.

Vice versâ mortales, ne apud se intermortuam accepti ab illis beneficij memoriam, vel certè obscuram esse sinant, studiosè annituntur suspensis ad eorum sacras exuuias donariis gratum erga ipsos animum contestari.

Peruetusti æquè ac pij Christiani huiusce moris locupletissimum testem allego Theodoretum, qui cùm eleganti oratione præmisisset, magnifica Xerxis, Darij, Alexandri, Augusti, Vespasiani, aliorúmque similium Regum, & Imperatorum sepulchra, vel obscura esse mortalibus, vel penitùs neglecta ignorari, subinfert. *Martyrum verò templa conspicua cernuntur, magnitudinisque præstantia, omni prætereà ornatus genere variegata, simul & pulchritudinis sua splendore quodammodo latè fulgentia. Quicunque homines prospera sunt valetudine, conseruari eam sibi à Martyribus petunt: qui verò ægritudinem aliquam patiuntur, sanitatem exposcunt. Insuper viri, & mulieres dari sibi filios petunt; qui verò parentes sunt, integra, & prospera custodiri, quæ consecuti sunt, dona. Item, qui peregrè aliquò proficiscuntur, petunt, martyres sibi comites esse in via, vel potiùs itineris duces; qui verò iam sospi-*

Theodor. lib. 8. de curat. Græcanic. affection.

tes redierunt, gratias agunt, acceptum beneficium confitentes; non qui se ad Deos accedere arbitrentur, sed qui orent Dei Martyres, tanquam diuinos homines, intercessorésque sibi eos apud Deum aduocent, ac precentur. Piè verò, fidelitérque precatos ea maximè consequi, quæ desiderant, testantur illa, quæ votorum rei dona persoluunt; manifesta nimirum adeptæ sanitatis indicia. Nam alij quidam oculorum, alij verò pedum: alij porrò manuum simulachra suspendunt ex argento, auróve confecta. Gratissimè namque accipit eorum Dominus qualiacunque sint dona, nec exigua, nec vilia dedignatur, quippe qui ea pro ferentis facultate metitur. Hæc itaque omnium spectaculo exporrecta testantur morborum depulsionem, cuius ipsa certissima signa sunt à sanitatem consequutis oblata. Hæc, sepultorum ibi martyrum, quæ sit virtus, ostendunt. Hactenus Theodoretus.

Iniquissimus autem sancti Danielis Stylitæ calumniator, aliique complures eius precum, ac meritorum pancresto medicamento persanati, *talem fructum acceperunt ex eius curatione* (vt ipsius loquuntur acta) *vt volentes esse descriptam suam gratiarum actionem, ex argento ipsius figuram effinxerint, & seipsos sub eius pedibus posuerint, & nomen scripserint, adscripserintque gratiarum actionem, & militiæ cælestis Principis* templo dedicauerint. Allusit haud dubiè ad religiosum huncce veterum Christianorum morem donariis Sanctorum tumulos, & pignora cumulandi S. Paulinus supra laudatus, cùm de bobus paupercu-lo nescio cui agricolæ per concubiæ noctis tenebras à latronibus primùm abactis; tum beati Felicis præsentissima opitulatione mirabiliter restitutis, deinde à pecoris magistro ad eiusdem Cælitis templum grati animi testificandi gratiâ perductis agens doctè, ac piè sic panxit.

S. Paulin. Nat. 6. S. Feli.

——————Venit ergo reductos
Ducens, nec tacitis celat sua gaudia votis:
Et referens, densas trahit ad sua verba cateruas;
Ingrediturque sacras cunctis mirantibus ædes.
Quos miser hesterno amissos deflerat, eosdem
Præsentes hodie ducit, sanctique triumphum
Martyris ostentat populis, ducuntur & ipsi
Per medios cœtus, modò furum præda, iuuenci,
Et modò Felicis spolium. Dat euntibus ingens
Turba locum, & muto celebratur gloria Christi
In pecore: Ille autem, tanti qui muneris alto
Causa fuit Domino, mediis in liminibus stans
Flénsque iterum, sed lætitiâ: modò debita sancto
Vota refert, non ære graui, non munere surdo,
Munere sed viuo linguæ, mentisque, profusus
Voce piâ largum testatur pauper honorem:
Debitor & Christo satis isto munere soluit,
Immaculata suæ, cui sufficit, hostia laudis.

Audistin' gratissimum clientem erga beneuolentissimum sibi patronum, se suósque boues ad eius Lipsana, Confessionem, ac templum coràm sistentem agricolam? audistin' eundem in grati animi significationem pro *ære graui, & munere surdo*, quæ ob suam rei familiaris tenuitatem longè maximam referre, offerréque, pro more non poterat; *viua linguæ, mentísque* gratissimæ *munera* Deo, simul & beato Felici persoluentem? Audi iam alterius agricolæ, rusticanique hominis ab fortuito igne ad insita redacti pietatem, & grati animi in summâ rerum suarum iacturâ eximiam significationem. *Vir quidam pauperculus* (verba sunt Vualfridi Strabonis) *in pago quodam, ex summa deuotione cum vxore sua ad Cellam beati Galli, causa orationis properare disposuit. Cuius intentione deuotionis, dum mulier pallulam, quam in loco sancto oblatura erat, contextam parauisset, inuoluit eam formella ceræ, quam simul oblatum ire cogitabat, & in arca sua inter alia vestimenta reposuit. Contigit autem dum ire pararent, domum illorum, cum omnibus, quæ intra illam erant, rebus igne cremari. Cúmque consumptis omnibus, flamma cessante, sopitum fuisset incendium, cæperunt inter fauillarum cumulos, ferramentorum reliquias quæritare. Et ecce inueniunt, mirum dictu! ceram pallula inuolutam inter cineres, & carbones, nihilque in eis læsionis apparuit; cùm ipsam arcam, & quicquid aliud in illa repositum erat, penitùs consumpsisset incendium. Viso igitur tantæ virtutis miraculo, benedixerunt Deo, & iter, quod disposuerat, peregerunt. Et narrantes fratribus, quæ gesta fuerant, obtulerunt donarium, quod huic voto consecratum, in supremis non potuerat perire periculis. Seruatæ sunt autem eædem res in testimonium post futuris, vsque ad tempora Othmari Abbatis.* Sic ille. Alter poeta Christianus eandem Fidelium consuetudinem attigit (Prudentium loquor) dum templum laureatis beati Hippolyti Martyris pignoribus superimpositum describit.

Vualfrid. Serabo in vit. S. Galli lib. 2. cap. 6.

Prudent. hymn. 11. περὶ στεφ.

Parietibus celsum sublimibus, atque superbâ
Maiestate potens, muneribusque opulens.

Muneribus, inquit, hoc est donariis, quibus ciues, & aduenæ vndequaque religionis ergò peregrè profecti, tum S. Hippolyti reliquias ædiculâ solido ex auro conflatâ inclusas, tum basilicam ipsam studiis certantibus, voti rei anniuersariâ beneficiorum recensione cumulabant. Idem Sanctorum Hemiterij, & Chelidonij

Idem hymn. 7. περὶ στεφ.

Illitas cruore sancto
Nunc arenas incolæ
Confrequentant obsecrantes,
Voce, votis, munere.

Vlteriùs Christianorum euasit nonnunquam pietas, gratique animi erga Diuos bene de se merentes significatio, vt à malis eorum præsidio, ac prece diuinitus vindicati, vestes, omnémque mundum & ornatum suum ad eorundem tumulos, grati transmitterent. Id matronam quandam non religione minùs, quàm opibus præpollentem beati Vdalrici meritis à Dæmone solutam factitasse, ipsius vitæ, ac rerum

præclarè gestarum scriptor recenset in hæc verba. *Matrona à Dæmonio liberata, & sensui, sanitatique restituta, tota vestimenta sua, quibus eo die induebatur, cum caligis, & calceamentis, ad sepulchrum sancti Vdalrici per nuntios misit: quibus etiam præcepit, vt ibi nuntiarent, qualiter Domino concedente per eius merita est liberata. Vvifridus eiusdem loci Præpositus, qui etiam custos Ecclesiæ eo tempore mansit, de crocota eiusdem matronæ Dalmaticam fieri fecit, & alia eius vestimenta, sicut congruum fuit, ad Dei seruitium composuit, vt hoc signum misericordiæ Dei frequentiùs posteris in recordatione maneret.* Nihil piissimâ illâ matronâ parcius, minúsve præstitit Comes quidam, qui, vt aduersus Iulianum martyrem gratum se insigniter exhiberet, *Omnem quoque ornatum, quem super se tunc habuit, tam in auro, quàm in vestimentis, Basilicæ obtulit*, vt inuictissimi martyris acta meminerunt.

At at, Lipsanomachi absonis suis clamoribus hic auriculas nostras radunt, nósque impios Gentilium ritus reuocasse, mendaciter, more suo inclamant. Obtrudunt nobis templum Delphicum antiquorum scriptis famosissimum, vbi, teste Iustino, *multa, & opulenta Regum, populorúmque visuntur munera, quæque magnificentiâ sui reddentium vota grata, voluntatem, & Deorum responsa manifestant.* Obtrudunt ex sacris Diui Lucæ monumentis, *argenteas Dianæ ædes*, quarum occasione Argentarij turbas aduersus S. Paulum Ephesi commorantem iniustissimè concitarunt: rei totius seriem in hæc verba Lucas enarrat. *Facta est illo tempore turbatio non minima de via Domini. Demetrius enim quidam nomine, Argentarius, faciens ædes argentarias Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum: quos conuocans, & eos, qui huiusmodi erant artifices, dixit: Viri, scitis, quia de hoc artificio est nobis acquisitio; & videtis, & auditis, quia non solùm Ephesi, sed penè totius Asiæ Paulus hic suadens auertit magnam turbam, dicens: quoniam non sunt Dij, qui manibus fiunt*, & reliqua. Quid verò fuerint huiuscemodi *ædes argenteæ* haud satis liquet: video tamen interpretes vulgò in eam iuisse sententiam, vt dicerent eas aliud nihil fuisse, quàm *ædiculas*, & *coopercula, quæ ciboria vocant*, vt ait Sanctus Chrysostomus; Caietanus *votiua templa*; Arator, *arte locata delubra*; Salmeron, Lorinus & alij *thecas*; & *loculamenta* argentea, quibus vel templum ipsum Dianæ Ephesinæ repræsentabatur, vel eiusdem Deæ imagines ex argento conflatæ includebantur: ideóque *votiua*, nuncupata sunt templa, quòd voti rei ea Dianæ persoluerent, vnde non malè Arator cecinit.

Infœlix Ephesi Demetrius, arte locata
Sacrilegis delubra locis, argentea suetus
Soluere vota suæ pretio maiore Dianæ.

Vno verbo nobis tam importunè, quàm inutiliter oggerunt Lipsanomastyges prophana Ethnicorum fana, *aureis tholis, & sublimibus clara fastigiis*, vt loquitur Arnobius, è quibus, teste Luctatio Placido, *vouentium*

Herodot.lib.2. Pausan.lib.1. & 2.Eliac. Iustin. lib.14.

D. Luc. Act. cap.19.

S. Chrysost. hom.42.in Act. cap.cit. Caiet. in cap.19. cit. Arator lib.2. in Acta cit. Salm. tract. 49.in acta. Lorin.ibid. Baron. tom.1. Ann. ad ann. Christi 57. n.176. Strabo lib.18. pag. 258. de templo Æscu-lapij.

vouentium primitiæ, aut exuuiæ figebantur. Denique nos æquè diuinæ maieſtatis imminutæ reos agunt, atque Idololatras, quibus grauiſſimo quopiam defunctis periculo maxima ſemper religio fuit, votorum, quæ fictitiis ſuis nuncuparant Numinibus, donaria, & caſus ſuos ex auro, argentóve conflatos, vel tabellis graphicè delineatos, atque propriis inſcriptos nominibus, titulíſve, veluti præteritorum infortuniorum argumenta, & beneficiorum acceptorum teſtes, è templorum parietibus, tholis, columníſque ſuſpendere ad memoriam poſterorum. Emeriti milites arma ſua; veſtes naufragi; tela, pharetram, retia venatores; mancipia compedes; crinem deſectum reualeſcentes; victores manubias, hoſtium ſpolia, prædæve decimam: ad ſummam omnes difficillimis exempti diſcriminibus, qui ſe voti damnatos noſſent, pretioſiſſima quæque dona (prout cuiuſque ferebant facultates) *Diis bene merentibus*, ſuáque *ad vota vocatis* grati ſuffigere, appendere, ac dicare conſueuerant. Veterum ſcriptorum auctoritates congerere, ac ſtipare, ô boni: ne allaborate.

Mercurial. de re gymnica. Germon. lib. 1. de ſacrorum immunit. cap. 17.

Damus, quod vultis. Admittimus ab Ethnicis id factitatum. quid inde? Ideóne Catholici votorum rei, damnatíque, ad Sanctorum, quos ſibi propitios, præſentes ac potentes ſenſerint deprecatores extitiſſe, venerabiles exuuias, ſepulchra, Confeſſiones, ædéſque ſacras, deuota munera conſecrare, ſuſpenderéque vereantur? Ideóne rei, quia grati? ideóne Gentilium citius, quàm Dauidis imitatores? quem conſtat gladium Goliathi, prophani hominis cruore conſecratum, *& inuolutum pallio poſt Ephod* in tabernaculo Domini, tanquam opima ſpolia gratè, ac piè victorem ſuſpendiſſe? Ideóne Idololatræ, quia ſe pij Iudithæ præſtiterunt æmulatores? Hæc enim Conopæum, *quod ſuſtulerat de cubili Holophernis*, cui animo pluſquam Amazonio, & virili manu caput abſciderat, *obtulit in anathema obliuionis.* Quarum duarum extremarum vocum intelligentia captu foret perfacilis, ſi textui græco duntaxat placeret adhæreſcere; à quo cùm vocula, *obliuionis* penitùs abſit, nihil eſt quòd verbis longè clariſſimis tenebrarum quidquam offundi poſſit. Si enim, tradente S. Iuſtino martyre, id dicitur *anathema*, quod *Dedicatum, & ſecretum eſt, neque in communem vſum ampliùs vſurpatur:* nemo non videt conopæum Holofernis à victrice Iuditha, grati, ac religioſi animi nomine, *Domino exercituum*, ac victoriarum datori Deo conſecratum, è templi tholo, vel è columnarum aliquâ, inſtar trophæi ſuſpenſum, neque in communem vſum vſurpandum, nuncupari *anathema* potuiſſe. Quia verò Latinâ verſione vulgati interpretis non anathema ſolùm; ſed etiam *anathema obliuionis*, tranſlatum eſt; creditu, dictúque vero ſimillimum eſt, olim in Chaldæo exemplari voculam aliquam, quæ obliuionem ſignificaret, à noſtro Interprete repertam fuiſſe: alioquin quæ hominis fides? quæ religio foret? diuinas paginas ſacrilego humanæ mentis, & manus additamento impudenter corrupiſſe? quod ſcelus cùm in Sanctiſſimum Doctorem cadere non potuerit, non tam expeditum eſt coniecturâ conſequi

Cic. lib. 3. de nat. Deor. orat. 4. in Verr. Horat. lib. 1. ad Pyrrh. Virgil. l. 9. Æneid. & in eos ſcholiaſt. Iuuen. ſat. 12. Tibull. eleg. 3. lib 1.

De aureis muribus, & anis Arcæ à Philiſthæis olim oblatis. vid. in lib. 1. reg. cap. 9. Interpretes.

1. Reg. 21. 9. Iudith. 16. 23.

De voce, anathema vide Baron. ad an. Chriſti 57. n. 169. & omnes Interpr. Epiſtol. D. Pauli Rom. 9. v. 3. 1. Cor. 12. v. 3. 16. v. 22.

ſequi, quid ſibi hæ duæ voces velint, *anathemâ obliuionis*, cùm nobiliſſimo eiuſcemodi donario arceretur potiùs, quam arceſſeretur obliuio. Non eſt voluntatis, nec inſtituti mei variantes Lyrani, Sa, Marianæ, Sanctij, Serarij, Saliani, Celadæ, aliorúmque doctiſſimorum interpretum ſententias pluribus producere, ad examen vocare, expendereve penſiculatiùs: Si tamen in erudito tot Interpretum ſenatu liceat mihi ſuper illorum verborum explicatione meam ſententiam dicere, cenſuerim quocunque modo, ſiue in bonam, ſiue in malam partem *anathematis* vocem ſumpſeris, meritò Holophernæum illum papilionem ſeu conopæum à Iuditha relatæ diuinitus à ſe victoriæ non immemore, Deo donatum, conſecratum, ac ſuſpenſum fuiſſe *in anathema*, hoc eſt, *in antidotum*, ſimul & in *execrationem* ingratiſſimæ *obliuionis*, quà gentiles ſuos deteſtandum in modum laborare ſanctiſſima Heroina pernoſcebat, & quam anteuertere prudenter, ac meditatè pretioſiſſimo illo conopæo moliebatur, fore ſperans, vt è tholo templi ſuſpenſum præteriti finem periculi, felicem infeliciſſimæ obſidionis exitum, atque adeo belli diuinitus à ſe profligati, victoriæque adeptæ memoriam Hebræis ſpectantibus ſimul refricaret, ſimul ab eorundem animis conſceleratam obliuionem ſumoueret longiſſimè in omnes ætates conſequentes. Idem piis ſuis muneribus, donariiſque Catholici præſtare ſatagunt, & Idololatræ piæ Iudithâ erunt? Amplius aliquid affirmo. Non peccarunt Gentiles, quòd grati anathemata dicarent, ſed quòd fictitiis Diis; Dæmonibus, non Deo viuo, & vero, cæci, ingrati, impij eadem conſecrarent. At multò minùs peccant Catholici, quod vero Numini, & ſecundum Deum Cælitibus Auerruncis, ob depulſas calamitates, acceptáque beneficia optime de ſe meritis continuóque bene merentibus, omnis generis donaria, munera, & anathemata certatim ad ſacras ipſorum reliquias manu, animóque gratiſſimi appendant, dent, dicent.

Lyran. in citat. Iudith. locum. Sa, Marian. ibid. ſanct. n. 27. Serar. q 4. Celad. § 21. n. 112. & ſeq. Salian. tom. 4. Annal. Eccl. ad ann. 3346. n. 111. Tirin. ibid. &c.

Verùm quid pluribus rem ſole meridiano clariorem nequicquam vrgeo. Obeunti animo Chriſtianum Orbem, quantus, quantus eſt, vix ædes ſacra occurrat vlla, venerandis Sanctorum collocupletata pignoribus, ad quorum confeſſiones, tumulos, altaria, baſilicas, adytáve, capitum, cordis, pedum, oculorum, manuum, hominúmque ſimulachra, & (vt vniuerſa paucis complectar) omnis generis dona ex cera, argento, ebore, gemmis, auro, aliáve id genus materiâ affabre facta non viſantur oblata, & *in anathema obliuionis* ſedulò cuſtodita monſtrentur. Hinc eſt cur complures donariis ſuis nonnunquam accepti beneficij ſumma capita, depulſorum malorum breuiarium, ſancti de ſe bene meriti titulos, ſuáque ipſorum nomina inſcripſiſſe legantur. Inter ſexcenta huiuſce rei exempla regium vnum in paucis edo, quod certè hoc potiſſimum nomine multum habet mirabilitatis, quòd ab Rege Coſrhoë præſtitum eſt, qui ſuâ tantum conſcientiâ Chriſtianus, non reipsâ, ac publicè, (vt Ioannes Abbas Biclarenſis,

Baron. tom. 7. ad ann. 593. num. 4. & Paulus Diaconus apud Baronium tradiderunt) eximiis tamen beneficiis à Diuo Sergio martyre non tam ornatus, quàm cumulatissimè exaggeratus, ad ipsius templum pretiosissima dona gratus transmisit, quæ dona, quod proximè dicebam, mirificè confirmant. Præ cæteris ex auro confectus discus, cui hæc verba insculpenda curauit. *Ego Cosrhoes Rex Regum, filius Hormisdæ, hæc in hoc disco inscribenda curaui, non vt spectentur ab hominibus, neque vt amplitudo tui venerandi nominis* (Sic B. Sergium compellat) *ex meis verbis cognoscatur, sed partim propter rerum in eo inscriptarum veritatem, partim propter multa beneficia, & liberalia, quæ abs te accepi. Nam mecum feliciter actum puto, quòd nomen in tuis sacris vasis extet. Cùm fortè Beramais essem, petebam abs te, Sancte Sergi, vt mihi subsidio venires, & Sira coniunx conciperet, ac cùm Sira Christiana esset, & ego Gentilis, & lex nostra non permitteret nobis potestatem, mulierem Christianam vxorem ducendi; tamen ob meum singularem erga te amorem, legem in hac muliere neglexi, & eam de die in diem inter cæteras vxores ingenuè diligere non destiti, neque desisto. Quamobrem visum erat tuam bonitatem, sancte Sergi, deprecari, vt grauida fieret. Quin etiam votum tibi nuncupaui, sùmque pollicitus, si Sira conciperet, me crucem quam illa gestat, ad sanctissimum templum tuum missurum, quapropter ipse equidem, & Sira hoc apud animos nostros proponebamus, vt hanc crucem in memoriam nominis tui, sancte Sergi, ipsi teneremus, & visum erat pro illa pretium eius, quod quatuor millia, & quadringentos stateres miliaresios non excederet mittere, & sic idem, augere, vt eius summa quinque millia staterum complecteretur, atque ex eo tempore, quo istam postulationem animis nostris concipere, hæcque cogitare cœperamus ad tempus, quo Rhoson Chosron venimus, non ampliùs decem dies prætererant: ad quod quidem tempus, tu, sancte Sergi, non quod dignus essem, sed propter tuam ipsius bonitatem, mihi noctu secundum quietem visus es, etiam tertiò dixisti Siram concepturam, atque ego in eadem visione tertiò apertè tibi, quæ erant consentanea, respondi. At quoniam tu rerum abs te postulatarum largitor es, ex eo die Sira morbum, quo mulieres laborare solent, non sensit; Ego autem etsi hac de re animo hæsitabam, vtrum verbis tuis fidem haberem, an non, cùm sis postulationum largitor, posteà tamen ex eo, quòd morbus muliebris Siram non attigit, tum vim exploratam habui visionis, tum tuorum verborum veritatem. Quocirca Crucem hanc illico, & pretium eius vnà ad tuam sanctissimam ædem misi, dedique mandatum, vt eius pretio discus vnus, & vnus calix fierent, qui diuinis celebrandis inseruirent: quin etiam, vt Crux fieret, & thuribulum fabricaretur, vtrumque aureum in vsum sacræ mensæ, & vnicum vtrinque apertum conficeretur auro collustratum. Quod autem de summa pretij restaret, ad necessarios vsus tuæ sacræ ædis reseruaretur, vt mihi, & Siræ tu, sancte Sergi, cùm in aliis rebus opitulareris, tum maximè in hac petitione subsidio venires, & quod per tuam intercessionem nobis euenerit, idem ipsum per tuam clementiam, & bonitatem mihi, & Siræ ex sententia penitus succedat; quò tum ipse, tum Sira, tum alij omnes deniquè*

nique in toto orbe terrarum tuâ in virtute spem ponamus, & in te deinceps credamus. Hactenus in aureo donario incisa inscriptio, apud Euagrium, qui crucem multo auro, & lapidibus pretiosis exquisitè elaboratam, & victoriæ diuinitus, de subactis tyrannis, reportatæ summâ literatam ad Gregorium Episcopum Antiochenum ab eodem Rege voti reo, damnatóque grati animi ergò aduersus diuum Sergium optimè de se, licet Gentili, promeritum transmissam fuisse testatur, additque insuper illa donaria à Cosrhoe ad beati martyris exuuias oblata ea videri proloqui, *quæ cum Prophetiâ Balaam consentiunt quod planè Dei prouidentia factum est, vt Gentilium lingua verba salutaria proferrent,* quæ Lipsanomachorum impietatem, & perfidiam redarguant, damnent, detestentur. *Euagr. lib. 6 hist. Eccl. cap. 20. Niceph. lib. 17. cap. 17. & lib. 18. cap. 22.*

Iam neminem fore puto, qui quoties de iisdem, in indiuiduo Sanctorum lipsanis controuersia iactabitur, ea esse vera legitimáque non reputet, ad quæ voti rei Fideles donaria obtulerint, & in *anathema obliuionis* appenderint vetustiori memoriâ. Quò enim vetustiora fuerint vota quæ Beato illi Cœliti, ad quem sacra huiuscemodi pignora creduntur pertinere, nuncupata sunt, & quò vetustiora fuerint munera ipsi dicata, suspensáque: hoc vetustiora extitisse necessum est beneficia, quorum accipiendorum, vel acceptorum causâ, eidem Indigeti Fideles vota concepisse, concepta persoluisse, persoluta religiosè ad eius memoriam, & sacrosanctas exuuias suffixisse certissimis testificationibus fuerit exploratum. Non enim præcipiti, & temerariâ religione, vel potiùs cæca irreligione abreptos eos fuisse credendum est, qui omnium primi beatum illum cœlitem ad sua vocarunt vota, eúmque sibi apud Deum optimum, maximum, intercessorem adsciuêre, scilicet ad illius lipsana supplicabundus accesseris, quem neque apud Deum gratiâ, neque mortales inter sanctitatis famâ, neque miraculorum virtute cognoueris præpollere? Cùm igitur aliquot antè sæculis vno in loco, quàm in alio, alicuius Sancti reliquias custoditas, cultas, piísque donariis ornatas fuisse in confesso fuerit; tùm ego vero simillimum duxerim eas pro veris, legitimísque habendas esse præ iisdem, quæ alibi creduntur asseruari, si nulla penitùs, vel certè multò recentiori memoriâ, & æuo, à Fidelibus dona fuisse consecrata probetur.

ARTICVLVS QVINTVS.

LIBELLI SVPER BENEFICIIS ad SS. lipsana acceptis dati, lecti, recitati.

MVltò plus adiumenti positum censeo ad sacrarum reliquiarum veritatem stabiliendam in libellis, quàm in donariis: si quos fortè libellos Orthodoxi gratæ suæ voluntatis testes, more maiorum dederint, sacrâ earundem opitulatione diuinitus beati. Dixi (more maiorum) propterea quòd Christianis olim in moribus receptum erat, beneficia venerabilium reliquiarum præsidio cœlitùs accepta, notitiæ causâ libellis mandare, mandata Episcopis offerre, oblata legere, ac sanctæ plebi ad maiorem Dei gloriam, & Sanctorum commendationem è superiori loco recitare. Si autem illi, qui huiuscemodi libellos quondam legendos in populis tradebant, de lipsanomachorum senatusconsulto diuinæ maiestatis imminutæ rei extiterint; næ! ipsis multò nocentior existimandus est Beatus Augustinus, qui istiusmodi libellos in protomartyris S. Stephani, eiúsque reliquiarum honorem suâ ætate conscribi solitos, sibíque oblatos, non excipere modò, sed etiam ratos, gratósque habere, legere ac sanctæ Fidelium plebi legendos, & recitandos mandare, nullâ penitus religione ductus addubitauit. Sanctissimo Præsuli pro se, ac de seipso non semel duntaxat, iterúmve loquenti, si placet, beneuolè auscultemus.

S. Aug. serm. 29. de diuers. *De miraculis Dei*, inquit ille, *per orationes beatissimi martyris Stephani libellos solemus audire, Libellus, huius* (scilicet hominis mirabiliter ad eius reliquias persanati) *aspectus est pro scriptura notitia, pro charta facies demonstratur. Qui nostis, quid in illo dolentes videre solebatis, in præsenti gaudentes legite, quod videtis: vt Dominus Deus noster abundantiùs honoretur, & quod in libello conscriptum est, in vestram memo-*
Serm. 30. seq. *riam conscribatur.* Idem alio ad populum sermone infit. *Diximus quidem hesterno die, sicut meminit charitas vestra, huius libellus, aspectus est: tamen quia nonnulla nobis indicauit, quæ nosse debetis ad maiorem admirationem, & Domini Dei nostri gloriam, de suorum Sanctorum memoriis, de quibus scriptum est: Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius; etiam libellum dare decet, qui habet omnia, quæ ex eius ore cognouimus; sed si Dominus voluerit, hodie parabitur, & vobis die cra-*
Idem serm. 31. *stino recitabitur.* Postridie igitur suggestum conscendens Augustinus ad frequentissimam coronam sic dicere occœpit. *Hesterno die libellum promisimus charitati vestræ, vbi de illo sanato audire etiam possitis, quæ videre non potuistis. Si ergo placet charitati vestræ, imo, quia placere debet, quod & mihi placet: ambo fratres stent in conspectu vestro, vt qui illum*

lum non viderunt, in isto videant, quid ille patiebatur. Stent ergo ambo; vnus, cui donata est gratia, & alter, cui petenda est misericordia. Quibus ab Augustino pronuntiatis oblati libelli recitatio consequuta est, in hunc modum. *Exemplar libelli dati à Paulo, sancto Augustino Episcopo. Rogo Domine, beatissime Papa, Augustine, vt hunc libellum meum, quem ex præcepto tuo obtuli, sanctæ plebi iubeas recitari*: vti & factitatum fuit ex postulantis sententiâ, & voluntate erga gloriosissimum protomartyrem, patronum suum longè gratissimâ: qui ad calcem piæ, ac veracis suæ narrationis, quâ se ad Diui Stephani exuuias mirabiliter ab ægritudine recreatum, ac penitùs exolutum enucleatiùs recensuerat, sic loquitur. *Huic itaque tanto Dei beneficio non ingratus hunc libellum obtuli, in quo etiam, quæ de nostris calamitatibus ignorabatis, & quod de mea incolumitate, & salute cognouistis, exhibui, vt pro meâ sorore dignemini & pro me agere gratias.* Deinde post libellum de more Christiano recitatum, ad confertissimam concionem dicere instititAugustinus. Hæc autem licet sufficere possent ad religiosam istam consuetudinem libellos conscribendi, & dandi, gratæ, ob suscepta, Diuorum ope beneficia, voluntatis testes, ac monimenta, magis, magísque stabiliendam; non tamen grauabor in gratiam pij lectoris, quem Christiana delectat antiquitas, vnum, aut alterum insuper ex eodem integerrimæ fidei scriptore, ac teste oculato testimonium magmenti vice exscribendo referre. Vnius hæc verba sunt. *Si miracula sanitatum (vt alia taceam) ea tantummodo velim scribere, quæ per hunc martyrem, id est, gloriosissimum Stephanum facta sunt in Coloniâ Calamensi, & in nostrâ, plurimi conficiendi sunt libri: nec tamen omnia colligi poterunt; sed tantum, de quibus libelli dati sunt, qui recitarentur in populis. Id namque fieri volumus, cùm videremus antiquis similia diuinarum signa virtutum, etiam nostris temporibus frequentari, & ea non debere multorum notitiæ deperire. Nondum est autem biennium, ex quo apud Hipponem regium cœpit esse ista memoria, & multis, quod nobis certissimum est non datis libellis, de iis, quæ mirabiliter facta sunt illi ipsi, qui dati sunt, ad septuaginta ferme numerum peruenerant, quando ista conscripsi: Calamæ vero, vbi & ipsa priùs memoria esse cœpit, & crebriùs dantur, incredibili multitudine superant.* Alterum post pauca ex eodem capite depromptum hæc habet. *Fiunt ergo etiam nunc multa miracula, eodem Deo faciente, per quos vult, & quemadmodum vult, qui & illa, quæ legimus, fecit: sed ista nec similiter innotescunt, neque, vt non excidant animo, quasi glareâ memoriæ crebrâ lectione tunduntur. Nam & vbi diligentia est, quæ nunc apud nos esse cœpit, & libelli eorum, qui beneficia percipiunt, reticentur in populo, semel hoc audiunt, qui adsunt, pluresque non assunt; vt nec illi, qui affuerunt, post aliquos dies, quod audierunt, mente retineant, & vix quisquam reperiatur illorum, qui ei, quem non affuisse cognouerit, indicet, quod audiuit.* Plura de iisdem libellis dari, & recitari solitis reliquo deinceps capite S. Augustinus.

Idem lib. 22. de ciuit. cap. 8.

Ad eiuscemodi libellos nec malè, nec iniuriâ referas donaria illa

literata, in quibus beneficiorum ad Sanctorum reliquias, & monumenta diuinitùs acceptorum breues, & compendiosæ narrationes à Fidelibus voti damnatis incidebantur, tam ad grati animi significationem, quàm ad æternam posterorum memoriam, de quibus non ita pridem disserebamus. Vtrobique enim & rerum miraculo gestarum series, & Cœlitis bene merentis, hominisque libellum dantis nomina, ad plebis sanctæ notitiam edebantur.

Vnde verò religiosa istiusmodi maiorum nostrorum consuetudo profluxerit, si de me curiosiùs pergas inquirere, ac percunctari: in promptu responsum est: Ab Ezechia Rege, non grato minùs, quàm sancto, laudabilem illum, nec satis vnquam laudatum morem conscribendi, offerendi, appendendi, legendi, ac recitandi libellos, quibus beneficiorum per Sanctorum lipsana cœlitùs acceptorum narratiunculæ ad posterorum æquè, ac præsentium roborandam fidem mandabantur, ab Ezechia, inquam, gloriosissimo sanè exemplo arbitror cecidisse. Sanctissimus vates, testísque oculatus, ne dicam, fortè dux, & auctor facti, ità loquitur. *Scriptura Ezechiæ Regis Iuda, cùm ægrotasset, & conualuisset de infirmitate sua.* *Scripturam* Propheta vocitauit Carmen Eucharisticon, quod Ezechias spe contra spem adeptus sanitatem, & gratiarum actioni quàmprimùm se dedens, condidit. Septuaginta (quod improbat modestè sanctus Hieronymus) verterunt *Orationem*, quòd gratiarum vel quoddam orationis genus, vel certè comes, & assecla sit, vt sacræ, prophanæque eloquentiæ candidati nôrunt. *Scripturam* transferre maluit vulgatus Interpres, quòd eam orationem Eucharisticam primùm ipse Rex Ezechias scripto mandasset, tùm vel in volumine, more Hebræorum exarari, vel in ære, aut marmore, argenteâve tabellâ incidi iussisset. Non enim in sententiam Sanctij, & Cornelij pedarius eo, qui illud carmen Eucharisticon ab Isaia iussu Regis conditum fuisse sunt opinati: malo cum Aluarez nostro censere Ezechiam per sese illud Eucharisticon composuisse. Quasi verò Ezechias adeo fuerit ingenio hebeti, & obtuso, simul & bonarum artium vsque eo imperitus, vt per sese breue carmen gratulatorium, siue solutâ, siue strictâ oratione patrio præsertim idiomate, scribere nequiuerit, quod solent vel leuissimè literis imbuti? Quasi verò mortalium quisquam potuerit tam aptè, ac significanter intima Regis, quâ conclamati, quâ reualescentis, gratíque sensa verbis exprimere, quàm ipsemet Ezechias? Quasi verò fas nobis sit augurando affirmare Isaiam diuino lumine fuisse tam affluenter illustratum sine vlla penitus necessitate, vt plusquam lynceis oculis potuerit peruidere, quæcunque ægrotus, mortíque proximus animo rex piissimus agitarat; quæ deinceps in literas mitteret, atque Ezechiæ nomine, gratulorio carmini commissa tabulis æreis, argenteisve consignaret? Vtvt sit, ego certè, vt verosimillimum credo pientissimum iuxta ac gratissimum Regem regiâ suâ illâ *Scripturâ*, & Cantico Eucharistico, tanquam memoriali libello, redditæ sibi diuinitus pristinæ

Is. cap. 38. v. 9.

S. Hieron. in cit. Is. loc.

Sanct. & Cornel. ibid. Gabr. Aluar. ibid.

pristinæ salutis teste, tam grati animi, quàm libellorum conscribendorum, atque dandorum exemplo, nostris Christianis iampridem religiosè præluxisse. Quid si Ariæ Montano placet auscultare opinanti, iussu Ezechiæ quàm plurima sui Cantici exemplaria fuisse descripta, & per varias regni prouincias, vrbêsque distributa, vt non solùm in templo Hierosolymitano alicubi positum pependerit, vnde à populo commodè posset de plano legi, & fortè identidem coram Rege decantari; verùmetiam in omnibus synagogis affixum fuerit ad refricandam adepti beneficij memoriam, atque ad ciuium, & aduenarum animos religiosâ disciplinâ imbuendos, ne diuina beneficia susciperent ingrati: meritò credas veteres Christianos ad religiosissimi Principis exemplum se componentes, libellorum datorum exemplaria, quàm possent plurima ad circumiacentes Ecclesias transmisisse, vt coniunctis studiis Deo, bonorum omnium largitori munificentissimo, gratiæ haberentur, & agerentur immortales. *Arias Montanus.*

Cæterum vt ad palmarium susceptæ disputationis caput aliquando redeamus. Quoties de iisdem in indiuiduo Reliquiis, pluribúsque in locis per orbem asseruatis suborta fuerit contentio; toties ibi veras, & germanas custodiri, & coli vero similiter dixero, vbi longè antè, quam alibi, ex maiorum traditione, annalibusque certò fuerit comprobatum, voti reos, damnatósque ad illarum memorias libellos Eucharisticos dedisse, appendisse, dedicasse. Age verò, Colonia Calamensis, Hippo regius, aliæque Africæ ciuitates, quæ beati Stephani Laureatis exuuiis diuites se, ac fortunatas meritò gloriabantur, poterántne prudenter de veritate illarum dubitare, cùm super editis, ante ora patrum, suáque, miraculis libellos à diuersis personis salutarem earundem virtutem expertis conditos, oblatos Episcopis, recitatos in populis, à ciuibus, & aduenis auditos, atque ad sacrorum pignorum confessiones, & hierothecas appensos continenter oculis vsurparent suis? Haud equidē reor: nisi venerabilium reliquiarum mirificam facultatem tam sui experientiâ, quàm luculentâ testificatione vltro profitentibus omnem penitus abnegandam esse fidem velis: quod quàm sit ab recta ratione alienum nemo non videt. Maneat ergo ratum, ac fixum prudenter è libellis, pluribus abhinc retro sæculis, ad Sanctorum lipsana datis, eorum veritatem colligi, & confirmari posse, præsertim si alio in loco, vbi eadem creduntur asseruari, nulli penitùs libelli, beneficiorum acceptorum, vel patratorum ad ipsa miraculorum testes, conscripti, oblative fuerint, aut certè multò recentiori memoriâ, æuôque. Vt enim nouitas apud mortales plerunque suspicionem falsitatis parit, ita & antiquitas veritatis. Atque hæc de libellis sacrarum reliquiarum salutarem virtutem contestantibus breuiter dixisse sufficiat.

ARTICVLVS SEXTVS.

PEREGRINATIONES AD sacras Diuorum Reliquias susceptæ.

PRæter mixta præsidia, quæ pro verarum, falsarúmve reliquiarum discretione vsurpandâ proximè delibauimus alia nonnulla cogitanti mihi occurrunt, quæ separatim expendere nec inutile, per iniucundum fore spero. Ex his non vltimas tenent religiosæ profectiones (vulgò *Peregrinationes* maioribus nostris vocare placuit) quas profectiones ad Diuorum Lipsana suscipere, iam à tot retrò actis sæculis, vbique gentium Catholicis solemne fuit; quidquid contrà occlament, ac pugnent ex Orci carceribus emissæ tam veterum, quàm recentiorum Lipsanomastygum factiones, eæque Orthodoxorum stylo, manu, industriâ toties feliciter subactæ, toties prostratæ, toties iugulatæ, obtritæ toties, ac dispuluerataæ. Huic gloriosæ victoriæ reportandæ rerum fidei controuersarum tractatores omnes, omnes, adeò sedulam, & fortunatam nauarunt operam, vt aduersus illas aliud prætereà moliri, & adlaborare fusiùs, idem fore crediderim, ac mortuo Leoni pueriliter insultare.

Pro certis igitur, & confessis primùm statuo quidquid ad sacrarum peregrinationum religionem, sanctitatem, vsumque vniuersim constabiliendum, diuinarum paginarum oracula, sanctiones conciliorum, Sanctorum Patrum communis consensus, suffragia Theologorum; ad vltimum virorum sanctimoniâ vitæ præstantium exempla, continenti tot sæculorum serie contulerunt, quæ omnia si in vnum fascem sedulò, paucisque comprehensa videre appetis, auctor sum, vt præ cæteris vnum Gretserum consulas in hoc argumento impigrè, atque ex professo versatum. *Grets. lib. 4. de SS. peregrin.*

Quò autem propiùs ad institutam disputationem accedam, affirmatè, certóque assero ab ipsismet Ecclesiæ nascentis cunabulis, ac deinceps, ad venerabiles Seruatoris Christi Deiparæ Virginis, Diuorúmque reliquias in moribus positum fuisse, peregrinationes religiosè suscipere, susceptásque laudabiliter obire. Dixi, *ab ipsismet Ecclesiæ nascentis cunabulis, ac deinceps*, huiuscemodi pias abitiones ad sacra Lipsana fuisse vsurpatas, quòd Diuum Hieronymum, testem omni exceptione maiorem audiam de peregrinatione Hierosolymitanâ in hæc verba disserentem. *Longum est nunc ab ascensu Domini vsque ad præsentem diem per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Ecclesiastica virorum venerint Hierosolymam, putantes se minus religionis, minus habere scientiæ, nec summam,* *S. Hier. ep. 17. ad Marcell.*

vt dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primùm Euangelium de patibulo coruscauerat. Ecce tibi, vt ab Ecclesia vix primùm in hanc lucem prodeunte, fideles Hierosolymam conuolare perquàm studiosè consueuerant, iique ex omni natione, quæ sub cælo est, atque in paucis è nostratibus principes quique; vt hæc eiusdem docet oratio. *Quicumque in Gallia fuerit primus, huc properat: diuisus ab orbe nostro Britannus, si in religione profecerit, occiduo sole dimisso, quærit locum fama tantum, & scripturarum relatione cognitum. quid referam Armenios? quid Persas? quid Indiæ, quid Æthiopum populos? ipsamque iuxta Ægyptum, fertilem monachorum, Pontum, & Cappadociam, Syriam, Cœlem, & Mesopotamiam, cunctáque Orientis examina? quæ, iuxta Saluatoris eloquium dicentis, vbicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & Aquilæ, concurrunt ad hæc loca, & diuersarum nobis virtutum specimen ostendunt.* Sic ille, ne malis potiùs Paulam & Eustochium Hieronymi stylo ad Marcellam scribentes dicere. Quem verò ob finem à Christianis tam longinquæ profectiones susceptæ? An, vt solùm Hierosolymam suis in parietinis penè consepultam? fœlixque Palestinæ solum, Christi, Deiparæ, Apostolorum tritum vestigiis intuentes, curioso conspectu oculos pascerent? fierentque (vt Lipsanomachi nugantur) *in historia doctiores*? minimè gentium: Sed potiùs vt *adorarent, vbi steterunt pedes Domini, quod pars fidei est*, inquit Hieronymus, *vt speluncam Saluatoris, & illud præsepe in quo infantulus vagiit, atque adeo crucis lignum lambere liceret*, quid multa? *vt de ipsis locis exiguum puluerem, aut de ipso Crucis ligno aliquid saltem festucæ simile sumerent, & haberent, quod quasi pretium longinquæ peregrinationis, magnæ benedictionis loco reponebatur*, vt D. Paulinus sanctè affirmat.

S.Hier.ibid.

Matth.14.

Hier.supr.cit. & ep.154.

S.Paulin.ep. 34.

Veterrimas illas maiorum nostrorum ad Christi reliquias auidè concurrentium peregrinationes, & singularem pietatem nimium quantùm exosi Gentiles, impium æquè, ac subdolum commenti sunt facinus, vt eos ab illorum locorum & venerabilium pignorum accessu, & cultu, tanquam à frumento anseres, penitùs submouerent. Testem produco Sozomenum, cuius hæc verba sunt. *Veteres Gentiles, qui Ecclesiam persecuti fuerunt, quoniam Christianam religionem recens iam ortam delere, & exscindere omnibus opibus, viribúsque laborabant; idcirco eum locum, ingenti aggere superiniecto obruerunt, eúmque in maiorem altitudinem, vti etiamnum apparet, erexerunt. Quin etiam vniuerso loco tùm Sepulchri, vnde Christus resurrexit; tùm Caluariæ, muro vndique circumdato, eum pro suo arbitratu exornare cæperunt. Nam primùm, sternunt lapidibus: deinde fanum Veneris superexstruunt; postremo simulacrum in eo statuunt, ad eum sanè finem, vt qui Christum in eo loco adorarent, Venerem viderentur adorare, & temporis diuturnitate, vera causa, cur homines eum locum venerarentur, veniret in obliuionem, quippe cùm Christiani neque eò tutò accedere possent, neque aliis indicare auderent, sed contrà omnibus pro certo confirmaretur, in eo loco aliud esse*

Sozom.lib.2. cap.1.

Euseb.lib.3. de vit.Cōstāt. c.24.25.26.

Ruffin.lib.1. hist.Eccl. c.7

nihil, præter Fanum gentium, & Veneris statuam, à qua Caluariæ montem, in puriſſimo nomine, *Venerarium* appellarunt, vt teſtatur Ambroſius. Pari nequitiâ in loco reſurrectionis ſimulacrum Iouis, & in ſpelæo, vbi vagiit Chriſtus infantulus, Adonidis ſignum collocarunt. *Proh dolor!* exclamat ſanctus Paulinus, *quæ pietas hominum hanc impietatem compenſare poterit! vbi ſacra nati Saluatoris infantia vagierat: illic Veneris lamenta ſingentium, laſciuis luctibus, infamis ritus vlulabat; & vbi Virgo peperat, adulteri colebantur.* Verùm, quia non eſt *conſilium contra Dominum* omnes Gentilium conatus irriti ceciderunt, maioríque fidelium ad Chriſti reliquias adorandas peregrè proficiſcentium concurſu, ſacra illa loca deinceps celebrata ſunt: vt Gretſerus contexens bene longum, illuc religionis, & pietatis ergò, commeantium catalogum fuſiſſimè eſt proſecutus.

Ambr. in Pſa. 47.

S. Paulin. epiſt. 11.

Prou. cap. 21. v. 30.

Gretſ. lib. 1. de ſacr peregr. cap. 4 5. 6 7. &c.

Ex omnibus, vt purpuræ, ſic & pietatis lumine præmicat Beata Helena, Conſtantini, animo, ſimul & corpore parens fortunatiſſima. *Anxia mater pro filio,* inquit Ambroſius, *cui Regnum orbis Romani ceſſerat, feſtinauit Hieroſolymam; venit, cœpit reuiſere loca ſancta, infudit ei Spiritus, vt lignum Crucis requireret; acceſſit ad Golgotham,* erectóque in Deum animo, *aperit humum, decutit puluerem, tria patibula confuſa reperit, quæ ruina contexerat, inimicus abſconderat; ſed non potuit obliterari Chriſti triumphus.* Quid multis? *auida mulier feſtinabat tangere remedium immortalitatis, metuebat calcare Sacramentum ſalutis; læto corde, & trepidanti veſtigio, quid faceret, neſciebat. Pertendit tamen ad cubile veritatis, lignum refulſit, & gratia micuit.* Hæc & alia fuſius mellifluo ſtylo ſanctus Antiſtes de pia Helenæ Auguſtæ ad veneranda Chriſti lipſana inueſtiganda, adorandáque Hieroſolymam profectione. Quem fugit Eudociam Theodoſij Iunioris coniugem ſemel, iterúmque ad ſancta Palæſtinæ loca, pietatis ergò, peregrè abiiſſe, ibíque plurimis, & ampliſſimis donis ornaſſe Baſilicas, & *adoratis tam ſancta cruce, quàm colendis locis,* Conſtantinopolim rediiſſe? Imperatorias haſce peregrinationes Hieroſolymam verſus, ad Chriſti ſeruatoris lipſana, piè inſtitutas imitati ſunt, quotquot, ſiue dignitate, ſiue doctrinâ, ſiue morum ſanctimoniâ præſtantes viri, fœminæve ad Chriſti ſanguinem Mantuam, & Billomum, &c. ad præputium, & venam vmbilicalem Romam, Anicium &c. ad ſudaria, ad natalitias & ſepulchrales faſcias, Byzantium, Veſontionem, Taurinum &c. ad ſpineam coronam Pariſios; ad crucis particulas præſepe, columnam, veſtem inconſutilem, aliáſque id genus Chriſti Seruatoris toto orbe Chriſtiano diſperſas, adoratáſque reliquias (quas infinitum eſſet ſigillatim recenſere) religionis ergò, laborioſas perinde, ac pias profectiones, capeſſiuerunt, vt ex variis hiſtoricorum hodœporicis certò conſtat.

S. Ambroſ. orat. de obitu Theodoſ.

Gretſ. lib. cit. cap. 14.

Si te Beatiſſima Virgo, inter ſacros peregrinatores nobiliſſimam, pientiſſimam, & à Chriſto, ſobole tuâ, omnium facilè principem peregrinam illaudabili ſilentio præteriero; næ mihi cum regio vate flebiliter

biliter occinendum erit: *Væ mihi: quia tacui.* At quisnam præter vnum Diuum Ioannem Theologum, filium adoptiuum, & *indiuulsum comitem tuum* (vt Dexter loquitur) enucleatè referat, quoties à viuaci, vitalíque Christi nece, ac triumphali eiusdem Anastasi, sacra Palæstinæ, atque imprimis Ierosolymæ, & circumiacentia loca, quæ filius tuus suis diuinis vagitibus, vestigiis, laboribus, sudore, tormentis, morte, corporéque è rediuiuis restaurato consecrauerat, incredibili cum sensu pietatis maternæ adiuisti, lustrasti, virgineísque osculis religiosè fixis deuenerata es, vt orbitatem tuam solareris, & quem corpore amissum dolebas, quasi præsentem mente recreatâ complecterere? piis peregrinis præluxisti exemplo, præsidio faue, ô misericordissima, & præpotens peregrina?

Non multùm dissimili concursu, affectu pari, inferiori licet veneratione ad eiusdem Virginis Deiparæ sacras exuuias, imagines, tam diuina effictas manu, quàm humano Diuæ Lucæ penicillo laboratas; vno verbo ad quæuis ipsius Lipsana variis in locis asseruata à Catholicis peregrè itum est.

Luc. Dexter Chron. ad ann. 37.
S. Hier ep. cit. sup. Sophron. serm de Assumpt.
S. Hildeph. serm. 5. de ead. &c. quos Can. s lib 5. de Mar. Deip. c. 1. Poza lib. 1. Elu. idar. tract. vlt. c. 1. & 2. citant.

Pulcheria Theodosij Iunioris soror, & vxor Martiani Augusti, vitâ, & moribus spectatissima fæmina, in templo recèns à se Beatissimæ Dei genitoris Constantinopoli excitato, ipsius Zonam, tanquam thesaurum longè pretiosissimum, deposuerat, teste Nicephoro, cùm ad sacram illam arculam (ἁγίαν σορὸν ideò dictum, quòd capsellam, seu thecam Virgineæ Zonæ custodem asseruaret) *ab Oriente & Occidente* (do conceptissima Euthymij verba, Latio apud Surium donata) *à Septentrione & Mari, omnes ardenter & fideliter confluunt, & spiritales cultus cum timore peragunt, & Deum ex corde non cessant glorificare à mediâ nocte, atque adeò perpetuò prompto, & alacri animo assimilati Angelis & Archangelis.* Et ne promiscuum duntaxat fidelium vulgus eò religionis causâ peregrè profectum credas; audi quæ idem de peregrinorum claritudine, conditione, ætatéque ac pij concursus ardore, post paucula subiiciat. *Ex quouis*, inquit, *Christianissimo ordine in id magno studio confluunt Pontifices, Reges, Principes, Magistratus, diuites, & pauperes, immatura ætas, & piarum fæminarum caterua. Hodie dedicatur templum purum, & integrum gloriosæ Dei filiæ, in quod etiam ij, qui sunt in montibus, & speluncis, cursu venientes, ex bono rumore, ossa (vt dicit scriptura) pinguefaciente, amore amorem imbuunt, & læti domum repetunt, semper Virginis Mariæ summum templum honorantes.* Non aliam scilicet ob causam, quàm quod in magnificentissimâ huiusmodi basilicâ natalitias Christi infantis fasciolas, virginísque parentis Zonam, à pientissimâ Imperatrice, eâdémque castissimâ virgine, Pulcheria, instar Palladij deposita; religiosè asseruari famâ, & auditione accepissent. Non minori concursu ad templum, (cui *Blachernæ* nomen) ob sepulchrales Deiparæ fascias, & ad aliud, (τῶν ὁδηγῶν dictum) ob imaginem, quam D. Lucas suis manibus *viuente adhuc Virgine, ac tabellam ipsam vidente, gratiámque* (vt ait Nicephorus) *formæ*

Niceph. lib. 15 hist. Eccl. c. 4.
Euthym. apud Sur. tom. 4. vit. Sanct. 31. Aug.
Prouerb. 15.

formæ suæ, illi immittente, depinxerat, Catholicæ fidei professores tùm honorandæ Dei genitricis, tùm Virgineæ opis implorandæ, & impetrandæ causâ, olim confluere consueuerant.

Gretſ. lib. 2. de SS. peregr. cit. c. 3. 4. & ſeq. Caniſ. lib. 5. cit. c. 15. & 24.

Verùm quid pluribus imprudenter, incassum, & ad nauseam sacras peregrinationes, ad Beatæ Mariæ Lipsana initas recensere pergam? cùm Antidicomarianitæ nostrorum temporum Lipsanomastyges eas allatrando satis, supérque deprædicent, tótque Basilicæ ipsas altissimè loquantur, quot earundem reliquiarum aliquid, quantillum illud esse possit, toto terrarum Orbe custodiunt, monstrant, deuenerantur.

Gretſ. lib. cit. à c. 8. vſque ad fin.

Restat maiori breuitate (ne actum agere videar) religiosas profectiones ad reliquorum Diuorum sacra pignora non sine laude, ac fructu obitas delibare. Agedum, quis longè frequentissimos confluxus, concursúsque perantiquos ad limina Apostolorum, ad Prophetarum sepulchra, ad montem Sina, ad memorias Martyrum, ad Confessorum sacella, denique ad quaslibet Sanctorum confessiones, à Fidelibus piè factos non inaudiuit? Si quem fortè in nostris rebus adeò peregrinum ferret Orbis, hunc ego perlibenter ad vnum Gretserum amandarem, qui hominem suam inscitiam deponere bene multis doceret, Consulerem, vt, Orthodoxorum vrbes, oppidáve circumcursando: Diuorum Basilicas, & monumenta curiosiùs lustraret, vix enim vllam iuuenire est ædem sacram, in quâ venerabiles ipsorum reliquiæ colantur, quò peregrinorum non confluat multitudo, præsertim si, ad certa quædam corporis, animíve beneficia consequenda, eos apud Deum gratiosiores præ aliis existere fama sit, quorum bene multos hoc nomine celebres tibi subministrabunt viri pereruditi Saussayus, martyrologij Gallicani conditor, atque de Societate nostrâ Theophilus Raynaudus, qui horum Sanctorum prælectionem tam probandam, quàm improbandam more suo doctâ, & accuratâ disputatione euentilat, & euincit, vt pariter alij non pauci rerum fidei controuersarum tractatores præstiterunt qui Melanchtonis, Erasmi, & cæterorum Lipsanomastygum insulsam, impiámque petulantiam exagitarunt, fœliciterque coërcuerunt. Præiuerat illis omnibus sanctus Augustinus, cùm longè antè sic scriberet. *Ad iſta, quæ hominibus viſibiliter nota ſunt, quis poteſt eius* (rei scilicet) *conſilium perſcrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant? multis enim notiſſima eſt ſanctitas loci, vbi Beati Fœlicis Nolenſis corpus creditum eſt, quò volui, vt pergerent.* (Duo nimirum, quos sanctissimus Antistes ex Africâ Nolam miserat ad iuramentum antè sancti Felicis exuuias pro veteri more præstandum) *quia inde nobis faciliùs, fideliúſque ſcribi poteſt, quidquid in eorum aliquo diuinitus fuerit propalatum. Nam & nos nouimus Mediolani apud memoriam Sanctorum, vbi mirabiliter, & terribiliter Dæmones confitentur furem quendam, qui ad eum locum venerat, vt falſum iurando deciperet, compulſúmque fuiſſe confiteri furtum, & quod abſtulerat, reddere. Nunquid non & Africa Sanctorum martyrum corporibus*

Sauſſay. ſub fine Martyrol. Gallic. Theoph. Rayn. part. 1. Heterocl. ſpirit. ſect. 3. punct. 1. n. 6 ad 12. Lindan. lib. 3. panopl. c. 32. Bellarm. lib. de Imagin. c. 18. &c. S. Aug. ep. 137.

poribus plena est? & tamen nusquam hîc scimus talia fieri. Sicut enim, quod Apostolus dicit: Non omnes sancti habent dona curationum, nec omnes habent diiudicationem spirituum, ita nec in omnibus memoriis Sanctorum, ista fieri voluit ille, qui diuidit propria vnicuique prout vult. Hinc ergo factum est, vt fideles ad eorum Diuorum reliquias longis, & periculosis itineribus peregrè proficisci dubitarint nunquam, quos Diuos ad certa quædam beneficia impetranda magis apud Deum esse in gratiâ, exploratum habuissent. Ad vltimum cum Diuo Chrysostomo iure dixerim. *Quò regias quidem aulas videat, nullus vnquam peregrinatus fuerit: multi verò Reges plerumque huius spectaculi gratiâ peregrinati sunt, futuri namque iudicij vestigia, & signa Sanctorum ædes exhibent, vbi Dæmones flagellantur & corriguntur homines, & liberantur.* Hactenus oris aurei Patriarcha demonstrans seruorum Christi monumenta regalibus sepulchris, & palatiis esse multò clariora, *nam illic quidem magna solitudo: hîc autem magnus concursus* vltrò, citróque religionis ergò commeantium est.

1. Cor. c. 12. v. 30.

S. Chrys. hom. 66 ad pop. Antioch.

His igitur solidè stabilitis, nihil dubito asseueranter dicere, cùm super aliquibus cælituum pignoribus, quæ eadem in indiuiduo pluribus locis asseruata monstrantur, magistratus sacri, prophanique inter se controuersantur, eas pro veris, germanisque verosimillimè, habendas esse reliquias, ad quas visendas, colendásque, maiores, frequentiores, &, quod caput est, antiquiores pietatis causâ peractæ fuerunt profectiones: cùm enim ad illius Diui pignora, non nisi eâ fide, ac religione à Christianis primùm peregrè itum fuerit, quòd ob accepta inibi beneficia, editáve diuinitùs miracula ipsissimas eius exuuias esse reuerà crederent, meritò vetustiori temporis, & peregrinationum diuturnitate, iam pro illorum sacrorum Lipsanorum veritate videtur anticipatâ sententiâ præiudicatum. Hoc argumentationis genere vsum lego Anfossium, vt vera esse Sanctorum Tobiæ & Tobiini Lipsana euinceret, quæ in sancti Ioannis, Ticini asseruari creduntur. Ipsius hæc verba sunt. *Id verum probatur, non modò famâ ciuitatis, sed etiam omnium, & singulorum peregrinorum tam ipsius status Mediolani, quàm Gallorum Cisalpinatum, Genuensium, & Pedemontanorum, singulis annis Papiam confluentium, vt petitâ benedictione Reuerendissimi Antistitis pro tempore, se itineri accingerent ad visitandam sacram Lauretanam ædem feriâ secundâ Paschatis. Hi antequam nauim conscenderent, ab hominum memoriâ solebant religiosissimè processionaliter visitare capellam, quam dicunt sancti Raphaëlis in dictâ Ecclesiâ sancti Ioannis in Burgo licet destructam, fidissima veterum peregrinantium, quasi per manus traditâ traditione suffulti, quòd illic essent Tobiæ, & Tobiini corpora veneranda, cui sicut audierant, comitem se cœlitus præbuisse in illâ peregrinatione Raphaëlem Angelum, qui Tobiæ seni de Tobiâ filio loquens dixit, Ego sanum ducam filium tuum: Sanctum precarentur in illâ visitatione vt eius orationibus tanti Angeli tutelam illâ in suscipiendâ peregrinatione obtineret à Domino. Illuc vidisses irruere*

Anfoss. lib. de SS. Reliq. cultu &c. §. 22. n. 3. & seq.

Tob. 5. 15.

innumeram peregrinantium multitudinem flexis genibus deprecantium, vt Angelus Raphaël comitetur secum in via, vt cum pace, salute & gaudio reuerterentur ad propria. Audiuisses aliam innumeram charorum ciuium, sacerdotúmque manum dicentium: Angelus Domini sanctus Raphaël sit in itinere vestro, perducat vos incolumes, & inueniatis omnia recta. Tunc esset videre peregrinos hic prostratos ad limina Templi; recedentes iterum suam Raphaëli, Tobiæ, atque Tobiino summis precibus peregrinationem commendare; istic templi vestibulis oscula figere, inclinato capite Ecclesiæ pauimentum deosculari; illic dexterâ pauimenti Ecclesiastici puluerem percutientes, eam ori deosculandam admouere. Hactenus ille, qui, vti vides, à peregrinorum in sacellum sancti Raphaëlis multis abhinc retrò actis sæculis confluentium multitudine; pietate, & amicis bene ipsis comprecantium votis germanas esse, Tobiæ, ac Tobiini exuuias, & illic verè ipsas asseruatas fuisse demonstrat. Cùm ergo ad easdem Diuorum reliquias, quæ alibi feruntur custodiri, & coli multò recentiore memoriâ, æuóque breuiore initæ, obitæque fuerint peregrinationes, nulláque patrata fuisse constiterit miracula, meritò in dubium, ac suspicionem vocari possunt, ne præ aliis, vel adulterinæ vel supposititiæ sint, vel innocenti saltem errore pro veris habeantur, & adorentur à Christianis, quos suum errorem vix ægrè aliquando dedoceas.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Processiones ad Sanctorum Reliquias institutæ.

IDem planè iudicium ferendum censeo super Diuorum Lipsanis, quæ eadem in indiuiduo diuersissimis in locis, templísve asseruari constans fert fama. Non enim imprudenter illas Reliquias pro veris, germanísque habeas, & deuenereris; ad quas, vno in loco aliquot antè sæculis, quàm in alio, adorandas fideles supplicabundi piè, religioséque processerint: quasi verò sacras istiusmodi itiones maiores nostri suscipere voluissent, nisi si priùs ipsis de reliquiarum veritate apprimè constitisset? siue per oracula cælitùs missa, siue per proborum virorum testificationes, siue per miracula diuinitùs patrata, siue per alia id genus ritè, ac Orthodoxè sentiendi argumenta.

Scio, scio quàm falsò, quámque ridiculè Lipsanomachi Catholicis imponant eos, in hisce religiosis progressionibus (vt in aliis rebus plurimis) impiam Gentilium consuetudinem imitari, quam Tertullianus in hæc verba consignatam reliquit, paucísque descripsit. *Omnem ταπεινοφρόνησιν Ethnici agnoscunt, cùm stupet cælum, & aret annus, nudipedalia denuntiantur, magistratus purpuram ponunt, fasces retrò auertunt,*

Tertull. lib. de ieiunio aduers. Psych. c. 16.

auertunt, precem indigitant, hostiam instaurant. Apud quasdam verò colonias præterea annuo ritu velati, & cinere conspersi idolis suis inuidiam supplicem obiiciunt; balnea, & tabernacula in nonam vsque cluduntur, vnus in publico ignis apud aras, aquæ nec in lancibus. Robigalia, Floralia, Fontanalia, Ambaruualia, Aqualicia, & reliquos eiusdem generis Gentilium festos dies, quibus supplicationes peragi solemne fuit, nobis adlatrantes ad nauseam obtrudunt. At quàm verè, quàm prudenter, quámque religiosè viderint alij: ego certe illis eundem Tertullianum pro Catholicis (quos Psychicos vocitat) hac saltem in re fideliter, ac syncerè depugnantem repræsento. *Admitto*, (inquit ille) *testimonialem comparationem: Hinc diuina constabit, quam Diabolus diuinorum æmulator imitetur, ex veritate mendacium struitur, ex religione superstitio compingitur. Hinc tu religiosior, quantò Ethnicus paratior.* Bonum factum. Audistin' Diabolum *diuinorum æmulatorem*, hanc procedendi consuetudinem *imitatum*, ad impios, & detestandos suos ritus, ac sacra transtulisse? Verùm à quibúsnam imitatus est? à populo, nimirum, Dei. Enimuerò ea sunt fauorabili erga Orthodoxos fide lipsanomachi, vt credere malint ipsos religiosam hanc ad Diuorum memorias, & lipsana progrediendi consuetudinem ab Ethnicis ad Deorum puluinaria procedentibus potiùs, quàm ab Hebræis Hierosolymitanum templum, tabernaculum, & arcam fœderis supplicatum adeuntibus hausisse. At velint, nolint, multò magis veritati consentaneum est Catholicos pium hunc supplicationum, seu processionum morem à populo Dei petiisse, vti iampridem præ sexcentis aliis, ex professo ac neruosè demonstrarunt viri doctissimi Durantus, Serarius, Gretserus, quos, si lubet, ac licet, consultos velim.

Tertull. lib. de præscript.

Brisson. lib. 2. de formul. Alex. ab Alex. lib. 5. Genial. cap. 27. Tiraquell. ibid. Durant. lib. 2. de rit. Eccl. cap 10 Serar. lib. 2. de SS. peripato. Gretſ. lib. 2. de sacr. proces.

Verum demus cerebrosis hominibus, religiosam illam ad Sanctorum exuuias supplicatum prodeundi consuetudinem, à Gentilibus mutuatos fuisse Catholicos. Quid tum? idcóne ipsis id vitio vertendum? minimè gentium, si quidem illum paganorum procedendi ritum, cœteroquin sacrilegum, & impiatum, sanctiori fide, fine religiosiori, purioribúsque expiatum ceremoniis vsurparint olim, atque etiamnum vsurpare pergant. Audiant lipsanomastyges nostri, Audiant, (*modò aures audiendi habeant*) audiant, inquam, Diuum Augustinum in re, licet dispari, eorum vesaniam persanare satagentem: *Sicut*, inquit, *non ideo contemnenda, vel detestanda est Virginitas Sanctimonialium, quia & Vestales fuerunt: sic non ideo reprehendenda sacrificia Patrum, quia sunt & sacrificia Gentium: quia sicut inter illas virginitates multum distat, quamuis nihil aliud distet, nisi quæ, cui voueatur, atque reddatur: sic inter sacrificia Paganorum, & Hebræorum multùm distat eo ipso, quòd hoc solum distat, quæ, cui sint immolata, & oblata illa, scilicet superbæ impietati dæmoniorum id ipsum sibi ob hoc arrogantium, quò haberentur Dij; quia diuinus honor, est sacrificium: illa verò vni Deo, vt ei offerretur, similitudo promittens veritatem sacrificij, cui offerenda erat ipsa reddita veritas in passione corporis, & sanguinis Chri-*

S. Aug. lib. 20. contr. Faust. cap. 21. & Epist. 49. q. 3.

sti: sic ille verè, & more suo peracutè. His suam (si volent lipsanomachi) vecordiam, & animi stuporem curent, & intelligant aliquando pias supplicabundi populi ad Sanctorum puluinaria, & reliquias itiones vitio verti Catholicis nec meritò posse, nec debere, quantumuis eas paganorum exemplo institutas, & obitas fuisse vltrò concederemus: quandoquidem à fidelibus, vti iam dixi, aliâ, eâque sanctiori fide, sine religiosiori, atque adeò longè sanioribus ceremoniis suscipiuntur. Quid si certò constiterit miraculum aliquod fuisse patratum, vel beneficium cuipiam collatum diuinitus ad sacrarum reliquiarum conspectum, attactum, deuenerationem? ecquis Orthodoxos vel tantillum admisisse piaculi iure suspicetur, dum, ad Diuorum lipsana supplicatum iuerint redituri fortè seipsis sanctiores, saniores, feliciores. Nihil enim sapientiùs peragas, quàm quod Deus ipse ratum habuerit, nihil sanctiùs, quam quod miraculis sanciuerit; nihil vtiliùs, quàm quod beneficiis cumularit. At de his hactenus satis.

Iam verò quàm frequenter; quámque religiosè maiores nostri ad Christi, Sanctorúmve reliquias visendas, excipiendas, transferendas, colendasve, seu soli seu plures, seu cateruatim, , seu pleno, ac longo agmine supplicabundi procedere consueuerint, strictim pro instituta breuitate videamus. Iacobus à Vitriaco res in Oriente à Christianis gestas prosecutus refert Cruce signatos munitissimam Damietæ (*Pelusium* dixere veteres) turrim oppugnaturos, *Feria sexta ante festum sancti Bartholomæi, nudis pedibus, cum deuotione nostræ gentis ad sanctam crucem processionem fecisse.* Memoratu dignissima est illa processio quam ab Archimandritis fidei aduersus Nestorium tuendæ gratiâ susceptam, & vnâ cum ingenti Monachorum, & plebis multitudine ad sancti Mocij reliquias, & Basilicam progressis acta Ephesinæ Synodi testantur. Nihilo sanè obscurior fuit pia illa progressio, quam sanctus Porphyrius, rogantibus suis Gazensibus ad pluuiam è cœlo eliciendam instituit ad Sanctorum Martyrum memorias, lipsanáque Gentilium in Marnæo coactorum oblata Ioui, seu Marnæ nubicogo, pluuiæque datori sacrificia, preces fusæ, nuncupata vota ceciderant irrita: Cùm *persuasus sanctus* (verba do Marci rei gestæ testis, & scriptoris oculati apud Surium) *indicto ieiunio iussit omnes vespere congregari in sancta Ecclesia, vt illic vigilias perageremus: fecimus autem totâ nocte triginta preces, & totidem genu flexiones, præter choros, & lectiones. Cùm autem esset mane, accepto ligno venerandæ Crucis, quod nos præcedebat, egressi sumus, cum hymnis ad antiquam Ecclesiam, quæ est à parte occidentali ciuitatis, quam aiunt, ædificasse sanctissimum, ac beatissimum Asclepam Episcopum, qui multas sustinuit afflictiones pro fide orthodoxâ, cuius vita, & facta scripta sunt in paradiso deliciarum. Cùm ergo fuissemus in dicta Ecclesia, illic quoque fudimus totidem preces: & illinc egressi iuimus in sanctum martyrium gloriosi martyris Timothei, in quo repositæ sunt etiam aliæ reliquiæ Mauris martyris & Thees, quæ relatæ sunt in vnum erum Confessorum. Cumque illic fecissemus totidem preces, & genu*

Iac. à Vitria. lib. Orient. hist. Grets. lib. 1. de sacr. processs. cap. 11

Act. Ephes. synod. cap. 19. & 20.

Marc. in vit. S. Porph. apud Sur. tom. 1. vit. SS.

genuflexiones, reuersi ſumus in ciuitatem. Inuenimus eam clauſam (erat verò hora nona) Idololatræ enim hoc fecerant volentes diſſipare populum, ne perficeremus ſupplicationes. Cùm autem manſiſſemus duas horas ante portam, & nemo eſſet, qui aperiret, videns Deus populi patientiam, fletúſque, & ineffabiles lacrymas, maximè ſancti viri, motus miſericordiâ quomodo tempore magni Eliæ Prophetæ, mouet ventum Auſtrum, & nubibus tegitur cœlum, & incipiunt fieri fulgura, & tonitrua, ſimul atque ſol occidiſſet, & decidit multus imber, vt exiſtimarentur non guttæ, ſed grando de cœlo deiici. Nos autem præ magno gaudio propemodum non ſenſimus. Nos enim eramus inuicem complexi. Quidam verò gentiles, cùm aſpexiſſent miracula, quæ Deus nobis fecerat, & credidiſſent, nobis portam aperuerunt, commiſtíque ſunt nobiſcum clamantes: Chriſtus ſolus Deus, ipſe ſolus vicit. Conuenerunt autem nobiſcum in ſanctam Eccleſiam, & illinc Beatus eos dimiſit in pace Chriſti ſignatos ſignaculo. Erant autem viri centum viginti ſeptem, & fœminæ triginta quinque, & infantes quatuordecim, ex quibus erant puellæ quinque. Nos verò cùm feciſſemus perfectam gratiarum actionem receſſimus vnuſquiſque cum gaudio & pace. Hæc, & alia plura pius hiſtoricvs de religioſiſſima ſimul, & potentiſſima ſancti Porphyrij (verum *Iouem Pluuium*, aut *Thuſcum Aquilicem* dixeris) ſupplicabundi proceſſione. Cui meritò illud Venuſini poëtæ aptaris: Horat. lib. 2. epiſt. 1.

Poſcit opem chorus, & præſentia Numina ſentit,
Cœleſtes implorat aquas docta prece blandus.

Hìc fortè lipſanomachus quiſpiam Danæus *ex Idololatriæ fonte hanc peregrinationum, & vagationum ſuperſtitionem profectam* occlamet. At hæretico ſtentori æquè, ac Vigilantio reliquiarum omnium contemptori maximo, ſanctus Hieronymus os impium his verbis oppilet. *Stulti omnium Eccleſiarum populi, qui occurrerunt ſanctis Reliquiis* (beati nimirum Samuelis, quas tunc Arcadius Auguſtus de Iudæa tranſuehebat in Thraciam) *& tanta lætitia, quaſi præſentem, viuentemque Prophetam cernerent, ſuſceperunt, vt de Palæſtina vſque Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Chriſti laudem vna voce reſonarent.* Deus bone! quàm auguſtam, quàm piam, quàm numeroſam proceſſionem vidit tùm Thracia Lipſanomachis ſuperſtitioſa, imo idololatra: nobis verò nimium quantum religioſa. Non eſt, cur pluribus veritatem apud ſcriptores ſacros paſſim obuiam nequicquam confirmem: meridianâ enim luce clarius eſt tot abhinc ſæculis conſueuiſſe Fideles ad venerabiles Diuorum exuuias, religionis, beneficiíve alicuius obtinendi causâ, longo agmine ſupplicabundos procedere, nec plerunque abſque corporum, animorúmve ſperato, & reportato prouentu.

Nec eſt, quòd ſacri huiuſce peripati oſores ex Sidonio nobis obiiciant neſcio quas *vagas, tepentes, infrequentes, oſcitabundas, garrulas, pompæ, ac rixarum plenas*, atque adeò *verberearum ſtatuarum* (vt cum Plauto loqui malunt) ſanguine cruentatas, aliorúmque id genus com- Sidon. Apoll. lib. 5. epiſt. 14.

plurium næuorum permixtione commaculatas supplicationes, quas ad cœlituum lipsana institui non rarò videmus non sine contuentium horrore, atque ex rei indignitate, & animorum indignatione maximâ. Horumce hominum personatam religionem, & diuinæ venerationis inflammatum in speciem studium quis non suspiciat? quis non continuò memoratas processionum Catholicarum maculas damnet? quis eluendas penitus non censeat? At væcors omnino sit, qui cum illis supplicationes *statas, modestas, frequentes, tacitas, nudipedes, ieiunas, quietas, temperata diuerberatione seueras, sacrorum canticorum modulatione hilares, omnibus denique vitiliginibus emaculatas, simul & abstinenter, ritè, ac piè obitas* ex orbe Christiano funditus exturbare velit. Videat apud Gretserum Serarium, & Theophilum Raynaudum in paucis ex professo *Pietatis anomala* prosecutum, eruditéque persecutum, non modò huiuscemodi maculas à Catholicis processionibus ex instituto, ac fine suo sanctissimis expunctas; sed etiam perantiquam æquè, ac piam supplicationum ad Sanctorum exuuias instituendarum consuetudinem religioso ardore, summâque eruditione propugnatas, ac deinceps illas amare, venerari, & obire nobiscum pergat, atque adeò cum Tertulliano dicat. *Nos ieiuniis aridi, & omni continentiâ expressi, ab omni fruge dilati in sacco, & cinere volutantes inuidiâ cœlum tundimus, Deum tangimus, eiusque misericordiam extorquemus.*

Gretſ. lib. 1. de sacr. proces. cap. 16. Serar. loc. cit.

Theoph. Rayn. Heter. spirit. sect. 2. punct. 8

Tertul. Apolo. cap. 40.

Quando igitur certissimè constiterit vel historicorum testificatione, vel veterum tabularum fide, vel traditione maiorum aliquot sæculis, diúve antè vno in loco, quàm in alio, vbi eædem in indiuiduo Reliquiæ custoditæ monstrantur, Fideles ad illas seu excipiendas, seu transuehendas, seu adorandas accitos miraculorum, aut beneficiorum acceptorum famâ, supplicabundos processisse; vero simillimum erit eas veras illius Cœlitis, cui vulgo tribuuntur, exuuias, lipsanáve esse ipsissima. Non hîc iterum repræsento superiùs à me laudatum Anfossium, hoc probationis non quidem inexpugnabilis, at certè probabilis genere veritatem Ticinensium Reliquiarum confirmantem: cuius vestigiis qui volet inhærere, veras ab adulterinis, legitimas à suppositítiis probabilitate magnâ secernere valebit. Vt enim initio huiusce disputationis asserebam, noluissent vnquam Maiores nostri pias huiusmodi ad Sanctorum lipsana stationes supplicabundi suscipere, nisi exploratissimum habuissent ipsa certò, ac reipsa ad illum attinere Diuum, quem sibi fauentem, & comprecandi beneficij apud diuinum numen suffragatorem elegissent. Hoc autem multò faciliùs rei veritatem pro comperto habere potuerunt, quò propiùs ad Cœlitis (de cuius reliquiis controuersia est) viuentis etiamnum, spirantísque tempora vitam vixere, vel illas suis ipsimet oculis coram spectare potuerunt, vel miraculum aliquod ad earundem contactum aut venerationem diuinitus aditum, vel beneficium collatum fuisse supplicibus, inaudiuere.

Anfoss. supr. cit. art. 1.

ARTI

ARTICVLVS OCTAVVS.

COLLECTÆ AD SANCTORVM Reliquias factæ.

ANtequam explicem, quo pacto ad sacrarum Reliquiarum, quæ diuersis locis feruntur asseruari veritatem detegendam, conferre possint *Collectæ* ad Diuorum lipsana factæ; eam vocem non vno significatu à sacris scriptoribus olim sumptam fuisse, primùm vt scias, velim.

Enimuerò voce illâ significari populi ad res sacras coitionem docent hæc Mosis, festos Hebræorum dies recensentis verba: *Dies quoque octauus* (Tabernaculorum scilicet) *erit celeberrimus, atque sanctissimus, & offeretis holocaustum Domino: est enim cœtus, atque Collecta. Fecitque Salomon* (inquit sacer historicus) *die octauo Collectam eo, quod dedicasset altare septem diebus, & solemnitatem celebrasset diebus septem.* Non me latet interpretes in diuersas sententias hîc scindi, quas accuratius expendere non est huiusce loci, nec instituti mei: plerique tamen *Collectam*, de populi ad sacra coacti conuentu, explicare non dubitant; *Collectionem* maluit vertere vulgatus interpres Græcam D. Pauli vocem, ἐπισυναγωγήν; vtraque à *colligendo* traxit originem & significationem. Nam eo sensu vsurpatam à Tertulliano *colligendi* vocem lego. *Sed quomodo colligemus? inquis, quomodo solemnia celebrabimus?* Hoc est quomodo in templum congregabimur? Quomodo Eucharistiæ participabimus Sacramenta? vnde apud alios, *Collectam facere*, idem est, ac Fideles in cœtum ad rem Diuinam cogi. Eo significatu præter Sanctos Hieronymum, Augustinum, & Epiphanium, qui vulgo laudantur, video D. Pachomium hac voculâ, *Collectæ*, plurimùm delectatum, passimque vsum. Vnum, aut alterum exscribam locum. *Quando ad Collectam*, inquit, *tuba insonuerit per diem, qui vnâ oratione tardius venerit, Superioris increpationis ordine increpabitur, & stabit in loco conuiuij. Noctu verò, quia corporis infirmitatis plus aliquid conceditur, qui post tres orationes venerit, eodem in Collectâ, & in vescendi loco, ordine corripietur.* Item *si quis tulerit rem non suam, ponetur super humeros eius, & aget pœnitentiam publicè in Collectâ, stabitque in vescendi loco.* Hæc duo instar sint omnium. Alibi maioris *Collectæ* mentionem facit, & distinguere videtur à *Collectâ domus*, quam minorem interpretor, sic enim loquitur. *Præpositus domus & qui secundus ab eo est, hoc tantum iuris habebunt, vt compellant fratres in punctis singulis, vel in Collecta domus, siue in Collecta maiore, hoc est*

Durãt. lib. 2. de ritib. Eccl. c. 16. Scortia lib. 3 de S. Miss. sacrif. c. 19. &c.
Leuit. c. 23. v. 36. Deuter. 16. v. 8.
2. Paralip. c. 7. v. 9.
Vid. Burgens. Lyra. Cornel. à Lapide &c. in loc. cit. Riber. lib. 5. de festis Iudæor. c. 16. &c.
D Paul. ad Heb. c. 10. v. 25.
Tertull. lib. de fugâ in persecut. c. vlt. Rhenan. & Pamel. ibid. & lib. de Orat. n. 1.
Durant. supr. cit.
S. Pachom. regul. 2. Idem regulis 102. & 126.

est, omnium fratrum, subiacere pœnitentiæ, Collecta igitur maior, si *omnium fratrum* eiusdem Monasterij in templum coactorum congregatio fuit: *Minor Collecta*, vocari, ac reipsâ intelligi debent priuati conuentus, quotidie, statis horis, & in singulis domibus agitari soliti, vbi non quidem vniuersi, at pauci dumtaxat, pro Cœnobitarum numero, conueniebant. Inde *Collectam* idem Religiosissimus Abbas, metonymicè vocitauit ædem sacram, locumve inquem Cœnobitæ colligebantur: *qui inuenerit*, inquit, *aliquid per tres dies ante Collectam fratrum suspendat, vt tollat, qui nouerit*. De his satis.

Idem regul. 3. & 76.

Altera *Collectæ* significatio fuit, eáque perantiqua, vt eâ pecuniarum à singulis sponte datarum Collectionem expressam velint etiam purioris latinitatis aucupes religiosissimi. *Quoniam*, infit Cicero, *Collectam à conuiua, Crasse, exigis, non committam vt si defugerim, tibi aliquam dem causam recusandi.* Mos enim olim inualuerat, vti & hoc nostro æuo, à singulis conuiuis, Pecunias in symbolam colligendi. Vnde tam religiosè, quam eruditè huiusce conuiualis collectæ ritus, & vox à maioribus nostris traducta sunt in Ecclesiam Dei, ad illam pecuniæ, stipísque collectionem significandam, quæ singulis quibusque diebus festis, atque præsertim Dominicis à Fidelibus ad diuinam memsam vocatis, vel accumbentibus, pro cuiusque arbitrio, & fortunis, ad pios vsus conferebatur. Paulinam super hac re sanctionem audiamus. *De collectis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinaui Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite per vnam Sabbathi: vnusquisque apud se seponat recondens quod ei bene placuerit; vt, cum venero, tunc collectæ fiant.* Quibus verbis illustratam collectæ faciendæ consuetudinem vides: Primùm in quorum gratiam Collecta fieret, *in Sanctos* scilicet, hoc est, in eos, qui è Iudæis, Gentibusque recèns ad Christianos transfugerant, nouæ vitæ sanctitatem professuri (vnde ipsis *Sanctorum* adhæsit nomen) atque fortunis omnibus iniustissimè euersi alienâ misericordiâ viuere cogebantur, in eos, inquam, pecuniæ corrogatæ, collectæque profundi consueuerant, vt ex variis Diui Lucæ, Paulique locis intelligere cuilibet in promptu est. Secundò præscribitur tempus, *per vnam Sabbathi*, hæc est, dies Dominica, quæ *vna*, siue *prima Sabbathi*, siue *post Sabbathum* erat; vt vulgus Sanctorum Patrum interpretatur. Illâ enim in paucis die Fideles in Ecclesiam ad res sacras frequentissimi conueniebant, vt misericordiæ, ac beneficiorum in genus humanum à Deo eâ luce collatorum memores, fratrum Christianorum simul & Ecclesiæ egestatem gratuitis suarum fortunarum largitionibus copiosiùs subleuarent: Quæ S. Chrysostomi fuit ingeniosa meditatio. Tertiò eximia primorum Christianorum notatur liberalitas, eò quod vnusquisque (si quomodo rei familiaris id ferrent angustiæ) apud se id pecuniolæ seponeret, quod tempori ad collectam vltrò erogare posset. Denique modus attingitur, dum stipes, atque pecuniæ, publicitùs, siue communi consilio, cura, & studio, in vnam summam & sinum colligi ab Apostolo iubentur.

Cic. lib. 3. de Orat.

D. Thom. 1. 2. quæst. 101. art. 4. ad. 10.

1. Cor. c. 16. v. 1. & 2.

Act. 8. v. 21. c. 11. v. 28. Rom. 15. v. 26. 1. Cor. cit. & 2 Cor. c. 8. v. 1. ad Hebr. c. 10. v. 34.

S. Chrys. in cit. S. Pauli loc.

Collectam.

Collectam tertio loco vſurpatam, pro incruento Miſſæ Sacrificio, ad quod Chriſtiani coire, colligique conſueuerant, complures iampridem annotarunt. Pamelius ad citatum paulò ante Septimij locum, & alibi, hancce collectæ notionem ſynonymam eſſe putat illi, *Dominica ſolemnia celebrare*, quâ vtitur Tertullianus: cui conſentiens Raynaudus noſter, idem adducto Irenæi loco eruditè confirmat. Pachomius à me ſupra laudatus eo ſignificatu *Collectam* ſumpſit, cùm ſic ſcriberet. *In die Dominicâ, in collectâ, in quâ offerenda eſt oblatio, abſque præpoſito Domus, & maioribus Monaſterij, qui alicuius nominis ſunt, nemo pſallendi habeat poteſtatem.* Et poſt paucula iterum: *de collecta, in qua offerenda eſt oblatio, abſque præpoſito domus, & maioribus Monaſterij, qui alicuius nominis ſunt, nemo pſallendi habeat poteſtatem*, & poſt paucula iterum; *de Collecta, in qua offerenda eſt oblatio, qui ſine præcepto maioris exierit, ſtatim increpabitur*; Rurſum clarius *dimiſſâ collectâ* (vt his conceptis fit verbis) *Ite, miſſa eſt, ſinguli egredientes, vſque ad Collectas ſuas, & vſque ad veſcendi locum, de ſcripturis aliquid meditabuntur, nullúſque habebit opertum-caput meditationis tempore:* Mitto dicere S. Auguſtinum, D. Hieronymum & martyrum acta, in eundem ſenſum frequenter *Collectam Dominicam*, & *Sanctiſſimam Collectionem* religioſiſſimè celebratam loqui. Eodem trahunt alij vocem *Synaxeos*, reluctante, ac reclamante, vehementer, Pachymere, qui à reconditâ Dionyſij Areopagitæ eruditione, ingenióque, nimium quantum alienam huiuſmodi notionem repudians, inquit Latio donatus. *Synaxis porro minimè intelligenda populi congregatio, prout aliqui nunc temporis vocem illam accipiunt, ſed cum Deo coniunctio, communioque.* Addit Genebrardus Euchariſtiam, ſynaxeos nomine à S. Dionyſio donatam, quòd non tantum fideles eam participātes totos colligat in Chriſti complexus, ſed etiam eoſdem Collectos à variis ſtudiis, quibus miſerandum in modum mortales diſtrahuntur arctiſſimo Cæleſtis amoris nodo ſtringat, & in vnum conſtrictos cogat.

Tertull. Pamel. in lib. 1 de Orat. n. 1. Theoph. Rayn. Candelab. Euchar. ſeptill. ſect. 2. Onomaſt. ſect. verbo Coll. & ſynax. S. Pachom. reg. 5. 6. 10.

S Aug. in breuiculo collat. diei. 3. S. Hier. ep 60. Sur. 11. Febr. Alan. l. 1. de Euch. c. 1. Cornel. à Lap. in 1. Cor. c. 10. &c. Geneb. liturg. c. 3. S. Bonau. in expoſ. Miſſ. c. 2.

Ad extremum, *Collecta* (vt in quotidiano Eccleſiæ vſu eſt) aliud nihil ſignificat, quàm breues precatiunculas, quæ ad Deum in publico Eccleſiæ conuentu fundi ſolent, verùm non vna eſt ſuper huiuſce vocis nomenclatione ſcriptorum Eccleſiaſticorum ſententia, Seraphicus Doctor *Collectam* dictam autumat, quòd omnes adſtantes Miſſæ, *ſe debebant colligere, & cum Sacerdote fideliter orare. Rectiùs* ſanè *Micrologus, & Petrus Bleſenſis, quòd ſacerdos, qui legatione fungitur pro populo ad Dominum, omnium petitiones in orationibus colligit, atque includit.* Caſſiani ſenſa ſequutum crediderim, quem in hæc verba ſcribentem lego; *Cùm autem is, qui orationem collecturus eſt, è terra ſurrexit, omnes pariter eriguntur ita vt nullus, nec antequam inclinetur ille, genu flectere, nec cùm è terra ſurrexit, remorari præſumat, ne non tam ſequutus fuiſſe illius concluſionem, qui precem colligit; quam ſuam celebraſſe credatur.* Hæc ille veterum Monachorum orandi perſecutus diſcipli-

Microl. de Eccl. obſeru. c 3. Petr. Bleſ. ſerm 43. Caſſ lib 2. de orat. noct. c. 7.

Sss nam.

Alcuin. lib. 2. de diuin. off. c. 16.
Vvalfr. Strab. de reb. Eccle. 22.

nam. Alcuinus nimis angustè hanc vocem contrahit ad illas orationes, quæ apud Romanos super *Collectam* populi fiunt, dum colligitur, vt procedat de vnâ Ecclesiâ in aliam ad stationem faciendam. Magis è contrario vniuersè Vvalfridus Strabo ait; *Collectas nuncupari dicemus, quia necessarias orationum petitiones compendiosa breuitate colligimus, siue concludimus*; ideóque istiusmodi precatiunculas, *orationes breues*, prudenter appellauit. Hactenus de hac re abundè satis.

His positis, amabo te, ecquam illarum Collectarum speciem ad venerabiles Sanctorum reliquias factas fuisse perneges?

Primámne? At quàm frequenter? quàm studiosè? quámque assiduè abipsis Ecclesiæ nascentis incunabulis Christiani consueuissent ad Diuorum memorias, & sacra lipsana conuentus, quâ diurnos, quâ nocturnos agere, indicere litanias, procumbere supplices, solúmque tantorum custodem thesaurorum adorabundi, adlambere, iam suprà sparsim, passimque pluribus edissertaui. Non repeto populorum ad easdem exuuias peregrinantium factos concursus; prætereo frequentissimè in martyriis ad confertam multitudinem habitas panegyricas conciones, quòd eæ omnium manibus iam terantur.

Secundam Collectarum speciem, ad sacrorum lipsanorum venerationem fieri solitam, me silente, satis superquè proloquitur auri, argenti, eboris, marmorum, gemmarum, aliarúmque id genus rerum præstantissimarum vis ingens ad sepulchra, & thecas SS. exuuiis recondendis affabrè faciendas, ornandásque, tantâ, támque profusâ, liberalitate à Catholicis conferri solita, vt Vigilantio bilem olim accerrimè commouerint, stomachúmque euerterint funditus; Audes dicere, Dormitantium affatus Hieronymus reponit: *Audes*, inquam, dicere, *illud, nescio quid, quod in modico vasculo transferendo colis? quid est illud nescio quid, scire desidero, expone manifestiùs, vt tota libertate blasphemes. Puluisculum, inquit, nescio quod, in modico vasculo, pretioso linteamine circumdatum. Dolet Martyrum Reliquias, pretioso operiri velamine, & non vel pannis: vel cilicio colligari, vel proiici in sterquilinium.* Lampades ex auro, argento, crystallóve, collatitiâ Fidelium pecuniâ fabrefactæ, simul & ante Diuorum reliquias appensæ; oppansa vela, pallæ, peripetasmata: cerei diu noctúque accensi, coronæ consecratæ, aromata succensa, cera, oleum, vnguenta, similiáque complurima oblata, Collectas Christianis certatim fieri assuetas luculenter deprædicant.

Vereor ne otiosus audiam, si tertiam *Collectarum* speciem, incruentum videlicet Missæ sacrificium, ad sacra Diuorum pignora celebratum fuisse, probare velim, cùm vel ipsamet altaria, quæ sine illis excitari non posse olim docui, & in quibus res diuina fieri assolet, id euincant. *Videte*, inquiebat Augustinus, *quem locum martyres apud homines mereantur, qui apud Deum locum sub altario meruerunt*. Dicit enim scriptura Apocalypsis sexto, *vidi sub arâ Dei animas occisorum propter*

S. Aug. serm. 11. de sanctis.
Apoc. c. 6.

verbum

verbum Dei. Audi quibus verbis id moris confirmet Hieronymus, aduersus Vigilantium. *Malè ergo facit Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum, Petri & Pauli, secundum nos, ossa veneranda, secundum te, vilem puluisculum offert Domino sacrificia, & tumulos eorum, Christi arbitratur altaria*; imo etiam fideles ad altaria Cœlituum lipsanis de more imposita sacro Eucharistiæ ferculo refici consueuerant, vt hac elegantissimâ S. Augustini oratione habemus contestatum; *In eo loco, vbi Cyprianus posuit carnis exuuias, sæua tum multitudo conuenerat, quæ propter odium Christi, sanguinem funderet Cypriani; ibi hodie venerans multitudo concurrit, in quâ propter natale Cypriani, sanguis bibitur Christi: Quantò deuotiùs ibi propter nomen Christi, sanguis fusus est Cypriani; denique, sicut nostis, quicumque Carthaginem nostis, in eodem loco mensa Deo constructa est; tamen mensa dicitur Cypriani: non quia ibi est vnquam Cyprianus epulatus, sed quia est immolatus; & quia ipsa immolatione sua, parauit hanc mensam; non in qua pascat, siue pascatur, sed in qua sacrificium Deo, cui & ipse oblatus est, offeratur: sed vt mensa illa, quæ Dei est, etiam Cypriani vocetur, hæc causa est, quia vbi illa modo cingitur ab obsequentibus, ibi Cyprianus cingebatur à persequentibus: vbi nunc illa ab amicis orantibus honoratur, ibi Cyprianus ab inimicis frementibus calcabatur; Postremo vbi illa erecta est, ibi prostratus est.* Hactenus Antistes eloquentissimus, qui tam Fidelium ad S. Cypriani exuuias, memoriam, seu mensam concurrentium quàm in eâ sacrificantium, atque adeò ex eâ communicantium *collectas* religiosissimè celebratas oculatâ testificatione, ac fide confirmat.

S. Hier. loc. cit. Paulin. hym. 2.

S. Aug. serm. 113. de diuers.

Postremò breuiculas orationes (quæ *collectarum*, quarta species sunt) non scriptas modò in gratiam Sanctorum, sed etiam ad eorum confessiones fundi solitas, vbi ipsorum lipsana crederentur asseruari, Catholicorum esse puto neminem, qui ignoret, aut ignorare possit. Circumferat ille duntaxat animum, oculósque per totum orbem Christianum, quâ patet latissimè, sacras circumcurset ædes, diuinæ rei operantibus auscultet, excutiat sacrorum rituum commentarios, liturgicos codices euoluat, percurrat horariarum precum libellos, in sacraria, memoriásque se penetret, tùm *collectas*, precésque Deo adhiberi in eorum Cœlituum gratiam, quorum Reliquiis populi glorientur, agnoscet.

Iam, vt ad lineam aliquando redeam, non obscuro sanè argumento mihi certum erit, sacra lipsana, quæ eadem in indiuiduo pluribus in locis seruari, & coli iactantur, germana, veráque præ aliis haberi posse, ad quæ vetustiori memoriâ, pluribúsque antè sæculis vno in loco, quā in alio, aliquod Collectarum huiusmodi genus constiterit factitatum. Vix enim quisquam (nisi mentis inops omnino existat) in mentem vltrò sibi induxerit eos, qui primi ad Diuorum memorias, venerandáque pignora (de quorum veritate disceptatur) conuentus agere, sacris operari, & profundere facultates, preces ex formula conceptas Deo, & Cœlitibus adhibere cœperunt, voluisse dubias pro certis, adulteri-

nas pro veris deuenerari Reliquias, spontaneo errore, fide incertâ, cæcâ religione. An id inconsultæ pietatis, aut potiùs irreligiositatis superstitiosæ, religiosissimi iuxta ac oculatissimi tulissent Antistites, quibus ea incumbebat cura, ne quid respublica, fidésque Christiana caperet detrimenta? Illis autem inconsultis, quidquam in re sacrâ, & tam graui suscipere, reluctantibus moliri, damnantibus factitare, illud enimuerò, à maiorum nostrorum erga Præsules obseruantiâ, in Cælites studio, aduersus Deum opt. max. religione singulari nimiùm quantùm abhorret.

Anfoss. sæpe cit. §. 22. n. 8. & 9.

Quapropter sapienter Anfossius hoc argumento nixus, vsúsque Ticinensium Reliquiarum, de quibus controuersia erat, certam, & indubitatam veritatem (quantùm in re perobscurâ licuit illi esse lynceo) videtur euicisse. *Reperitur adhuc* (eius verba sunt) *& legitur, publicè à nonnullis Confratribus, & publicis in oratoriis huiusce ciuitatis, quædam oratio membranis, in codicibus vetustioribus conscripta tenoris sequentis. Propitiare nobis quæsumus Domine, famulis & famulabus tuis per omnium Sanctorum, Maximi, & Petri, Episcoporum, Valeriani, sponsi sanctæ Cæciliæ, Tiburtij martyris, Felicitatis, Ianuarij, Felicis, Philippi, Alexandri, Vitalis, & Martialis, filiorum & Iob, Tobiæ, Tobiini, & Saræ, Vrcesceni Episcopi, Gaudentij Martyris, & duorum Innocentium & aliorum Sanctorum duorum qui in præsenti Ecclesia requiescunt, merita gloriosa, vt eorum intercessione ab omnibus semper protegamur aduersis, & à pœnis liberemur infernis. Per Dominum nostrum &c.* Hæc ille, neminémque mirari vult adduci à se orationem in libris membranaceis conscriptam, ad sententiæ suæ comprobationem, cùm & ipsemet Eminentissimus Cardinalis Baronius minimè dubitarit eodem planè argumento plurium Sanctorum subobscuram alioquin vitæ integritatem, dubiámque ac vacillantem apud nonnullos memoriæ fidem sartam tectam tueri.

Baron. annot. ad Martyrol. Rom. prid. Non. Decemb. & 7. Id. Iul.

Et verò hæc ratio probandi controuersarum Reliquiarum veritatem & identitatem non adeò elumbis, & infirma videbitur memoriâ repetenti quàm studiosè SS. Patres iteratis decretis cauerint, ne preces, collectæ, seu orationes vllæ in Ecclesiis publicè recitarentur, nisi priùs probatæ in Concilio fuissent, vel cum viris prudentiâ & eruditione præstantibus collatæ, Concilij Mileuitani Patribus conscriptis *placuit* (inquit Synodus,) *vt preces, vel orationes, quæ probatæ fuerint in Concilio, siue præfationes, siue commendationes, siue manus impositiones ab omnibus celebrentur, nec aliæ omnino dicantur in Ecclesia, nisi quæ à prudentioribus, tractatæ, vel comprobatæ, in Synodo fuerint, ne fortè aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per minus studium, sit compositum.* Idem sanciuerunt Concilium Carthaginense tertium, & Africanum. Nec minùs Nostrates cura coxit. Enimuerò Concilium Prouinciale Rhemis coactum ann. 1583. super *collectis*, siue precatiunculis in templis recitari solitis ita sancit: *Quoniam omnes ritus, formulæque precandi Breuiario, Missali, & Agendis, seu Manuali continentur,*

Conc. Mileu. sub Inno. 1. can. 12. Conci. Carth. 3. can. 23. Afric. can. 70 Microl. cit. cap. 5. Concil. Remense apud Bochell. lib. 1. decret. Eccles. Gallic. tit. 9. cap. 5.

tur, hortamur Episcopos nostræ Prouinciæ, vt adhibitis saltem duobus Canonicis, quorum vnus ab Episcopo, alter à Capitulo, eligatur, diligenter inspiciant, & examinent huiusmodi libros, illisque similes, sicut preculas Horarias; ne quid contineant contrarium doctrinæ Catholicæ, & veris Historiis Sanctorum, aut superstitionibus affine, aut aliqua ratione disciplinam Ecclesiasticam, morúmque probitatem labefactet. Eodem genio afflata, Synodus Ebroïcensis habita anno 1576. hæc decreuit: *Multorum de Clero precibus, & querimoniis inducti, proposuimus Deo nobis propitio, preces Horarias pro Laicis, Breuiaria, & Missalia pro Presbyteris, & Manualia pro nostræ Diœcesis Curatis diligentiùs visitare, ac de consilio piorum virorum reformare.* Hæc illi; at quod mirere magis, ea sollicitudo etiam Reges Christianissimos tenuit, Carolum imprimis Magnum, qui pro eo, quo erga res sacras ardentissimo studio ferebatur, constituit, *vt omnia Missalia videantur & orationes, quæ ab Ecclesia probatæ non sunt, reiiciantur.* Et quidem iure optimo; periculum enim est ne fortè quidam Clerici, sacrarum Reliquiarum mangones longè scelestissimi (vt olim me dixisse memini) quæstus faciendi causâ æquè mendaces *Collectas*, atque adulterinas & suppositiias Diuorum exuuias innocenti plebeculæ per summam audaciam, & impietatem obtrudant. *Synod. Ebroïc. apud eund. cap. 16.* *Capitul. Carol. Magn.*

Quanto maiori curâ, & studio cauendum sit, ne Missæ in honorem Reliquiarum alicuius Cœlitis, de quibus nihil certò constiterit, inconsultis Episcopis procudantur, Liturgicis inserantur codicibus, & publicè pro cuiusque libidine, arbitrióque recitentur; nemo non videt clarissimè. Huc spectarunt Synodorum Prouincialium Gallicanarum, quas proximè citauimus, decreta, quibus hanc Synodi Rotomagensis anno 1581. coactæ sanctionem adiungo. *Hortamur nostræ Prouinciæ Episcopos, vt diligenter inspiciant, & examinent suarum Diœceseon preculas Horarias, Breuiaria, Missalia, Agendas seu manualia Curatorum atque alios libros Ecclesiasticos, ac ceremonias, ne quid contineant contrarium doctrinæ Catholicæ, aut veris historiis Sanctorum, &c.* Eandem Missalium, seu Liturgicorum codicum recognitionem, atque examen Concilia Prouincialia Biturigum, & Burdegalæ sedulò commendarunt, vt apud Bochellum videre est, ne quid falsi, aut superstitiosi in cultu & veneratione sanctarum Reliquiarum, Diuorúmve irreperet. *Synod. Rothom. apud Bochell. cit. cap. 7.* *Synod. Bitur. & Burdeg. apud eund. cap. 6. & 8.*

Atque hinc est, cur Ansossius, Iuris vtriusque consultissimus à me superiùs non ita pridem laudatus, argumentum asserendi traxerit. Ticini venerabiles sancti Iobi Reliquias verè seruari, quòd decimâ mensis Maij die, se vidente, viuentéque, *Campanarum*, inquit, *compulsatione, & Missarum celebratione, solemni cum oratione, siue collecta, sub inuocatione, sancti Iobi Confessoris festum agebatur eodem ipso die, remisso de tempore Officio, vt à Canonicis nocturnâ, ac diurnâ festiuitate de ipso duplex Officium celebraretur.* Quis verò credat sapientissimos Præsules post meditata, euigilatáque Conciliorum, & suorum Antecessorum *Ansoss. cit. §. 34. & 37.*

 decreta,

decreta, voluisse permittere, vt Canonici Ticinenses, contra summorum Pontificum rescripta, temerè Diuinorum Officiorum celebrationem, ac Missarum solemnia demutarent? quis credat eosdem ipsosmet Canonicos subire voluisse mulctam iis impositam, *qui in Missa ritus nouos induxissent, vel missas inusitatas ausi fuissent celebrare?*

Ibid. num. 39.

Hæc cùm ita sint, optimo iure, illæ veræ & germanæ præ aliis habendæ sunt Sanctorum Reliquiæ, ad quas omnes memoratarum *collectarum* species, vel saltem aliquæ principes, videntibus, probantibus, ferentibúsve Ecclesiarum, vbi eæ coluntur, Pontificibus vetustiori memoriâ, & pluribus ante sæculis fuerint recitatæ, aut actitatæ, præsertim si miraculorum famâ Fideles exciti huiuscemodi *collectas*, ad sacra illa pignora facere cœperint, aut etiamnum celebrare pergant: quod scitu longè est facillimum.



CAPVT QVARTVM.

QVOMODO AB ECTYPIS prototypa secerni valeant.



HACTENVS, inquies, perbenè, vt veræ Sanctorum exuuiæ à subdititiis, & adulterinis Reliquiis internoscantur, at pro prototypis quid? cuius discretionis hoc intricatior est difficultas, quò ectypa diuturniori continentique multorum sæculorum memoria, veteribus tabulis, Episcoporum diplomatibus, denique miraculorum copiâ, æquè ac prototypa nonnunquam firmata fulciuntur. Fateor perquàm ingenuè multò difficiliùs, & operosiùs esse prototypa lipsana ab ectypis, quàm suppositia, & illegitima à veris, & legitimis internosse; nihil tamen obstat, quin aliquo modo, ægrè licèt, discerni possint.

Principiò, vt quidem reor, prototypa prudenter haberi possunt ea, quæ plurium sæculorum decursu diuturniori, & constantiori maiorum traditione, continentíque posterorum memoriâ, tanquam vera prototypa sunt existimata, vt talia semper asseruata, & à fidelibus religioso cultu fuerint adorata. Tunc enim verosimilius est reliqua, quæ tempore posteriora extitere, licet proximè in speciem ad prototypa accedant, citiùs ad horum similitudinem expressa fuisse, quàm ipsissima esse archetypa, & primigenium exemplar, vt in tot sudariis, sindonibus, clauis,

clauis velis, veſtibúſque ſacris, aliiſque quàmplurimis huiuſcemodi ectypis, vſu veniſſe non dubito.

Non parum ſecundò fauent prototypis illorum virorum teſtificationes, qui dignitate, doctrina, ætate, vitæque in primis ſanctimonia reliquis antiſtant: quia quò iis luminum radiis fulgent magis, hoc maiorem ſuper prototyporum veritate ipſis fidem habendam eſſe diffiteatur nemo. Quod multò rationi congruentiùs eſt concedere, cùm ſummorum Pontificum auctoritas, communiſque Eccleſiæ conſenſus, ſuprà memoratorum teſtimoniis acceſſerunt. Quid enim ad certitudinem moralem meritò requiras vltra?

Vno denique verbo, illa ego verè prototypa præ aliis eſſe iure dixerim, de quibus ex certa diuini oraculi denuntiatione, atque ex veris exploratiſque miraculis aliquando fidelibus conſtiterit. Quis enim diuinæ veritati tùm per oracula, tùm per miracula ritè comprobata id atteſtanti audeat impudenter, & impiè obluctari? Quo pacto Taurinenſes, & Veſontionenſes lintea Chriſti ſepulchralia, ſindonéſve prototypas ſe poſſidere, præ reliquis populis gloriantur, quos inter tantas, támque diuturnas componere lites meum non eſt. Malo cum Gretſero noſtro dicere, *huiuſcemodi ſacra pignora, & lipſana ex imitatione aucta, & ex prototypo ſæpius expreſſa occaſionem dediſſe poſteris, vt ſibi perſuaderent, ſe ipſum exemplar poſſidere, cùm non niſi imaginem ex primo ſudario, vel ſindone effigiatam haberent. Qui error omni culpa (vt iam ſæpe monuimus) caret; cùm & in primis illis, & in his, quæ ad imitationem eorum ſunt adumbrata, vnus Deus Redemptor noſter honoretur.* Multò autem iuſtiùs ea coniectura in ſindones puras cadit, quarum forſan aliquæ alicubi pro Chriſti ſudario coluntur, quæ duntaxat cuiuſpiam priſci æui Martyris, aut alterius Sancti viri ſudarium fuerint, vt laudatus Chiffletius meritò ſuſpicatur. Cuius pij erroris cauſa à ſacrorum lipſanorum ſimilitudine profecta eſt, vt ſuperiùs euicimus. Eadem fuit & ſapientiſſimi Baronij de Clauis Dominicis, qui plures etiamnum reperiuntur, ſententia. *Accidit fortaſſe alicubi, inquit, vt clauus aliquis inter ſacras reliquias aſſeruatus, quo myſtica membra Chriſti, nempe Martyr quiſpiam, confixus eſt; idem vnus ex ipſis Chriſti clauis fuerit exiſtimatus: quidquid ſit, fides (ait Ambroſius) purgat facinus, cùm nemo fidelium ferrum colat, ſed Chriſti potiùs paſſionem veneretur, & adoret in ferro.* Quantò citiùs, & iuſtiùs is pius error potuit per ectypa conualeſcere, cùm olim per fideles alij claui ad ſpeciem, & menſuram Dominicorum clauorum pietatis ergò procuderentur, & ab ipſorum contactu ſpeciem quandam ſanctitatis, & ad edenda miracula virtutem diuinitus haurirent? vt obſeruauit Gretſerus. At de his ſatis. De cætero, vt hoc caput concludam, ſapienter omnino ſanctiſſimus Cardinalis Carolus Borromæus ſanciuit, *vt teſtes conquirantur, ſi qui ſunt, qui teſtimonium dent antiquæ, conſtantiſque traditionis, ex quâ certa earum Reliquiarum cognitio conſtet.*

Pingon. lib. de ſindo. Euang. Palæot. de ſac. Chriſt. ſtigm. Chifflet. in Criſi hiſt. de Lint. ſepulcr. Chriſti. cap. 11. & ſeq. Gretſ. lib. de S. Cruc. cap. 97. Supr. lib. 1. cap. 1. art. 2. toto de ectypis. Lib. 1. ſupr. cap. 4 art. 3.

Baron. Anna. Eccl. ad ann. 326. num. 54.

Gretſ. lib. ſup. cit. cap. 20. Carol. Borro. Concil. 4. Mediol. de SS. Reliq.

CAPVT



CAPVT QVINTVM.

EPISCOPORVM EST SANCTAS Reliquias recognoscere & quo pacto?



QVIN Episcoporum sit venerabiles Sanctorum Reliquias recognoscere, approbare, & fidelibus adorandas proponere dubitet prorsus nemo; qui Concilium Tridentinum euoluerit aliquando. *Statuit enim sancta synodus nullas nouas Reliquias recipiendas nisi recognoscente, & approbante Episcopo.* Quamuis autem hoc synodi decreto de nouiter duntaxat agatur Reliquiis; nihilo tamen minùs existimo eorumdem Antistitum muneris esse, omnes suæ Diocæseos tam nouiter inuentas, quàm veteres Reliquias recognoscere, an veræ sint Reliquiæ? & ad Cœlitem, cui tribuuntur, attineant; recognitas approbare, & approbatas exhibere fidelibus adorandas, nisi fortè constet iam fuisse approbatas, per aliquod rescriptum Apostolicum, aut alicuius Episcopi testificationem, ac diploma, *quia ea veritas*, vt ait noster Fagundez, *cum aliis iam legitimè approbata est: poterit tamen examinare, an sint eæ Reliquiæ, quæ in tali approbatione continentur, vt sic licentiam præstet, vt collocentur in sua Diœcesi publicè venerandæ.* In eam curam incubuit quam studiosissimè Gallicana Ecclesia, antè & post Concilium Tridentinum. Synodus Pictauiensis anno à Christi ortu millesimo trecentesimo octuagesimo septimo, vetat *corpora mortuorum de nouo inuenta adorari, & ipsa corpora pro sanctis coli, nisi ab Episcopis fuerint approbata.* Idem Turonensis à me superiùs laudata, simul, & Tolosana anni millesimi quingentesimi nonagesimi inhæc verba sanciuerunt. *Singulas Diœceseos suæ Reliquias, viris spectatæ integritatis, & doctrinæ, prudentiáque conspicuis visitandas, notandásque, quamprimùm Episcopi committant, earúmque nomina, numerúmque amplissimis testimoniis obsignatum in libro, in Episcopali Archiuio diligenter asseruanda, describi curent, nulláque deinceps, quas ipsi præmissa sollicita inquisitione non approbarint, populo venerandas proponi sinant.* Alias huius generis synodorum Gallicanarum videsis apud Bochellum religiosissimas sanctiones. Præiuerat illis Christianissimus Imperator

Concil. Trident. Sess 25. decret. de SS. Reliq.

Fagúd. in primum Eccl. præcept. lib. 1. c. 4. n. 9. Sanch. lib. 2. Moral c. 43. n. 14. & alij, quos citant.

Bochell. lib. 4. decret. Eccl. Gallic. tit. 5.

Idem. ibid. c. 14 & 19. Resta Director. visit. part. 1. c. 18.

Imperator, Carolus Magnus, cùm legem tulit his verbis conceptam: *De Ecclesiis, seu Sanctis nouiter inuentis, sine auctoritate, nisi Episcopo probante, minime venerentur.* Vt autem Episcopus eo munere perfectiùs defungi possit, optandum esset quammaximè, vt Sancti Eligij Nouiomensis erga Sanctorum pignora studio, S. Martini Turonensis zelo, S. Caroli Borromæi vigilantiâ, & (quod caput est) omnibus illorum virtutibus præfulgeret.

Leges Franc. lib.4.pag.326. Vid. supra lib. istius c.1.art. 5.

Cùm ergo in eam curam volet pro suo munere incumbere, ista mihi videntur ab ipso debere obseruari.

Conc. Tridèt. loc. supr. cit.

Primò, vt eos in sacris Reliquiis recognoscendis adhibeat subadiuuas, & administros, quos, qualésque sacrosancta Synodus Tridentina ipsi præscribit in hæc verba, *simul atque de iis (id est, de Reliquiis* nouiter inuentis*) aliquid Episcopus compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis, & aliis piis viris ea faciat, quæ veritati, & pietati consentanea iudicauerit.* Quibus verbis Sanchez, & Fagundez, reclamante Azorio, volunt Episcopum teneri hos Theologos, & pios viros in consilium aduocare, Spectatâ verò grauitate causæ, & materiæ, *teneri & debere*, eamdem obligationem important. In eandem iuere sententiam Patres Synodi Tolosanæ paulò antè citati, & Concilij Prouincialis Mediolanensis quarti à Diuo Carolo Borromæo coacti, quorum hæc oratio, & decretum est, *Sanctorum corpora, & sacras Reliquias Episcopus à religiosis, peritísque sacerdotibus, quos eo potissimum nomine deligat, tùm in vrbe, tùm in Diœcesi suâ, quibuscumque in Ecclesiis, locísve illa sint, recognosci quamprimùm iubeat.* Concilij Tridentini verba, vel explicare vel peculiarius aliquid iis addidisse hæc Synodus videtur cùm ad eruditionem, & pietatem, eorum, qui ad consilium adhibebuntur, etiam dignitatem sacerdotij in illis requirit ad maiorem, vti reor, auctoritatem, & fidem, & maturitatem: ne in ferenda super sacrorum pignorum veritate sententiâ præceps sit. At auditis consultorum suorum opinionibus integrum est Episcopo abire in alia omnia, *quippe* (vt loquitur Sanchez) *Tridentinum tantùm petit, vt eos in consilium adhibeat. At vbi solùm alicuius consilium petitur, non est necesse illud sequi, nec consultus habet suffragium decisiuum.* Patet ex Concilij verbis.

Sanch. loc. cit. n.15. Fagund. ibid. n.4. Azor. lib.9. Instit. Moral. c.8.q.7.tom.1.

Conc. Tolosan. & Conc. Mediol. prox. cit.

Secundò, *si aliquis dubius, aut difficilis abusus sit extirpandus, vel omnino aliqua de iis rebus grauior quæstio incidat. Episcopus antequam controuersiam dirimat, Metropolitani, & Comprouincialium Episcoporum in Concilio Prouinciali sententiam expectet: Ita tamen vt nihil inconsulto sanctissimo Pontifice Romano, nouum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur.* Ita Concilij Tridentini Patres conscripti, & secundum illos Episcopi, proximè laudati Concilij Mediolanensis. Abusus verò illi, de quibus sacrosancta synodus meminit varij esse possunt, v. g. Si alicubi aliqua colantur lipsana tanquam veræ cuiuspiam exuiæ, de quibus nihil certi habeatur, & constet, vt olim de Sixto quodam præsumpto Martyre, secundum D. Gregorium Pontificem

Resta sup. cit.

ficem maximum retulimus: si (quod plerumque fit) *vt vulgi concursu, populique clamore aliquid pro miraculo, aut sacra Reliquia euulgetur, quod reuera non est* (vt Concilium Mediolanense citatum loquitur) *Studeant Episcopi hoc summoperè, vbi eiusmodi occasio se obtulerit, vt primis illi vulgi clamoribus piè obsistant, donec rei veritas legitimè comprobata constet, Si alicubi maximè per agros, & vias tanquam memoriæ Martyrum altaria condita probantur, ab Episcopis, qui eisdem præsunt locis, si fieri possit, euertantur, nisi aut ibi corpus, aut certæ Reliquiæ sint, aut ibi originis alicuius habitationis, aut possessionis, vel passionis fidelissimâ origine tradatur esse monumentum. Si autem hoc propter tumultus populares non sinitur; plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, vt qui rectè sapiunt, nulla ibi superstitione deuincti teneantur.* Quod est Concilij Carthaginensis oraculum ac decretum. Si ergo aliquis dubius, ac difficilis eiusdem generis abusus, vel grauior quæpiam quæstio suboritur; iubetur Episcopus Concilij Prouincialis in vnum coacti sententiam rogare, idque sta uere, quod super eâ controuersiâ maior pars suffragiorum censuerit faciendum, *quia*, vt ait Sanchez, cum Iureconsultis, *constitutum à maiori parte Concilij, dicitur ab ipso Concilio constitutum.*

Sign. Reliqu. cap.2. partem hanc Canonis explicat.

Conc. Carth. 5. cap. 14.

Sanchez loc. cit. & reliqui cum eo.

Tertiò Concilium Mediolanense præscribit, vt testes conquirantur, sed in paucis videndum, & c randum est, vt sint locupletes testes, & si fieri potest, omni exceptione maiores, quemadmodum à S. Martino, aliisque Præsulibus olim factitatum iam obseruauimus, vt se dedit occasio.

Quartò danda opera est, eodem decernente Concilio, vt *scripta, tabulæ, litteræ, certi Annalium codices, aliave cuiusuis generis monimenta, quæ in iis ipsis Ecclesiis, earúmve atriis, atque ædibus, aut aliis locis extant, schedulæque vasculis, arcisve sacrarum Reliquiarum affixæ, inclusæve recognoscantur accuratè, & diligenter. Vnde illarum vel translatio, vel collocatio ibi facta cognosci, aut alia huiusmodi notitia earumdem haberi queat.*

Resta. sup. cit.

Quintò, *vt singulæ ipsæ sacræ Reliquiæ, quas extare compertum est, reipsâ cernantur; ita tamen vt vbi sub altaribus, aliisve subterraneis eiusmodi locis corpora Sanctorum collocata, reconditáve sunt, nec ostium neque fenestra insit, vnde inspici queant, non aperiantur, neque effodiantur, nisi ob causam, aliter Episcopus aliquando faciendum censuerit.* Ex quibus verbis obseruare est: primò non tantùm sub altaribus, sed etiam sub aliis subterraneis locis, olim condi solita Diuorum corpora; tùm ne in manus Infidelium venirent; tùm ne id inhumanum infirmioribus videretur. Aliâ ductus ratione S. Athanasius, humi Sanctorum exuuias componendas voluit, vti D. Ioannes Damascenus hisce verbis annotauit. *Scimus Beatum Athanasium Sanctorum Reliquias non in vrnis collocandas, sed humi condendas eo consilio censuisse, vt absurdum Ægyptiorum morem abrogaret, qui mortuos suos non sub terrâ condebant; sed in lectulis, & scimpodiis collocabant.* Secundò vetantur effodi

Concil. Prou. Mediol. cit.

S. Io. Damasc. Orat. 1. de sacris Imagin.

Sanctorum

Sanctorum corpora quando perpetuæ ſepulturæ ſunt mandata, quemadmodum olim monuimus, cùm de frequenti earumdem Reliquiarum tranſlatione diſputaremus.

Sextò, in eiſdem ſacris Reliquiis cognoſcendis ſpectandæ ſunt corporum affectiones, moles, color, odor, &c. mirabiles eorum dotes, ſi quæ diuinitùs affuſæ fuerint, ſalutares, ac mirificæ rerum ſcaturigines, quibus eas fortè ornarit Deus, edita ad illas miracula, aliáque id genus tùm humana tùm diuina, quæ pluribus iam memoraui, præſidia erunt perquàm diligenter examinanda.

Septimò, per priuatas, publicáſve comprecationes à Deo *patre luminum*, impensè lux poſtulanda erit, ne quid contra religionem peccetur. Non erunt prætermittendæ eleemoſynarum largitiones, non ieiunia, non reliquæ ſpontaneæ corporis afflictationes erunt negligendæ, quibus expugnatus Deus *det ſedium ſuarum aſſiſtricem ſapientiam. Quæ* cum Præſulibus, corúmque adminiſtris *ſit, & cum illis laboret*, ad veras Reliquias à falſis internoſcendas, & ad legitimas à ſubdititiis perfectè ſecernendas. *Sap.9.4.*

Octauò, adhibitâ pro virili debitâ diligentiâ: ſi non ſatis liqueat, an veræ, falſæve ſint Reliquiæ, an ea ſint lipſana ſancti ritè in Cœlituum album relati, ſiue per vniuerſum Eccleſiæ conſenſum, ſiue per conſtantem plurium ſæculorum traditionem, ſiue per ſedis Apoſtolicæ reſcriptum publicum, tùm à publico cultu illarum abſtinendum eſt, vt ſecundum D. Thomam viri doctiſſimi tradiderunt. Veruntamen non idcircò deſpicatui habendæ ſunt, ſed decenti loco ſeorſim à veris aſſeruandæ, vt veritas magis inclareſcat. Quid? ſi vera alicuius Sancti pignora ſint adeò confusè, cum dubiis, ſubdititiis, vel adulterinis permixta, vt dignoſci, ac ſecerni nullo modo poſſint? quid, inquam tùm temporis opus facto? Tametſi, è Doctoribus non pauci, in eam ſententiam pedibus eant, Epiſcopum omnes illas ſimul approbare, eaſdem adorandas proponere poſſe, *quia dignius trahit ad ſe minus dignum, quâ ratione oleum non conſecratum admiſtum conſecrato remanet conſecratum.* Nihilo tamen minus vero ſimiliorem puto eorum opinionem, qui cum doctiſſimo Sanchez cenſent, non eſſe in Epiſcopi poteſtate omnia illa lipſana ſimul approbare, ac fidelibus adoranda proponere: tùm quia inter ea nulla prorſus connexio eſt, vt patet; nam ſi conſtaret certò, quæ forent peruerſi hominis exuuiæ, non eſſent omnes vniuerſim adorandæ; ſed ad eas duntaxat dirigenda eſſet veneratio, de quarum veritate liqueret ad quempiam è Cœlitibus attinere: tum quia manifeſto periculo ſe Antiſtes exponeret, ne quid contra religionem committeretur temerè, nullâque adactus neceſſitate. Nec in oleo conſecrato paritas eſt, propterea quòd in dubiis liquoribus, tantum id verum eſſe Canones voluere, modò oleum conſecratum multis partibus ſuperet non conſecratum. Ad extremum, quid poſt legitimam approbationem ſacrarum Reliquiarum ab Epiſcopis faciendum ſit, mitto dicere, hoc tamen qui volet noſſe, auctor ei

D.Thom.3.p. quæſt.25.ar.6 Suar.tom.in 3.p.q.cit.diſp. 55.ſect.2. Sanch.cit. loc. n.19. Fagundez & Laym.loc. cit. Caſuiſtæ verbo Canonizatio. Sanchez loc. cit.num.12. Fagund.cit. num.11&12.

Concilia Mediol. & Tolos. Prou. sup. cit.

sum, vt à S. Cardinale Carolo Borromæo & Synodo Tolosanâ traditum, legat, amplectatur, & teneat. Iam aliò se conuertat oratio.



PARS POSTERIOR.

AN TOT EIVSDEM GENERIS Reliquiæ sint adorandæ.



POSTERIOREM huius libri, & vltimam disquisitionis susceptæ partem aggredimur explicandam; quæ licet tantis non sit offusa tenebris, quantis prior; nec tam raros habuerit scriptores, qui in eâ elucidandâ versati sint, quàm illa, quæ, quod sciam, ex professo habuit nullos: non tamen suâ difficultate, necessitate, atque vtilitate caret. Difficultas ipsius, à copiosa earumdem numero Reliquiarum multitudine, incertáque verarum notitia; Necessitas, partim ab Hæreticorum errore, impiáque sententia, partim ab Orthodoxâ Catholicorum fide, atque cereâ rudioris plebeculæ persuasione: Vtilitas denique, tùm à nostrâ in Diuos spe, eorúmque precibus fiducia, & potentissimo ab ipsis præsidio, tùm à mutuâ eorumdem in nos charitate, ac beneficiis proficiscuntur. Quapropter operæ pretium duxi, vel hancce postremam partem delibare, vt eius difficultatem breuiter expediam, necessitati vtiliter seruiam, confirmem magis, magísque vtilitatem. Sit ergo

CAPVT



CAPVT PRIMVM.

AN IN TANTA EARVMDEM numero Reliquiarum vi, singulis adhibendus sit Cultus.



SI Heterodoxos, & Lipsanomachos audimus, nullo penitus modo nec iuuat, nec licet. Ausculta Henrico Cornelio Agrippæ: *Accedit isthuc etiam Reliquiarum cultus immoderatus. Fatemur enim, nec quisquam negare poterit* (quid tu ad hæc Caluine? audi reliqua) *sanctas esse Sanctorum Reliquias, & quæ æternitatis gloriâ fulgebunt aliquando, ideóque à nobis summa reuerentia colendas. Fateamur etiam Sanctos ipsos licet locis in omnibus exaudiant piè inuocantes; magis tamen vbi aliquid Reliquiarum, sacrum velut pignus habent*, Hactenus bellè, atque catholicè. *Vox quidem, vox Iacob est*, hoc est, hominis veritatem, fidémque Catholicam confitentis: *manus autem, manus sunt Esau*, sicut & stylus, hoc est, hæretici, & hominis profani, dum sic scribere pergit. *Sed quia non omnium certitudo eadem est cum variis in locis putantur Sanctorum eorumdem eadem retineri pignora; necesse est horum, aut illorum stultam confidentiam esse. Ne igitur in Idololatriam, vel superstitionem incidamus tutiùs est fidem rebus visibilibus non affigere.* Sic dubiæ fidei scriptor; abscissiùs multò hæresiarcha Caluinus, atque adeo mendaciùs, *execrandam esse Idololatriam* asserit *vllas Reliquias adorare, quæcunque illæ sint, siue veræ, siue subdititiæ, siue adulterinæ.* Non aliter loqui potuit Vigilantius, vel potiùs Dormitantius rediuiuus, eunt in eandem sententiam eius asseclæ, Eunomiani.

Henr. Cornel. Agripp. lib. de vanit. scient. cap. 57. de imag.

Genes. cap. 27. v. 22.

Caluin. admonit. cit.

Verùm si Orthodoxos audire placet, colendæ sunt omnes Diuorum Reliquiæ, & in tantâ copiâ, dum contrà nihil liquet, singulæ licet incertæ. *Quid si dicas mihi* (ex Ambrosio, & cum Ambrosio Præsule sanctissimo ac doctissimo loquor) *Quid honoras in carne iam resoluta, atque consumpta, de qua nulla Deo iam cura est? & vbi est illud, quod ipsa veritas loquitur per Prophetam. Pretiosa in conspectu Domini, mors Sanctorum eius: & iterum: Mihi autem valde honorificandi sunt amici*

S. Ambr. sermon. 92.

tui, Deus. Honorare debemus seruos Dei, quantò magis amicos Dei? de quibus alio loco dicitur: Dominus custodit omnia ossa eorum, & vnum ex his non conteretur. Honoro ergo in carne martyris exceptas pro Christo cicatrices. Honoro viuentis memoriam perennitate virtutis. Honoro per confessionem Domini sacratos cineres. Honoro in cineribus semina æternitatis. Honoro corpus, quod mihi Dominum meum ostendit diligere, quod propter Dominum mortem docuit non timere. Cur ergo non honorent corpus illud fideles, quod reuerentur & dæmones? quod afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro. Honoro itaque corpus, quod Christus honorauit in gladio, quod cum Christo regnabit in cœlo. At quid ego de sacris corporum exuuiis commemoro? *Plurimæ populorum Ecclesiæ* (inquit noster Eucherius Lugdunensium Præsul) etiam *illâ sanctificatione contentæ sunt, quam de angelicis membris sacri amictus, vel duri catenarum nexus contingendo rapuerunt, vt quod fuit instrumentum pœnæ, sit gloriæ testimonium, & dolorum materia transeat ad insigne meritorum.*

S. Eucher. homil. de SS. MM. Epipod. & Alex.

Bellè, ac perbene tu quidem (inquiet aliquis) cum certò, & indubitanter constat de reliquiarum veritate. At vbi ab earumdem multitudine, quam variæ ostentant Ecclesiæ, incompertum est, quænam tam copiosa multitudine veræ, ac legitimæ sint Reliquiæ? nec satis prudenter, nec satis securè dixeris singulas in tanta incertitudine adorandas. Faciamus huic dubitationi satis.

Imprimis non est mihi deliberatum integram hîc de verarum veneratione Reliquiarum instituere disputationem, ne actum agam. Suppono, quæ super hoc nobili argumento à Patribus, Theologis, & rerum controuersarum peritissimis Tractatoribus iam pridem ex fidei Catholicæ principiis luculenter iactata, cantata sæpiùs, & ad nauseam recantata fuêre hactenus, atque vtinam fructuosè, neque enim tam nobis de venerabilium Reliquiarum cultu, neque de variis ipsius formis, seu speciebus in vniuersum controuersia iam nunc est, quàm de adoratione (quæ propriè in Cœlites cadit) iisdem numero Reliquiis, quas diuersis in locis asseruari certum est, religiosè à fidelibus impendenda, & iam diu studiosè impensa. Ad hæc volo incertas à sua multitudine Reliquias, vel à perantiqua Ecclesiarum consuetudine, maiorum traditione, ac fidelium pietate, vel ab Episcopis, quorum è munere id potissimum interest, publicè propositas fuisse ad cultum, & venerationem. His positis, ac breuiter præmissis,

S. Thom. 3. p. quæst. 25. art. 6. Suar. tom. 1. in eâd. disp. 55. sect. 1. & 2. Vasq. tract. de ador. & in 3. p. tom. infer. citando. De Lugo in eand. part. disp. 33. & seq.

Theologos omnes rectæ, & Catholicæ fidei communiter in eam abiisse sententiam video, vt sentiant, asserántque easdem eorumdemque Diuorum exuuias, quæ diuersis in locis asseruantur, etsi non liqueat certò, quæ veræ illæ sint, quæ secus? religioso cultu esse afficiendas. In quam sententiam ego pedarius libenter eo, hoc consilio, & axiomate sancti Augustini subnixus, quo & ipse salubriter vsus est. *Ego* (verba ipsius sunt) *diu multúmque considerans quales oblatrantes, & qualis ipse, siue cùm latrarem, siue cùm quærerem, fuerim; hoc modo mihi faciendum putaui. Quæ vera esse perspexeris tene, Et Ecclesiæ*

S. Aug. lib. de vera relig. cap. 10.

siæ Catholicæ tribue; quæ falsa, respue; & mihi, qui homo sum, ignosce; Quæ dubia, crede, donec aut respuenda esse, aut vera esse, aut semper credenda esse, vel ratio doceat, vel præcipiat auctoritas. Sic ille, & omnino perquàm sapienter. Hac igitur præuia face, Augustinus Triumphus sibi cognominem Diuum Augustinum secutus, super incertarum Reliquiarum veneratione suam in hæc verba sententiam dixit. *Si Ecclesia, quæ minimè errare potest, & potissimè Romana, quæ nullis hæresibus vmquam succubuit, nullam informationem habet de residentia corporis alicuius Sancti; puto quòd sine peccato piè venerari potest à fidelibus, vbicumque credatur probabiliter esse. Sed si libris, vel legendis, Ecclesia tradat Fidelibus corpus sancti venerari in aliqua Ecclesia, temerarium esset, nec posset sine peccato alibi venerari, potissimè quando per aliquos pertinaciter assereret, ibi esse, vbi Ecclesia contrariam tradit informationem fidelibus.* Hactenus vir eruditus.

Aug. Triump. lib. de potest. Eccles. cap. 17 art. 3.

Idem sensit non minori doctrina Theologus è Societate nostra, Gabriel Vasquez, cuius hæc oratio est. *Quòd vero apud aliquos incertæ aliquando Reliquiæ sint, non obest, quò minùs eas, quas humanis coniecturis, ac rationibus certas habemus, reuerenter colere debeamus. Denique sicut dicimus non esse peccatum Idololatriæ adorare radium luminis, sub quo Dæmon delitescit, quando quis putat esse Christum; eodem modo, si quis putans aliquam esse particulam Sancti, quæ reuera non est, merito suæ deuotionis non caret.* Non alia censuit, scripsitque doctissimus Suarez, & cum eo Lessius, Valentia, Sanchez, & alij è Societate nostrâ.

Vasquez tom. 3 in 3 part. disp. 112. cap. 8 n. 30. Idem disp. 110. cap 6. Suar. & Sanchez &c. sup. cit. Less. infr. citandus.

Quidni verò Religiosus singulis illis Reliquiis deferatur cultus? An ob aliquod Idololatriæ, vel superstitionis incurrendæ periculum? nihil minus, nihil enim, ne vel leuissima quidem Idololatriæ vmbra in huiusmodi cultum cadere potest, quia sacra illa lipsana, nec loco Dei, nec eo cultu, qui soli Deo debetur, nec alio, quàm vera diuinitùs iniecta inspiratio, & Ecclesiæ Catholicæ doctina exigunt, à fidelibus coluntur. Nam, vt rectè scripsit Augustinus *cùm hæc exhibentur Deo, secundum veram inspirationem, & doctrinam, vera Religio est.* Superstitionis verò nulla pariter suspicio, ne dicam periculum, subesse potest, quia in ea veneratione nulla falsitas inest, neque ex parte adorantis, neque ex parte rei adoratæ, nisi admodum per accidens, vt loquuntur Theologi: cuius rei ratio est, propterea quòd quisquis Catholicorum huiusmodi dubias Diuorum exuuias religioso honore prosequitur; non eas veneratur, vt falsas, supposititias, & prorsus adulterinas, sed potiùs tanquam veras, legitimas, & germanas (vti quidem prudenter credit) Reliquias.

S. Aug epist. 49. quæst. 5.

Haud aliter, quam si Dæmonem, qui sub persona, & falsa imagine Christi se tibi spectandum exhiberet, fraudis nescius religiosè venerareris; ratus è contra Christum tibi re ipsa spectabilem, ac præsentem esse, nullo penitus superstitionis, aut idololatriæ crimine tete astringeres, eò quòd tua isthæc deueneratio ad Christum recta, imme-

diatè

diatè, ac simpliciter tenderet, & increatam illius vnius personam, tanquam ad scopum, & adorationis principem finem, & causam collimaret. Atque si quo pacto error quispiam tibi posset impingi, totus in eo foret (vt rectè eum citatis Theologis explicat Lessius) *quòd Diabolum apparentem in persona Christi, putares esse Christum; & sic tribueres illi diuinitatem, sub ratione formali personæ Christi, qui error non est iuris, sed facti.* Verùm enim Christum ex piâ tui animi inductione, ac fide meritò coleres, quem tamen inani, & falsa delusus imagine, reipsa, ac formaliter Christum adoras personatum.

Less.lib.2.de Iustit.& iure cap.43.dub. 4.num.21. Suar.& Vasq. cit.

Eodem planè modo in re nostra, qua de agimus, philosophandum est. Enimverò, quisquis dubiis incertísque huiuscemodi Reliquiis cultum religiosum impendit, eas spectat, iis aduoluitur, eas deueneratur non alia de causa; quàm quòd sanctissimorum virorum, qui spirantia Christi membra & Spiritus sancti templa, dum viuerent, extiterunt, sint exuuiæ, aut saltem ipsorum fuerint corporum partes, aut ab eorum demum contactu, nescio quid venerabilis sanctimoniæ, & salutaris ad edenda miracula virtutis diuinitus contraxerint: itaque illa lipsana (vt cum Valentia nostro loquar) *Veneramur relatiuè eodem cultus genere, quo illos, quorum sunt Reliquiæ, cùm videlicet Reliquiis præsentibus in illos animum intendimus, adeóque cultum eorum Reliquiis vsurpatum ad ipsos deferimus.*

Valent.tom.3. disp.6.qu.11. punct.6.

Suar.loc.cit.

Quòd si quid erroris intercedere forsitan suspicere, scias velim illum innocentem, aut citiùs nullum esse, Quid ita? quoniam nec spontaneus est, nec facilè vincibilis, imo ex iustis causis, & verosimillimis coniecturis plerumque cadit, vt à nobis satis euidenter demonstratum fuit. Agedum verò, ecquis adeo lynceus existere possit, qui in tantis tenebris non offendat? Si tamen offendere est, prudenter æquè ac religiosè *secundum veram inspirationem, & doctrinam Ecclesiæ Catholicæ, ac Romanæ*, venerabiles reliquias licet necdum planè, plenéque mihi perspectas, exploratásque deuenerari. Etenim vbi semel huiuscemodi dubia lipsana publicè à Præsulibus proposita fuere fidelibus adoranda, quodnam is peccat peccatum, quia eò, quòd nulla tùm vera, & iusta dubitationis occurrit ratio, illa pro more veneratur? quid peccat ille, qui submissis vltrò (vt fit in rebus fidei) humanæ rationis fascibus, piè simul, ac facilè in animum inducit suum Antistites, quorum interest maximè, sacra Diuorum pignora suis calculis approbare, antè suo præclarè, ac rectè defunctos fuisse munere, quàm publico cultu adorandas fidelibus exhiberent? tùm enimuerò piè credendum est non permissurum Deum, qui prima, & *summa veritas, & via* est, famulos suos à veritatis itineribus tam periculosè aberrare, & in altum fœdi, nefandíque erroris barathrum præcipites ruere, vt ex Diui Martini, & Manifredi Marchionis facinore, felicique prorsus euentu à me superiùs memorato intelligere est.

Ad extremum si Deus, pro suâ benignitate, atque infinita potestate per incertas nobis, sibi verò certas, & notissimas Diuorum Reliquias

liquias, tanquam per instrumenta siue physica, siue moralia (quod viderint Theologi) omnia potentis, pollentisque virtutis suæ dignatus fuerit aliquando miracula edere; nihil video quid obstet, quin religiosum illis cultum de more venerabundi deferamus: quandoquidem Deus ipse eò inusitatæ, & mirabilis excellentiæ eas euexit, vt ob illam & in sanctis suis, & in ipsorum lipsanis iure mirabilis videatur, colatur, deprædicetur. Huc spectauit sapientissima illa sancti Gregorij Pontificis maximi ad Augustinum Cantuariensem responsio. Nam roganti & fidem Apostolicam consulenti, quid opus facto esset super incertis cuiusdam Martyris Sixti pignoribus? Beatissimus Pontifex auctor fuit, vt seorsim conderentur, *si corpus nullis illic miraculis coruscaret, neque aliqui de antiquioribus existerent, qui se à parentibus passionem eius audiuisse fateantur.* Vbi ergo è contrario in copiosa earumdem Reliquiarum vi, aliqua miraculis coruscare, & locupletium testium auctoritate firmata fuisse certò constiterit, nullum in eis ornandis, colendisque studij genus Diuis debitum prætermittere par est.

S.Greg.lib. vlt.epist.ad 9. interrog.Aug. c.9.



CAPVT SECVNDVM.

QVALIS IN TANTA earumdem Reliquiarum copia, singulis deferendus sit cultus?



NVNQVAM venit mihi in mentem dubitare, quin in eiusdem generis Reliquiarum multitudine, singulis exhibendus sit cultus, quàm Cælites decet maximus si Ecclesia eas proposuerit adorandas, vel adoratas ferat; idque hoc maior illis in paucis est deferendus, quòd Cælites, ad quos ipsæ pertinent magis, minúsve ad Deum potestate, sapientiâ, & bonitate (quæ tria Deum decent vt maximè) accedunt. Vnde conficere in procliui est, Sanctorum noui testamenti exuuias maiori vtplurimum, & cæteris paribus, afficiendas veneratione, quàm Sanctorum veteris testamenti Reliquias, quòd à Christi seruatoris Incarnatione, ac morte vberioribus gratiæ & charismatum dotibus cumulati propiùs ad Deum videantur accessisse. Superest tamen vnum inquirere. Isne cultus debeat esse, *absolutus? an*

conditionatus? vt in scholis Theologi loqui amant.

Suar.loc. sup. cit disp.55. sect.2.

Qui anxiâ nimis curâ, religionis minima quæque momenta examinant, singulis, in numerosa earumdem Reliquiarum vi, conditionatum duntaxat honorem deferendum putant ad periculum vitandum ne forè pro veris, adorentur falsæ, & pro legitimis adulterinæ. Haud aliter quàm cùm Christi, aut Deiparæ insitata species oculis, animóve cuiuspiam obiicitur. Tunc enim ne se volens, vidénsque exponat periculo Dæmonem (quem delectat se *transfigurare in Angelum lucis*) vice Christi, vel Beatæ Virginis, adorandi; debet interposita conditione oblatam sibi speciem adorare.

2.Cor.11.14.

Alij verò, qui magis eruditione, quàm religione, seu scrupulis ducuntur, eunt in alia omnia, & absolutam sacris illis Reliquiis adorationem adhibendam censent. Propterea quòd nullum subsit periculum formalis erroris; cùm in ratione formali adorationis, vt diximus, non possit error existere, quâ ratione virtualiter, (vt loquuntur Theologi) conditio errorem excludens includatur.

Suar.cit.loc. Signius Reliquiar.cap.9. Sanch.lib.2. Moral cit. cap.43.num.13.& 14.

Ad conciliandam vtramque sententiam; obseruandum antè peruelim duo ex Suare nostro, quo vsus Signius, eiusque ipsissima verba exscribens, ne quidem eum compellare parum grato silentio (pace pij viri dixerim) dignatus est. Primum, hic agi posse de iisdem Reliquiis in tanta, & incerta ipsarum multitudine approbatis, atque prout humano sensu prudenter res æstimari potest, indubitatis. Secundum, duplicem spectari posse Reliquiarum eiusdem generis venerationem; publicam vnam, priuatam alteram. Illa est, quâ aliquæ Diuorum exuuiæ publico cultu ab vniuersa Ecclesia proponuntur adorandæ: hæc est, quâ ex singulari, priuatæ cuiuspiam personæ duntaxat, studio pietatis coluntur. Ad illam (vt superiori capite retuli) necesse est, vt perspecta, & cognita Diui alicuius sanctitate, siue per diutinam maiorum traditionem; siue per legitimam summi Pontificis consecrationem; siue per vniuersalem Ecclesiæ consensum, sacra ipsius pignora fidelibus, vt vera, & legitima, & ad eum re ipsa pertinentia, publicè legitimâ auctoritate adoranda exhibeantur. Ad hanc, præter singularem personæ priuatæ fidem, ac religionem ratione probabili suffultam, requiritur nihil. Dixi (*ratione probabili suffultam*) quòd alioqui sacrilegium per excessum committeretur, vt bene docet Suarez.

Suar.tom.1. de Relig.lib.3. cap.vlt.n.7.

Iam si eædem numero Reliquiæ in tanta, & incerta multitudine fuerint comprobatæ, atque adeò solemni, ac publico cultu adorandæ fidelibus ab Episcopo, vel Pontifice propositæ sint: non modò possunt sed etiam debent absolutè, atque exclusâ omni explicitâ conditione ab illis religiosâ affici veneratione. Cuius rei non vna ratio est; enim uerò quàm tu magis exploratam Reliquiarum veritatem (vt esse potest, aliquâ de re prudens hominum æstimatio) amplius requiras? ni malis scrupulosus, quàm religiosus; & insanus, quàm sanus audire. Periculum autem formalis erroris nullum est, imo ne vmbra quidem; quemadmo

quemadmodum ex dictis liquidissimè constat. Nullum in Religione periculum est, cùm ea fiunt, quæ Deo consentanea, Deo grata, & à Deo inspirata sunt, & quæ diuinis ipse miraculis se rata, sanctáque habere frequenter contestatur. Et (vt liberalis sim) si quis intercedere possit error, is, non in rei adoratæ substantiam, sed vel in eius conditionem, vel in loci circumstantiam solummodò cadit. Quid enim Dei naturæ? quid pietati? quid religioni fidelium incommodet? Sat ergo est ad prudentem alicuius sacri pignoris cultum, si ad quempiam Cœlituum illud attinere legitimâ constiterit auctoritate. Deinde vt piè Bozius philosophatur: *Deus haud sinit Ecclesiam, populúmque suum decipi, sed cælestibus visis, & miraculis veritatem prodit. Esto autem, vt incidant aliqui in fraudem. Atqui hoc tantillum mali tanti non est, quanti bona innumera, quæ ex honore Martyribus dato consequuntur: Alioquin tollite ignem è mundo, quo fit vt aliquando vrbes integræ inflammentur: tollite vinum, quo vos hæretici sæpius ad ebrietatem replemini: tollite pleraque fere omnia, quibus humanum genus ad malum abuti solet. Nobis neque vestra, neque aliorum stoliditas tanti est, vt à cultu sanctarum reliquiarum, & primæuæ Ecclesiæ consuetudine desciscere vnguem latum velimus.* Sic ille, *alioquin* subiiciente licet in re admodum dissimili, Claudio de Sainctes Ebroicensi Episcopo, viro doctissimo, *Nihil non sub conditione à Christiano in religione geri oporteret. Adeundi venerandique essent sub conditione Episcopi, Presbyteri, atque alij omnes ministri; si nimirum legitimè baptizati, ordinati, ritè, ac legitimè baptizarent, consecrarent, absoluerent. Hæc enim omnia & similia pendent ex intentione tùm ministri, tùm suscipientis. Is error, eaque fictio Sacerdoti verteretur grandi flagitio, & sacrilegio: Fideli tamen simpliciter credenti solitóque modo veneranti cultus fieret innoxius. Hominibus enim humana sufficit certitudo*: postque allatum Iacob pro pacta Rachele Liam vxorem ducentis exemplum subdit, *Ita nec Artolatra iudicandus est, qui adorat Christum in pane non consecrato quem putat bona fide consecratum &c.* Hæc & alia pluribus eruditissimus Antistes ex Augustino, Roffensi, & reliquis, quæ veritas, & iudicium cadunt etiam in illas Diuorum exuuias, quas incertum aliquando est, ad quem illorum nominatim attineant, quod schedulæ, cui nomen Cælitis inscriptum fuerat, quoquo modo exciderit, veterésque tabulæ perierint; dummodo (prout esse potest eâ de re proborum hominum æstimatio) constare possit, eas reipsa Sancti alicuius esse Reliquias; tùm enim tutè quâ priuatim, quâ publicè coli possunt, ac debent, vt Ecclesiasticæ Reipublicæ fert vsus.

Boz. lib. 15. de Sign. Eccl. Sign. 71. cap. 16.

Claud. de Sainctes Repetit. 9. de ador. Euch.

De Lugo append. de ador. Euch. ad disp. 37. sect. 4. tract. de Incarn.

S. August. Enchir. cap. 6.

Roffens. lib. 3. cap. 5. contr Oecolamp.

Laym. lib. 4. tract. 7. cap. 5. quæst. 4. concl. 3.

Laudabili sanè, atque imitabili instituto Sanctus Carolus Borromæus, & Gabriel Palæottus Cardinales eminentissimi suis Conciliis prouincialibus decretum, & sancitum reliquerunt *vt fiat omnium, quæ probatæ, certæque fuerint Reliquiæ, Catalogus cum oratione, & indulgentiis, qui in sacello, seu loco, vbi illæ repositæ fuerunt, affigatur, tùm, vt accedentes quasi moneat, quàm piè, quámque sanctè pro obtinendis*

Carol. Borro. in Concil. 4. Mediol. sæpe cit. & Con. 1. Bonon. 1 part. tit. de Innoc. & Reliq. SS. Resta sup. cit. Direct. visit.

Sanctorum suffragiis, & intercessione ad illorum Reliquias venerandas accedere debeant, tùm (vt quidem reor) vt super illarum veritate fidelibus omnis scrupulus euellatur ex animo, & rudiori potissimum plebeculæ omnis dubitationis ansa penitus adimatur; augeatur citiùs erga ipsas à sua certitudine studium; spes altiores radices agat, & magis magísque confirmetur veneratio.

Nihil autem moror eorum remoram, qui volunt non minùs incertas Sanctorum Reliquias sub conditione colendas esse, quàm Christi speciem cuipiam obiectam. At hæc non debet ab illo absolutè adorari, sed ad summum sub conditione, ne exponat se periculo Satanam pro Christo adorandi. Ideo Seraphicus Doctor Diuus Bonauentura, *illam credulitatem temerariam esse opinatur, quia ad opus temerarium deducit.* Pari ergo ratione se gerat necesse est, cui incerta huiusmodi lipsana religiosè colenda proponuntur, nihil, inquam, hanc euanidam, & inanem remoram moror, quâ se iampridem noster Suarez superiùs à me laudatus expediuit cum reliquis, quos iam citaui; viri pereruditi repono verba. *Ad exemplum respondetur frequentiùs verum esse, quod in eo sumitur* (vt præter Bonauenturam docet Marsilius) *quia veritas personæ quæ in reuelatione apparere videtur difficiliùs cognoscitur, & ideo moraliter loquendo, res est valde incerta, & quoad hoc, non est simile illud exemplum. Si tamen bona fide aliquis procedat, & sufficientem faciat diligentiam ad discernendos spiritus, & tandem prudenter iudicet reuelationem esse à bono spiritu, potest simpliciter adorare sine periculo erroris: tùm quia bonâ fide, & prudenter operatur, tùm quia formaliter tota adoratio tendit ad personam verè sanctam, ad formam verò, seu speciem apparentem solùm, quatenus vel illa persona est vel illam repræsentat.* Hactenus insignis Doctor: at; si placet, alium doctorem illo, & æuo, antiquiorem, & dignitate sublimiorem, & doctrina præstantiorem, atque adeò sanctitate iam consecrata maiorem (Diuum Augustinum loquor) super eodem exemplo audire, libenter eius orationem exscribo, quæ sic se habet. *Opus est diiudicare, atque dignoscere, cùm se Satanas transfigurat, velut Angelum lucis, ne fallendo ad aliqua perniciosa seducat, Nam quando sensus corporis fallit, mentem verò non mouet à verâ, rectâque sententiâ, quâ quisque vitam fidelem gerit, nullum est in Religione periculum: sed cum se bonum fingens, ea facit, siue dicit, quæ bonis Angelis congruunt: etiamsi credetur bonus, non est error fidei Christianæ periculosus, aut morbidus: cùm verò per hæc ad aliena incipit ducere, tunc eum dignoscere, nec ire post eum, magna est necessaria vigilantia.* Hæc sanctus Doctor. Agedum nunc, ecquid periculi est, vt mens fidelium à recta fide sententiáque moueatur? si quis fortè Reliquias, quas ad certum aliquem Cælitem attinere piè credit, religioso cultu prosequatur; tametsi ad quempiam alium reipsa spectet; imò non pertineat vllo modo? quandoquidem pius eius affectus, & veneratio tota ad illum formaliter, ac directè feruntur, quem reuera debita sanctitate præditũ, & cœlo transcriptũ firmiter, ac prudenter credit. Prudenter, inquam

D. Bonau. in lib. 3. sent. dist. 9. art. 1. qu. 6. Suar. Vasq. Valent. Less. Sanch. cit. Marsil. quæst. 8. art 2. dub. 5

S. Aug. Enchi. cap. 60. cit.

quam, cùm ab Ecclesiâ, eiusque Antistitibus tanquã Sanctus, vel expressè, vel interpretatiuè habitus, & ad cultum publicum propositus fuerit.

Ad summam quando eædem Reliquiæ adeò incertæ sunt, vt nullo Ecclesiæ consensu, nulla traditione, nullis Pontificum decretis, nulla locupletium testium asseueratione fuerint approbatæ, ab earum cultu tam priuatim, quàm publicè abstinendum est funditus, quia in re grauissimi momenti se manifesto exponeret discrimini lædendæ religionis, & in certum periculum illegitimas pro legitimis adorandi exuuias, is se præcipitem ageret volens, vidénsque qui eas in tanta incertitudine religioso cultu prosequeretur, quid ergo illis facto opus? an erunt contemnendæ, abiiciendæ, conculcandæ? non arbitror; sed potiùs (vt dixi ex Diuo Gregorio, & sancto Carolo Borromæo aliisque) omnino à certis secernantur, & separatim custodiantur. *Ratio est clara*, inquit Layman noster, *quia ex vna parte, si sint veræ Reliquiæ, periculum est sacrilegij, si tanquam profanæ abiiciantur: ex altera verò parte, si non sint alicuius Sancti Reliquiæ, periculum est superstitionis; quare vtrumque, quatenus fieri potest, vitari debet.* Vel quod idem improbat, me contra probante, flammis tradantur, earumque cineres in sacrarium abiiciantur; vt venerabilis Eucharistiæ reliquiis, & analectis, quæ tempore, vel alia quauis causa, fuerint mucida, corrupta, & ad esum, vsúmve nullatenus idonea, vulgò fieri solet; quas reliquias, & fragmenta, non Isychius modò, sed etiam Concilia, & Pontifices in sacris fauissis reponenda esse censuerunt. Secundum Diuum Clementem & Pium I. summos Pontifices, inter Concilia Oecumenica Aurelianense perspicuis in hunc modum verbis sanciuit: *Omne sacrificium sordida vetustate perditum, igne comburendum est, & cinis iuxta altare sepeliendus.* Quantò potiori iure in Reliquiis dubiis, incertis, nec vllo modo approbatis factitandum putem? cùm enim fortè ad aliquem Sanctorum ea lipsana pertinuerint, atque adeo Christi membra, Deique opt. max. purissima extiterint instrumenta, igne omnium elementorum purissimo (vt nobilis Dionysiorum biga dixit, Dionysium Halicarnasseum, & sanctum Dionysium Areopagitam intelligo) illa consumi addecet, eorúmque cineres sacratiore in loco ad maiorem securitatem, & religionem seponi & asseruari.

Laym. sup cit. & Resta.

Isych. lib. 2. in Leuit. cap. 8. Claud. *de Sainctes repetitione 5.* S. *Clem. epist. 2. ad Iacob. Pius 1. epist. decret. ad vniu. Fidel.* Concil. *Aurel. Dion. Halic. hist. 2. Antiq. Rom. S. Dion. Areop. lib. de* Cœl. *Hier. cap. 15.*

ARTICVLVS VNICVS.

RATIO, VSVSQVE, SANCTORVM *Reliquias tam incertas, quàm certas adorandi.*

Pientissimus peræquè, ac doctissimus Theologus, Clichtoueus in eruditâ de B. Maria Magdalena disputatione, quam Francisco Molino, S. Maximini Abbati, à secretis, & consilio Christianissimi Fran-

corum Regis, Francisci primi Ordinario nuncupauit, eximiam rationem, qua ratione quidam sibi apprimè familiaris, & amicus, atque adeo multarum peregrinationum indiuiduus comes; in adorandis Diuorum Lipsanis vti consueuerat, fusiori prosecutus est oratione, quàm, vt rei, qua de agimus, maximopere congruentem totidem verbis hîc exscribere non grauabor.

Cùm enim, inquit, *eum* (suæ scilicet ad B. Magdalenæ Massiliensis venerabiles exuuias peregrè profecti viæ, pietatisque socium) *percontabar, quid in illis peregrinationis locis coleret? Ille modestissimè sic mihi respondebat. Christum colo, & in Christo Sanctos eius: nam scriptum est, Deum adora. Quin & Angelus in sacra visione, se prohibet adorari. Et adiiciebat: Cùm mihi prætenduntur venerando quæpiam Sanctorum Reliquiæ, animum meum non in iis, quæ video, figo (nam fides eorum non est, quæ videntur) sed in iis, quorum memoriam spectaculum præ se fert; Christum omnium Sanctorum Regem laudando, veneranda, adorando, & ipsum in Sanctis inuocando, sed & beatam, & à Christo dilectam Magdalenam venerari intendo, non solùm in eo monte, vbi vitam exegisse narratur, aut in Maximini pago: verùm etiam in aliis quibuslibet locis aut Cœnobiis, vbi eam inuocant patronam, aut se dicunt corpus, aut aliquod suarum Reliquiarum pignus habere, Christum inuocando, & sanctæ Hospitæ, vnctricisque eius opem piè implorando. Neque curiosiùs quicquam de talibus inquiro; neque admodum iisce, quæ narrantur, aures accommodo; habeant, necne exuuiarum mortalitatis pignus aliquod, non multum laboro; quandoquidem spero me ea omnia feliciùs visurum in illa immortalitatis innouatione. Quod, si qui aliquando, vltro pro sua humanitate, multarum rerum spectacula mihi visenda ingerant, narréntque: hîc calceus Beatæ Annæ; hîc Lac Virginis illibatæ; hîc crines Andreæ; hîc dens Apolloniæ, aut quippiam simile; fidem meam in hisce, quæ ostenduntur, minimè colloco, neque plurimùm ea curans, neque despiciens (nam in his fidem meam Christus non requirit) sed in iis, quæ per narrata mihi repræsentantur, teneo, & maximè, quæ Ecclesiam celebrare cognosco, & mente in cœlum eleuata, ad ipsa rerum visibilium exemplaria oculis mentis, non corporis patentia; hoc, aut quippiam simile mente voluto. Benedicta sit Anna, quæ nobis Reginam Cœli peperit. Benedicta sit cœli, terræque Regina, quæ suo virgineo lacte filium Dei pauit. Benedictus sit Andreas & reliqui Apostoli, auctorem vitæ olim in terris secutis; nunc autem eundem in Cœlis perfectè assecuti, per quorum prædicationem ad veri Dei cognoscendi lucem sumus euecti: vnde æterno Regi, super omnia, gratiæ sint immensæ. Benedicta sit & Apollonia illa fœlix virgo, cui pro feruenti Christi amore dentes extracti fuêre, & durissima irrogata tormenta. Aut aliquas orationculas ab Ecclesia de ipsis ordinatas, si mora patitur, persoluo: aut saltem communem pro ritu Ecclesiæ de omnibus sanctis orationem pronuncio. Et hæc ideo se dicebat facere, quia sciebat astum maligni plurimum esse, & eum fidem circa visibilia exposcere: & hinc Idololatriam, & multiplicem animarum seductionem suboriri, augeríque insuper quæstus, habendique*

Clichtou. opusc. de Magd. pag. 37 num. 27.

habendique noxia cupiditate superstitionem, ac multa mendacia fingi. Non enim (dicebat) astutus ille veterator veros adoratores quærit, qui neque in hoc, aut illo loco; neque ad hæc, aut illa spectra adorent, sed in spiritu, & veritate, sed vanos, & (vt dicam superstitiosos, qui fidem suam rebus visibilibus affigant. Sic Pythonicas, & magas mittere solitas ad reuerendas quasdam Sanctorum imagines, ac sanctos fictitios, & cœlesti Ecclesiæ incognitos. Idcirco non se continuò inuocare omnes, quos populus putat Sanctos, neque omnibus in locis: sed quos certò sciret ab Ecclesia, aut receptos, aut verè approbatos: & pleraque tam phana, quàm quæ in illis coluntur, posse esse suspecta. Quare tum nouos Sanctos, aut noua miracula fingunt, aut multa plerunque peregrinis, stipis gratia, prætexunt: quid inquiebat, in talibus quenquam vanum esse oportet? Deum adora, & mentem extra templa, & visibilia loca, visibilesque rerum imagines exere, quamuis corpus interea materialibus locis pro conditione syluæ, quâ circumdamur, detineatur, & simulachris visibilibus astet; vt tuus cultus, tuáque oratio sit neque hîc, neque ibi: sed in spiritu, & veritate, sic instruente nos Domino orare, cùm dicebat: Sic ergo vos orabitis. Pater noster, qui es in Cœlis: vt mens nostra, cùm oramus, in cœlis esset à rebus sensibilibus auocata; & nulli terrenarum, visibiliumque rerum hærens. Et cùm illi fortè fortuna offerebantur nonnulla, sacrorum loco, deosculanda, quæ, quid essent, aut quorum, ignorabat; osculabatur quidem secum dicens: Propter Dominum nostrum Iesum Christum, & ad eius honorem, hæc oscula figo, & ad honorem Sanctorum, quos sancta nouit Ecclesia, & qui in Christo Domino iugiter seruiunt, eique semper assistunt in cœlesti gloria, quarum erga ipsum interuentionis opem supplex imploro. Neque quemquam sic venerantem peccare putabat etiamsi ossa Neronis, aut Caiphæ, ignorans osculatus fuisset. Hactenus ille apud Clichtoueum.

Volantem stylum hîc tantillum, si placet, distineamus. Ex hac igitur transcripta oratione, triplicem aduerto incertas Diuorum Reliquias adorandi modum, & vsum. Vnus est, vt auocato à sensibilibus, quæ adoranda proponuntur, lipsanis animo, ad Deum, & Christum Sanctorum Regem adorabunda cogitatio transferatur, & in Christo beatis Cœlitibus, tanquam suo capiti connexis membris tota deferatur veneratio. Quid hîc, Lipsanomache, carpas? cui genuinum infigas dentem? quem superstitionis metum affingas? quod idololatriæ periculum inficetus cauillator causeris? quandoquidem Deus, qui est *mirabilis in Sanctis suis*, in huiuscemodi Sanctorum exuuiis adoratur. Alter est, vt quantumuis incertum, & ignotum mortalibus sit, ad quem illæ Reliquiæ pertineant, ipsi tamen Cœliti, cui à Fidelibus vulgò tribuuntur, religiosius impendatur cultus, tanquam Christi amico, Athletæ fortissimo, & iam in Cœlorum Stephanite immortali corona redimito: quod certè hoc securiùs præstiteris, quò certiùs constiterit tibi ipsum ab Ecclesia rectè cognitum, ritéque vindicatum, & cultum hactenus fuisse. Tertium reputa illum, quo precatiunculà Beato Cœliti propria si consecratum scias, vel saltem communi de Sanctis, quam in templis vsur-

pare

pare solemne, ac tralatitium est, si dubitas, religiosè supplices, &, cùm dabitur copia, propter Christum, cui ad vltimum vsque spiritum seruitutem omni libertate gloriosiorem seruiuit, eius lipsanis figas oscula.

Ibid. num. 28. Pergit Clichtoueus. *Et cùm dicebam, si qua offerretur tibi, nec te lateret, ea reuera esse ossa Petri, Pauli, Ignatij, Theclæ, Iustinæ, Christinæ, aut alicuius talium Christi triumphantium Martyrum: nonne ad illa etiam visibilia Sanctorum monumenta, magna afficereris deuotione? Quidni, dicebat ille, magna afficerer? nam & sanctæ sunt Sanctorum exuuiæ, & æternitatis gloria fulgebunt aliquando. Verùm tunc illorum non esset fides; sed iam certitudo quædam, & scientiæ similitudo. Qualis est de corpusculo illo Simonis infantuli Tridentini, qui priùs nostris temporibus gloriosa martyrij palma, Christo in Cruce passo, assimilatus est, quàm Christi nomen, pro quo tam diro afficiebatur mortis supplicio, inuocare natura illi tribuisset: vix enim bimatum excesserat puer ille gloriosus. Cuius corpusculum omnibus, quotquot illud contuentur, reuerendum esse decet; tanquam Christi passi symbolum. Nam & eius passionem multis virtutibus, ac signis Christus Dominus se acceptasse declarauit. Non tamen in hoc, quamuis certissimo corpusculo, & reliquorum Martyrum etiam indubitatis depositionibus sistenda mens est, etsi religiosa veneratione affici debeant: sed Christus in illis summè colendus, adorandus, glorificandus est, & animus ad beatarum animarum (quarum sancta corpora adhuc in puluere terræ quiescentia, resurrectionis gloriam exspectant) opem implorandam euehendus. At non omnium certitudo eadem est: nam variis in locis concertant, sese Sanctorum eorundem eadem retinere pignora; adeò vt horum aut illorum stultam fidem esse oporteat, si in hisce visibilibus fidem collocent.* Sic vir pius. Hinc disce tam certis, quàm incertis Diuorum pignoribus venerationem absolutam deferri posse, ac debere, quoties illa mirabilibus supra naturæ vires effectis edendis potentia, pollentiáque præstiterit Deus, esto visibilibus hisce Sanctorum glebis animus, fidésque defixa minimè adhærescant, sed ad beatas animas spiritalibus subuecta alis ferantur, & in iis religiosè conquiescant.

Ad extremum summámque Clichtoueus alium incertas Sanctorum exuuias adorandi modum nec inidoneum, nec contemnendum de suo suggerit, & à se obseruatum, cùm D. Maximini basilicam beatæ Mariæ Magdalenæ lipsana veneraturus esset ingressus, memorat in hæc

Ibid. num. vlt. verba. *Sic itaque emenso itinere ad ædes Diui Maximini perueni, atque inibi tres* Marias, *quamuis tunc tres esse nescirem, veneratus sum. Mariam sororem Marthæ: quam Dominus sacro ore dixit optimam partem elegisse. Et illam olim Peccatricem, cui à Domino dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum. Et Mariam Magdalenam, à qua septem eiecta fuere dæmonia, quæ stetit ad monumentum foris plorans. Quod idem, autumo, cæteri alij peregrini faciunt. Et quamuis reipsa tres sint: charitate tamen, & consummata quidem charitate, vna sunt. Neque tribus displicet, vna laude celebrari, neque vni, triplici: Facessat enim procul*

ab

ab eis simultas omnis, omnisque inuidia; sed & neque tribus, sub vno nomine venerari. Quas & ego sub eodem nomine, Maria, inquam, Magdalena, veneror, censeoque nunc venerandas cum viatorum Ecclesia, quæ etiam multis quorum vera nomina in cœlis cognoscuntur, & à piis viatoribus, Christi miseratione, tandem cognoscentur, sicut & Adaucto concessit, mutuario nomine, venerationis ritu coleretur.

Ex his vides, quo pacto, ad pij æquè, ac eruditi Theologi exemplum, Beatorum lipsana, quæ diuersis in locis asseruantur, & Fidelibus exhibentur adoranda, quantumuis incompertum nobis sit ad quem Sanctorum reipsa pertineant, ritè coli, & honorari possint. Quid enim incommodat fidei? quid religioni? quid Cœlituum honori? si tot in huiuscemodi Reliquiis deueneremur sanctos, quot eodem nomine fuerant insigniti? præsertim cùm illis exploratissimum sit, tùm ad quem ipsorum sacræ illæ Reliquiæ, quibus honor defertur, reuera spectent, tum ad quem adorantis animus, oratioque dirigantur; atque adeò eo sint inter sese mutuæ charitatis indissolubili nexu astricti, vt non solùm tam alienâ gloriâ lætentur, quàm suâ; verùm etiam alienam ducant suam. Alias persimiles rationes, vsusque, incertas Diuorum exuuias quæ pluribus in Basilicis eædem in indiuiduo custodiuntur, monstrantur, coluntur, religiosa veneratione afficiendi, pro suo quisque ingeniosæ aduersus beatos Cœlites pietatis studio, necnon & animo cœlitùs inditâ permotione, poterit nullo negotio comminisci, abundè mihi fuerit viam aperuisse, & digito, vt dicitur, inexpertis commonstrasse.

Atque, vt aliquando manum de tabula tollamus, iisdem ego verbis, & religiosissimus Abbas Theofridus, Fideles omnes ad vltimum compellabo. *Quidquid, fratres, de Reliquiis Sanctorum possidemus, siue in veste, siue in puluere, vel in ossibus, diligenter, & cautè custodiamus; & quod valemus, potissimum seruitute, illorum exhibeamus venerationi. Digni sunt apud homines honore, qui quotidie interpellant pro hominum salute. Memor humanæ fragilitatis hoc nobis gratia clementia Seruatoris contulit, vt quod peccatores per nostra non possumus merita, per Sanctorum impetremus patrocinia. Iam securi de sua, solliciti sunt pro nostra salute: & , vnde nec eorum perficietur gaudium, quandiu peregrinationis cernunt exilium: nec erit perfecta beatitudo, donec totius Ecclesiæ intrauerit plenitudo. Ad illorum, Carissimi, consortium (quia nos habitare in vnum, pulchrum erit, atque iucundum) quantò plus illorum nobis prodesse credimus orationem, tantò deuotiùs illorum meritis exhibeamus venerationem. Offeramus illis laudis sacrificium, vt pro nobis fumus incensorum ascendat de oratione Sanctorum, qui per manus Angeli diuino præsentatur conspectui. Vestigia sequamur eorum, quibus ipsi secuti sunt Dominum. Gradiamur per semitam iustitiæ, vt perueniamus ad mansionem cœlestis patriæ. Inspiciamus perfectam eorum vitam, & quæ minus composita, emendemus nostram, vt nostri sint adiutores in precibus, quo-*

Theofrid. Ab. serm. de SS. Reliq. vener.

rum sumus imitatores in actibus. Relinquamus cum Apostolis omnia, vt liberè sequamur Domini vestigia. Martyribus associemur in passione, vt eisdem participemus in consolatione; ne fur domum nostram perfodiat; Confessorum vigilias mens nostra custodiat. Ornemus lampades nostras cum Virginibus, vt intremus ad nuptias, quando venerit sponsus, & vbi nos non terreat illud durissimum: Nescio vos, quod erit impiorum confusio, sed lætificet cor nostrum Iustorum benedictio, per eum, qui est vita, & resurrectio, Deus Deorum, & Dominus Dominorum per sæcula sæculorum. Amen.

De cætero tantillum, quod chartæ reliquum est, oppleturus, *humanissime, ac Orthodoxe Lector*, paucula quibus te volo, subiicere allubescit. Hæres, atque adeo fortè cogitabundus, expectas, vt quibus corporis, & animi oculis, sensísque, quantulumcunque hanc Disquisitionem nostram perlegeris, exceperisque, curiosiùs de te inquiram. Non equidem id faxo, ne vel palpum, plausúmve laudatus, vel potiùs illaudatus, *petulanti à splene cachinnos*, videar ridiculè aucupari. Alia omnino mens est, alia cogitatio, alia cura. Apelles esse volo post tabulam, paratus, quid in nostra, Disquisitione prudenter, ac iure probes, improbésve, de te audire silentio, tibíque amicâ cum vrbanitate, ac religiosa modestia, me labi facilem, simul & emendare cupidum commonefacienti obaudire. Quid multis? vnum te dumtaxat summis, infimísque precibus oratum, & exoratum velim, vt Deo optimo maximo, *Scientiarum Deo, ac Domino*, piarum cogitationum parenti, *calami scribæ velociter*, (multò magis, *catholicè, ac religiosè*) *scribentis* motori, omnium denique bonorum largitori longè munificentissimo: & secundum ipsum Cælitibus vniuersis, quorũ in cœlis gloriam, in terris præclara facinora, in templis sacrosãctas deueneramur Reliquias, gratias mecum agere velis quàm maximas, quòd è tot doctissimis, quâ Nostrorum, quâ aliorum hominum, qui pro Sanctorum exuuiis, earúmque veritate, ac cultu feliciter depugnarunt, scriptis in lucem editis, meam hanc lucubrationem præ illis nullam, voluerit esse reliquam, & tantillas, vt ita dicam reliquias, vt meorum scriptorum possent esse primitiæ. Vale, mi Lector, mei apud Deum, & superos memor.

1. Reg. cap. 2. v. 3.
Psal. 44. v. 2.

PERBENEVOLO

PERBENEVOLO
AC STVDIOSO LECTORI.

FINIERAM, HVMANISSIME LECTOR, cùm in mentem venit cogitare operæ pretium facturum me, si huic Disquisitioni nostræ paucas notas appingerem; quibus notis, si quid in Epistola nuncupatoria, vel à sui nouitate insolens, vel à sui obscuritate minùs omnibus peruium delicatulos aliquorum animos, oculósve imperitorum offenderet, pro mea virili aliquantulum mollirem; & affusâ tantulâ luce collustrarem. Adde quòd non paucos fore vereor, quibus cùm librorum copia deficiat, & desint, quos consulant, nec satis acutum peruidere possint, quid velim? quò alludam? quâve fide permulta ipsis hactenus inaudita, nec lecta strictim delibem? illis ego consulendum esse, eorumque penuriam meo vnius, Auctorum sententias, & verba conceptissima exscribentis labore subleuandam existimaui. Meam hanc, si placet curam, opellam, & cunctis gratificandi studium æqui, bonique consules, Perbeneuole, ac studiose Lector, vt tete impensè precor, rogóque.

NOTÆ IN EPISTOLAM
DEDICATORIAM.

I. A conquisitis, redemptis, & aggestis toto ex orbe Christiano ipsorũ pignoribus locuples Gallia.

Is. cap. 34. Iob c. 40. S. Hieron. aduers. Vigilant. cap. 1.

MVlta in orbe monstra generata sunt. Centauros, & Sirenas, vlulas, & onocrotalos in Esaia legimus. Iob Leuiathan, & Behemoth mystico sermone describit. Cerberum & Stymphalidas, aprumque Erimanthium, & Leonem Nemæum, Chimeram, atque Hydram multorum capitum narrant fabulæ Poëtarum. Cacum describit Virgilius, triformem Geryonem Hispaniæ prodiderunt. Sola Gallia monstra non habuit, sed viris fortissimis, & eloquentissimis abundauit. Exortus est subitò Vigilantius, seu veriùs Dormitantius, qui immundo spiritu pugnet contra Christi spiritum, & Martyrum neget sepulchra veneranda. Ingemuit olim in hunc modum infelicem piissimæ Galliæ statum B. Hieronymus, dum *caupo ille Calagurritanus* Galliam hactenus Virginem, & penitus hæreseos nesciam in sacrilegum venerandarum reliquiarum contemptum præcipitem agere totis viribus adniteretur. Verùm Deus Opt. Max. è contrario Gallorum suorum animis tam ardens, támque immensum aduersus Sanctorum exuuias studium, & pietatem infudit, vt in illis *conquirendis, redimendis, & congerendis* vniuersas Orbis nationes longissimè superarit. Nostratibus ne videar adblandiri; exteros scriptores huiusce veritatis testes allego. *Admiratione maxima* (inquit Eminentissimus, ac veri amantissimus Cardinalis Baronius) *dignus est fidei Christianæ feruor, qui his temporibus* (hoc est anno à Christi natali CLXVI.) *erga sacrarum reliquiarum cultum adeò ardebat in Galliis, vt licet abundarent illæ prouinciæ sacris pignoribus sanctorum Martyrum & Confessorum; nihilominus fame inhiarent ad peregrina.* Alibi non tantùm semel, & iterum, sed etiam sæpiùs Gallos, *Sanctorum corporum cupidissimos* appellare non dubitauit. Illum sequutus Anfossius *Sanctorum cultus studiosissimos Francos vehementer cupiuisse ex Vrbe aliquas habere reliquias, & Sanctorum corpora* contestatur. Non huc reuoco Georgium Corcyranum, vsque eò in Ecclesiam Latinam, & in Gallos in paucis pessimè animatum, licet ab hoste syncerior laus esse videatur, sat fuerit illum olim laudasse, vt non vnus intelligat Maiores nostros semper sacrarum reliquiarum sitientissimos extitisse. Verùm quò certiùs, manifestiúsque religiosissima hæc Nostratium ambitio, cupiditásque elucescat, ad singularia quædam exẽpla descendamus.

Baron. tom 7. ad ann. 566. n. 28.

Idem tom. 9. ad ann. 764. n. 1. ad ann. 810. n. 33. Anfoss. sæpe cit. §. 15. n. 4. & seq.

Supr. lib. 1. c. art. 3. in fin.

Ab Episcopis initium duco. *Beatissimus Germanus, Præsul Parrhisiacæ vrbis*, inquit Aimoinus, *ad sancta loca Hierosolymam pergens, indéque rediens, præfatum Principem adiit* (Iustinianum scilicet Imperatorem, de quo superiori proximè capite meminerat) *à quo honorificè est susceptus. Cúmque eum plurimis vellet honorare muneribus, vir Deo plenus, auri argentique spernens munera, ab eo reliquias tantummodo Sanctorum expetiit. Cuius deuotioni præfatus congaudens Princeps, de Domini nostri Iesu Christi coronâ spineâ, simulque reliquias Innocentium, vnáque brachium sancti Georgij martyris pro munere obtulit. Quæ vir Dei gratanter suscipiens ad propria rediit; & prædicta Sanctorum pignora in Ecclesia S. Crucis, sanctique Vincentij condidit*, vt paulò inferius dicemus. Nam de ipsius in conquirendis Cœlituum lipsanis studio & ardore pluribus disserendi locus, occasióque recurret. Huic nihil concessit Theodoricus Metensium Episcopus, cuius piam, & nimium quantum laudabilem acquirendarum reliquiarum auiditatem nobis exhibuit Sigebertus. *Porrò* (vt prudenter monet Baronius) *cùm audis translata corpora, ita accipias, vt partem ex illis acceperint, non ipsa integra: vt in dictis locis, quæ adhuc visuntur, atque coluntur, dictorum martyrum reliquiæ fidem faciunt haud dubiam.* Sed de hac re nos olim pluribus egimus. Non minus se venerabilium reliquiarum perstudiosos exhibuere Antistites religiosissimi Gregorius Turonensis, & Felix Nannetensis: quorum ille Ecclesiæ suæ Diaconum eum ob finem ad Pelagium Pont.Max. transmisit, à quo Martyrum, Confessorúmque lipsana dono accepit. *Erant autem reliquiæ Sanctorum quorum sacra vestigia Domini manibus sunt abluta, cum Pauli, Laurentiique, atque Pancratij, Chrysanthi, Dariæque Virginis, Ioannis, atque alterius Pauli fratris eius, quorum certamina, & palmas victoriarum ipsa, caput orbis, vrbs Roma deuotè celebrat.* Sic ille. Hic verò similiter ex Vrbe Sanctorum Petri & Pauli, Apostolorum Principum pignora, curauit adipisci, quæ in Basilicam à se in eorundem honorem exædificatam encæniorum die solemniter inuexit, vt egregiè panxit Fortunatus in hæc verba:

Aimon. lib. 3. de gest. Franc. c. 9. Nos supr. lib. 1. cap. 7. pag. 219.

Sigebert. in Thronn. ana. 969. & nos lib. 1. cap. 7. pag 213.

Supr. lib. 1. c. 4. art. 2.

S. Greg. Turo. lib. de glor. mart. c. 83.

Gallia plaude libens: mittit tibi Roma salutem,
Fulgor Apostolicus visitat Allobroges.
A facie hostili duo propugnacula præsunt,
Quos fidei turres vrbs, caput orbis, habet. &c.

Venant. Fortun. lib. carm.

Reliquis prætermissis præterire non possum sanctum Paulinum Nostratem, qui mutato cœlo, solóque patrio, patriam retinuit sacras reliquias colligendi religiosam ambitionem, vti liquidò demonstrant hi, eiusdem basilicam S. Felicis graphicè describentis, versus.

Namque & Apostolici cineres sub cœlite mensa
Depositi, placitum Christo spirantis odorem
Pulueris inter sancta sacri libamina reddunt:
Hic pater Andreas, hic, qui piscator ad Argos
Missus, vaniloquas docuit mitescere linguas.

S. Paulin. Nat. 9. S. Felic.

Qui postquam populos, ruptis erroris iniqui
Retibus explicuit, traxitque ad retia Christi,
Thessalicas fuso damnauit sanguine Patras.
Hic & Præcursor Domini, & Baptista Ioannes. & reliqua, quæ, ne longior sim, exscribere supersedeo. SS. Episcopis comitem demus sanctissimum sacerdotem VVandregilisum, de eius pia cupiditate sibi Sanctorum lipsana comparandi hæc habet ipsius vitæ scriptor. *Ædificauit autem in ipso loco vir Domini basilicas egregio cultu numero quatuor, in honorem videlicet Principis Apostolorum Petri, simulque Doctoris Gentium Pauli, sanctique Laurentij, ac Pancratij, martyrum Christi. Et cum huic operi insisteret, misit antè dictum nepotem suum Romam propter pignora beatorum Apostolorum, ac martyrum Christi, vt ædificatis basilicis, in promptu haberet reliquias Sanctorum, quorum nomini, & reuerentiæ dicare disposuerat. Qui votis pij Patris libentissimè parens, Romam abiit, Vitaliano Papa eodem tempore gubernante sedem eiusdem Ecclesiæ, atque ab eo suscepta plurima Apostolorum, & Martyrum Christi pignora, vnà cum benedictione Apostolica rediens secum detulit, codicumque sacrorum copiam non minimam.* Sic ibi.

Hilduinus Abbas S. Dionysij, ossa B. Sebastiani ab Eugenio Papa petiit, & obtinuit.
Anonym. Vit. Ludou. Pij apud Pithœu. Heinardus corpora SS. Marcellini & Petri. ibid.

Æquè pientissimas fœminas eadem incessit cura, & viros. Siluiam, & Bassulam sororem suam ab hoc sacro Diuorum reliquias consequendi ambitu, studióque commendat S. Paulinus datis ad S. Seuerum literis in hanc sententiam. *Ille*, nimirum Victor, *se spem eiusdem gratiæ copiosam habere dixit à sancta Siluia, quæ illi de multorum ex Oriente martyrum reliquiis spopondisset; inuenimus quod dignè & ad basilicæ sanctificationem vobis, & ad Sanctorum cinerum cumulandam benedictionem mitteremus, partem particulæ de ligno diuinæ Crucis. Quod nobis bonum benedicta Melania ab Hierusalem munere sancti inde Episcopi Ioannis attulit, hoc specialiter sorori nostræ, venerabili Bassulæ misit conserua communis.* Therasiam vxorem suam intelligit: quam vides eadem religiosa cupiditate occupatam fuisse, simul & piissimas matronas sibi beatas reliquias certatim missitasse. Præstitit omnibus, vt regiâ dignitate, sic & laudabili huiuscemodi sacrorum lipsanorum conquirendorum, & congerendorum ambitione Radegunda, Francorum Regina, & Clotarij coniux longè sanctissima. Testem allego, Bandominam, non illam auritam, sed oculatam; cuius olim verba dedimus, & post eam Gregorius Turonensis, & noster Iosephus du Monteil.

S. Paulin. epist. 11. ad Seuer.

Bandomin. lib. Vit. S. Radeg. apud Sur. 13. Aug. & nos supra lib. 1. c. 7. p. 214.

De Christianissimorum Regum nostrorum venerabiles Diuorum exuuias conquirendi ardentissima sollicitudine mox erit disserendi locus: ne multis, Audiamus Baronium, quàm studiosè Nostrates vniuersim hanc sacrarum reliquiarum indaginem, & venationem curæ habuerint in hæc verba contestantem. *Cum iam fama increbuisset in Galliis per sanctissimum Pontificem Paulum plurima Sanctorum corpora esse è cœmeteriis in vrbem translata, eorum cupidi Franci Sanctorum cultus studiosissimi mittunt legatum Romam ad eum Pontificem rogantes, vt aliqua ex Sanctorum corporibus recens inuentis darentur in Gallias transferenda.*

S. Greg. Turon. lib. 9. hist. Franc. c. 40. Dumonteil. lib. 2. vit. S. Radeg. c. 12. Baron. tom. 9. supra cit. ad ann. 764. n. 1.

Hæc

Hæc & alia ibi, alibi verò ſic ait. *Cùm autem ingentem theſaurum* (videlicet corpus S. Marci Euangeliſtæ furtim ſublatum) *Veneti eſſent adepti; vt cautè eum custodirent, omnem adhibuerunt industriam. Sciebant enim Francos, penes quos erat in Occidente ſumma vis: atque potentia, Sanctorum corporum cupidiſſimos, venari ea, iamque ex Italia complura ipſorum in Gallias tranſtuliſſe. Ne quid igitur eiuſmodi pati cogerentur inuiti: ita in ſumptuoſa recens erecta baſilica ſacra pignora collocarunt, vt vbi locorum in ea poſita eſſent, penitus ab aliis fuerit ignoratum.* En tibi luculentiſſimam teſtificationem Gallicanæ aduerſus Diuorum reliquias pietatis. *Idem ad ann. 820. n. vlt.*

II. Pugnacibus mortuorum cineribus, &c.

A me alluſum vides ad dictum Ragenarij, è Nortmannorum Ducibus infœliciſſimi, de quo hæc refert Aimoinus. *Anno DCCCXLVI. gens Nortmannica Galliam irrumpens Parrhiſios vſque venit, monaſteriumque Beati Germani Parrhiſiis depopulata eſt. Quorum dux Ragenarius nomine, ſub Principe Borico hanc deuaſtationem peragens, dum ante dictum principem ſuum Boricum ſe iactaret opulentiſſimum regnum Caroli Calui acquiſiuiſſe, & monaſterium almi Germani deuaſtaſſe, & quod ſibi MAIOREM MORTVI, quàm VIVI NVMERVM haberent, nullumque ſibi reſtitiſſe præter Germanũ SENEM MORTVVM, continuò virtute beati viri expertus concidit ac poſt triduum exſpirauit: nec ſolùm ipſe, verùm etiam, & cæteri raptores, & violatores ſancti loci, dyſſenteriæ morbo perierunt.* Hæc ille, qui alibi maius aliquid, & multò fuſiùs, atque expreſſius in hanc ſententiam addit. *Præterea retulit ei* (ſcilicet Horich, quem ſuprà Boric vocitarat librariorum, vt patet, errore) *quàm bonam, quàmque fertilem, vti omnibus repletam copiis inueniſſet terram, populum verò eam incolentem ad dimicandum pauidum, ac timentem. Referebatque dicens, quòd MAIOREM IBI MORTVI, quàm VIVENTES HABERENT VIRTVTEM nullùmque ſibi inuenerint reſiſtentem, præter Germanum SENEM MORTVVM. Hæc cùm diceret, tremens illicò ac pauens corruit in terram, atque terrificâ cœpit voce clamare: Germanum coram aſſiſtere, eúmque ſe baculo, quem manu geſtabat, grauiter flagellare.* Et poſt pauca pergit dicere: *Qui maximis per triduum tormentis* (*dyſſenteriæ nimirum*) *ignominiosè afflictus, præcepit tandem [illegible]m auream ſuæ ſimilitudinis ſtatuam fieri, atque per eundem K[illegible]em* (*is erat Ludouici Regis Legatus*) *Germano ſeni deferri, ſpon[illegible] ſe, ſi euaderet, Chriſtianum deinceps futurum, Deumque Chriſtianorum indubitanter crediturum. Sed quia non erat ex ouibus Chriſti, idcircò, quod petebat, obtinere non meruit. Ita prorſus inflatus* (*quemadmodum nobis idem Kobbo manifeſtum fecit*) *ac totus turgidus extitit, vt nec auditus, nec viſus, nec odoratus, vel guſtus in eius corpore, mort[illegible] tempore diſcerni potuerit. Sicque diffuſis ad poſtremum viſceribus me[illegible] crepuit, vitamque miſerrimus inanem finiuit,* &c.

Aimoin. lib. 5. de geſt. Franc. c. 20.

Idem lib. 1. de miracul. S. Germ. cap. 11 apud Sur. 15. Iul. tom. 4.

Eandem

Eandem in Sancto Martino Turonensi Episcopo, beatus Odo Cluniacensis Abbas demiratus virtutem, memorat Turonenses à Nortmannis similiter validâ obsidione circumuallatos, ac penè oppressos, sanctissimum Præsulem *MORTVVM PRO VIVIS PROPVGNATOREM opposuisse.* Sed de hac re sequenti obseruatione fusiùs.

S. Odo *Alb. Clunia.tract. de reuers.* B. *Martini c.* 1.

III. Integras persæpe hostium acies &c.

Ea est Dei optimi maximi erga famulos suos, cœlo donatos amor, & prouidentiâ, vt per exuccos, & in speciem despicatissimos ipsorum cineres, integros exercitus fundat, fugétque. *Victoriam*, inquit proximè citatus Aimoinus, *quam populi multitudo, communi obstante crimine, ex inimicis habere non potuit, beatus Germanus, inclytus meritis, gloriosus miraculis, apud Deum tali donatus triumpho obtinere promeruit.* Ad id mirabilitatis significandæ fecit quàm maximè insolens ille Sancti Germani cataphracti species dormienti monacho diuinitus obiecta, quam pluribus idem historicus enarrat, simul & militari illo schemate atque inusitatâ specie præmonstratam interpretatur *vltionem à sancto viro ex inimicis cœlitus reportatam.* Quid autem adeo mirificam victoriam sit consecutum, in hunc recenset modum. *Timens etenim ipse* Horich, *eiúsque optimates, & populus pariter vniuersus huiusmodi morte pessimâ damnari, præcepit omnes, qui residui erant, exceptis paucis fugâ lapsis, quos nec mortis credimus euasisse exitium, decollari, eorúmque capita, veluti satisfaciens morbo, Christiano, qui captiuus illis erat, populo tradi. Nam ita clades ingrassata, Deo permittente, sæuiebat in plures, vt pene quicunque morbidum tangeret, eodem extemplò attactus morbo, & ipse deficeret. Insuper iussit cunctos captiuos, qui Christianitatis vocabulo censerentur, in regno suo perquiri, eósque cum libertate, & honore absque alicuius contradictione in suam patriam reuerti.* Non minus præsidij in beati Martini exuuiis sibi positum esse diuinitus, experti sunt Turonenses aduersus eosdem Danos, qui in Gallias Hastingo duce irruperant, ac Turonum arctissimâ obsidione iam premebant. *Iam muri* (verba sunt beati Odonis supra laudati) *crebro quatiuntur ariete, & machinarum ictibus cedentes, ruinam sui minantur. Obsessi viribus diffidentes, spei penitus solatio destituuntur. Tandem verò, diuinâ inspirante gratiâ, in se reuersi, beati patroni sui Martini corpus piè rapiunt, & ad locum, quo belli violentior impetus erat, deferentes, MORTVVM PRO VIVIS PROPVGNATOREM opponunt. O admirabilem per omnia virum! qui, dum adiuiueret, signipotens appellatus fulgorem virtutum astris intulit, defunctus etiam BELLIPOTENS TRIVMPHATOR hostium cuneos sola sui præsentia confecit. Verè mirabilis Deus in sanctis suis. Sancti siquidem patrocinante suffragio, & obsessis securitas, & confidentia redditur, & obsessoribus formido & pauor non modicus immittitur. Fugiunt igitur Dani, fugientes Turonici persequuntur.*

Aimoin. loc. citat. c. 12.

Idem c. 16.

Ibid. c. 12.

S. Odo *lib. cit. cap. eodem Andr. Querret. in not. ad Bibl. Cluniac. pag.* 40. *& seq. Nicol. Gillos in Caric. caluo.*

ſequuntur. Fugientium pars capta reducitur, pars gladio cadit, & pars fugæ ſubſidio elapſa eſt, & vſque ad ſextum lapidem ab vrbe perſecuti ſunt Danos, triumphatoris ſui corpus cum hymnis deferentes & gloria, per quem ſibi triumphus ceſſit, & victoria. Vnde & in eiuſdem belli triumphalem memoriam, in ipſo loco, quo Sancti ſubſtitit corpus, in honore ipſius fabricata eſt Eccleſia, quæ propter belli euentum, Sancti Martini belli ſortita eſt vocabulum. Hæc & alia, quæ multis proſequitur Abbas ſanctiſſimus. Girboldus Antiſſiodorenſium Comes pari Sancti Benedicti auxilio, ac tutelâ, ad Floriacum, vbi beatiſſimi ſeruabantur exuuiæ, inſignem de Nortmannis ſe retuliſſe victoriam his verbis apud Adelerium profitetur. *Sanctus Benedictus me per totum belli huius certamen protegens ſiniſtra manu equi mei habenas dirigendo, ac cuſtodiendo tenuit: dextra verò baculum manu tenens, plurimos hoſtium proſternendo morti tradidit.* Idem pene refert Diedericus de Giſtolfo Comite Nortmannos eandem ob cauſam, eadémque ope mirabiliter triumphante, quæ piget exſcribere, vti & ea, quæ Nicolaus Gilles in Carolo Caluo Francorum Rege, atque Imperatore memorat de Neomenio Andegauum obſidente, & à beato Mauricio, ſeu Maurillio, Andegauenſi olim Epiſcopo vitâ mirabiliter ſpoliato, ſolutáque ſimul obſidione quâ vrbem Armorici circumuallarant. Sileo Danos tertiùm Galliâ exactos, tutelâ, præſidióque ſacrarum exuuiarũ SS. Genouefuæ, Germani, & Marcelli, ſub Ludouico cognomine *Ignauo*, vt idem refert Nicolaus. Et ne longiùs ſcribendo prouehar (ſexcenta enim ſimilia occurrunt exempla) abundè mihi eſt affirmare hunc maximè in finem Reges Chriſtianiſſimos conſueuiſſe, bellatrices, & laureatas Sanctorum exuuias in acie & caſtris circumtuliſſe, quemadmodum à nobis olim demonſtratum eſt. Quibus non immeritò magmenti vice addiderim Dagobertum eâ veneratione Sancti Hilarij Pictauienſis Epiſcopi corpus fuiſſe proſequutum vt quoties in aciem prodiret, toties illud ſibi præferri vellet, ſpe bonâ plenus ſe ipſo, velut auxiliaribus auctum copijs, victoriam de hoſtibus ex facili conſequuturum.

Ioan. Pariſienſis in Memoriali hiſtor. apud cit. Quercetan. pag. 42.

Adeler. append. ad lib. 1. Adreualdi de mirac. S. Bened. c. vlt.

Diederic. loc. ſupr. cit. cap. 6. & 7.

Nicol. Gilles in Carolo. Caluo.

Idem in Ludou. Ignano.

Supr. lib. 1. c. 12. art 3. ſect.

Nicol. Gilles citat. in Dagob.

De Pipino idem vid. inf. Not. 5.

IV. Diuo Clodouæo.

Duas hîc ſalebras video mihi complanandas eſſe. Altera eſt, Diuine nomen ab homine Chriſtiano vſurpare? Altera, recténe Clodouæo, Chriſtianiſſimorum Regum anteſignano, appingere citra religionem ius, fáſque ſit? Priore loco peræquè pius, ac eruditus vir, Fileſacius affirmatè illud nefas eſſe aſſerit in hæc verba. *Scio nonnullas voces, quæ ad religionem pertineant apud Gentiles vſitatas, nulla omnino ratione apud Chriſtianos ferendas eſſe, cùm nec vtriuſque, & veteris, & noui fœderis libris reperiantur, vel ad Patrum vſque ſæculum in vſu fuerint. Eius generis ſunt, DIVVS, & DIVA, quæ apud Ethnicos nihil aliud planè ſignificant, quàm DEVS, & DEA.* Hanc ſuam aſſertionem

Fileſac. lib. 1. Select. c. 4.

Briſſon. lib. 4. de verb. ſignific. fuſiſſime. La Cerda in Egl. 1. Virg. v. 5. & in Æneid. var. loc. & Aduerſ. Sacror. c. 141. n. 473. & alij.

plurimis inſiſtit comprobare (quod ante ipſum fecere non pauci bene literati), concluditque, *procul à Chriſtiana, & recta ſcriptione, atque loquutione DIVI nomen pro ſancto, ignotum nomen iſtud melioribus ſæculis. Tum licet appellationem ſancti, & Diis ſuis nonnunquam, & viris morum ſanctimonia clariſſimis communem eſſe voluerunt Gentiles; at DIVI agnominationem nulli alteri, ſaltem poſt mortem, adtribuerunt, niſi cui ſacra, ſacrificia, & ſacerdotes iure optimo adſignare ſe poſſe crediderant, quos in numerum Deorum ſuorum admiſſos ſibi, aut aliis perſuadere voluerunt.* Hæc & alia Fileſacus.

Verùm bonâ cum veniâ viri pereruditi dixerim, ipſum cenſoriâ virgulâ *Diui* vſurpationem nimis inclementer notauiſſe. Vt enim liberaliter dem etiamnum vigente, ſæuiente, atque inſaniente Idololatriâ, Chriſtianos ad ſanguinem vſque ſe abſtinuiſſe ab illa *Diui* voculâ vſurpandâ, ſiue cùm de Imperatoribus, ſiue cùm de Cœlitibus ipſis, cœlóque donatis ſanctis ſermo haberetur, ne Gentilium veſaniæ, & inconditæ Deorum multitudini, quam penitùs extinguere allaborabant, vllo planè modo velificari viderentur: fatendum tamen illi eſt, rei Chriſtianæ fortunâ in melius versâ, iámque labaſcente, ſenſímque diffluente fictitiorum Deorum cultu, Fideles minimè duxiſſe tam rigidæ religioni quâ Imperatoribus Chriſtianis, quâ Martyribus *Diui* titulum, diuerſiſſimâ ab Ethnicis fide, impertiri: quemadmodum iampridem Doctiſſimus obſeruauit Briſſonius à me laudatus. *Conſtantinus namque* (inquit) *Diuus vocatur*, à Zenone Imp. cuius hæc verba ſunt: *Diui Conſtantini, qui venerandâ Chriſtianorum fide Romanum muniuit Imperium*, &c. & *Leo* pariter Imperator ab eodem Zenone in hanc ſententiam: *Quoniam nouella conſtitutio Diui Leonis ante nuptias donationem à filio conferri*, &c. *Imperatorem quoque Diuum nominat Iuſtinianus* ad Mennam Præfectum Prætorio ſic ſcribens. *Donationes, quas Diuus Imperator in piiſſimam reginam ſuam coniugem, vel illa in sereniſſimum maritum contulerit, illicò valere ſancimus* &c. Additque vir iuris vtriuſque ſcientiſſimus, *ſanè paſſim Principes* Chriſtiani, *Diuæ memoriæ, Diuinæ memoriæ, Diuinæ recordationis à ſucceſſoribus nuncupantur. Diuæ memoriæ*, Carolum Magnum progenitorem ſuum nuncupat Ludouicus Pius Imperator ad Hilduinum epiſtola. Certè ab vno, alteróve ſæculo, extinctâ funditus in Europâ Gentilium Idololatriâ, vox Diui nullâ religione, vel potiùs rectâ quâ decet, religione ac fide, omnibus promiſcuè ſanctis à Chriſtianis ſcriptoribus attributa eſt, vt nemo non nouit. Dixi (*recta religione, ac fide*) propterea quòd beatis Cœlitibus ea Diui appellatio donatur non quaſi Diis quibuſdam, quibus ſacra, & ſacrificia (quæ vni debentur Deo, vt aduerſus Manichæos vrget B. Auguſtinus) offerantur, ſed veluti hominibus reipsâ, Deo tamen fruentibus, cœlóque adſcriptis: *Diuos* enim *dicimus, qui ex hominibus fiunt*.

Briſſon. ſupr. citat.

L. 5. Cod. de naturalib. liberis.

L. 29. Cod. de inoffic. teſtam.

L. 26. Cod. de donation. inter vir. & vxor.

L. vlt. Cod. de mādatis, &c.

Baron. ad an. 834.

S. Aug. lib. 20. contr. Fauſt.

Seru. in lib. 12. Æneid.

Et verò ſi quid erroris eſt, martyres, alióſque mortales, quos ſua merita cœlo intulerunt, ex ſenſu Catholico, & Orthodoxo, *Diuorum*

appellatione

appellatione cohonestare; amabo te, ecquid sacrilegæ impietatis erit, eosdem mortales, vitæ sanctimoniâ conspicuos, ac præcellentes, *Deos* indigetasse? At Dauidem, regem sanctissimum, vatémque diuino afflatum spiritu id factitasse, ignorare piorum quis potest? legerit enim, audieritve quàm frequentissimè piissimum prophetam in sacris suis Psalmorum modis ita concinentem. *Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat*, & paulò post: *Ego dixi; Dij estis, & filij excelsi omnes.* Quâ sententiâ Christus Dominus Iudæos diuinè conuicit, dum dicerent, *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, quia tu homo cùm sis facis te ipsum Deum.* Ipse verò vt suam propugnaret Diuinitatem, telo ex eorum pharetrâ petito illos in hunc modum confixit. *Nonne scriptum est in lege vestra: quia Ego dixi, dij estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura; quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum.* Ridendum me viris, literarum quâ sacrarum, quâ profanarum peritissimis propinarem, si in argumento, réque omnibus obuiâ illustrandâ diutiùs & inutiliter immorari velim: Diuinarum paginarum interpretes, sancti Patres, adeóque Annalium Ecclesiasticorum conditores id olim occuparunt, vnicam Beati Dionysij Areopagitæ sententiam ad institutum meum perquàm accommodatam hîc adscribere placet Ἁγίους δέ, καὶ βασιλεῖς, καὶ κυρίους, καὶ θεοὺς καλεῖ τὰ λόγια, τὰς ἐν ἑκάστοις ἀρχικωτέρας διακοσμήσεις, &c. *Sanctos verò, & reges, Dominósque, ac Deos scripta diuina appellant, gradus, & ordines qui in singulis primas obtinent* &c. Viderint ergo alij, quàm iustè *Diui* appellationem è Christianis scriptis expungendam, *nullaque ratione apud Christianos ferendam* Filesacius voluerit: intereà dum ego Christianissimum Regem Clodoueum, *Diui*, elogio à me iure meritissimo donatum affirmatè assero, & probo.

Lorin. &c. interpr. in hunc locum Psal. & Ioan. cit.

Psal. 81. v. 1. & 6.

Ioan. 10. v. 33. 34. 35.

S. Dionys. Areop. lib. de diuin nomin. c. 12. ad calcem.

Quanquam quid probare instituo, quod iampridem à clarissimo, iuxta ac doctissimo Sauarone magnificè confectum est? nihilo tamen minus in gratiam multorum, in quorum manus erudita illa lucubratio venire non potuit, præcipua quæque regiæ tanti Monarchæ sanctitatis firmamenta decerpere, decerptáque hîc exscribere non pigebit. Non enim, quòd ad Regiam dignitatem factus, fictus, euectúsque fuerit, quòd armis æquè, ac sceptro potens se supra mortales extulerit, *Diuum* nuncupauerim, sed quòd rerum pro Christo, & Ecclesiâ præclarè, fortiter, piéque gestarum gloriâ, simul, & vitæ morúmque castigatissimâ integritate vsque eò præstitit, vt meritò alter DIVVS CONSTANTINVS videri, & audire possit. Vidit hoc ex ordine nostro Rosseletius, aliique, qui minime dubitarunt Clodouæum cum Constantino magno, eruditâ contentione componere. Primam ergo Clodouæi sanctitatis testificationem secundum Sauaronem duco ex Martyrologio Ecclesiæ S. Genouefæ Parisiensis, vbi hæc leguntur. *Depositio magni Regis Clodouæi Duplex.* Atqui sacris dyptichis inscribi, obitus diem quotannis festum agi, officio duplici celebrari, Sanctorum

Sauaro opuscul. de Clodou. sanctitate.

Nouum Constantinũ vocat S. Greg. Turon. lib. 2. histor. cap. 31.

Rousselet Parang. 1. du Lys sacré c. 4. sect. 1. n. 83. 84.

Martyrol. S. Genou. Paris. 5. Kal. Decemb.

 proprium

proprium eſt. Eodem ſpectat ſacer ille hymnus in Clodouæi honorem cõditus, & in quibuſdã Eccleſiis concini ſolitus, quẽ apud citatos ſcriptores literis mandatum leges. *Sancti* elogio eundem Chriſtianiſſimum Regem ornarunt ex hiſtoricis Volaterranus : *quem*, inquit, *Galli perpetuò colunt, & pro ſancto venerantur.* Paulus Æmilius agens de Concilio Aurelianenſi à Chriſtianiſſimo Rege conuocato ait, *cum iam certatim ſancti Patres, qui multi ſupererant, vndique ad eius edictum conuenirent, illique velut IVSTO, SANCTOQVE Regi parerent.* Haud facilè dixerim, an Anonymus de Hierarchiâ ſubcæleſti ſcriptor illis ea in re præluxerit, à quo *primus Rex Francorum Chriſtianus, ſanctus ſcilicet Clodouæus* vocitatur: certè non vno loco piiſſimum Regem *ſanctum* appellat: è Theologis autem Almaino *Clodouæus fuit ſanctus*: Symonettæ ſimiliter, *Clodouæus armis, nec minus ſanctitate prælatus* extitit. Idem cenſuere, qui Clodouæum, *Deo charum*, cum Auctore vitæ S. Arnulphi Turonenſis Epiſc. *ambulantem recto corde coram eo, & facientem, quæ placita erant in oculis eius*, cum S. Gregorio Turonenſi: *ad ſupera tranſiiſſe*, cum Adreualdo, vel cum Eminentiſſimo Cardinale Baronio ſcribere non dubitarunt Clodouæo vitâ functo, *ipſas Chriſtianiſſimorum Regum Francorum primitias Deo oblatas, & in cœlum receptas fuiſſe.* Chriſtianiſſimi Monarchæ *ſanctitatem* iam diu animo peruidiſſe, atque adeo præſagiiſſe, ſimul & laude perhonorificâ occupauiſſe S. Auitus Epiſcopus Viennenſis videri potuit, cùm literis ad Clodouæũ datis ſic ſcriberet. *De toto priſcæ originis ſtemmate, ſolâ nobilitate contenti, quicquid omnis poteſt faſtigium generoſitatis ornare proſapiæ veſtræ à vobis voluiſtis exurgere. Habetis bonorum auctores: voluiſtis eſſe meliorum; reſpondetis proauis, quòd regnatis in ſæculo: inſtituitis poſteros, quòd regnatis in cœlo.* Scilicet animo, & vt ait D. Paulus, *conuerſatione.* Quam ſanctam, felicémque vitam Rex piiſſimus occœpit viuere, cùm regium eius *ſplendorem* (vt idem poſt paucula loquitur) *congruè Redemptoris noſtri natiuitas inchoauit; vt conſequenter eo die ad ſalutem regenerari ex vndâ vos pareat quo natum redemptioni ſuæ Cæli Dominum mundus accepit. Igitur qui celeber eſt Natalis Domini, ſit & veſtri, quo vos ſcilicet Chriſto, quo Chriſtus ortus eſt mundo: in quo vos animam Deo, vitam præſentibus, famam poſteris conſecraſtis.* Et verò quibus virtutum ornamentis animam ſuam Deo in baptiſmate conſecratam condecorare ſtuduerit, vt *ſanctus* inde audire poſſet, idem beatiſſimus Antiſtes in hæc verba paucis commemorat. *Faciet, ſi quid creditis, Regum florentiſſime, faciet, inquam, indumentorum iſta mollities, vt vobis deinceps plus valeat rigor armorum; & quicquid felicitas vſque huc præſtitit, addet hinc ſanctitas. Vellem verò præconiis veſtris quiddam exhortationis annectere, ſi aliquid vel ſcientiam veſtram, vel obſeruantiam præteriret. Nunquid fidem perfecto prædicabimus, qui antè perfectionem ſine prædicatione vidiſtis? an fortè humilitatem, quam iamdudum nobis deuotione impenditis, qui nunc primùm deuotione debetis? an miſericordiam, quam ſolutus à vobis adhuc nuper captiuus gaudiis mun-*

Volaterr. lib. 3. Geograph. c. Franc. origo.

Anonym. de Hier. ſubcæleſti lib. 4. c. 13. & 9.

Almain. lib. de poteſt. Eccleſ. 1. par. quæſt. 4.

Auct. vit. S. Arnuph. Turonenſis.

Greg. Turon. lib. 2. hiſtoriar. c. 40.

Adreuald. l. 1. de mirac. S. Bened. c. 3.

Baron. ad ann. 514. n. 11.

Du Cheſne lib. 1. des Antiq. & recherches de Frãce pag 19.

S. Auit. Viẽn. ep. ad Clodou.

do nunciat, lacrymis Deo? Vnum, quod ergo vellemus augeri, vt quia Deus gentem vestram per vos ex toto suam faciet, vlterioribus quoque gentibus quas in naturali adhuc ignorantiâ constitutas nulla prauorum dogmatum germina corruperunt, de bono thesauro cordis vestri fidei semina porrigatis, nec pudeat, pigeatque etiam directis in rem legationibus adstruere partes Dei, qui tantum vestras erexit &c. Postremò ad epistolæ suæ calcem clarissimè profitetur in Clodouæo vitæ sanctimoniam non mediocrem eluxisse, cùm ipsum his affatur verbis. *Inter hæc tamen Catholicæ religionis affectum seruat in vobis cura miserendi, & in apice rerum omnium gubernacula continente non minùs eminet Sanctitas, quàm potestas.* Cui accinens Aimoinus iure meritissimo de Christianissimi Regis in virtute, ac sanctitate constantiâ amplissimi elogij vice his breuiter cuncta complexus infit. *Permansitque in eo, vsque ad terminum vitæ, custodia Religionis, & Iustitiæ* vigor. At de his satis. Quid enim amplius ad Diui, seu sancti indigitamentum requiras?

Epitaph. Clodouæi Aimoin. lib. 1. de gest. Frãc. c. 25.

Idem lib. 1. c. 16.

V. Christianissimorum Regum, & Imperatorum erga Sanctorum reliquias pietatem.

In pio sacrarum ambitu, redemptione liberali, eximiâque veneratione longè, latéque illuxit Christianissimorum Regum, & Imperatorum ardor, vel ab ipsomet Clodouæo, Imperij Gallici Christianissimo fundatore; vtpote qui Beatissimorum Antistitum Martini & Hilarij venerabiles exuuias singulari cultu, maximo rerum suarum compendio est prosequutus. Nam antè, quàm aduersus Alaricum, Gothorum, simul & Arianorum Regem moueret arma, non solùm *pro reuerentia Beati Martini* (verba sunt sancti Gregorij Turonensis) *dedit edictum, vt nullus de regione illa* (nimirum Turonensi) *aliud, quàm herbarum alimenta, aquamque præsumeret*, &c. neque ad eiusdem *beatam basilicam* nuntios ab illa captaturos, capturosque victoriæ auspicium (vt obuenit fortunatissimum) duntaxat cum muneribus transmisit; verùm etiam educto feliciter exercitu, cùm ad fluuium Vigennam aduenisset, post nocturnas preces ad Deum ab eo fusas, *mane facto cerua miræ magnitudinis ante eos nutu Dei, flumen ingreditur; illâque vadante, populus, quo transire posset, agnouit.* Tanti fuit apud supremum Numen B. Martini pro regio suo cliente patrocinantis auctoritas; Nec minus potuit S. Hilarij in gratiam eiusdem Christianissimi Principis deprecatio. Etenim (vt pergit dicere Gregorius) *Veniente Rege apud Pictauos, dum eminus in tentoriis commoraretur, pharus ignea de basilica sancti Hilarij egressa, visa est ei, tanquam super se aduenire, scilicet vt lumine beati Confessoris adiutus Hilarij, liberiùs hæreticas acies, contra quas sæpe idem Sacerdos pro fide conflixerat, debellaret. Contestatus est autem omni exercitui, vt nec ibi quidem aut in via aliquid spoliarent, aut res cuiusquam diriperent.* O vtinã Imperatores, ac Duces exercituum nostrorum tam studiosè, ac sanctè huiuscemodi militares deprædationes coercerent, haud dubiè frequentiores,

S. Greg Turon. lib. 2. histor. c. 37. Aimoin. lib. cit. c. 21. &c. hist. Franc.

& gloriosiores palmas demeterent, nec sine maximo suo, suorúmque emolumento, vt Clodouæo fœliciter obuenit, vtpote qui fugatis Gothis, & suamet dextera interfecto Alarico, *victoriam, Domino adiuuante obtinuit: patrataque post hæc victoria Turonos regressus est, multa sanctæ basilicæ B. Martini munera offerens*, equum imprimis voti damnatus, quem ducentis solidis ab eo redemptum memorat Sigebertus.

Idem.c.38.

Sigeb. Chron. ad ann 508.

Childebertus optimi parentis optimus filius, in sacris reliquiis acquirendis, & percolendis minime degenerem se probauit, vt ex ipsiusmet hisce verbis intelliges: *Ego Childebertus Rex vnà cum consensu, & voluntate Francorum, & Neustrasiorum, & exhortatione sanctissimi Germani Parisiorum vrbis Pontificis, vel consensu Episcoporum, construere cœpi templum in vrbe Parisiacâ prope muros ciuitatis, in terra, quæ aspicit ad fiscum nostrum Isciacensem, in loco, qui appellatur Leucoticio, in honorem S. Vincentij Martyris, cuius reliquias ex Hispaniâ asportauimus: ceu & S. Crucis, & S. Stephani, & S. Ferreoli, & S. Iuliani, & beatissimi S. Georgij, & S. Geruasij, Prothasij, Nazarij, & Celsi pueri, quorum reliquiæ ibi sunt consecratæ, & propterea in honorem Dominorum Sanctorum concedimus nostrum fiscum largitatis nostræ, qui vocatur Isciacus.* En tibi, vt Christianissimus Rex Sanctorum Lipsana summo studio ex Hispania, Italia, variisque Galliarum locis colligere, collectáque in basilica recens à se constructa, & consecranda, more maiorum componere allaborauit.

Aimoin.lib.2. cit.c.20.29.

Epitaph. Childeberti Regis. Baron. ad ann. 562. *n.* 1. *ex Aim. citato.*

Neque hîc stetit eius in venerabiles Diuorum exuuias pietas, sed vlterius progressa, SS. Auiti, & Eusichij corpora summopere deueneratus, iis honorificè condendis sacras ædes de suo posuit: *Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & aliorum Sanctorum martyrum* à Pelagio Pontifice semel, iterúmque per oratores suos expetitas reliquias obtinuit, vt eiusdem ad Sapandum Arelatensem Archiepiscopum, & ad ipsummet Childebertum datæ literæ apud Baronium loquuntur. Ad vltimum alia complura sacrosancta Christi, ac beatorum Indigetum lipsana, quæ S. Germanus Hierosolymis, & Constantinopoli, vt olim diximus, exportata in æde S. Vincentij condiderat, maximopere est veneratus, ideoque, præter cætera, meruit, vt à Fortunato *Melchisedech noster* appellaretur.

*Baron.ad ann.*542.*n.*7. *&* 8.

Idem ad ann. 556.*n.*21. *&* 29.

Fortunat.

Quo in pretio, & honore fuerint apud Clotharium S. Medardi exuuiæ, *honorificentissimum*, quo eas *recondidit*, *Mausolæum* deprædicat: suis pariter ad D. Martini pignora peregrè adeuntis profectionibus, & *clarissimis donis eidem sacro loco regia liberalitate impertitis*, quanti beati Antistitis cineres faceret non obscurè patefecit, sicut & Dagobertus SS. Dionysij, Hilarij, Genouefæ, Vincentij & aliorum reliquias, vt eius testamentum apud Baronium, Ludouici Pij literæ ad Hilduinum, Aimoinus, & nos superiùs memorauimus. Atque hæc de Merouingiorum stirpe, de Carolouingiorum autem progenie

Aim.cit.c. 36.37.

*Baron.ad ann.*644.*n.*6 854.*n.ex Aimoin.lib.*4. *de gest.Franc.* *c.*30.33.*hic Not.*3.

Pipinus ab relatâ de Vestphalis, & Saxonibus ethnicis victoriâ voti damnatus, *Discalceatus cum suis inclytis primoribus* (do verba scriptoris vitæ S. Suniberti apud Surium) *& præcipuis ministris sepulchrum*

sancti

sancti Suniberti cum regalibus muneribus, & oblationibus visitans benedixit Deum, & S. Sunibertum. Idem in acie caput Beati Ioannis Baptistæ semper voluit exercitui sibique præferri, & in eiusdem honorem magnificum templum à se excitatum, Monachorum familiâ, precibus, & prædiorum vi locupletauit; æmulatus videlicet Caroli Martelli parentis sui genium, & eximiam erga SS. Apostolorum Petri & Pauli, Dionysij, Maximini Treuirensis Episcopi, reliquias venerabiles pietatem, quas donariorum, prædiorúmque Princeps piissimus munificentissimâ largitate à se voluit cumulatas. Vtrumque Carolus, vt imperio, ita & sacrorum pignorum studio, longissimo post se reliquit interuallo vtpote qui *pignora Apostolorum, Martyrum, Confessorum & Virginum à diuersis terris, & regnis, & præcipuè Græcorum collegit*, vt olim ex ipsius pragmatica retuli sanctione. Eapropter *colebat*, inquit Eginhardus, *præ cæteris sacris venerabilibus locis apud Romam, Ecclesiam B. Petri Apostoli, in cuius donaria, magna vis pecuniæ tam auri, quàm argenti, necnon & gemmarum* ab illo congesta est: Ad S. Martini Turonum orationis causa peregrè profectus est, S. Saluij martyris corpus, tertiùm diuinitus admonitus, abs se inuentum honorificè sepeliuit: quid memorem *duos calices ex auro puro, & totidem ampullas auri cum multis aliis Ecclesiasticis Clenodiis pretiosis* ad D. Suniberti tum primùm vindicati exuuias, ab eodem Christianissimo Imperatore oblata? Vti S. Lugderus apud Surium enarrat. Illius ad beatorum Indigetum lipsana cogenda religiosam ambitionem, & in iis adeptis piè colendis studium exteris Principibus non obscurum fuisse legationes ad ipsum missæ testantur. Prima fuit Aaronis Sarracenorum Regis, qui per Oratores suos perquam pretiosa munera ad Carolum misit, præ cæteris corpus Beati Cypriani, quo Lugdunum donatum fuit, & Diui Separati, vnà cum capite sancti Pantaleonis, quæ in Franciam translula sunt, si Nicolao Ægidio fides est. Secunda fuit Patriarchæ Hierosolymitani, cuius nomine *Monachus quidam*, vt ait Aimoinus, *de Hierosolymâ veniens benedictionem, & reliquias de loco Resurrectionis Dominicæ detulit* ad religiosissimum Imperatorem, *qui monachum reuerti volentem absoluens, Zachariam quendam presbyterum de palatio suo cum eodem ire iussit, cui & donaria sua ad illa veneranda loca deferenda commisit.* Tertiam à Leone Pontifice ad eundem missam, idem, quem proximè laudaui Aimoinus in hæc verba paucis perstrinxit. *Romæ Hadriano defuncto Leo Pontificatum suscepit, & mox per legatos suos claues confessionis sancti Petri, & vexillum Romanæ vrbis, cum aliis muneribus Regi misit.* Eas verò Claues aureas esse dixerim è Confessione, & corpore S. Petri sumptas, & scobe ex beatissimi Apostoli catenis derasâ diuites, quas ad viros Principes, & imprimis Reges Christianissimos à summis Pontificibus transmitti olim in moribus fuit, vt aliàs me retulisse memini: Sic Leo exemplum Gregorij secundi est imitatus, dum claues illas aureas ad nepotem, vt ille transmiserat ad auum. Cui vt pari par referret

Carolus

Sur. in Appēd. vit. S. Sunib. 1. Mart.

Nicol. Gilles in Pipino ad ann. 761. Append. ad Greg. Turon. c. 110. Aim. lib. 4. c. 57. Baron. ad ann. 741. n. 15. Supr. lib. 1. c. 12. art. 3. sect. 3.

Eginhard. in vit. Carol. Magn. Anonym. scriptor. vit. eiusd. apud. Pithœum. p. 257. 261. Sigeb. Chron. S. Lugd. ep. c. 9. apud Sur. 1. Mart.

Nicol. Gill. in Carol. M. ad ann. 802. Aim. lib. 4. cit. c. 89.

Idem. c. 86.

supr. lib. 1. c. 3. sect. 3. §. 1.

Carolus, *ad S. Petrum magnam partem thesauri, quē Henricus Dux Foroiuliensis spoliatâ Hunnorum regiâ (quæ Rhingus vocabatur) eodem anno Regi, de Pannoniâ tulerat, misit.* Hactenus de Imperatore sanctissimo Aimoinus, quem Carolum Magnum vt sanctum, Belgium, Germania, Galliæ venerantur. De ipsius filio, & successore, Ludouico verè *Pio*, imo piissimo Imperatore restat breuiter dicere. Hunc ego video SS. Marcellini, & Petri martyrum exuuias summâ religione percoluisse, *quas*, Egeinhardo teste oculato, *humili supplicatione veneratus est, celebratisque Missarum solemniis, obtulit beatis Martyribus Marcellino, & Petro quoddam prædiolum situm iuxta fluuium, Aram vocabulo &c. obtulit & Regina cingulum suum ex auro, & gemmis factum pensans libras tres.* Multò maiori veneratione D. Dionysij Areopagitæ reliquias, veluti Imperij sui Palladium, est prosecutus, vt sacrâ suâ Hilduino Abbati scriptâ satis superque contestatum reliquit: hanc perlibenter hîc integram exscriberem, ni breuitati consultò studerem, quòd in ea auorum, progenitoris sui, & prædecessorum suorum Regum erga veneranda eiusdem sanctissimi Martyris lipsana studium, cultus, & Christianissima pietas clarissimè præmicet: eam apud Baronium leges literis ad verbum consignatam: illâ beatissimum Præsulem vocitat, *Dominum, piissimum patrem, prouisorem, protectorem adiutorem nostrum, & solatiatorem*, nec sanè immeritò, quòd ope B. Dionysij, & in eius basilicâ imperio restitutus, ab Episcopis imperatoria redonatus corona, & armis accinctus fuisset, vt obseruat Nithardus. Ad extremum tanti lignum Dominicæ Crucis piissimus Imperator fecit, vt moribundus præceperit *ligno sanctæ Crucis pectus suum muniri*, & in æde S. Arnulpho Metensi Episcopo sacrâ, in quâ mater condita fuerat, contumulari. Secundum Ludouicum pium Carolus Caluus aduersum Northmannos moturus nihil habuit antiquius, quàm vt veniret primùm *ad Monasterium Macarij Dionysij, vt suis orationibus fultus, securius contra Dei, suosque pergeret hostes.* Quin verò sanctissimum Martyrem sibi patronum adsciscceret, *cùm Diuæ memoriæ progenitor illius, eum cùm esset paruulus, eidem sancto speciali traditione commendasset*, inquit Aimoinus miracula ope S. Germani edita prosecutus. Suam pariter erga Principis Apostolorum exuuias venerationem prodidit perquam magnificè, cùm *Apostolo Petro*, auctore Anastasio Bibliothecario, *obtulit purissimo auro, & gemmis constructam vestem, habentem gemmas prasinas, hyacinthinas, & albas.* Idem aliàs in Italiam pro Sedis Apostolicæ defensione profectus, per Ioannem VIII. Pontificem maximum ipsi obuiam factum *imaginem Saluatoris in Cruce fixam ex auro multi ponderis fabrefactam, & gemmis pretiosis ornatam sancto Petro misit.* Atque hæc, reliquis omissis è Carolouingiorum progenie Regibus, leuiter delibasse sufficiat, quò de Capetiorum gente aliquid in transcursu dicendi sit locus: quis enim religiosissimæ stirpis erga beatorum Indigetum sacra pignora studium ac pietatem scribendo consequatur?

Idem Aim. loc. cit.

Baron. ad ann. 814 n. 63. & quos citat. Eginhard. supr. cit.

Baron. ad ann. 834. n. 5. & seq.

Auct. Anon. supr. cit. p. 425. Aim. lib. 5. c. 19.

Aim. lib. 1 de mirac. S. Germ. c. 1.

Anast. bibl. in Nicolao 6.

Aim. lib. 5. cit. c. 35.

Primus

Primus enim ex regiâ istâ familiâ Hugo Capetus adeo eximia & & singulari erga sacrosanctas Diuorum exuuias religione animatum se præstitit, vt ob reportatas è Belgio (vt diuino monitu in mandatis acceperat) eorum reliquias in Franciam, è quâ terrore Northmannorum fuerant exportatæ, *ipsi post hoc factum* (inquit Baronius, *à S. Valerico dictum fuerit. Propter hoc, quod fecerat, eius generatio post ipsum in regno Francorum vsque ad septimam generationem, & in perpetuum regnaret: sic Hugo iste Rex Francorum factus videtur per Domini voluntatem*, patrocinantibus, vt equidem credo, Cœlitibus, ad quos reuecta corpora pertinebant. *Erant* autem, Helgaldo referente, *huic generationi speciales amici, sancta videlicet Maria, & pater, & dux monachorum S. Benedictus, S. quoque Martinus, sanctus necnon Anianus, atque victoriosi Martyres Christi Cornelius & Cyprianus: optatissimus verò gloriosus martyr Dionysius, ac inclyta virgo Genouefa*; quorum omnium reliquiis Galliæ collocupletatæ gloriantur. Paternæ in Diuorum lipsana pietatis potiùs, quàm florentissimi regni hæredem Robertum dixeris, si placet meminisse quàm honorificè, ac piè Aquitaniam adiuerit, recens inuentum ab Vvillielmo Duce S. Ioannis Baptistæ caput adoraturus, vbi, *sicut decebat regiam dignitatem* (inquit appendix ad Glabrum assuta) *obtulit concham de auro purissimo pensantem libras triginta; pretiosas quoque vestes, Ecclesiasticum ornamentũ* S. Aniani Episcopi Aurelianensis præ reliquis omnibus venerandas exuuias percoluit, quòd non solùm Aureliis natus, sacro baptismate renatus, adultus, & in Regem perunctus fuisset; sed etiam quòd adhuc florenti ætate grauissimâ correptus ægritudine, nuncupatis Christo votis, ope ac precibus S. Aniani, velut pancresto medicamento persanatus, ad pristinam reductus fuisset salutem. Huic ille magnificentissimam à fundamentis excitauit basilicam, *lecticam ipsius* (do verba Helgaldi) *à fronte auro bono, & optimo, & lapidibus pretiosis, & argento mero praeoccupanit*, eiusdemque *nobile corpus cum corporibus SS. Euspicij, Monitoris, & Flosculi Confessorum; Baudelij, & Scubilij Martyrum, & Agiæ matris S. Lupi Confessoris de sepulchro leuauit.* Ad vltimum post confectam templi consecrationem velut alter Salomon in preces, & gratiarum actionem effusus, B. Antistitis exuuias regiis muneribus ornauit cumulatissimè. *Hic* pariter, *multas fundauit Ecclesias, venustauit auro, argento, & variis ornamentis multorum memorias Sanctorum. Quamobrem tribuit ei Omnipotens continuam pacem, ita vt nemo esset, qui eum inquietare auderet.* Sic fragmenta Francorum historiæ apud Baronium proloquuntur. Super Henrici primi eius filij, regisque Francorum Christianissimi studio erga SS. Dionysij Areopagitæ ac sociorum martyrum pignora iam olim fuse disputauimus: addere tamen placet, quæ de eiusdem aduersus illa cultu, piâque fiduciâ Rigordus in hunc modum enarrat. *Corpora beatissimorum martyrum Dionysij, Rustici, & Eleutherij cum purissimis vasis argenteis, in quibus diligentissimè sigillata continebantur, sunt extracta, & super altare posita,*

Acta trãslat. SS. Ricarij & Valerici apud Baron. ad ann. 987. n. 3.

Helgald. in vit. Roberti Reg. Franc. p. 88.

Append. ad Glabr. apud Baron. ad ann. 1025. n. 4.

Helgald. loc. cit.

Baron. ad ann. 1033. n. 10.

Supr. lib. 1. c. 6. art. 3.

Rigord. ibid. cit.

ta, adiunctis ibi aliis corporibus Sanctorum in eadem Ecclesia quiescentium, vt ibi omnes Fideles ad tam sanctum spectaculum conuenientes cum gemitu, & suspiriis pro sancta Terra liberanda & pro Rege Francorum, & vniuerso comitatu suo puras manus cum Moyse leuantes ad Dominum preces funderent. Et post paucula de iisdem institit scribere. *Sequenti verò festo B. Dionysij aperto vase argenteo, in quo corpus sacratissimi martyris Dionysij continebatur, assistentibus* &c. *totum corpus ipsius cum capite (vt prædiximus) est inuentum, & vniuersis Dei Fidelibus, qui de longinquis partibus orandi causâ conuenerant, deuotissimè demonstratum. Et ad remouendum errorem Parisiensium, retento capite Hieromartyris Dionysij, & in vase argenteo decenter collocato, corpora Sanctorum in vasis suis sub altari in cryptâ marmoreâ, vnde extracta fuerant, sunt deuotissimè reposita. Caput verò pro excitanda deuotione Fidelium, per totum annum omnibus peregrinis est ostensum, & in sequenti festo B. Dionysij cum corpore in vase suo repositum.* Hucusque Rigordus.

Accipe iam ex Sugerio teste oculato Ludouici Crassi Francorum Regis erga S. Dionysij exuuias cultum, & fructuosam, victricémque fiduciam, quâ regnum suum ab Henrici quarti Imperatoris impressione mirabiliter liberauit. *Quoniam B. Dionysium specialem patronum, & singularem, post Dominum, regni protectorem, & multorum relatione, & crebro cognouerat experimento; ad eum festinans tam precibus, quàm beneficiis præcordialiter pulsans, vt regnum defendat, personamque suam conseruet, hostibus more solito resistat. Et quoniam hanc ab eo habent prærogatiuam, vt si regnum aliud Regnum Francorum inuadere audeat, ipse beatus, & admirabilis defensor cum sociis suis, tanquam ad defendendum altari suo superponatur, eo præsente, rege scilicet, fit tam gloriosè, quàm deuotè.* Deinde post enarratum belli apparatum, turpem Imperatoris victoriam, & Francici militis temperantiam, pergit dicere. *Tanta igitur, & tam celebri potitus victoriâ (id enim haud inferius fuit, quàm si campo triumphasset) Francis repatriantibus Rex exhilaratus, nec ingratus, adire protectores suos sanctissimos martyres humillimè deuouit, eisque post Dominum gratias referens &c.* breuitati consulens exscribere supersedeo dona, quæ iisdem SS. martyribus rependit, columnas superpositâ cruce in trophæum Christi in se triumphantis erectas, regios humeros argenteis sacrorum lipsanorum thensis conuehendis subiectos, aliáque id genus religiosissimi Regis obsequia iisdem persoluta. Sileo templum glorioso martyri S. Victori positum, quod, vti fixa in eo inscriptio loquitur,

----Vir magnanimus, almi Victoris amore
Auro, relliquiis ornauit, rebus, honore.

Memoria retineo Ludouicum VII. ad S. Thomæ Cantuariensis, quem amore, multísque beneficiis viuentem, spirantémque ornauerat, reliquias diuinitùs præmonitum peregrè profectum fuisse: quò cùm venisset, Ludouicus Rex Francorum obtulit (sic loquitur Rogerius) *super tumbam B. Thomæ martyris vnam cuppam de auro valde magnam, &*

Suger. Abbas in Lud. Crosso.

Roger. in Annal.

pretiosam

pretiosam, & ad vsus monachorum ibidem Deo seruientium centum modios vini in perpetuum &c. *interim Philippus filius eius meritis, & precibus B. Thomæ martyris pristinam adeptus est sanitatem.* Haud aliter quàm Philippus *Augustus*, seu *Adeodatus*, eiusque filius, ille in Syriâ, hic Parisiis; ille precibus, hic applicitis SS. Dionysij, & Simeonis pignoribus, clauo & coronâ spineâ Christi, vno eodémque momento pristinæ valetudini mirabiliter restituti conualuere. His omnibus eximiâ erga Diuorum reliquias religione, cultu, piôque ambitu S. Ludouicum autumo præstitisse. *Quantâ deuotione fidei, & quàm immensis laboribus, & expensis ac nunciorum suorum periculis obtinuerit à Constantinopolitano Imperatore coronam spineam Saluatoris, & partem maximam S. Crucis cum aliis reliquiis multis, ac multum pretiosis*, refert Gaufridus à Bello-loco. *quàm solemni, ac deuotissimâ processione totius Cleri, ac populi pretiosæ reliquiæ Parisiis sint receptæ, ipso Rege hunc sacrum thesaurum ex vna parte propriis humeris, ac nudis pedibus deportante*, idem memorat. Quâ doloris magnitudine clauum Dominicum è suâ lipsanothecâ casu dilapsum Rex piissimus sit prosequutus, olim diximus, vti & de lanceâ pretio, æréque multo ab eodem redemptâ, simul & de lacte B. Virginis, Christi tunicâ, sindone, fasciis natalitiis, aliisque id genus pretiosissimis lipsanis, quæ singulari charitate Clero Toletano ipsum meminimus basilicè impertiuisse. In iustum volumen excrescerent hæ notæ, si singulorum è Capetorum familiâ Christianissimorum Regum erga venerabiles Reliquias studium, & venerationem stylo, ac literis mandare tentem, eapropter hîc manum de tabula tollo: si priùs de Henrici Magni, delibati è Borboniâ gente flosculi, erga S. Ludouici, ataui sui, venerabiles exuuias pietate meminero. Is paulò antè, quàm in Regem Francorum sacro perungeretur oleo, thecam ex argento affabrè factam, auróque illusam Episcopo Carnotensi obtulit, vt sanctissimi Regis lipsana in ea reponerentur, quod ab Ecclesiæ Carnotensis Canonicis pòst paulò est factitatum.

Duplcix in Philippo Aug. Paul. Æmil. &c.

Gaufrid. à Bello-loco vit. S. Lud. c. 25. & nos supra lib. 1. art. 2 sect. 5.

Supra lib. 1. citat. art. 2. sect. 3. & c. 4. art. 3. sect. 2. c. 2. art. 2 sect. vnic. art. 1. sect 3.

Du Thou Episc. Carnot. tract. de inaugur. Henr. IV.

VI. Aurei generis luce.

Plures ob causas Borboniam stirpem, meritò *Genus aureum* nuncupaui. Prima est, *bellica fortitudo*, quâ *Borbonij* tam in *atauis Regibus*, quàm in tot familiæ suæ fortissimis Heroibus, se in Martis, mortisque discrimina vitæ prodigi egêre. Veniebant in animum, & recordationem scribentis hæc Platonis verba:

Τῶν δὲ δὴ ἀποθανόντων ἐπὶ στρατείας, ὃς ἂν εὐδοκιμήσας τελευτήσῃ, ἆρ' οὐ πρῶτον μὲν φήσομεν τοῦ χρυσοῦ γένους εἶναι; πάντων γε μάλιστα. Ἀλλ' οὐ πεισόμεθα Ἡσιόδῳ; ἐπειδάν τινες τοῦ τοιούτου γένους τελευτήσωσιν, &c.

Plato lib. 5. de rep. p. 408. edit. Henr. Steph.

Enimverò, qui re præclarè gestâ in bello occubuerit, nonne dicemus ad

genus aureum pertinere? maximè omnium. Nonne Hesiodi sententiam sequemur? quod videlicet illi homines, qui ex illo aureo *fuerint genere, vbi fato concesserint* &c. quem locum Clemens Alexandrinus suis inserere Stromatibus non dubitauit, vt sanctorum Martyrum, qui de fide in Christum, morte suâ, testimonium ferentes consummantur, seu perficiuntur, multò generosiorem esse virtutem, & animum demonstret. Ea verò laus in *Borboniis Heroibus* nimiùm quantum insigniter enituit. Nullum enim palmarium facinus, nullum penè prælium memoriâ dignum abhinc trecentis annis in Galliâ, Italiâ, Belgio, Hispaniâque confectum est, in quo *Borbonij Principes* regij sui animi generositatem vsque adeò non explicuerint, ac probarint, vt ad nouem, decémve fortiter dimicantes variis in præliis, vrbiumque obsidionibus sanguinem, extremúmque effudisse spiritum memorentur. Germaniam consultò præterij, propterea quòd eius Prouinciæ nuper à strenuissimo Principe, eximiòque Poliorcete, *Duce d'Anguyen*, fœlicitate summâ, singulari celeritate, fortitudine pari tot expugnatarum vrbium non tam cadauera, quàm tormentorum, iuxta ac ferrearum glandium frequenti verbere quatefactorum mœnium hiatus ac ruinæ, nobis silentibus longè, latéque deprædicent etiamnum innatam *Borboniæ genti* magnanimitatem. Secunda est, *eruditio* quâ è Christianissimis Imperatoribus, Regibus, & Ducibus (è quibus editi Borbonij) æquè liberalibus disciplinis ac purpurâ præfulserunt (Clotharios, Carolos, Robertos & reliquos sileo) vnde *aurei generis* audire, iure optimo meruisse Borbonios asseueranter affirmo, illius memor sententiæ, quam Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus Cosmam, B. Ioannis Damasceni in humanis, diuinísque disciplinis Doctorem memorat pronuntiasse. *Quemadmodum cæteri ad propagandam generis successionem amant naturalium filiorum partus; sic & philosophâ dignè instructi, filiorum desiderio tenentur, quos eruditione disciplinarum suarum regenerent, vt & aurea philosophorum progenies vsque in sæculum salua fiat.* Tertia est *imperandi scientia, & potestas*, quæ à tot Imperatoribus, Regibus, Ducibus, & Comitibus in Borboniam gentem fœlici propagatione confluxit. Perbene, appositéque in hâc rem Plato proximè à nobis laudatus,

ὁ Θεὸς πλάττων, ὅσοι μὲν ὑμῶν ἱκανοὶ ἄρχειν, χρυσὸν ἐν τῇ γενέσει συνέμιξεν αὐτοῖς διὸ τιμιώτατοι εἰσίν· ὅσοι δ' ἐπίκουροι, ἄργυρον. σίδηρον δὲ καὶ χαλκὸν τοῖς τε γεωργοῖς, καὶ τοῖς ἄλλοις δημιουργοῖς.

Deus quum mortales *formaret, illis vestrûm, qui ad imperandum idonei sunt, aurum in eorum generatione admiscuit idcirco pretiosissimi sunt: iis autem, qui ad auxilium imperantibus ferendum futuri essent habiles, argentum: sed agricolis & cæteris opificibus ferrum, & æs.* Quarta est Christianæ, Catholicæque fidei firmitas, atque præstantia, quam gens Borbonia à Maioribus suis, quâ Imperatoribus & Regibus Christianissimis, quâ piissimis Pontificibus, quasi hæreditario iure acceptam

non

Clem. Alex. lib. 4. Strom. cap. 2.

San-Martani fratres tom. 2. hist. Genealog. domus Borboniæ.

Ioan. Patriarch. Hier. vit. S. Io. Damasc.

Plato lib 3. de rep. p. 417. edit. cit. Clem. Alex. lib. 5. Strom. c. 2.

non tam sartam tectam seruauit, quàm coluit, ornauit, propagauit. Ingeniosè Clemens Alexandrinus tres illas metallorum species, quas *Ibid. Clem.* Plato mortalibus à primo conceptu diuinitus admixtas fuisse scitè fin- *Alex. c. cit.* xit, *Tres reipublicæ formas, vt quidam existimarunt*, voluit significasse.

Ἰουδαίων μὲν ἀργυρᾶν· Ἑλλήνων δὲ τὴν τρίτην, Χριστιανῶν δὲ, οἷς Χρυσὸς ὁ βασιλικὸς ἐγκαταμέμικται, τὸ ἅγιον πνεῦμα. Τόν τε χριστιανῶν βίον ἐμφαίνων, κατὰ λέξιν γράφει ἐν τῷ Θεαιτήτῳ. λέγωμεν δὲ περὶ τῶν κορυφαίων.

Iudæorum quidem, argenteam; Græcorum autem tertiam, scilicet ferream; *Christianorum verò, quibus aurum regale est admixtum, nempe Spiritus sanctus. Et vitam Christianorum ostendens his verbis scribit in Theæteto. Dicamus verò de his, qui sunt summi, & præcipui.* Rerum enim præstantissimarum symbolum, esse aurum nemo non nouit. Christianis autem, & Catholicis vniuersis quàm ardenter cuperem, hæreret penitissimis infixum medullis aureum illud consilium, quod Plato *naturaliter Christianus*, reipublicæ suæ voto magis, quàm reipsâ præstantissimæ magistratibus tradidit literarum monumentis, ære perenniùs consignatum:

Χρυσίον δὲ, inquit, καὶ ἀργύριον εἰπεῖν αὐτοῖς, ὅτι θεῖον παρὰ Θεῶν *Plato lib. 3. de* ἀεὶ ἐν τῇ ψυχῇ ἔχουσι, καὶ οὐδὲν προσδέονται τοῦ ἀνθρωπείου· οὐδὲ *Rep. extremo.* ὅσια τὴν ἐκείνου κτῆσιν τῇ τοῦ θνητοῦ χρυσοῦ κτήσει ξυμμιγνύντας μιαίνειν· διότι πολλὰ, καὶ ἀνόσια περὶ τὸ τῶν πολλῶν νόμισμα γέγονε, τὸ παρ' ἐκείνοις δὲ ἀκήρατον.

Ipsis verò id inculcandum est, se aurum, & argentum, & quidem diuinum, atque augustum in suis animis habere; vt humano auro, & argento minimè indigeant, neque sanctum, ac pium esse, diuini illius auri possessionem humani istius admixtione contaminare, quandoquidem ex humano illo, & vulgari auro multa nefaria contigerunt: at augustum illud, & diuinum aurum, quod in ipsis est, planè est incorruptum. Vt diuinè ista in fidei, spei, charitatis, aliarumque id genus Christianarum virtutum, quas S. Spiritus in Fidelium animos illapsus impertitur, decora & cœleste, vt ita dicam, atque ignitum aurum & argentum cadunt. Quintam in beatitate, vitáque immortali, quam in Cœlis *Borboniæ gentis* maiores traducunt, duco esse collocatam. Debeo Clementi Alexandrino auream hanc, piámque notionem, quippe qui (an à seipso? an potius ex Platone? haud satis scio) in hanc sententiam scripsit.

τὸ δὲ χρυσοῦν γένος πρὸς θεῶν ἐστι, τῶν κατ' οὐρανὸν, καὶ τῆς ἀπλανοῦς σφαί- *Clem. Alex.* ρας· οἱ μάλιστα τὴν ἡγεμονίαν ἔχουσι, τῆς κατ' ἀνθρώπους προνοίας. *lib. 4. Strom. c. 2. citat.*

Aureum autem genus, per Deos, est ex iis, qui sunt in cœlis, & in sphæra inerrante, qui maximè principatum obiinent humanæ prouidentiæ. Dixi (*an à seipso? an potius ex Platone scripsit*) propterea quòd cùm Genti-

lis hominis, *per Deos*, iurandi formulam vir eâ religione Christianus vsurpauit: tùm quia prolata in medium verba in Platonis laudato de republicâ libro penitùs desiderantur: nisi si fortè paraphrasticè reddiderit hos Hesiodi versus qui apud Platonem leguntur.

Plato lib. 5. supr.cit.

Οἱ μὲν Δαίμονες ἁγνοὶ, ἐπιχθόνιοι τελέθουσιν
Ἐσθλοὶ, ἀλεξίκακοι, φύλακες μερόπων ἀνθρώπων.
Dæmones existent: ima tellure reposti,
Custodes hominum, depulsoresque malorum.

Vtut sit, verissimè, simul & meritissimè omnium ex hominibus illis *aureum*, id est, præstantissimum, pulcherrimum, & fortunatissimum *genus* vocitari debent, qui cœlis adscripti, Indigetes, *Dij, & filij Excelsi omnes*, Deo fruuntur, & fruentur in omnem æternitatem. Recordare Clodouæum, Carolum Magnum, Ludouicum nonum in Sanctorum album relatos; recordare Ludouicum Pium, Robertum, aliósque minimè vindicatos, quos sua virtus in cœlum inuexit, & quibus *Aureum* Borboniorum *genus* maioribus gloriatur, ac mecum, vt spero, senties.

de Carolo M. Sancto Molan. Indicul. SS. Belgij Du Pleix. Baron. tom. 9. ad ann. 814 num. 63. Cratepolius fusè de SS. Germaniæ, &c.

VII. Regio Sorbonæ Stephanite.

Pollux lib. 3. Onomast. c. 8.

Stephanitem interpretor agonem, secundum Pollucem, cuius hæc verba sunt:

Τοὺς μὲν οὖν καλουμένους ἱεροὺς ἀγῶνας, ὧν τὰ ἆθλα ἐν στεφάνῳ μόνῳ, στεφανίτας ἐκάλουν, καὶ φυλλίνας.

Certamina verò, quæ sacra nominantur, quorum brauia in solâ erant coronâ Stephanitas (seu coronata) *& Phyllinas vocarunt*. Hinc agonem siue literariam dimicationem, quæ pro Doctoratus laureâ consequendâ in Academico Sorbonæ puluere inter studiosos intercedit, iure *Stephanitem* vocito, eôque in paucis nomine, quòd de more *Stephanites, Sacra* sit, & qui hac victor euadit,

Idem ibid. c. 7. Nicol. Gilles, Guaguin. Bellef. Pap. Masson. in Carolo Magn. Geneb. Gauter. in Chron. &c. ad ann. 791. Du Breuil lib. 2. theat. Antiq. Paris. Middendorp. lib. 3. de Acad. & quos citat.

Ἐστεφανώθη, ἐκηρύχθη, ἀνεκηρύχθη, ἀνερρήθη, ἀνηγορεύθη, ἀνεδέθη τῷ στεφάνῳ, ἀνεῖπεν αὐτὸν ὁ κῆρυξ.

Coronatus, victor denunciatus, promulgatus, prædicatus, designatus, redimitus coronâ, & à præcone, vel potius Rectore sit enunciatus. Regium autem *Stephanitem* dixi, tùm quia Academiæ Parisiensis à Carolo Magno Rege Francorum & Imperatore Christianissimo, bonarúmque artium scientissimo æquè, ac studiosissimo fautore primùm institutæ Princeps Collegium Sorbona fuit, quod Collegium partim à sancto Ludouico, cui Robertus à Sorbona à confessionibus fuit, partim ab eodem Roberto auctore primùm, tum fundatore, deinde amplificatore, annuis dotatum reditibus ortum, & incrementum longè maximum cepit. Tum quia præstantissimis priuilegiis à Regibus Christianissimis

ornatum ſubinde fuit. Poſtremò quia, *Regum primogenita*, eximio ſanè elogio, & nominis commendatione, iure audiuit. Videat nunc Sorbona, quid *Borboniæ genti* debeat, cùm ab eius maioribus ortum infans, adoleſcens incrementum, & iam florens atque perfecta tantum decoris, & ornamenti à Sereniſsimo Principe, ARMANDO BORBONIO, acceperit, vt non modò reliquas omnes Orbis Chriſtiani Academias antiſtet, ſed etiam vſque adeò ſeipſam, vt hactenus nulla fuiſſe videatur.

VIII. Cluniacum tuum prudenter imitor, &c.

Nec clariùs, nec certiùs iſtud explicem, quàm Chronici Cluniacenſis conceptiſſimis verbis: hæc igitur accipe. *Ioannes tertius, de Bourbonio, ſanctæ Anicienſis Eccleſiæ, nullius Prouinciæ, nullique in quoquam, præterquam ſanctæ Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectæ Epiſcopus, Abbas Cluniacenſis XLII. Qui eodem die, quo obiit Dominus Oddo II,* (qui Ioannem Cluniacenſibus *Paſtorem à Deo datum* morti proximus prænuntiarat) *vniuerſaliter in Abbatem Cluniacenſem poſtulatus fuit, & eidem poſtulationi fœlicis recordationis Papa Calixtus pium præbuit conſenſum. Et tandem in titulum Abbatiam Cluniacenſem ſimul cum dicto Epiſcopatu Anicienſi* (in titulum) *tenendam, & poſſidendam ex diſpenſatione Apoſtolicâ. Quod viſum eſt correſpondere copulæ matrimoniali Iacob Patriarchæ, qui ex diuinâ diſpenſatione duas ſorores Liam, ſcilicet & Rachelem ſimul in fœcunditate ſobolis habuit. Anno verò 1456. præfatus Dominus Ioannes de Bourbonio regere cœpit: rexit autem annis 29. & menſe vno.* Hactenus Chronicon Cluniacenſe. At nolim curſim prætervoles eruditam illam duarum ſororum comparationem, propterea quòd tam arcta, piáque inter duas Eccleſias interceſſit neceſſitudo, vt gemellæ videri, ac dici poſſint. Teſtes ſunt hæ tabulæ anni 1206. *Omnibus ſanctæ matris Eccleſiæ notum ſit. Quòd vetus, & quaſi inueterata inter Anicienſem, & Cluniacenſem Eccleſias, præſidentibus Capitulo Anicienſi, DD. Bertrando,* (de Chalencon) *Dei gratiâ eiuſdem loci Epiſcopo, & Hugone Cluniacenſi Abbate* (XVII.) *antiqua vtriuſque Eccleſiæ ſocietas, ſicut inferiùs continetur, innouata fuit, & confirmata,* &c. In quibus verò huiuſcemodi Societas conſiſtat, non eſt huius loci ediſſerere, ne videar à ſcopo aberrare: quæ ſi noſſe ambias (vt certè dignum eſt ſcitu) ea te noſtro ex Ordine P. Odo Giſſeyus pluribus edocebit. O vtinam tam honorifica, & ſalutaris vtriuſque Eccleſiæ ſocietas, ſub tantis, támque illuſtribus, pereruditis, iuxta ac piſſimis Præſulibus ad Dei ac B. Virginis Deiparæ gloriam longè maximam reſtauretur, augeatur, & in conſequentes ætates illibata propagetur: Id vtrique addictiſſimus in Chriſto cliens opto, precórque: iam ad illuſtriſſimum noſtrum Antiſtitem, & Abbatem religioſiſſimum redeamus.

Chron. Cluniac. ſeu Bibl. Cluniac. de Ioan. 3. Abb. Clun 42 pag. 1678. Priuilegior. 1694. Cluniac. pag. Gen. c. 30.

Odo Giſſey. lib. 3. hiſtor. Deip. Anic. cap 9.

IX. Tam sibi profuturum, quàm præfuturum.

Chron. Cluniac. cit. pag. 1679.

Illustrissimus enim, ac Reuerendissimus Episcopus, simul & Abbas Cluniacensis, *Ioannes de Bourbonio*, vt loquitur Chronicon Cluniacense laudatum, *studuit imprimis, non tam praesse, quàm prodesse, eidem præcipuè Abbatiæ nostræ Cluniacensi, in quatuor præsertim. Primò in ædificiis, & structuris. Secundò in regularibus statutis. Tertiò in ornamentis, & iocalibus pretiosis. Quartò in voluminibus, & libris copiosis.* Quæ sigillatim fusè ibidem explicantur. Ecquid requiras ampliùs in absolutissimo Abbate? quocirca non immeritò idem Chronicon hanc funebrem næniam, atque adeo elogium honorificentissimum eius memoriæ, meritisque æternitati exaratum, posterisque suspiciendum reliquit.

Magnam procul dubio sacer Ordo Cluniacensis huius morte ærumnam pertulit, maiorem profectò iacturam in tanti Patris amissione sustinuit, maximam, proh dolor! calamitatem Ecclesia Cluniacensis, & totus Ecclesiæ ipsius Conuentus, suo præsidio singulari, & viro (an viuo?) *hoc exemplari orbati susceperunt. Altè, eheu! nimium vulnus adactum est intima Ordinis nostri Cluniacensis viscera, & animam nostram gladius ipse pertransiuit. Flos agri religionis monasticæ concidit, & vineæ Domini optimus cultor, non possum sine lacrymis proloqui, de medio sublatus est. O virum rarissimum! ô virum rarissimum! virum Angelicis animi dotibus præditum! ô virum exemplaris normam vitæ, nec minus Angelorum consortio dignissimum! Non fucatus erat, sed syncerus; non versipellis, aut mendax, aut in integumentis simulationis inuolutus, sed solidus, verax, & simplex, domi benignus: in victu suo parcus; in cultu, vt Dei seruos decet, modicus, diuinis mysteriis, & orationibus sedulò intentus, temporis æstimator admodum auarus, otij expers vixit. Monasteria, Ecclesias, hospitalia, castra, domosque illorum ædificauit, nonnulla etiam collapsa in pristinum statum restituit.* Hæc ibi. Silentio volens, sciensque prætereo, illustrissima decora, & præclara rerum ab eodem Anicij gestarum facinora, quæ Odo noster in literas misit: illud tamen silere nec debeo, nec possum, quòd Cluniacensibus Anicienses Canonici in sua tanti Præsulis electione præluxerint exemplo. Sublato enim è viuis Guilielmo Chalanconio Aniciensi Episcopo, Canonici vnanimi consensu, Ioannem de Bourbonio sibi Antistitem delegerunt, 2. Decemb. 1443. missisque honorificâ legatione ad ipsum quinque è suo Collegio Iuris Canonici Doctoribus, summis precibus eum rogarunt, vt sui electionem ratam, sanctámque habere vellet: quibus post multas gratias tandem manus, & animum dedit. Quantùm verò Virgineæ Aniciensium Ecclesiæ commodis, & splendori prodesse potiùs, quàm præesse impensè studuerit, Odoni nostro docendum relinquo, *Multi enim* (inquit Carthaginensis Ecclesiæ lumen, idemque sanctissimus Diaconus, *Ferrandus* (quo me nomine tam indignum du-

Odo Gissey. cit. lib. c. 33.

D. Ferrand. epist. ad Comitem Regin. regul. 2. & 3. tota & 4.

eo, quàm honoratum) *multi*, inquit, *præsunt*, *sed omnino pauci prosunt eis populis*, *quibus præsunt. Quisquis priuatis honoribus inhiat despecta vtilitate subiectorum*, *magis præesse appetit*, *quàm prodesse. Talis autem dux inutilis*, *& iniustus nec regere potest stantem rempublicam*, *nec reparare collapsam.* Sic ille ad Comitem Reginum, qui virum, quem nouerat, vti ferebant tempora, doctissimum, & valde familiarem B. Fulgentio, exiliíque indiuiduum comitem, per literas enixè rogarat, sibi vt tradere ne grauaretur, quæ qualísve sibi militaribus studiis, & actibus occupato regula spiritalis propositi, ac profectus retinenda foret. Illud idem præceptum non solùm prolato proximè loco tradidit, verum etiam frequenter inculcat. *Nolo te*, infit, *istis similem reperiri*, *si præesse diligis*, *non prodesse*, & post pauca: *O ingemiscendum nefas*, *dum quæritur præesse*, *non cogitatur prodesse*: *sed priuati honoris iniustam potentiam per aliena seruare conantur incommoda.* rursus pauculis interiectis: *Auertat Deus hanc dementiam semper & hos mores à Ducibus optimis*, *qui prodesse diligunt*, *non præesse. Tunc enim respublica bene gubernatur*, *& de magnis potest liberari periculis*, *si Dux eius tantum eam diligat*, *quàm seipsum*, &c. Hactenus Ferrandus non stylo minus, quàm animi sagacitate ac sanctitate præstans.

X. Cardinalis officio.

Dixi, *officio*, seu munere, non item purpurâ, & dignitatis eminentiâ, quòd Cluniacensem Abbatem, Pontium, hoc eximio honoris genere ornatum à Calixto II. Pontifice max. fuisse lego, tum apud Trithemium, tum apud Hugonem Monachum Cluniacensem, & Chronicon eorundem venerabilium Religiosorum. Trithemius quidem errore loci, ac personæ lapsus. *Hic* (Honorium II. Papam loquitur) *Pontium Abbatem Cluniacensem Ordinis nostri Romam ad se vocans*, *Cardinalem sanctæ Romanæ Ecclesiæ ordinauit*, *virum vndecunque doctissimum*, *& non minus sanctitate*, *quàm scientia illustrem.* Hugo verò Monachus Cluniacensis epistolâ ad eundem Abbatem Pontium datâ, de aduentu Calixti II. Cluniacum agens inquit: *Hunc celeberrimo apparatu suscepit obuius sacer Cluniacensium fratrum conuentus*, *quem exaltat humilitas*, *dilatat charitas*, *disciplina erudit*, *discretio munit. Eâdem die communi suorum assensu assidentium largitus est fœlix Papa Calixtus Cluniacensi Ecclesiæ*, *speciali*, *& propriæ suæ*, *vt Abbas Cluniacensis semper*, *& vbique Romani fungatur officio Cardinalis manúque propriâ ipse te Papa annulo vestiuit.* Idem totidem verbis replicat Chronicon Cluniacense, ideóque illud exscribere supersedeo: aduertit non malè Frison hunc Abbatem, nunquam *Cardinalis* titulo fuisse donatum ab iis, qui ad eum scriberent: quo maximè confirmatur eum Cardinalis honorem, officio tenus, Cluniacensibus Abbatibus, & Pontio imprimis Pontificem concessisse. Verum obseruo aliud honoris genus (quando de Cardinalibus agitur) Cluniacensibus ab Eugenio IV. collatum, quòd scilicet, *Abbas Cluniacensis potest cor-*

Trithem. in Chron. Monast. Hirsang ad ann. 112.

Hugo epist. ad Pont. Abb. apud Bibl. Clun. p. 559.

Chron. Cluniac. in Pontio 1. *p.* 1644.

Frison Galliæ purpuratæ lib. 2. *p.* 125.

Summa Priuileg. Clun. p. 1695. rigere *excessus monachorum Cluniacensium , Capellanorum summorum Pontificum , & Dominorum Cardinalium* , vt in summa Priuilegiorum refertur.

XI. Sub Borboniis adoleuerit syderibus.

Sydera Borbonia allegoricè intelligo, tres vltimos è gente Borboniâ Christianissimos Galliarum , & Nauarræ Reges , quorum vt dixi , fœlicibus auspiciis, gratiâ, regiâque munificentiâ maximis domi, forísque aucta est incrementis minima hæc I E S V Societas. His libens, gratúsque annumerem Serenissimos Principes , Ducem Aurelianensem, Condæum, Anguianum, Contyum , clarissima Borbonij stemmatis sydera, quibus tantum nostra Societas se debere profitetur, quantum Borboniis syderibus terra, quam dum luce collustrant, beant fœcunditate. Allusum autem à me vides ad noua illa sydera recens ab eruditissimo viro , eodemque pijssimo Cathedralis Ecclesiæ Sarlatensis Canonico , Ioanne Tardeo detecta , & augustâ Borbonij nominis appellatione insignita : Hosce planetas veteribus incognitos, *maculas Solis* malè feriati quidam Helioscopi vocitare amauerunt cum Monacho Engolismensi, qui Carolo Magno imperante, Monach. Engolis. in vita Caroli M. apud Pithœ. p. 269. Francof. edit. X V I. Kal. *April. visam fuisse* testatur *in Sole quasi paruam maculam nigram : tamen paululum superius medio centro huius syderis, quæ octo dies à Francis conspecta est.* Rectiùs planetam , & sydus nominauit Tardeus , vtpote quæ macula , cum detectis ab ipso syderibus non minimam habet comparationem , tum quia in lucida solis facie , nec extra Solem, obscura, nigricans, vnáque visebatur , tum quia paululum medio Solis centro extabat superior , postremò quia ad octo conspecta est dies , quæ omnia in *Borboniis syderibus* diutinâ obseruatione Tardeus annotauit : Quid autem rei sint huiuscemodi phœnomena? & cur regio *Borboniorum syderum* nomine , ab eo sint indigetata : de me si fortè inquiras ? de facili mihi est ex ipsius sententia, verbísque breuiter, paucísque respondere. Tardeus lib. Borbon. Syder. c. 2. 3.

Primùm ea Phœnomena *nec sunt præstigiæ oculorum, nec dioptræ ludificationes:* neque nubes *in aëre latentes , vel circa solem volitantes ; neque cometæ in suprema aëris regione , aut in orbe aliquo planetarum inferiorum procusi :* neque multò minùs *maculæ in Sole , vt in Lunâ fixæ,* vt quidam censent, *sed errore omnium maximo , ne dicam , impietate. Quid enim magis erroneum , quàm mundi oculo sordes* insitas, innatásve *credere, quem Deus in cœlo huius rerum vniuersitatis facem collocauit, & luminis largitorem instituit : in quo Deus optimus maximus sibi Regiam elegit :* In sole posuit tabernaculum suum? *impium est Dei habitaculum fœdare , maculare , labefactare.* Sic ille conceptos de illis Phœnomenis errores potiùs, quàm vero similes opiniones abrogat , reiicítque. Quid ergo rei illa esse possunt ? *Stellæ* , inquit, *sunt erraticæ, quæ propriis orbibus, solisque concentricis feruntur, non longè à Sole dis-* Idem c. 5.

sitis

stitis, sed inter ipsum, & Venerem, Mercuriúmve, ac iuxta ipsius Solis sphæram constitutis. Hæc sigillatim, & particulatim à docto Astrologo expensa, & probata non est instituti mei hîc transcribere, satis superque mihi fuit: eius tibi sententiam, Matheseos, ac Philosophiæ principiis nixam oculis subiecisse tuis: hoc est, curiosis, & doctis. Item c. 6. & s. q.

Alterum ad caput, cur hosce planetas (quos *circumsolares* meritò vocites, quòd circa solem agantur, vti sydera Medicea, *circumiouiales*, à Galilæo appellata sunt) vir doctus, *sydera Borbonia*, nuncuparit? ipsiusmet verbis accipe. *In animum induxi tibi gratum fore* (Ludouicum Iustum Christianissimum Regem, Cœlo, syderibúsque nimium citò inserendum affatur) vt *illis Maiestatis tuæ nomen tribuerem, & BORBONIOS appellarem. Quod quidem multis nominibus ratio persuadebat. Prodierunt enim tanquam de nouo nati sub imperio tuæ Maiestatis, & à me tuæ Maiestatis subdito demonstratum planetas esse, non maculas in sole, aut in aëre nubes, vt Itali, & Germani censent, & decernunt. Præterea non poterat in vniuerso telluris orbe Princeps reperiri tantâ nobilitate decorus, tantâque gloriâ illustratus, qui ita mereretur vt eius nomen in cœlo, & ipso Sole, parte totius cœli nobiliore, cælaretur. Reges omnes in terris astra sunt, Reges Christiani maiora, & lucidiora. Christianissimus verò Francorum Rex, sol est cæterorum,* Idem epist. ad Reg. Ludouicũ XIII. dedicat.

Mundanúsque oculus fulgor splendentis Olympi.

Illud etiam tuæ Maiestatis insignia expetere videbantur. Cùm enim aurea Lilia in colore cæruleo rutilent, conspicietur Solis aurum in cœlo cæruleo Borboniis syderibus insignitum. Videbuntur etiam in eodem Solis auro gemmæ scuti Nauarræ: sicque nomina, imaginésque gentilitiæ tuæ Maiestatis æthereis inserentur astris, & in Sole corusco, tanquam in aureâ tabulâ cœlo nunquam obliterando cælabuntur. Sapienter omnino tam pius Canonicus, quàm Astrologus eruditus, detecta primùm à se sydera, *Borbonia* nominauit quin enim id cum laude faceret, si aliis integrum fuit, *Austriaca*, & *Medicea* sydera nostro æuo nuncupare? Medicea quidem sydera *cùm Galileus vniuersè indigitasset, noluit* Peireskius (inquit Gassendus, vir perinde suâ virtute, atque doctrinâ, & scriptis notissimus) eorum *nuncupationem vllâ ratione immutare sed Principes tamen delegit ex Mediceâ familiâ, quorum nomina inderentur. Quia verò debebat præsertim seruato familiæ honore, Reginas duas inclytas, quas illa nostræ Galliæ dedisset, syderibus adscribere: ideo extimo planetarum*, in quorum obseruationem vir industrius diu, multúmque incubuerat, *Catharinæ nomen fecit proprium; alteri qui præ cæteris eximiè resplendet, Mariæ; tum sequenti Cosmi maioris, & intimo Cosmi minoris.* Ausi autem sunt ambo id nominis nouis syderibus indere, veterum Astrologorum exemplo animati. Quorum enim nomina celebrare, memoriámque ad posteros transmittere moliebantur, cœlo, tanquam in aureâ, æternáque laminâ, immortali charactere stylóque plusquam adamantino insculpebant, vt non Gassend. lib. 2. Vitæ Peiresc. p. 131.

minùs perennem famam illis consequerentur, quàm sint ipsi cælorum orbes, & cursus. Et verò, licet *tempus edax rerum, & inuidiosa vetustas omnia exedant, destruant, euertant: etiamnum Herculis, Orionis, Castoris, Pollucis, Persei, Cephei, cæterorúmque huiusmodi principum simulacra cælo sudo, & defæcata suspiciuntur; Nomina Saturni, Iouis, Martis, Mercurij, & aliorum quondam hominum adhuc supersunt syderibus.* Pari curâ, meliori fide, & deuotissimo Clientis optimi animo Tardeus planetas suos, de *Ludouici Borbonij* augustissimo nomine, indigetauit, cùm Christianissima eius maiestas in lucem edita sit initio sæculi, in quo permulta sydera priscis penitus inuisa, ignotaque sæculis detecta sunt, & quasi nouo exortu cœlo data, vti Rex infans, tanquam propitium sydus, terris, Galliæ, atque Ecclesiæ Catholicæ datus, & ortus est. At de his abundè.

Ibid. ille.

XII. Tantillum Regni Gallici membrum.

Is augustissimus sanè titulus, & appellatio primùm Religiosissimæ Patrum Cluniacensium familiæ, præter alia complura oppidò illustrissima, à Ludouico Francorum Rege, cognomine *Crasso*, ex summma in illos beneuolentia collata est. *Monasterium Cluniacense* (sic loquitur diploma Regium anno 1119. emissum) *nobilius membrum Regni nostri, cum omnibus Prioratibus, possessionibus, & pertinentiis suis in regno nostro constitutis, in nostrâ, & successorum nostrorum Regum Franciæ defensione, & gardâ & tutelâ recipimus.* Ita Rex Christianissimus, & religiosæ vitæ professorum (vt Galliæ Reges semper extitere) perquam beneficus protector. In memoriam reduco aureum sanè consilium, quod Agapetus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus Iustiniano Imperatori consultissimo in hunc modum dabat. *Sicut oculus innatus est corpori, ita Imperator mundo aptus est, à Deo datus pro administratione eorum, quæ vsui sunt. Oportet igitur eum omnibus hominibus, quasi* propriis membris *prospicere, vt proficiant in bonis, neu malorum offensaculo illidantur.* Aliud nihil volebat D. Ferrandus nuper à me laudatus cùm Principes in Comite Regino admonebat, vt *Rempublicam diligerent, sicut seipsos*, hoc est, vt corporis sui, cuius caput ipsi sunt, membra ipsis, vt ita dicam adnata. Sapienter ergo Rex humanissimus, Cluniacense monasterium, *Nobilius membrum regni sui*, dignatus est appellare. Eâdem Regis Christianissimi (cuius in Societatem nostram eximiam pietatem nulla ætas conticescet) humanitate & gratiâ suffultus hanc ipsam, *Tantillum Regni Gallici membrum* vocitare non dubitaui; tùm quòd, vt diximus, in suo Regno, *religiosarum familiarum seminario, nutritio, ac protectori*, Societas IESV ortum ceperit: tùm quod eidem per HENRICVM IV. Borboniæ gentis micantissimum sydus, regiæ suæ pietatis, atque iustitiæ spiritu animata reuixerit: denique sub altero Borbonio sydere, parentis syderis sydere filio seipsâ vegetior, & robustior effecta, *tantillum tanti*

Biblioth. Cluniac. pag. 575. 76.

Agapet. paren. ad Iustinian. Imp. n. 46.

regni membrum in dies magis, magísque conualeſcat, ſub ſydere Ludouico.

Cæterum memini me dicere, Cluniacum aliis compluribus elogiis tam à ſummis Pontificibus, Regibus Chriſtianiſsimis, & Cardinalibus, quàm ab Epiſcopis, Abbatibus, aliiſque illuſtribus viris inſigniter fuiſſe ornatum. Hæc quia Quercetanus in vnum veluti faſcem collecta paucis eruditè coegit, hic exſcribere non grauabor. *Appellat enim ipſum Paſchalis II.* ſeu potius Callixtus II. Religionis monaſticæ ſuis temporibus ſpeculum in Gallia, & documentum. *Ludouicus VII.* nobilius membrum regni ſui. *Riquinus Epiſcopus Tullenſis,* ſummi Patris familias vniuerſalem domum, & Curiam, in quâ Deo ſacra reſultant præconia. *Auctor vitæ ſancti Maioli*, nobile, amicum ſalutis, & amicum monaſticæ religionis: *Goffridus Vindocinenſis*, ſecundum Paradiſum: *Petrus Cellenſis*, hortum Dei. *Hildebertus in vita ſancti Hugonis*, lauacrum animarum. *Petrus Damianus epiſtolâ ad eundem Hugonem & monachos Cluniacenſes*, ſpiritualem campum, vbi cœlum, & terra congreditur, ac velut arenam certaminis, vbi ſpiritualis more palæſtræ caro fragilis aduerſus poteſtates aëreas colluctatur. *Tritemius denique*, monaſterium toto orbe famoſum, cui accinuit Petrus venerabilis Abbas Cluniacenſis IX. ſic ſcribens. *Eſt autem Cluniacenſe Monaſterium, religione, diſciplinâ, ſeueritate, fratrum numeroſitate, omnique Ordinis obſeruatione, toto pene orbe notiſſimum, ſingulare, ac commune refugium*, & cætera quæ bene multis inſiſtit enarrare. Auctor vitæ S. Morandi, S. Hugonis Abbatis Cluniacenſis VI. diſcipuli, *commune pietatis aſylum, ad quod confugiebat, quaſi vniuerſus orbis pro ſuorum ſpiritali inſtauratione locorum*, vocat, probátque pluribus. Riquinus iam ſuprà citatus, *felicem turmam, & inexpugnabilem exercitum.* Petrus Venerabilis rurſus, *Pontificis, præ totius mundi ſubditis Eccleſiis, ſingularem filiam, & in Patris gratia priorem. Omnibus Latinis Regibus & gentibus notiſſimum, & religioſum locum: Paradiſum voluptatis, paradiſum charitatis: vbi lignum vitæ, vbi amœnitas iucunda, vbi areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis, vrbem clariſsimam totam vnanimiter imperialem: non ſolùm externorum hoſpitium, non tantùm confugientium aſylum, ſed, vt ſic loquar, publicum reipublicæ Chriſtianæ ærarium*: nuncupare non dubitauit. Petrus alter (Cellenſem ſuprà laudatum intelligo) *Luminare magnum.* Denique chronicon Cluniacenſe, *locum* vocitat *priuatum quidem ſitu, ſed opinione, & famâ toto iam orbe celeberrimum, & ſolemnem, qui longè ab humana communione ſemotus, tantum habebat ſolitariæ quietis, & pacis, vt cœleſtem quodammodo videretur ſolitudinem imitari.* Atque hæc ad Quercetani obſeruationem placuit collecta, congeſtáque appingere in nobiliſſimi Ordinis nunquam ſatis laudati commendationem. Addam inſuper de meo vnum ad diſquiſitionis meæ coronidem, ſimul & religioſiſſimæ decus familiæ, perquàm accommodatum elogium. Cluniacum ego, *Auguſtiſsimam, ſupra Capitolinas veteres, ſacrarum*

Quercetan. in Notis ad lib. 1. miracul. Petri venerab. pag. 1263. c. 81. Biblioth. Cluniac.

Petr. Clun. li. 8. & 9. c. cit. Biblioth. Cluniac. p. 506.

Ibid. pag. 579

Petr. Venerat. cit. l. & ep. 34. lib. 2. ep. 39.

Idem lib. eod. ep. 50.

Idem lib. 4. ep. 34.

Ibid. ep. 37.

Petr. Cellenſ. lib. 8. epiſt.

Chron. Cluniac. de S. Mayolo. pag. 1635.

Quid ſint Fauiſſæ, & imprimis Capitolinæ, docet, explicátque A. Gell. lib. 2.

Noct. Attic. c. 10. Pomp. Festus voce Fauissæ, & ibid. Ioseph. Scalig. Bibl. Cluniac. ad Pontium Abb. 7. p. 562.

Reliquiarum fauissam eò audentiùs vocito; quò frequentiùs, non quidem oculis, sed auribus accepi ipsum, à conquisitis, donatis, comportatis vndequaque, aggestísque, Christi, Deiparæ, Apostolorum, aliorúmque Sanctorum exuuiis, lipsanisque longè pretiosissimis, in religiosissimum, inter nobilissima, quæ totâ Galliâ visuntur sacraria, euasisse lipsanodochion.





INDEX
RERVM, ET VERBORVM
DISQVISITIONIS.

A



Cvmen vitreum quid Augustino? pag. 72.

Adamus cur nouissimus à Deo creatus? 51. 52. eiusdem caluaria vbi? 92. Costa ipsi ablata an necessaria fuerit? 14. ei nuditas pudorem intulit, & vnde? 38. 39. à Deo tecta, & à Christo expiata. ibid. eius Reliquias Noemus in arcam intulit, & filiis suis deinde distribuit. ibid.

Adoratio SS. Reliquiarum ab aliquibus hæreticis asserta. 251. 517. in illâ est vitandus excessus. ibid. eam qui negarint? 295. 309. duplex est. 522. publica quando licita? 517. quomodo à Catholicis præstita? ibid. & 296 517. 518. 307. à Regibus, & Imp. SS. reliquiæ adoratæ. 307. earum ostiarij, baiuli, seruitia. ibid. qui eas adorandas negat, Eunomianus est. 305. adorationis illarum qui fructus? 331. Nouè inuentæ quando adorandæ? 512. An singulæ in tantâ earundem vi sint adorandæ? 517. & seq. quo cultu? 521. & seq. & 525. & seq. adorantur relatiuè ad SS. ad quos pertinent. 519. 520. an peccet, qui adorat dubias, falsásve reliquias, credens esse veras? ibid. & 523. 526. adorandæ sunt, etsi aliquis in fraudem fortè incidat. 277. 523. quibus rebus à Catholicis honoratæ? 305. Vid. tit. Reuelatio.

Ædes argenteæ, quid? 483

Æneæ plura sepulchra vnde? 92. 111.

Aër veli genus 26. eo vultus Sacerdotum mortuorum tegi solitus ibid. item panis, & vinum in Missa consecrandum. ibid.

Agape quid? 408. eius discrimen à conuiuio Reliquiario. ibid.

Ἁγία Θεὸς quid? 495. τράπεζα. 53.

Agilitas corporum Beatorum quid? & cur SS. reliquiis communicata? 413. 416.

Agnum Paschalem comedentes erant instar Sacerdotum, mensa aræ. 52.

Altaria SS. reliquiis vacua sunt euertenda. 107. vel vbi constat esse falsas reliquias 249. 254. vel plebs moneatur in illis nullas esse ss. reliquias.

107. per solas reuelationes non sunt erigenda. ibid. sub illis ss. reliquiæ sunt recondendæ, & cur? 108. 109. Altare portatile ss. reliquiis debet esse instructum, ibid. cur *Viaticum* olim vocabatur. ibid. An altius altare, in quo multæ sint Sanctorum reliquiæ, extrui possit super aram, in qua sint conditæ? 109. altaria ex Sanctorum tumulis 110. supra illos erecta ibid. hæretici mentiuntur altaria onerari à Catholicis animalium figuris ad adorationem. 275. sub altaribus ss. reliquiæ componi solitæ 305. 306. & 506. 507. eorum tegumenta è quâ materia constare debeant? 53. 54. an auro, gemmis, argento sint ornanda? ibid. ex illis factæ ab Arianis camisiæ, & inde pœna. ibid. Vide tit. mappa.

Altaria prope tumulos à Gentilibus posita 109. & à Christianis ad ss. sepulchra. 110 cur dicta sint, *mensæ*? tam in veteri, quàm nouo testamento. 53. ornatus altaris Eucharistici, eiusque synonyma. ibid. altare Eucharisticum dictum ἁγία & ἱερὰ τράπεζα. ibid.

Amoris victoria, Christi corona potius, quàm Salomonis. 47. 48. amorem Christi erga homines produnt eius reliquiæ in terris relictæ. vid. tit. sanguis, vena vmbilicalis, præputium, capilli, tunica, sindones, vulnera, &c. eius copiosa redemptio. 67. 68. & seq. tulit, & expiauit Adami nuditatem. vid. tit. Adam.

Amor fraternus à ss. reliquiarum distributione conseruatur. 318. egregia in hanc rem similitudo. ibid. ss. reliquiæ sunt amoris mutui pignus. ibid.

Amoris coniugalis & fraterni in mortuis exempla 417. 418. Amantes qui dicti. ibid.

Amiantus incombustibilis. 464. pro s. Crucis ligno venumdatus. ibi. & 256.

Anathema obliuionis quid? 484. 85.

Anicium, *vrbs Deiparæ*, multis tam eius, quàm Christi Reliquiis nobilitatum. vid. tit. præputium, vena vmbilicalis, sudarium, spongia, velum, sandalia, fasciæ, vestis, manica, zona. Eius Episcopus Ademarus lanceam detexit &c. 171.

Animantes carniuoræ ss. reliquias asseruarunt. 429. 430. Volucres custodierunt, detexerunt, circumuolitarunt ibid. pisces deuexerunt 431. canes operuerunt. ibid. earum voces imitantur energumeni. 353.

Annulus pronubus B. V. vbi. 86. qualis, & è qua gemma? ibid. lilio inciso creditur insignitus ibid. cur ex eo facta ectypa? ibid. quid annulus cassus, & ἄπειρος. ibid.

Ἀντιμένσια quid? 53

S. Antonij reliquiæ vbi? 144. vino tingi solitæ ad sanitatem 470. iuratum pro earum veritate. 479.

Apostolorum reliquiæ, vid. tit. Petrus, Paulus, Ioannes, &c. & 134. 135. cur illis duodecim thecas fieri & medius inter eas condi voluerit Imp. Constantinus? 332. nec Impp. nec Sacerdotes illorum reliquiis carere debent ibid. Impp. earumdem ostiarij ibid. Reliquiæ ss. Petri, & Pauli vrbis tutela 344. item Constantinopoleos. 348.

Aqua salutaris è ss. reliquiis. 433. 34. ex earundem intinctione, v. g. crucis, &c. 468. 69. quando salutaris, & quando non? ibid. & 472. Amara

ligno per Mosem dulcorata. 470. Aquâ benedictâ priùs templum lustrādum, quàm in illud ss. reliquiæ inferantur. 107. aqua è ss. sepulchris salutifera. 274. manat è dente asini ibid. aqua cur è suo puteo priùs, quàm ex aliis petenda. 363. vid. tit. Baptismus.
Arbor sub qua resedit Ioanna D'Arc vulgò puella, seu virgo Aurelianensis, prodigio inconsumptibilis. 11. arbores vitæ quomodo sint ss. reliquiæ. 321. ad ss. reliquias enatæ, salutares 436. 437. proceræ olim delectæ ad trophæa. 369
Arca Noë, sola Ecclesia Catholica, & Romana, 92. 93. fœderis arcæ amissio. 235. deferri solita in castris, & quo ritu? 336. 37.
Arelas, Gallula Roma. 431. vnde fœlix? ibid.
Aromata, sunt ss. reliquiæ. 438.
Ascensionis Dominicæ miraculum in aëre, & in terra. 12. vid. tit. Corporum subtilitas.
Asinarij cur dicti olim Christiani? 274. dens asini aquas Samsoni profudit. ibid. quo pacto ss. Martyres sint dentes asini fortis? asinus, cui Christus insedit, non adoratur vt Crux? ibid. asini qui? & cur de illis hæretici sæpe egere? ibid. asini caudam adoratam mentitur Caluinus. 276.
S. *Augustini* viui, & mortui pro ss. Trinitate zelus. 419. eius cordis, virgæ, & digiti, miracula. vid. singulos titulos. brachium falsò diuenditum 262. fraus vt fuerit detecta? ibid. & 263. quanti factæ illius reliquiæ? 264.
Auaritia Clerici diuinitus punita 105. 269. est aliquarum reliquiarum multitudinis causa. 250. & seq. huic quomodo itum obuiam? 253. vid. tit. Clerici, & S. Martinus &c.
Axioma illud: *Quod semel Verbum assumpsit, nunquam dimisit*; quomodo intelligendum? 15

B

BARBA Christo auulsa, & quàm inde grauis illi dolor? 75
Baptismus vbi dictus est, *salus*? 316. fontis baptismalis miraculum. 408
Bello iusto ablata, & in paucis Sanctorum Reliquiæ debeántne restitui? 231 & seq. ad bellum profecturi ad ss. reliquias oratum abierunt Impp. & Reges Francorum. 340. 341. auriflamma è S. Dionysij corpore sumi solita ibid. cur in bellis, & castris delatæ SS. reliquiæ? vid. tit. Exercitus. cappa.
S. *Benedicti* exuuiæ vbi? & de illis piæ contentiones. 143. 216.
Bonitas Dei, quomodo in ss. reliquiis resplendet? 299
Brandeum quid? 125. eius synonyma ibid. à quo illius vsus introductus? 126. mirus ex eo sanguis emanat ibid. modus brandei applicandi ss. reliquiis ibid. & 129. missum pro ss. reliquiis. ibid. & 127. & 131. dictum aliquando, *SS. Reliquiæ* 128. 131. brandeorum vsus apud varias nationes ibid. & 129. diuisa, & distributa Fidelibus. ibid. pondus illis diuinitus inditum 130. 131.
S. *Brunonis* reliquias quâ curâ Cistercienses sibi seruarunt? 216

C

S. CÆCILIÆ lipſana quomodo tot in locis? 150. & ſeq. & 274. & ſeq.
Calcei B. Virginis vbi? p. 72. & 86.
Calix Euchariſticus Chriſti vbi? 27. 57. è qua materia? ibid. circa illum, Mornæi mendacium. 276.
Caluariæ mons cur dictus eſt Venerarium? 493. & 94. pollutus à Gentilibus, & purgatus ab Helenâ Imp. ibid.
Caluitium voluntarium cur malum? 178
Capilli an Verbo hypoſtaticè in Chriſto vniti? 74. an neceſſarij Chriſto reſurgenti? qui & quo pacto. ibid. pectine deducti an Chriſto defluxerint & vbi ſeruati. 75. capilli Chriſti fulgentiores. 73. an Chriſto mortuo acciſi? 90. Dono dati Philippo Regi Francorum. 9. an Chiſtus fuerit adducto capillamento? 72. 73. 74. ab auulſis capillis Chriſti dolor ibid. à B. Virgine, Magdalena, & S. Ioanne Euang. collecti. 74.
Capilli Deiparæ an in terris. 89. vnde tanta copia. 90. nullæ in illis ſordes. ibid. eorum mirus fulgor. ibid, aureo fulgore flaueſcentes, & an mortui abſciſſi? ibid. Dati ab Hugone Franc. Rege Henrico Imperatori ibid. multis in locis aſſeruati, & vnde? 90. 91.
Capilli ad muliebrem formam quantum conferant? 89. 178. S. Charitenæ à Deo mirabiliter reſtituti. 181. erga capillos fœminarum cura. ibid. tot ſagittæ, quot capilli. ibid. eos cur ſibi S. Natalia præcidit, ſicut & aliæ matronæ Chriſtianæ? 123. mortuis apud Iudæos acciſi. 74. 90. non tondebantur cruciariis apud Iudæos, cur? 74. circum caput iidem attondere ſoliti, ibid. adducto capillamento, Galilæi, & Nazaræi. 72. 73. 74. iiſdem intonſi. ibid. Capilli S. Pauli vbi? 95. capillo abraſo, Prophetæ, Monachi, Nazaræi cur? 181. ss. Petro, & Ioanni Euang. abraſi 178. 181. Chriſtianis, & maximè fœminis cur? 177. 178. item ad metalla damnatis. ibid. 182. item Athletis magis ibi. maleficia capillis hærere credita. 179
Capilli humanæ pulchritudinis decus. 73. eos demittebant rei cur? 176. 177. eoſdem abſcidebant abſoluti, & Diis appendebant. ibid. capillorum ſimilitudo cauſa fuit multitudinis 74. &c. Chriſtianis ad mortem damnatis attonſi. 180.
Cappa S. Martini quid, & quis eius vſus in Galliis. 339. 340. Capella & Capellani qui? ibid.
Capſæ ss. reliquiarum malè affectis ſuperimpoſitæ ſalutares 157. adeundæ, amplectendæ &c. & quæ inde commoda? 404. 405. ex auro, argento, gemmis &c. 441. 133. 294.
Caput Chriſti ante paſſionem à ſola Deipara contactum 73. Adami caluaria Sem à Noëmo data. 92. Capita s. Pauli, s. Catharinæ &c. lac pro ſanguine fuderunt 175. capitis Conſtantini munimen clauus Chriſti 33. Caput B. Pauli à quo, & cur expetitum? 94. 95. caput Chriſti corona redimitum. vid. tit. corona.
Carabas quis, & quo ludibrij genere affectus? 42.
Caſulæ Sacerdotum ad tunicæ inconſutilis Chriſti exemplum efformatæ. 83.

Caro

Caro Christi an relicta in terris? 12.13.& seq. an carne fuerunt repleta eiusdem vulnera. ibid.
Caroli Magni sepulti ornatus, & compositio cadaueris 329. vnde tantum ipsius studium erga ss. reliquias? 350.
Catacumbæ, seu catatumbæ, earúmque synonyma. 243.
Catalogus ss. reliquiarum publicè cur exponendus. 260.523.
Catenæ ss. Petri & Pauli summo in pretio earúmque limatura. 95. miraculis fœtæ. ibid. ex earundem scobe dona missa tam Imperatoribus 134. 135. quàm Episcopis. 95.
Cenotaphia plura eidem posita 92. 111. dicti tumuli inanes, honorarij ibid. erecta in ss. honorem sine vllis reliquiis ibid. DD. Petro, & Paulo ibid. aliquando illis ss. puluis inclusus 112. nec sine miraculis ibid. & 115. pro s. Ruffini cenotaphio adipiscendo pia populi contentio 110. illis inscriptum, *in honorem*. 111.
Ceremoniæ à Gentilibus, & Iudæis petitæ, sed expiatæ an sint repudiandæ? 483. 499. &c. nefas Missæ nouas de suo addere. 510.
Certitudo in multis rebus religionis quæ sit necessaria. 523.
Charta patrociniorum quid? 200.
Chorea à Christianis circa templa, & ss. reliquias vnde, & cur exercitæ? 410. ad imitationem Dauidis potiùs, quàm Gentilium ibid. an tolerandæ Fidelibus? ibid. ab iis arcenda petulantia: lasciuis medius adest Dæmon. ibid.
Christus quomodo nunquam dimisit, quod semel assumpsit. 15.16. eiusdem vulnera, vena vmbilicalis, præputium, caro, crux, vestigia, imagines passio, sanguis, claui, sudaria, capilli, vestes, spongia, lancea, cunæ, fasciæ, &c. vid. suis locis. Eum è cruce depositum B. Virgo est amplexa. 32. S. Ioannes Euang. cum aliis subadiuuis è cruce Christum dimisit. ibid. quàm copiosa eius redemptio 67.68.
Christus veste exutus. 132. an bis flagellatus? an ter? 76.77. 78. Prophetia de eiusdem flagellatione: ibid. an duobus in locis flagellatus? ibid. Capillatus fuit & vt Galilæus, & vt Nazaræus. vid. tit. *Capilli*. Legionem vulnerum tulit. vid. tit. *vulnera*. Adami nuditatem suâ expiauit. 38. 39. in agendo vtrâque natura vtebatur 412. Christi, nati, & resurgentis subtilitas. 421. Quàm impiè, & ineptè à Gentilibus pingi solitus. 274. ab iisdem creditus maleficia Apostolos docuisse 179. in Ægyptum inuectus idola deiecit. 356. 57. nascens oraculis silentium imposuit. ibid.
Christiani ab Ethnicis habiti malefici 179. 180. ideo ad cutem martyres ab iisdem radi soliti ibid. & 182. ab iisdem *Asinarij* dicti. 274. quanti olim fecere ss. reliquias. vide tit. *Reliquiæ*. ad ss. reliquias ab iisdem factæ collectæ: institutæ supplicationes, celebratæ peregrinationes, nundinæ, conuiuia &c. vid. singulis titulis. Ad ss. reliquias tumulari studuerunt cur? 325. & seq.
Ciborium quid? 483.
Cineres Sanctorum in aquas sparsi ab Ethnicis 98. & seq. empti à Christianis. 99. Dæmonum crux, 351. & seq. vid. tit. *Reliquiæ*.

Claritas corporum beatorum in quo sit posita, & cur ss. reliquiis indita diuinitus. 415.

Claues aureæ missæ ad viros Principes à Rom. Pontificibus sanctuariorum, seu reliquiarum loco. 134.35. fuere duplicis generis ibid. è collo suspensæ à Regibus Christianissimis. ibid. quanta in veneratione apud Regem Arianum. ibid. pœna in vsus profanos has claues conuertere meditantis. 135.36. frequenter missæ ad Francorum Reges, & ad alias personas illustres. ibid. oblatæ religionis ergò, ad reserandos cancellos sepulchri ss. Petri, & Pauli, eæque salutares. ibid. claues sepulchri s. Petri missæ ad Reges Franc. ibid. claues portarum Aurelianensis vrbis ad B. V. brachium appensæ. 347.

Clauos deposito è cruce Christo Deipara suo sinu excepit. 32. contra eorum multitudinem Caluini latratus. 31.32. quot clauis offixus Christus. ibid. ad quos vsus S. Helena inuentos aptarit. 33. an eorum vnus in mare demersus ab illa. ibid. vnde tot claui. ibid. vbi asseruati. 34. Eorum vnus deperditus & restitutus. ibid. prophetia super vno in frænum conuerso, & vbi seruetur. ibid. claui alij propter similitudinem pro clauis, quibus Christus fuit affixus, crediti. 35. multi à Christi contactu sacri, & à quibus collecti. ibid. sancti clauis offixi multi. 168.69. calceis ss. MM. inditi. 167.170. seruati. 335

Clauus Christi à Francis Constantinopoli exportatus. 238. vnus è Christi clauis quâ fraude subreptus. 281.

Clerici qui. 245. eorum incuria circa ss. reliquias. ibid. & seq. vnde illa incuria. 246. Auaritia eorumdem causæ multitudinis earundem Reliquiarum. 250. & seq. & 259. 261 & seq. Adelbertus, & aliqui tam Latini quàm Græci Monachi eo vitio infames. 252. 53.55. detecta fraus à S. Martino. 254. & à Ragnemodo Episc. Parisiensi. 256. quibus illi sint similes. 257.

Cæcus ad ss. reliquias curatus, eiusdem cum cæco Euangelico similitudo. 311. 312. 442.

Cæmeteria vnde dicta. 243. synonyma plura. ibid. Romanorum amplitudo quanta. ibid. & 244. numerus. ibid.

Cæna Paschalis, & Eucharistica. vide tit. *Agnus, mensa, ara.* cœnæ Christianorum olim frugales & modestæ, cur? 409.

Collecta quid, & quotuplex. 509. & seq. factæ ad ss. reliquias. ibid. Maior, & minor collecta quid. 504. collecta, & collectio Dominica quid. 505. dimittere collectam quid, ibid. collectæ quomodo conferant ad ss. reliquiarum veritatem probandam. 507. & seq.

Color ossium & mortuorum quis. 369. ss. reliquiis viuidus, ac efflorescens præter naturam. 370.71

Columna ad quam Christus flagellatus fuit, quò, & à quo translata. 76. 79. Qualis ea sit, & an vnica ibid. & 77.78.79. ex ea corrigiæ salutares depromptæ. ibid. mos Hebræorum ad columnam reos cædendi. 80. sicut Romanorum ad palum. ibid. Christi columnæ particulæ variis in locis, ibid.

Commemoratorium quid. 199. 200.

Confessio ss. MM. &c. quid. 116. 118. an sit idem, ac templum, & altare. 117. dicta Martyrium, & Passio, ibid. & 118. an idem sit, ac sepulchrum. ibid. vnde sit dicta Confessio, eiusque alia synonyma. ibid. eiusdem situs & ornatus. 119. dicta domus & camera ss. 120. plures excitatæ in honorem ss. 121.

Constantini magni capitis munimentum vid. tit. *clauus*. eius erga ss. Apostolorum reliquias studium singulare, ac fiducia. 332. cur eorundem reliquias inuexit Constantinopolin. 348

Controuersiæ Ecclesiarū super iisdem Reliquiis. 143. & seq. de titulo crucis. 170. ortæ à nominum similitudine earum plurimæ. 195. pro ss. Dionysio. 206. & seq. S. Lupo, 259. s. Sabino, 376. s. Cæcilia, 374. s. Bartholomæo. 375.

Conuentus sacri, & profani ad ss. reliquias fieri soliti. 400. & seq. quantæ sint auctoritatis. 411. quàm frequentes pij conuentus fuerint celebrati, ss. Patres egregiis similitudinibus expresserunt. 401. 402. piorum elogia, 404. quo modo sint agitandi. 405. relaxandi animi causâ facti. 407. 410. conuentus, seu collectæ Regularium. 503.

Conuiuia reliquiaria quæ. 408. & 409. dicta ab Agapis ibid. Christianorum olim modesta, & frugalia maximè circum MM. templa. ibid.

Cor Christi, cor s. Pauli &c. eius elogia 304. s. Augustini mirabiliter mouetur & quando. 418. 19. eius ectypa è ferro. 21. cur pictum ad eiusdem sancti manum. 419. mirabiles eius effectus. ibid. Cor canis, & Asini Apiō, & Caluinus habuere. 274. 75.

Corona Christi spinea Parisios asportata. 43. vnde ablata? 258. in eius honorem ædificatum sacellum, festa instituta, Missa composita. ibid. Philippus Franc. Rex ad bellum profecturus eâ vult benedici. 44. à Regibus Francorum ornatur. ibid. eius partes pluribus in locis. ibid. 42. 43. Caluini, contra illam mendacium. ibid. fuit in formam galeri compacta. 45. an fuerit multiplex. ibid. & 230. eiusdem ectypa. ibid. mille puncturis caput Christi confixit. 46. redempta à s. Ludouico, 43. capite spinis coronato dedecet membra esse delicata, & floribus ornata. 49.

Corona spinea redimiti à Iudæis, & Gentilibus plures ss. Martyres & cur. 40. 41. 42. & seq. 170. quatuor Coronati vnde sic dicti. 186. 87. Salomonis corona liliis, & spinis intertexta fuisse ab aliquibus creditur, eiusque epigraphe 47, 48. Corona Godefredi Bullonij. spinea. ibid. s. Catharinæ Senensis spinea, & aurea, & quam prætulit ibid. vide tit. Spinæ.

Corporaux de S. Pierre, quid. 128.

Corpora Sanctorum eodem tempore in diuersis locis. 18. beatorū dotes quot, & ad ss. reliquiarum veritatem quantum conferant. 413. & seq. corpus cœleste quid. 416. corpora mortuorum loco seiuncta, loco iunguntur. 417. 18. Cur ss. corporum post mortem facta diuisio. 294. rectene facta? 285. & seq. cur ea fiat. 285. 86. 87. 88. 97. quis primus ss. corpora diuisit. 92. & 289. viri sancti ea diuiserunt, & qui. 289. 90. aliquando eam diuisionem ss. non pertulerunt. ibid. ex eorum diuisione, & distributio-

ne per orbem vtilitates. 295.& seq.

Corpora Sanctorum tangere vetitum, inspicere, & ad ea accedere. vid.tit. *Petrus & Paulus*. corpus integrum se habere iactant, quibus vix vna est particula. vid.tit. *Reliquiæ*. Corpora ss. integra possuntne adorari, vbi tantum eorum habentur particulæ, aut etiam puluis. 152. & seq. ss. corpora lacera miraculo redintegrata, 457. eorum mirabiles motus, actiones, locutiones &c. 458. ss. corporum elogia. 289. 341.

Corpus & anima res Dei 317. corporum moles diuersæ pro diuersitate soli, & cœli, æui &c. 366. 67. vide tit. *tyrones*. Marium quàm fœminarum maior proceritas. 368. Proceritas gigantæa. 367. & seq. corpora Christianorum orthodoxorum quomodo discreta à corporibus Arrianorum. 420. situs eorum contrarius. ibid. Corpus spiritale quid. ibid.

Costa Adamo erepta. vide *Adam*.

Crux in cœlo, & in terrâ quâ sit ratione. 8. & seq. redempta à s. Ludouico Rege Franc. &c. 9. eâ priuatâ concidit Palæstina. ibid. variis in locis seruatæ eius partes. 75. 76. eius multiplicatio hæreticis quo sit in pretio. 7. eius particulis mundus repletus, 8. pro iis adipiscendis contentio, & pro adeptis gaudium. ibid. crux boni semper currentis irriguum cur. ibid. eius particulæ maximi doni loco habitæ, datæ, auro inclusæ, è collo suspensæ &c. 8. & 9. inconsumptibilis, & in minimo segmento vis tota. ibid.

Crucis inuentio mirabilis, & quo pacto secreta à crucibus latronum. 445. & seq. gaudium S. Helenæ ab illius inuentione. 446. abscondita à Iudæis 443. 493. 94. insigne opus Christianorum. 446. Crucis examinatio quid, & quomodo facta. 453. 464. Crux aurea à Cosrhoe Persarum Rege, Gentili sancto Sergio M. oblata cur. 486. Crux in processionibus prælata. 500 cruces ss. Martyrum aliquando pro Christi cruce à similitudine capi potuit. 166. & seq. Crux s. Andreæ eâdem formâ, quâ Christi, & vbi seruata. 167.

Crucifixi Christiani à Iudæis pueri. 528. à Gentilibus plures martyres. 168. & seq. spinis coronati, & lanceâ transuerberati 170. vid. tit. *spinæ, claui, lanceâ*.

Cruciariis caput obnubi solitum. 27. capilli intonsi, 74. Christianis verò attonsi. 180. clauis suffixi. 168. 69.

Cunæ Christi vbi. 75.

Curiositas circa ss. reliquias periculosa, & vitanda. 526. 27.

D

DÆMON S. Martino, & Ludouico Pio Imp. apparet, & quomodo fugatus. 326. 27. ei ss. Reliquiæ sunt fulgure grauius, ibid. non potest ferre ss. vestes, nec vmbrã. 328. sunt eius crux. 1. in elidendis ipsius insidiis 351. 2. in energumenorum purgatione. 352. 53. 3. in oraculorum silentio. 354. 55. 4. in ruina templorum, & statuarum. 356. in artibus magicis eneruandis. 357. Ad ss. reliquiarum præsentiam fugatus. 351.

353. 54. imitatur animantium voces; comburitur igne inuisibili. ibid. refugit accedere ad ss. reliquias. 358. 59. Sancti ferre nequeunt vasa, quæ Dæmoni fuere vsui. 357. obcæcatur luce ss. reliquiarum. 359. an possit abigi ss. reliquiis, felle piscis &c. 359. 360. aliquando detexit ss. reliquias ignotas per energumenos. 431. 32. eius fraudes delusæ ope ss. reliquiarum. 454. maleficia. 455. illi silentium impositum 160. nolens Dei, & ss. gloriæ seruit. 456. Peccatum, Dæmon magnus, & Dæmone grauius est. vide tit. *Peccatum*.

Deus aquam profundens. vid. tit. *aqua*.

Deus ss. reliquiis, multiplicandis, & replicandis mirabilis. 6. & seq. in illis gloriosus apparet. 296. & seq. ipsius perfectiones in iisdem elucent. 298. cur eas diuidi & distribui per orbem voluit. 293. & seq. omnia possunt res creatæ eo volente. 359. 360. ss. reliquiis mirabiles affundit dotes 370. & seq. eas mirificè detegit. vid. tit. *Reliquias*.

Dexteram suam cum annulo mirabiliter concedit oranti S. Stephanus Hungariæ Rex. 293. 94.

Die Dominicâ collectæ factæ. 504. dicta est vna, & prima Sabbathi. ibid.

Digitus s. Ioan. Baptistæ vbi. 145. s. Augustini adulterinus pro vero diuenditus, tùm verus datus 262. 63.

Dij suauem odorem spirare crediti à Gentilibus. 371.

S. Dionysij Areopagitæ lipsana 206. 207. 385. diuisio ipsius reliquiarum Deo ingrata, & inde mala in Gallias 290. eius reliquiæ aditæ à Regibus Francorum euntibus ad bellum, &c. vid. tit. *bellum*.

Distributio ss. reliquiarum licita tres ob fines præcipuos 295. & seq. ad finem libri primi.

Diuisio earundem multitudinis causa. 54. & seq. an sit licita 285. & seq. aliquando castigata 290. 91. exoranda pro illa facultas à sanctis 291. 92. ab iisdem permissa. 293.

Dominadij qui Sancti dicantur. 106.

Domorum tutelæ sunt ss. lipsana. 93.

Domus Sanctorum sunt sepulchra. 120.

Donaria è tholis suspensa, & è columnis 483. cur dicta, obliuionis anathema 484. 85. iis adscripta beneficij accepti historia. 486. quomodo ad ss. reliquiarum veritatem conferant 487. Donariis templum Delphicum diues. 483. Donaria rusticana à rusticis data alia ab aliis pro suâ sorte 140. 480. & seq. iis inscribi solita donantium nomina, & gratiarum actio 481. ab Ethnicis, Iudæis, & Christianis ea suspendendi & donandi mos diuersa fide. 483. 84. 86.

Dormientes septem fratres vnde sic dicti. 243. & omnes mortui. ibid. Dormitoria pro cœmeteriis. vide tit. *cœmeteria*.

Dotes beatorum corporum quæ, & quid? eædémque ss. reliquiis communicatæ. 413. 414. & seq.

E

ECCLESIÆ Catholicæ, & castrorum, exercituumque comparatio. 334. à ss. reliquiis eius robur. ibid. & 335. Hæreticorum sunt Apostaticæ, non Apostolicæ. 1.
Ectypa reliquiarum pro prototypis. 20. sunt ingeniosæ pietatis inuenta. ibid. per illa mirabilia edita. ibid. ectypa sunt plures Christi sindones, sudaria, claui, spinæ, tituli, fasciæ, imagines, cruces, fasciæ, lancea, &c. vid. tit. suis locis singulos. Item B. Virginis zonæ, fasciæ, sandalia, imagines. vide tit. suis locis. Ectypa cordis s. Augustini. vid. tit. *Cor.* ectypa pro prototypis culta, & quomodo à se inuicem discernenda. 510. 511.
Eleemosynarum collectio quando fiebat. 504. factæ ad ss. reliquias ornandas, & honorandas. 506.
Emptio ss. reliquiarum à Gentilibus per Christianos vsurpata. 99. emptæ aliquando falsæ pro veris. 256. 261. an ea sit licita. 263. 64. 67. caro emptæ. 265.
Energumeni ope ss. reliquiarum purgati. 211. 312. 352. 63. sunt omnes peccatores. vid. tit. *Peccatum. Dæmon.* cur in plures annos eorum producitur purgatio. 354. detegunt ss. reliquias. 432. 38. periuri euadunt energumeni ad ss. reliquias. 475. & seq. edunt animantium voces. 353. 54.
Episcoporum in ss. reliquiis lustrandis, explorandis, approbandis incuria 245. 257. hinc mala. ibid. & 240. 257. sedulitas contrà s. Borromæi, Cardin. Palæotti, & Episcoporum Gallicanorum & aliorum. 247. 48. 258. exempla. ibid. & 249. 259. eorum rescripta, & visitationum commentarij quantæ sint authoritatis. 386. Eorundem est eas recognoscere, & quomodo. 512. & seq. item missalia, breuiaria, horas precatorias, & collectas probare. 508. 509.
Euangelium in manu S. Caroli Magni Imp. sepulti. 329. Euangeliorum codex igne probatus. 465.
Eucharistiæ typus, Agnus Paschalis 52. Sacerdotum pariter illius conuiuæ. ibid. Eucharisticus panis vbi seruatus, & à quibus ablatus. 258. 259. Eucharistica mappa, mensa, scyphus &c. ara. vid. singulos titulos. Eucharistia est omnium reliquiarum certissima. 251. veritas corporis Christi in Eucharistiâ admissa ab Heterodoxo. ibid. Eucharistia est dicta *Salus* à pœnis, & quomodo? & cur? 316. 317. eâ solâ refectus Ludouicus Pius Imp. per 40. dies, & alij. ibid. vitalem virtutem corpori communicat. ibid. & ss. reliquiis. ibid. cur dicta *synaxis*, & *collecta*. 505. ad ss. reliquias celebrata, & vsurpata. 506. 507. Eucharisticæ species corruptæ sunt igne comburendæ, cur. 525.
Examinatio s. Crucis quid? 563. 64. ss. reliquiarum per ignem, & an sit licita. 462. 63. per ferrum candens, duellum &c. ibid.
Exercitus cum Ecclesia comparatio. 333. 34. eorum robur ss. reliquiæ. 336. 37. 38. vnde ortus est mos illas in exercitu circumferendi. ibid. & 339.

F

FACIES morituris, mortuis, & cruciariis tegi solita. vid. tit. *Sudarium.* faciei sudaria, & vela apprimi à Christo mos. ibid.
Fama nomen incerti. 283. ingenium famæ, & quæ faciat fidem. 282.
Fasciæ natalitiæ Christi. 9.75.238.
Fenestellæ in ss. sepulchris vsus. 128. 29. 30. foramina dicta. 462.
Festiuitates ss. quanto concursu celebratæ. 401. 402. & seq. miracula in iis fieri solita. 404. 405. violatarum pœna. ibid. quo fine, & quâ pietate celebrandæ? 405. 406.
Fides Catholicorum erga ss. reliquias ab hæreticis proscissa. 96. 97. & seq. eadem in brandeorum applicatione. 130. & seq. ob eam mirabile in brandeis pondus, miracula edita. 138. 39. etiam in adulterinis reliquiis. 256 263. fidem nostram venerari, & tueri docent ss. reliquiæ. 320. 21. 25. ex fide eximia ss. reliquiæ cum mortuis conditæ. 330. fides ignibus probata. 466. 67. 68.
Figuræ horribiles visæ, vbi falsæ celebrabantur reliquiæ. 254. 264. pulchræ contra vbi veræ, earúmque contraria effecta. 454. 468.
Fimbriæ vestium Christi, & ss. salutares. 138. 153.
Fimus Iobi quo in pretio. 139. 140.
Flagellati cruciarij. 77. 79. Christus quoties. ibid. quâ flagellorum specie. ibid. sub flagellis mortui. ibid. mos flagellandi reos apud Hebræos & Romanos. 80. ss. Petrus & Paulus flagellati. ibid.
Flores mirabiles, & salutiferi à Sanctorum reliquiis. 137. 435. 36. 37. 442.
Fœminæ Ægyptiæ λινουργοὶ 36. prægnantes Zona Deiparæ circumcingi solitæ ad fœlicem parturitionem. vid. tit. *Zona.* earum erga cæsariem studium. 89. 181. earundem circa ss. reliquias religio, & ob eam correptarum iræ impotentes. 248. Earum ineptissimæ religioni, & desideriis, qui famulentur. 249. earundem Beguinicæ, & Lucillicæ deuotiones, ibid. fœmineæ pulchritudinis decus, coma. 89. & seq.
Fontes mirabiles. 408. 434.
Fraudes circa ss. reliquias exercitæ, & detectæ. 250. & seq. 264. 280. 281.
Frœnum Constantini è Christi clauo compactum. 33. 34. pro vero frœno s. Thomæ Cantuariensi falsum diuenditum. 256.
Funes campanarum salutares. 138.
Furta ss. reliquiarum pia, & impia quæ. 221. & seq. reliquiarum ablatarum exempla. ibid. adhibenda est cura, ne subripiantur. 223. Sancti ipsi passi sunt pia suorum lipsanorum aliquando furta. 224. 25. pœnæ ss. reliquias rapientibus impositæ. 227. & 229. 232. quale sit crimen eas furari. ibid. & 230. an paruitas excuset. ibid. fur tenetur ad restitutionem. ibid. An bello iusto ablatæ restitui debeant. 231. & seq. An Româ allatæ furto sublatæ sint habendæ. 239. & seq.
Fusus Deiparæ, & glomus vbi. 87.

G

GAbrielis Archangeli B. V. salutantis habitus. 392.
Gallia Christi, & Deip. reliquiis diues. vid. tit. *præputium, vena vmbilicalis sindones, capilli, lacrymæ* &c. singulis titulis. auidissima SS. reliquiarum 238. 239. consueuerat olim SS. reliquias in exercitu circumferre, cur? & quo modo? 339. 340. vid. indic. notar.
Gaudium Catholicorum ab adeptis sacris reliquiis. 95.
Gentiles SS. reliquias exosi Christianis semper inuiderunt 264. 270. 71. 72. eorum irriti conatus. ibid. ab iis plurima meliori fide expiata sunt mutuata ab Orthodoxis. 336. 337.
Geryones, & Briareos nos colere hæretici mentiuntur. 91. 152. 276. 77.
Gigantæa corporum moles. 367.
Gladius Iphigeniæ vbi. 5. aureo accinctus in sepulchro Carolus magnus 329. Goliath. 484.
Gratitudo vid. tit. donaria.

H

HÆretici vespæ. 1. in fide deteriores militibus ethnicis tunicam Christi sortientibus. 36.
Credunt authoribus Ethnicis in rebus suis, Christianis, & Christianis non credunt in sacris. Proscindunt Orthodoxorum erga SS. reliquias fidem & piam contentionem 265. 273. & seq. eorum aliqui veras credunt, & scribunt esse colendas. 251. easdem conati sunt exterminare dæmone instigante. 272. & 258. eorum calumniæ in Catholicos ob Christi, & SS. reliquias. 278. & seq. ex Tertulliani sententiâ, *Christiani* non sunt censendi. 270. vtendi sacris scripturis ius non habent. ibid. stercoreæ sectæ alumni cur? 272 cur cum asinis occupantur? 275. Summum Pontificem *Papasellum* impudenter vocitant, & mentiuntur. ibid. mentiuntur pariter aras à nobis animantibus onerari. ibid. quælibet ossa adorare. 276. falsa, & propudiosa pro veris. ibid.
S. *Helena* quàm malè habita ab hæreticis ob SS. reliquias conquisitas 445. diuina inspiratione ad id permota. ibid. & seq. miraculo crux inuenta constitit. 446. 47.
Historiæ Passionum SS. MM. ad eorum templa, capsas depingi solitæ, & argento effingi. 396. & seq. vide tit. *pictura*.
Horror sacer à SS. reliquiis iniectus. 449. & seq.
Hortorum, & sepulchrorum discrimen. 438. sepulchra SS. horti ibid.
Humilitas Regum, & Imperatorum SS. reliquias gestando. 218. tumulos sibi ad eorum lipsana deligendo 332. Danielis stylitæ. 329.
Hydriæ, in quibus aqua in vinum conuersa, vbi? 57. & 350.

I

IDentitas rei, & maximè SS. reliquiarum an debeat probari? 278. 79. & seq. qui eas diu possedit, censetur semper easdem possidere. 280. traditione

tione identitas confirmatur. 281. an & quomodo possit probari. 282. & seq.
Idola in castris delata. 337. quàm grauia ferentibus. ibid.
Ieiunium adhibendum ad vera SS. lipsana discernenda. 384. ieiuni iurare soliti 477. 78.
S. Ignatij Martyris reliquiæ. 308.
S. Ignatij de Loiola Soc. IESV fundatoris mors, & canonizatio præposterè notata 209. eiusdem super spirituum discretione monita. 459.
Ignis, quo sancti sunt ambusti, cum tincturâ collatio. 304. ignis sunt cupiditates. 323. in mediis ignibus veræ SS. reliquiæ illibatæ 400. & seq. igne fides Catholica per S. Ephrem probata 466. in mediis familia integra. 463. fides viri Dei igne ab Eliâ probata. 467. 68. multa inter ignes naturaliter illæsa. 464. igni tradendæ reliquiæ penitùs incertæ. 525. ignis puritas. ibid. species S. Eucharistiæ corruptæ igne comburendæ. ibid.
Imago Christi, eiúsque Passionis passim à Christianis pingi solita. 23. 24. à S. Lucâ picta, & ficta. 31. Imagines non manufactæ plures. 29. 30. & seq. eædem à Casaubono nequicquam oppugnatæ. 29. adorandus in illis Christus ibid. & 102. à Christo ad Abagarum sui imago non manufacta & per quem. ibid. vnam tulit secum in acie Heraclius. 30. Ectypon sibi Rex Persarum pingi curat, item Nestoriani hæretici. ibi. item S. Paulus asceta, & fœmina Patricia, ibid. Edessena imago non manufacta dicta, *mantile sanctum*. ibid.
Imago B. Mariæ non manufacta multiplex. pag. 30. & 57. item à S. Lucâ coloribus expressa. 57. & seq. illis gratia diuinitus affusa. 495. vnâ ex illis Imp. Heraclius hostem fugat. 57. pluribus in locis eæ imagines. 58. illis hæretici summopere infesti. 59. pluresne S. Lucas pinxerit? ibid. vna earum quanti à Pulcheria sit facta. ibid. & 60. Melite plures à S. Lucâ elaboratæ, non tamen omnes. Ibid. earum plura ectypa. 61. à S. Dionysio in Gallias allata 62. miraculis clara ibid. earum imaginum honor ad B. V. Deiparam refertur. 63. Imago B. V. Aniciensis quotannis ablui solita ad sanitatem. 471.
Imagines SS. dictæ tituli, & foribus templorum appensæ. 202. ad SS. reliquias in parietibus pictæ. 393. & seq. imagines sanguinantes 159. & seq. SS. imaginum vsus quam vtilis? 393. & seq. ad SS. reliquiarum veritatem probandam veteres imagines vt conferant? ibid. maior est imago sermone. 394.
Imitatio Sanctorum à SS. reliquiarum gestatione, & conspectu accenditur. 319. & seq. Christiani in multis saniori fide Iudæos & Gentiles sunt imitati. 336. 37.
Impassibilitas SS. reliquiis communicata. 414.
Inconsumptibilitas S. Crucis, SS. reliquiarum in mediis flammis. 460. & seq. inconsumptibilitas S. Crucis vnde? 8. & 9. statuæ salis. 10. Rupis oliuetanæ. 11. 12. tunicæ Christi. 36. farinæ & olei, & piscium. 10. virgæ S. Augustini. 11. arboris Ioannæ d'Arc. ibid.
Incorruptibilitas statuæ salis, lactis B. V. Mariæ, lacrymarum Christi,

manna, &c. vid. singulis titulis.
Indusium B.V. vbi. 87. indusia linea. 54. facta ex mappis aræ Eucharisticæ, sed non impune. ibid.
Inimicitiæ vltra mortem durantes. 341.
SS. Innocentium numerus. 183. 84. an illi par numerus SS. Lugdunensium? ibid. aliquorum ossa supra ætatem proceriora ex Caietano parum verosimiliter. 260.
Intinctio SS. reliquiarum salutaris. 468. quo ritu fieri solita Lugduni? 473.
Iobi reliquiæ vbi? 381. 508. fimus honoratus. 140.
S. Ioannes Baptista. Vid. tit. *manus.* eius reliquiæ. 144. & seq.
S. Ioannis Euangelistæ virginitas quomodo à Deo honorata. 438. 39. in sepulchro charitatem quo pacto prodat? ibid. 438. visitat loca sancta. 495.
Irridere sanctos iocis nec pium, nec tutum est. 342. irrisiones Carabæ illatæ. 42. Christianis abraso capite illusum. 177. 78. 182. irrisoriæ coronæ ex quâ materia? 42.
Isaias nudúsne omnino incesserit? vid. tit. *Nuditas.*
Iudæorum in Christum odium in eius imagines exercitum. 159. 60. mos flagellandi reos. 80. mortuos sepeliendi. 74. 90. circumcidendi. 19. arcam circumferendi in castris. 336. & seq. donaria suspendendi. 483. & seq. à Iudæis pueri Christiani crucifixi. 258.
Iudicij extremi vestigia ad sacras Diuorum reliquias. 497.
Iuramenta concipi solita ad SS. lipsana, quâ formulâ, & ad quos Diuos maximè. 475. & seq. Iurandi mos super altare. 478. Elizer cur super femur Abrahami iurauit. ibid. quot testes interesse debebant iuramento. ibid. Ieiuni iurabant. 477. inituri magistratum ad ss. reliquias iurare soliti. 479.
Iustitia Dei aureis trutinis omnia ponderat. 299. quàm clarè in SS. reliquiis promicat? ibid. & 300. 475. & seq.
Iuratum pro SS. reliquiarum veritate. 496.

L

L*Ac* B.V. multis in locis. 90. in illud Erasmi blasphemus iocus, & Caluini longè scelestissimus. 87. 88. vnde Deiparæ tanta vis lactis? ibid. manna illi simillimum. Vnde incorruptum, nec acescens? ibid. in processionibus circumlatum. 90. lac B. V. dictæ sunt tortulæ è terræ puluisculo confertæ cur? eæque salutares. 89. lac B. V. S. Ludouicus Franc. rex Toletanæ dedit Ecclesiæ. 90. lactis copia S. Elizabeth vetulæ diuinitus concessa. 88. lac è statuis Deiparæ dimanans. 173. 74. eo tres Franci recreati. ibid. lac è ceruicibus SS. MM. profluxit loco sanguinis. ibid. & 175. lac item cum sanguine. 176.
Lacrymarum Christi vis, & vbi seruatæ. 72. lacryma nihil facilius arescit, Christi tandiu vnde conseruari potuere? ibid. à Romanis seruari solitæ. ibid. quot Christi lacrymæ, tot vniones. ibid. exceptæ & seruatæ, à quibus? 73.

73. lacrymantia ſimulacra. 164. 65. 66.
Lancea, quæ Chriſti latus aperuit à quo, & vbi inuenta, eiuſdémque miracula. 171. ad eam appliciti annuli ſalutiferi. ibid. lancea eiuſdem in præliis circumlata fælici euentu. 339. lanceis transfoſſi Martyres. 172. lancea Caroli Magni, Conſtantini, & S. Mauritij. 171. 172. hæc inter inſignia imperatoria numeratur. ibid.
Lapilli in agro Foyenſi B. V. intincti ſalutares. 474. mira eorundem vtilitas & varietas. ibid. vid. tit. *loca ſancta*.
Laurus ad SS. reliquias enata ſalutaris. 437. 38. in ſepulchro conſeruata. 443.
S. Lazari reliquiæ vbi? 146. 47.
Lectus B. V. 86. è lectis Sanctorum lux præmicat. 440.
Libelli beneficiorum diuinitus acceptorum teſtes dati Epiſcopis, lecti, recitati. 488. & ſeq. ad Regis Ezechiæ exemplum. 490.
Libri Eccleſiaſtici, liturgici, horarij, ab epiſcopis probandi. 508. 509.
Liliis, & ſpinis intertexta Salomonis corona. 47. 48. inciſum in annulo pronubo B. V. 86. mirificum è SS. reliquiis enatum. 137. lilia inter ſpinas SS. Martyres. ibid. lilia, Sanctorum reliquiæ. 438. vid. tit. *Mappa*.
Lingua B. Mariæ Magdalenæ prodigium. 148. abſciſsâ lingua loquuti martyres. 458.
Literæ à Chriſto miſſæ falſò oſtentatæ. 257.
Loca ſancta, eorum lapides, & puluis honoranda. 102. ad ea peregrinationes. 488. ab ethnicis polluta. 493. 94. luſtrata à B. V. 495.
Loquutiones mortuorum. 458. an ſit maius miraculum abſciſſis linguis loqui? ibid.
S. Lucas pictor, plaſtes, medicus. 59. & ſeq. quàm multas Deip. imagines pinxerit. ibid. item Chriſti. 31.
Lumbare Chriſti vbi? 40. 132. eius ectypa. ibid.
Lux SS. reliquiis indita. 432. non vltimum ſignum verarum reliquiarum. 426. 28. 29. è lectis, & ſepulcris Martyrum fuſa. 440.
Luxus veterum in mappis. 50. & ſeq.

M

Machabæorum reliquiæ. 150. 51.
Magi habiti à Gentilibus Chriſtiani. 179. 180. magi ad ignotos ſan- & incertas reliquias cur mittant? 527.
Magnanimitas Chriſtiana. vid. tit. *martyres, reliquiæ, ſanctuaria* &c. & 123. 156.
Manna incorruptum. 88. è ſepulchro S. Ioannis Euangeliſtæ manans. 439. præfertur manna Iſraelitarum & quid ſignificet? ibid.
Manus dextra S. Ioannis Baptiſtæ quo pacto frugum vbertatem præſagiat? 420
Mappa cœnatica Chriſti. 54. 55. dicta eſt *ſancta tela*. ibid. liliis manu B. V. diſtincta. ibid. & 56. quomodo pluribus in locis. ibid. mappa, & mantile

mantile idem, & diuersum. 49. earum fur Hermogenes. ibid. & 50. earum apud Sinas nullus vsus, & Imp. Rom. contrà in iis luxus. ibid. Mappæ Eucharisticæ cur debeant è lino confici. 55, 54. aliquando auro, & gemmis ornatæ. ibid. mappæ cænaticæ Christi plures. 56. earum ectypa, & è qua materia? 53. 54.

S. *Marci* exuuiæ dolo subreptæ. 221. 222.

S. *Mariæ Magdalenæ* reliquiæ vbi? 147. 48. virgo & martyr à quibusdam fuisse dicitur. ibid. & S. Ioan. Euangelistæ comes indiuulsa. ibid. S. Mariæ Virgini carissima. eius linguæ miraculum, & cur Maria vocata? ibid. eiusdem ecstases. 149. an tetigerit Christum ante, & post resurrectionem. ibid. Angelicis manibus, cibísque alta. ibid. dicta Christi secretaria, & Apostola. 386. tres fuêre, & in vnâ tres honoratæ. 528.

S. *Maria Deipara* salutata ab Angelo, quo fuerit corporis habitu. 292. nomen Mariæ vnde? 42. tunicam inconsutilem suis manibus laborauit. 35. 36. 266. Christum è cruce depositum amplexata, eiúsque clauos excepit. 32. mulier fortis, & operaria. 36. Christo mortuo capillos totondit. 74. eius mirabilis pulchritudo. 89. eiusdem multiplices reliquiæ. *Lac, capilli, vestis, calcei, annulus, indusium, pecten, fusus, glomus, zona, pera viatoria, fasciæ sepulchrales, lectus, imagines*, &c. vide singulos titulos. vbera è cœlo plena. 88. eiusdem cum vaccâ lacte distentâ Caluini blasphema comparatio. 87. 88. B. V. Christi nuditatem suo velo texit. 39. 40. eius peregrinatio ad loca sancta Hierosolymitana. 495. ad eiusdem SS. reliquias Fidelium peregrinationes. ibid. B. V. quàm mirabiliter Aurelianenses ab exercitu Anglorum obsessos liberat. 344.

Marim, vox Syriaca, *Dominum* significat. S. Martini celeberrimum nomen. 105. par Apostolis dictus. 131. soli tamen sacerdotes & Clerici eum ignorabant. 245. 46. eius expetitæ reliquiæ. 105. brandeum pro illis datum. 131. quomodo fraudem SS. reliquias mentientis detexit? 154. cum SS. reliquiis sepultus. 329. cappa illius exercitibus Francicis prælata. 339.

Martyres sunt Christi passi symbolum. 528. Athletis simillimi. 180. manumissis, Nazaræis, prophetis. ibid. ingens vno die eorum numerus. 184. 85. Innocentium. 183. nomina, agones, & eorum translationes in tabulas relacta. 196. quomodo dicuntur, *dentes asini fortis*. 274. eorum alacritas in tormentis. 329. quantum apud Deum possint. 328. etiam mortuis. 331. prope ipsorum reliquias sepeliri Fideles affectarunt. 331. & seq. sunt columnæ, scopuli, turres, luminaria, tauri. 335. 36. sole clariores Dæmonas excæcant. 358. 59. eorum corpora sunt Christi arma. 360. nos è sepulchro alloquuntur. 349. eorum olim reliquiæ in villis plurimæ, vnde iam paucæ? ibid. eorundem corpora ab Arianorum cadaueribus discreta miraculo. 420. ad ipsorum sepulchra rosæ, lilia, arbores, laurus &c. enatæ salutiferæ. vid. singulos titulos. Martyres quotidiani sumus. 322. 23. studium Christianorum erga illos. 156.

Martyria sunt in animo pingenda. 361. martyriorum exhortationes sunt SS. reliquiæ. 322. picta olim in templis. 396. & seq. martyria incruenta, & quotidiana

quotidiana innumera. ibid. & 323. & seq.
Memoriarum non vnus significatus. 102. 103. quatuor eorum species, templa. 103. & seq. altaria. 107. & seq. tumuli. 109. horum duo genera. 111. confessiones. 116. & seq. quando sunt euertendæ memoriæ. 249. sepulchra cur dicta memoriæ, & monumenta. 332. Memoriæ inanes ad quid excitatæ? 92.103.112.332.
Mensæ mappis instructæ. vid. tit. *mappa*. Sinarum splendidæ sine mappis. ibid. vt res sacra, mappis instructæ. 50. 51. cum aris consecratæ, & ad modum aræ constitutæ. ibid ad formam Orbis cur rotundæ. ibid. aræ dictæ mensæ. ibid. mensa Paschalis & Eucharistica vt ornatæ? 52.
Menses fœmineos statua salis passa. 10.
S. *Michaelis* reliquias fingit, & ridet ineptè Caluinus. 276. vela S. Michaelis quid? ibid. S. Michael pro Mosis corpore disputans cum Dæmone quàm modestè se gerit. 363.64.
Minij vsus in sepulcris martyrum. 81. & in rebus sacris, statuis Deorum, triumphis & præstantioribus quibusque apud Gentiles. ibid. an in titulo Crucis literæ miniatæ. ibid.
Miracula edita per ss. reliquias. 340. & seq. ad fin. libri: infinita. 313. cur plura edita vbi tantùm sunt reliquiæ, quàm vbi integra corpora. 448. 49. veri signa. 444. cur plura in vno loco, quàm in alio fiant. 496. 97. non statim credi debet miraculum, quod vulgus iactat. 227. ficta nonnunquam ad quæstum. ibid. supra miraculis editis ad ss. reliquias libri dati. 488. & seq. quomodo conferant ad ss. reliquiarum veritatem probandam. 445. vid. tit. *statua salis, panum multiplicatio* &c.
Missa Romana, & Mosarabum igne probatæ. 465. cur dicta, *collecta & collectio*. 505. Missis nouos ritus inducere prohibitum. 510.
Missalia. vid. tit. libri.
Modestiam ss. reliquiæ conciliant. 430. & seq.
Monachorum hypocritarum characteres. 252.
Montes ignem vomentes. 313.
Morbis antidotum ss. reliquiæ. 310. & seq. sunt lignum vitæ ad sanitatem gentium. 321. & seq. 433. & seq.
Moribundi aliquando vitæ suæ seriem manibus prætulerunt. 204. quomodo illis prosint ss. reliquiæ? 325. eas sibi applicari voluerunt. ibid. crucis signo se muniunt. ibid. cum reliquiis sepeliri mandant. 328.
Mortificatio, martyrium est. 323. 24.
Mortis symbolum est sudarium, & antidotum ss. reliquiæ. 314. 15. eius excitant memoriam. 325.
Mortuis impositum capiti sudarium. vid. tit. *sudarium*. mortuorum sacerdotum vultus tectus aëre. vid. aër. moribundi, sibi faciem obnubere soliti. ibid. mortuorum curandorum apud Iudæos mos. 74. mortuorum resurrectio ss. reliquiarum ope. 314. &. seq. vnde hoc? 315. & 316. mortuis ss. reliquiæ impositæ. 328.29.
Mosis corpus. 363.
Munus surdum quid. 482.

N

NOEMVS primus omnium ss. reliquias magni ferit, easque distribuit. 39. 318. eius encomia. 38. 39. eius nuditas defensa contra Caluinum. ibid. an Christi futuram nuditatem nouerit. ibid. Pseudo-noëmus Brittanniæ Rex. 92.
Noctis symbolum, sudarium. 27.
Nomen idem pluribus commune erroris causa. 141. & seq. 191. & 92. & seq. conuersi persecutionem tempore subitò alicuius Sancti nomen arripiebant. 143. 194. ob nominis similitudinem piæ pro ss. lipsanis contentiones. 143. & seq. nomen Ignotis Martyribus inditum. 183. 86. vnde Sanctorum, quorum seruantur reliquiæ sint ignota. 185. an sit mendacium ss. reliquiis ignotis nomen imponere; quis? & quæ nomina. 186. & seq. & 191. & seq. docendi sunt Fideles ea nomina fuisse imposita. 189. an cuilibet liceat ss. reliquiis, & sibi ipsi nomen imponere. 190. nomina ss. inscribi solita sepulchris, addito nomen passionis MM. 204. moribundi nomen suum præ manibus gestarunt. ibid. ss. nomina inscribenda thecis reliquiariis. 205. & catalogus templis appendendus. ibid. & 377.
Nouitati flos & gratia inest etiam in næuis. 2. & 3
Nudusne omnino fuerit Christus in Cruce, & cur. 37. & seq. propudiosa est nuditas. 38. Nuditatis Christi figuræ, & vaticinia. 39. nudi nascimur. ibid. nudúsne Isaias incessit. ibid. nuditas athletarum. 180. Christi fuítne Noëmo nota. 39. an tecta in cruce. 40. 132. somniasse in cruce se nudum, cuinam bonum, & malum est omen. 37.
Nundinationes ad ss. reliquias, & tumulos antiquæ, ac frequentes 405. 406. an licitæ & maximè monachis. ibid. priuilegia earum. 406.

O

OCVLORVM curiositas castigata. 10. oculos mortuis claudere vsitatum Iudæis. 74.
Odor mollissimus ss. reliquiis affusus. 371. 72. odoris suauitas symbolum diuinitatis, & cum Deo coniunctionis. ibid. cur in sacris thus, &c. odorifera sint vsurpata. ibid. non vltimum signum verarum reliquiarum insolens odor. 438. 443.
Oecumenici nomen, qua fraude Ioannes Ieiunator, Patriarcha Constantinopol. sibi arrogare sategit. 94. 95.
Oedipus duobus in locis sepultus creditur. 5.
Oleum è ss. reliquiis manans. 312. 434. 435. consecratum trahit ad se non consecratum. 515.
Oraculis Gentilium à Christo infante, & à ss. reliquiis. 354. & seq. 454. 55.
Orarium, quid sit, 25.
Orationis vis ad fraudes Dæmonis detegendas. 254. 383. 84. iuncta ieiunio. ibid. oratio fusa ad tangenda, & obtinenda sanctuaria. 136. oratio cur dicta, collecta. 505, 506. orationes in honorem ss. reliquiarum composi-

sitæ

ſitæ,&c. debent ab Epiſcopis approbari. 507. 508. 509.
Ora claudi ſolita mortuis.74. oris s. Pauli encomia. 304.
Oſſa Sanctorum, vt herba germinare dicantur. 316. 435. 441. diuinaâ vi prædita 154.ss. Patriarcharum delata in caſtris Hebræorum. 337.vid.tit. *Adamus.* quæuis oſſa pro Reliquiis à Catholicis adorari hæretici mentiuntur. 274. & ſeq. mortuorum oſſa, quo colore. 370. eorum color, figura,&c. ſpectanda in ss. reliquiis,ad earum veritatem detegendam. 373. & ſeq. noſtra oſſa ſunt mortis ſymbolum. 325.
Oſſuarium, quid ſit. 448.
Oues quàm ſint vtiles, & cur iis ſimiles Sancti. 453.

P

PALLADIVM à quibus habitum. 5. eius ectypa. 157.
Panis multiplicatio. 10. Euchariſtici reliquiæ. vid. *Euchariſtia.* à Chriſto multiplicati analecta. 239.
Paſſionis Chriſti memoria quàm chara Chriſtianis. 23. 26. ob illam Chriſtus reliquit in terris tot ss. ſui reliquias, ſanguinis, capillorum, clauorum, ſindonum, ſudariorum &c. quæ vide ſingulis titulis. de Paſſionibus Martyrum.vid.tit. *Martyria,* ſuo loco.
Patrocinia quid ſint. 132. 200. 377.
S. Pauli Caput ambitum. 94. 95. capilli miſſi à ſummo Pontifice. 95. ſemicinctia ſalutifera. 139. de catenis ipſius ſcobs miſſa à s. Pontifice. 95. oris eius encomium. vid. *Ora.* s. Chryſoſtomi erga eundem s. Apoſtolum pietas. 304. vid.tit. *Lac*, *S. Petrus* inferiùs, *catenæ* : *corpora.* varia eius encomia ex s. Chryſoſtomo. 304.
Pauperibus conuiuia exhibita olim à Chriſtianis. 408. pauperum dona ss. reliquiis oblata. 140. 148.
Peccatum,vid.tit. *Dæmon.* peccatores energumeni. 352.
Pecten B. Virginis. 82.
Peregrinationes ad loca ſancta, & ss. reliquias à Chriſtianis vſurpari ſolitæ 492. earum frequentia. 493. cuius ſint auctoritatis ad veras reliquias probandum. 497. à B. Virgine,& s. Ioanne Euangeliſta obitæ. 495.
Pelle Ziſchæ tectum tympanum cur. 341. 42.
Periuriorum pœnæ. 475. & ſeq.
Perſecutiones quotidianæ à vitiis, & contra vitia. 323. 24.
Perula viatoria B. Virginis. 86.
S. Petri vmbra ſalutaris.vid. *vmbra.* quâ vi claudum S. Petus ſanauit. 360. Confeſſio s. Petri, & ornatus. 120. Cruci affixus. 168. ss. Petrus, & Paulus antè flagellati, quàm occiſi. 80. iiſdem Conſtantinopoli poſita cenotaphia. 94. eorum corpora ab orientalibus repetita, & prohibita diuinitus auferri: eadem nefas tangere, inſpicere, & propiùs ad ea accedere. 95. 430. de eorum catenis. vid. tit. *Catena*,eorum corpora ſunt vrbis tutela. 344. s. Petro & s. Ioanni Euangel. per ludibrium caput deraſum. 178. 181.
Pictura, & ſcriptionis ſimilitudo. 394. pro lectione,voce,& libris.ibid. 395

quid in templis, & domibus Christianorum pingendum. ibid. & 396. veterum picturarum quanta sit auctoritas.ibid.& 399. 40. historiæ passionum ss. Martyrum in templis pictæ, vbi eorum reliquiæ seruabantur. ibid.& seq. in pauimentis opere tessellato.398.& prope ss. reliquiarum capsas.399. pictura quid.390. Idiotarum Libri.391. profana,& apocrypha in templis nulla esse debet. ibid. & 392. inepta,& falsa pingere nefas.391.pictura,& veritas idem,392. historiis sacris aliqua appingi possunt probabilia, etsi scriptis ea non constent. ibid. pictura est memoria virtutum ss. 362.
Pictoribus non est fingendi quodlibet potestas, sicut, nec poëtis. 390. pictor alter Deus quomodo? & vnde dictus.390. 391. pictores spirituales esse possumus, & debemus. 361.
Pluuiæ obtinendæ causa supplicationes institutæ, non sine fructu.500.501.
Poma sunt ss.reliquiæ. 438. à ss. reliquiis salutifera. 437.
Potentia Dei in ss. reliquiis maximè splendet.301.302. sitne potentia naturalis, & obedientialis in ss. reliquiis ad Dæmones fugandos, & ad miracula edenda. 359.60.
Prægnantes.vid.tit. Zona.
Præsidiis humanis vtendum 365. tria eorum genera ad ss. reliquias discernendum. 364.& seq.
Præputium à Iudæis iam solitum arenâ, & terrâ condi.19. Christi diuersis in locis, & qui negant.12.13.16. sine præputio in cœlis Beatorum corpora.Iudæorum error. ibid. an pertineat ad integritatem corporis humani? an resumendum in resurrectione? an à Christo resumptum? ibid. & 14. an panis in Eucharistiâ conuertatur in præputium Christi?ibid.quomodo sit in terris incorruptum? ibid. & 16.cur in terris relictum.18.diuersis in locis. 13. 14. & seq.quomodo in cœlo, & in terrâ simul. 17. quibus Ecclesia illud debeat?19. sitne Verbo vnitum, & adorandum ibid. præputium est habitum pro particulis venæ vmbilicalis. 19.72.
Processiones cum ss. reliquiis obiri solitæ. vid. tit. *Crux, lancea, lac*, &c. institutæ ad ss.reliquias. 498. an ad Hebræorum,& Gentilium exemplum, ibid.& seq. quos ob fines, quo ritu, & quo fructu obitæ?500.& seq.quæ sint laudabiles, & contrà 501. 502. conferunt ad ss.reliquiarum veritatem probandam. ibid.
Prouidentia Dei erga ss. reliquias. 301.
Pseudo-Christi,& pseudoprophetæ multi. 255.
Pulchritudo Deiparæ summa. 89.& seq.pulchritudinis fœmineæ decus, comæ.ibid. pulchræ species ad veras ss. reliquias obiectæ, & earum effecta, & contrà. 458.459.
Puluis ss.& sepulchrorum mirificus.94.112.113.114. cenotaphiis inditus. ibid. dictus est, *ss. reliquiæ*. ibid. & 115. collectus in sanctuarium.124. 140. ebibitus ad sanitatem.134. salutifer è s. Ioannis Euangelistæ tumulo.438. ex agro Foyensi B. Virginis.474. puluis s. Pauli auidè à s. Chrysostomo concupitus, & laudatus. 304.
Puris corpore, & animo ad ss. reliquias accedendum. 452.

Purpura.vid.tit.*vestis*, seu *tunica* Christi.purpura eiusdem sunt ss. corpora. 304. eius tinctura. ibid.
Pyraustæ in igne viuunt. 465.

Q

QVADRAGESIMÆ ieiunij violati pœna. 315.

R

REDEMPTIO generis humani quàm copiosa. 67.69.& seq.
Relatorium quid. 99.& 200.
Reliquiæ à corpore differunt.448.449. earum possessio in controuersiam vocata tam à Gentilibus, quàm à Christianis: 5.6. 214 quotupliciter eædem esse possint.ibid. identitas an debeat, & possit probari. 278.& seq. 282.& seq. earundem translatio an licita, & quomodo. 210.& seq,
Reliquiarum sanctarũ multitudo qualis heterodoxis.506. à duodecim capitibus orta est. toto libro primo. earum ectypa loco prototyporum, & vnde illorum sanctitas.5.& 6. & 214.earum elogia.299. 303. & seq. vtilitates, & commoda plurima.286. & seq. ad finem libri primi ex illis Dei gloria, & Sanctorum.ibid. hominum commoda tam in viuos, quàm in moribundos, & mortuos. 299. & seq. ad 324. & seq. præliaturis. 333. & 399.
SS. *Reliquiarum virtus* eadem in minimis particulis, atque in integris.108 earum pars est plenitudo. 93 94.311.miraculorum effectrices, largitrices bonorũ 96.154 &seq.310.&seq.sunt salutiferi fõtes.93.94.311.mirabiles effectus ab illarum in processionibus gestatione. vid. tit. *processiones*. *pluuia*. mirificâ gratiâ refectæ. 299. 442.309. 110. & seq.thesauris pretiosiores.309. 335. sunt munera salutis.299. similes arbori vitæ. 321.ex illis rerum salutiferarum scaturigines. 433.& seq. ad eas omnia generis miracula edita.441.& seq.359.60. datæ sunt à Deo hominibus ad plurimas vtilitates.277. illis ad mortuos viuificandos vis vnde? 315. & seq.
SS. *Reliquiarum diuisio, & distributio* à quo improbata.92.93. probata verò, & facta à Noëmo primùm. 39. 318. deinde à Christianis. 64. & seq. 285.& seq. 295. & seq. Deus eas nobiscum est partitus.320. expetitæ in mercedem officij, & laboris.93. gaudium Fidelium ab illarum adeptione 95.earum puluis quàm auidè decerptus.94.raptæ cum capitis periculo.99.123.158.earum pia venatio.99. 133.pro illis gladiatoria dimicatio,& populorum altercationes.99. 100. 101. per Sanctos ipsorum compositæ. ibib. iidem aliquando diuisas sui reliquias restitui voluerunt. 290. & seq.
SS. *Reliquias Gentiles Christianis inuidere soliti: & orthodoxis heterodoxi*,& ob id ad eas exterminandas nihil non sunt moliti. 97. & seq.123. obiectæ canibus. 98. iniectæ igni, pulueri permixti cineres, in fluuios ventósque sparsæ.ibid.per illos Christiani, & Catholici prohibiti eas sepe-

lire, colligere, secernere, emere.98.99.123.124.224. emptæ à Gentilibus.264.vid.tit. *emptio.* & 122. eas inuident Christianis.264.265.272.420.430.457.58. eas cruciariorum, & animalium ossibus permiscere soliti.270.& seq.ab aliquibus Gentilibus maximi factæ. 399.486. ab hæreticis contrà. 309.

SS. *Reliquiæ* veteres, & nouæ qaæ ? 278. 388.de nouo inuentæ an coli debeant, & à quo probandæ.386.88.quid de incertis statuendum.525.particulæ pro integris habitæ.95. 96. 101.102.152. earum copia à summa erga ipsas Fidelium fide. vid.tit. *Fides.* sanctuaria pro veris reliquiis habita, & dicta. 121.

SS. *Reliquiarum adoratio, & honor.* vid.tit. *adoratio.* cura Christianorum in illis honorificè ornandis.199. Reges Christianissimi eas suis humeris efferre amauerunt.218. iidem & alij Principes Christiani iusto bello acquisitas ad se transferre studiosi.233. adorare ss. Reliquias,quas constet esse certi alicuius Sancti exuuias, non tam est fidei, quàm scientiæ. 528. in illis honorandis, non tam rei visæ, quàm personæ repræsentatæ adhærescendum. 526. donariis ornandæ. vid. *Donaria.* in vasis aureis, argenteis,&c.conditæ.441.eas tangere summi beneficij loco positum.312. à Catholicis gestatæ.319. veras magnopere colendas consulit etiam Agrippa. 251. easdem honorificè habendas Iacobus Britanniæ Rex auctor est.285. erga illas Christianorum pietas, & cultus. 398. honoratæ à Gentilibus.399. 486.ad ss. reliquias conseruandas Deus omnibus creaturis vsus.428. & seq. Eas Christus, vt arma portauit. 360. prope illas Reges, aliíque curarunt sepeliri.331. & seq. liceátne ipsas custodiendas Laïcis relinquere.268.269. eas mare venerationi habuit. 98. aliquando cultæ, vbi nullæ erant. 103. quanti ab Impp. factæ.94. adulterinæ pro veris à nescientibus adoratæ.248.250. & seq. nefas tangere, videre,ss. reliquias periculosum.95.127.128. sub altaribus conditæ.112. 108. in earum honorem templa, aræ, cenotaphia, confessiones excitata.vid.singulos titulos.

SS. *Reliquiarum translatio* fieri debet auctoritate Principis.vide tit. *translatio.* an translatæ possint licitè subripi. 225. possunt repeti, ibid. & 237 38. eas eleuare sine authoritate Episcopi non licet. 426.

SS. *Reliquiarum furta.* vid.tit. *furtum.* earum amissione Deus populos castigat.233. 235. 36.37. sitne ius Victori in reliquias sacras hostium? ibid. & seq. seuerissimè cautum à summis Pontificibus, ne ss. Reliquiæ ex vrbe auferantur.240.41.49. cur ea adhibita cautio 242. à quo auferendi danda facultas. 244.

SS. *Reliquiarum venditio.* 256.261.62.63.266. pactio pro ss. reliquiis an simoniaca. 266.67.69.vid.tit.*emptio.* & 122. vetitum eas ostendere propter quæstum. 267.68. & extra capsam. 261.

SS. *Reliquiæ Beatorum corporum dotibus ornatæ.* vid.tit. *dotes.* harum visitatio quando, & quomodo facienda ab Episcopis. 386.

Reliquiæ falsæ, pro veris venditæ & venditatæ. 255. 262. 63. & seq. cæca mulierculārum erga eas religio, item populi.248.&seq. & 257.260.62.
cura

cura Episcoporum ad falsas exterminandas. 258. Item Senatus Parisiensis. 259. solas adulterinas improbat Erasmus, veras probat. 251.
SS. Reliquiarum quæ veræ sint, necne disquirere, & iudicare periculosum est, ideò sine causa abstinendum. 363. præsidia ad discernendum veras à falsis tota 1. parte lib. 2. veræ Sanctorum.
SS. Reliquiæ in mediis ignibus reseruatæ falsæ contrà. 460. & seq.
SS. Reliquiæ persecutionis tempore, & bello ingruente abscondendæ. 199. vino, & aqua tingi solitæ. 468. & seq. ad eas iuratum. 475. & seq. an dubiæ permixtæ veris simul sint ab Episcopis approbandæ. 515. in suis reliquiis viuunt sancti. 442. 43. Identitas an debeat, & possit probari. vid. tit. *Identitas*. non debent exponi in locis ad voluptatem factis. 106. earum mirabile pondus, & leuitas. 101. 106. item sanctuariorum. vid. tit. *Sanctuaria*. nihil pretiosius reliquiis Sanctorum. 105. Dæmonum crux, & confusio. vid. tit. *Dæmon*.
Remuneratio alia Dei; & mundi. 300.
Rescripta Regum, & Pontificum pro ss. reliquiarum veritate, 385. & seq.
Restitutio ss. reliquiarum quando facienda. 225. 237. 238. an post iustum bellum? ibid. aliquando à Sanctis ipsis mandata. 293.
Resurgenti sitne opus resumere eandem materiam secundum omnes partes. 14. 15. an sanguis omnis? an capilli? &c. vid. singulis titulis. resurgentium corporum, & iacti seminis similitudo. 413. per resurrectionem sepulchra euadent horti. 438.
Reuelationes ad ss. reliquias discernendas. 422. & seq. Diuinarum auctoritas. 423. à Deo, Angelis, & ipsis Sanctis factæ. 424. 25. in illis timendæ illusiones. 422. 26. quæ potiores habendæ. 426. Fr. Hortolanus è Soc. IESV frequentes hausit è cœlo reuelationes pro detectione ss. reliquiarum abditarum. 427. personæ in reuelatione apparentes an sint adorandæ. 524.
Rex histrionicus. vid. tit. *Carabas*. Rex Britanniæ dici vult, Ecclesiæ, & fidei defensor. 286. erga ss. reliquias illius sensa. 92. 285. 86. & seq. Regum Catholicorum erga ss. lipsana honor. 218. pietas. 332. Gentilium. 399. 486. vid. tit. *Sancti*.
Regnorum tutela, ss. reliquiæ. 350.
Rosæ natæ ad Sanctorum tumulos. 436. rosis ss. memoriæ ab Angelis conspersæ. 137.
Rupes Oliuetana Christi vestigiis impressa inconsumptibilis. 12. 13.

S

SAcrum euadit, quod sacrum corpus tangit. 133.
Salus, dictus est baptismus. 316.
Sal. vide tit. *statua*.
Sanctorum in diuersis locis simul, & semel præsentia. 17. 18. eorum minima & vilissima quæque lipsana honoranda & salutaria. 133. & seq. 154. & seq. sancti, vt oues, sunt omnibus proficui. 453. ad quorum lipsana iurare solitum. 476. 77. quibusdam inest facultas ad certum opitulatio-

num genus. 496. eorum sepulchra multum differunt à Regum sepulchris. 497. quid eorum animæ possint, docent mira effecta per ipsorum exuuias patrata. 97.
Sanctorum inuocatio approbata à Cornelio Agrippa. 251. non omnes quos vulgus sanctos putat, sunt adorandi, & inuocandi. 527. sunt honorandi in sæculo, vt nostri sint defensores in futuro. 331. eorum ss. reliquiæ honorandæ. vid. tit. *adoratio. reliquiæ.* Ipsorum capsæ visendæ, tangendæ. 336. 398. in ss. locis ludere periculosum, & impium. 342.
Sanctorum varia elogia. 303. 304. 305. sunt vrbibus vallum, scopuli, mœnia, munitio, turres. &c. 345. 46. & seq. Concilium Sanctorum quid. 153. eorum gloriæ nolens Dæmon seruit. 456. eiusdem sunt crux, & confusio. vid. tit. *Dæmon.* illis iungi debemus potius imitatione, quàm corpore. 331.
Sanctuarij non vnus est significatus. 121. 122. sanctuariorum adipiscendorum studium. ibid. & 123. 24. è ss. corporibus excerpta. ibid. quàm piè culta, & custodita. ibid. & 125. accurata per brandea. 133. & seq. pia eorum excogitatio. 139. 140. dicta sunt, reliquiæ, & sancta pignora. 131.
Sandalia B. V. vbi? 74. S. Hugonis Episcopi Gratianopolitani demorsa religionis ergò. 138. Christi, vnde & quò delata. 238.
Sanguis Christi an sit in terrâ, & quomodo tot in locis. 64. & seq. duplex: verus, prodigiosus. ibid. Eucharisticus infinitis in locis. ibid. verus in terris relictus ad memoriam passionis conseruandam. &c. 64. 65. à B. V. sancto Ioanni Euangelistæ concreditus. ibid. totus an à Christo resumptus in resurrectione. 65. 66. 67. an debeat adorari? ibid. vbi eius portiones seruentur? ibid. 380. eo tincta claui, spinæ, sudaria. &c. ibid. amoris potius, quam cruoris Oceanus, sine mensura fusus. 67. 68. quot vicibus Christus sanguinem fudit. ibid. & 69. liquidus vbi? 67. morbis medetur. 65. vna sola gutta suffecisset ad mundi redemptionem, eiúsque rei egregium emblema. 69. vid. tit. *sudor.* aqua cum sanguine fluxit. ibid.
Sanguis Sanctorum martyrum gypso, & vestibus &c. collectus & conseruatus. 159. momento coagulatus in globum, & circumuolutus. 420. ss. Ianuarij, & Stephani ebullit. 418. sanguinis fluores ex Eucharistia. 160. è ss. reliquiis. 145. 161. ex imaginibus. 433. 159. 160.
Scriptorum quis debeat esse in scribendo sensus, & scopus. 3. 4.
Sellâ aureâ insidens Carolus M. sepultus. 220.
Sepulchra plura Æneæ. vid. tit. *cenotaphia* prope sepulchra excitatæ aræ, & in aras mutata. 110. duo eorum genera. 111. olim cuique suum erat sepulchrum. 120. domus æterna. ibid. sedes, & lares æterni. 219. cœmeteria, dormitoria, recubitoria. 143. 144. ossuarium, & cinerarium à sepulchro differunt. 440. thesauri cur in sepulchris. 330.
Sepulchra Sanctorum Petri & Pauli. 95. super illa erectum altare. 110. sacris osculis appetita, & pallis tecta. ibid. eorum situs pie ambitus, collectus, nec sine miraculis. 113. sepulchra, vbi ss. corpora iacuerant, miraculis

miraculis clara 115. in iis fenestellæ, & quo vsu? 129. prope illa sepeliri Fideles affectarunt, & quid ipsis vicinitas conferat? 331. 32. 33. Sanctorum Sepulchra sunt horti, & thesauri. vide vtrumque titulum.

Sepulchralia Christi lintea pluribus in locis, & quomodo? 21. & seq. plurima sunt ectypa. 23. aliqua sunt in signita Christi imagine, aliqua minimè. ibid. & 24. circa ea Caluini calumniæ. ibid. quàm religiosè ostendi solita. ibid. & 25.

Sinarum mensæ, quales. vid. *mensa* & *mappa*.

Smaragdus impudicitiæ osor. 86.

Spinis agrum expurgare, ex Manichæis homicidio est reum fieri. 41. spinea corona fuitne Iudæorum, an Roman. commentum? ibid. eius figura, & quanti Christus eam fecit. ibid. cur ea vsi Iudæi. 42. spinis coronati martyres. 45. Salomonis coronæ insertæ. 47. spinis coronati Godofredus Bullonius, S. Catharina Senensis. 48. spina bonis rosa, malis spina. ibid. ss. spinas S. Ludouicus Hispanis dedit. 385. dono missæ. 9. 47. reuirescere solitæ. 44. 47. vnde earum vis tanta? 45. cruore Christi illitæ, & crinibus agglutinatæ. 47. an è iuncis marinis. ibid. ab illis noster candor, & rubor. 48. à Gallis partæ, & vnde ablatæ? 238.

Spirituum discretio perdifficilis. 524. vid. tit. s. *Ignatius*. adhibenda in reuelationibus, & visionibus. 524.

Spongia Dominicæ particulæ. 172. spongiæ vsus ad sistendum sanguinem. 172. 73. & ad eundem colligendum. 159. spongia quâ B. V. Aniciensis imago abluitur, salutifera. 473.

Sputa SS. & mucus quo in pretio Fidelibus. 138. 39.

Statua salis quot miraculis clara. 10. statuæ deorum à Christo infante deiectæ. 35. & à ss. reliquiis. 356. ad ss. Martyrum sepulchra positæ statuæ. 392.

S. Stephani reliquiæ salutiferæ. 313. 146. 155. nulla ab iis edita miracula in proprio solo. 448. de miraculis ab eo editis dati libelli, & recitati. 489. & seq.

Subtilitas corporum beatorum, & Christi 420. 21.

Sudaria Christi vultui appressa vnde tot, & tot in locis. 25. & seq. missum à Christo ad Abagarum. ibid. *ἱμάτιον*, & *lineum textum* vocitatum. ibid. Veronicæ. 26. 27. Christo mortuo sudarium applicitum. 26. 28. Christi sudaria duplicis generis. 132. & 24. *sudarium* vnde dictum. 25. *orarium* appellatum. ibid. eo vsus Nero. ibid. apponi solitum mortuis, morituris & cruciariis. ibid. & 27. mortis & noctis symbolum. ibid.

Sudarium D. Pauli. 139. s. Iacobi mirificum. 97. s. Thomæ Cantuariensis. ibid. Christi ab igne illæsum. 463.

Sudor Christi sanguineus. 26. in eiusdem imaginibus. ibid. & 165. sudores mirabiles simulacrorum. 164. 65. è statua salis dimanans. 10.

Supplicia ss. reliquias violantium. 455. Dæmonum. 456. peierantium ad ss. reliquias. 475. & seq.

Synaxis quid? 505.

T

TABERNACVLO eodem Euchariſtia, & ss. Reliquiæ non ſunt includendæ. 306. & 307. tabernacula è ramis circa ss. baſilicas excitari ſolita. 409.

Tabularum autoritas. 373. & ſeq. interitus defletus. 194. 95. in eas referebantur ss. agones. 196. ab earum iactura, integritate, falſitate Eccleſiæ malum, vel bonum obuenit. 197. 200. iis conſeruandis Epiſcopi debent inuigilare. ibid. & 198. dictæ ſunt *Relatorium* & aliis nominibus. 199. 200. falſitas & ſuppoſitio. 206. & ſeq.

Templa dicta, *memoriæ*. 102. 103. An ſine reliquiis poſſint conſecrari? ibid. & ſeq. an cum earundem tantùm ſcrupulo? ibid. ex illis per ss. reliquias fugati Dæmones. 104. ss. lipſana ſunt templorum gazæ. 105. 106. quomodo debeat fieri denuntiatio, quum in illis collocantur. ibid. aquâ benedictâ priùs reſpergenda ſunt templa, quàm in ea ss. reliquiæ inuehantur. 107. eorum ſancti ſunt Dominædij. 106. imaginibus ornata. vid. tit. *imago*.

Tentationes ſunt martyria. 322.

Teſtes ad ss. reliquias probandas neceſſarij & quales. 377. 389. 380. iuramento rogati. 379. 380. ſine illis quid reliquiis facto opus? 378.

Theſauri in ſepulchris. 330. theſauri ſunt Sanctorum exuuiæ. 309. 330.

Titulorum interitus cauſa multitudinis ss. reliquiarum. 195. 201. & ſeq. tituli multiplex ſignificatio. 201. 202. incluſi ſepulchris. 203. 384. quâ ſint autoritate. 400.

Titulus Chriſti cruci affixus è quâ materiâ & an clauis offixus fuerit? 35. pluribus in locis. 80. 170. an colore infectus? maximè minio, & grandioribus literis inſcriptus. ibid. & 157.

Toballiæ, hinc, *toüaille*, vox Gallica quid? 53.

Tortulæ è ſacrâ terrâ confectæ ſalutiferæ. 88. 89. 134.

Traditione fides nixa. 380. 81. traditio particularium Eccleſiarum ss. reliquiarum fidem firmat, & qualis ea eſſe debeat? ibid.

Tranſlatio ss. reliquiarium varia. 210. quàm antiquus illius vſus? 211. 212. ab ipſis ſanctis aliquando imperata. ibid. frequenter in Gallias tranſlatæ ss. reliquiæ. 213. 214. literis tranſlatio eſt conſignanda. 217. ſine Principis facultate nullum corpus transferri debet, & quis ſit Princeps. ibid. & 218. & ſeq. tranſlatio ss. reliquiarum ex vrbe vetita. 219. tranſlationum pompa. 330.

S. TRINITATIS maximus præco ſanctus Auguſtinus. 409. ex ss. Triados compellatione mirabilis motus cordis ſancti Patris. ibid.

Trophæa è proceris, & annoſis quercubus. 369. Romulus Romæ primus eorum author. ibid. proceritate illa ſuperauit. ibid. Teutobochus. ibid.

Tunica inconſutilis Chriſti à Deipara elaborata, quâ forma, inconſumptibilis. 35. 36. 82. 266. tunicas texere ſolitæ mulieres Ægyptiæ. ibid. circa Chriſti tunicam Caluini mendacia. 82. vbi inuenta, & quò tranſ-

lata

lata. 37. vbi seruata. ibid. eius fimbria salutifera, ibid. diuersis in locis. 82. 83. olim in summa veneratione. ibid. cur eam milites sortiti sint. 37. illis fide deteriores Heterodoxi. ibid. eius ectypa plura. 82. Tunicam s. Malachiæ quanti fecit. s. Bernardus. 330. s. Vincentij in obsidione circumlata, & quò delata. 345. 346.

Tympanum è pelle humanâ. 341. 342. Tyrones quâ corporis proceritate delecti ad militiam. 367.

V

VBERA B. V. Christo cellarium. 88. *Velamina* sacrorum sepulchrorum qualia. 125. 26. & seq. eorum synonyma. ibid. Ianuarum, & parietum Ecclesiæ salutifera. 138.

Velum Veronicæ Christo applicitum fuit triplicatum. 26. 27. eius plura ectypa, & cultus. ibid. velum, quo Christi pars aliqua in cruce fuit tecta vbi? 31. 37. & seq. velatæ partes ss. Corporis Christi è cruce depositi. 40. velum B. V. in multis locis. 85. 86.

Vena vmbilicalis an Christo, & B. V. tribuenda. 70. vaticinium pro venâ vmbilicali Christi. ibid. & 71. quis eius sit vsus. ibid. habita pro præputio. 18. 19. variis in locis, secundum sui particulas. 72. Venæ radices quæ? 71. pro venâ vmbilicali Christi Tertulliani locus, Hilariíque Pictauiensis. ibid.

Venter B. V. Christi camera. 88.

Veritatem ss. reliquiarum disquirere periculosum. 363. pro eâ standum. ibid. quibus præsidiis detegi possit. toto lib. 2. parte 1.

Vestes ægrorum ad ss. reliquias applicitæ ad sanitatem. 137. imo & sanorum salutiferæ propter easdem ss. reliquias. 443. conualescentium anathematis loco oblatæ. 483. vestes carnificum Martyrum cruore perfusæ à Christianis emi solitæ. 124. B. Natalia, & aliæ ss. matronæ viriles induêre vestes, quo ss. MM. ministrare possent. 123.

Vestes B. V. Mariæ, quo colore, & numero? 84. earum manica Anicij seruata. 87. vestis vbi? 84. per illam Constantinopolis liberata fuit obsidione, & aliæ item vrbes. 87.

Vestis purpureæ Christi dono datæ portiones. 9. & 83. Christus in Cruce multis in locis vestitus visitur. 38. 39. vid. tit. *Tunica. casula.* coccinea vestis vbi seruata. 82. 83. vestes Christi cur non fuerunt diuisæ à militibus. 265. dolor Christi quantus à vestibus sibi detractis? ibid.

Vigiliæ ad ss. reliquias actæ. 130. 31. *Villis* cur olim ss. reliquias Deus dedit. 348. 49. villæ debent esse vrbibus animo coniunctæ. ibid.

Vinum exundans ad ss. reliquias. 442. vino ss. reliquiæ, earumque thecæ, item lapides tingi ad sanitatem solitæ. 468. & seq. per illam intinctionem mirificæ sanationes. 470. 71. quâ formulâ fiebat. 473.

Virga s. Augustini inconsumptibilis. 11. Aaronis vbi? 350.

Virginitatis in coniugio seruatæ mirabile in mortuis exemplum. 417. vid. tit. *S. Ioan. Euangelista.*

Virtutis incentiuum ss. reliquiæ. 319. ad id elegans similitudo. ibid. & 320. 21. 22.


Visiones sæpe fallaces. 524. vid. tit. *Spirituum discretio.*
Visitatio ss. Reliquiarum quando, & quomodo facienda ab Episcopis. 387
libri visitationum faciunt fidem. 309.
Vmbra S. Petri salutaris, & aliorum ss. Dæmoni intolerabilis. 328.
Vnguentorum fluores è ss. reliquiis. 436.
Voces mirabiles è ss. reliquiis emissæ. 421. 22.
Vrbium custodes ss. reliquiæ, & earum decora. 87. 342. & seq.
Vulnera Christi an repleta carne per resurrectionem. vid. tit. *Caro.* Tangenda Christus Apostolis præbuit vsque ad ossa. 15. an à Christo sint seruata, minúsque perfectum reddant eius corpus. ibid. vulnerum Christi legio. 68. 78. vulnera Sanctorum pretiosa. 140. sanata luce è ss. reliquiis promicante. 440.

X

S. XAVERIO in Indiâ laborante in sua imagine Christus compatitur. 165. eiusdem corporis integritas, color viuidus, odor mollissimus: è viuâ calce post aliquot menses educti miraculum. 372.

Z

ZACHARIAS Barachiæ filius quis, & vnde sic dictus. 192. 93.
pater S. Ioannis Baptistæ, an is fuerit. ibid.
Zona Deiparæ vnde à Francis acquisita? 85. vnde tot in locis, & Ecclesiis. ibid. & 86. Anicij prægnantibus circumcincta. ibid. item Reginæ Christianissimæ. ibid. post tot sæcula illæsa, hinc captum omen pro *Ludouici Adeodati XIV.* viuaci & vegetâ vitâ. ibid. ss. Patrum eius zonæ laudes. ibid. & peregrinationes Fidelium. 495.



INDEX NOTARVM.

ANICIENSIS *Ecclesia* Ioannem Borbonium Episcopum expetiit, & quàm illi vtilis? Notâ 9. ipsi cum Cluniacensibus vetus societas. n. 9. Aniciensis Episcopus sanctæ Sedi Apostolicæ immediatè subditus. ibid.
Annulo suo Pontifex donauit Pontium Abbatem Cluniacensem, Cardinalis honore. n. 10.
Astra Borbonia, & Medicea quænam? 11. Mediceis quis nomina imposuit. ibid.
Austriaca. ibid.
Aurei generis qui sint. n. 6.
S. Benedictus per suas reliquias Gallos à Danis seruat. n. 3.

Borboniorum

Borboniorum genus, aureum ex triplici capite.n.6. ex eâ gente docti, fortes, & sancti Reges.ibid. ex eadem Abbates Cluniacum, Episcopum Anicium sibi delegere.n.8.9. sydera Borbonia quæ. n. 11.sub iis *Societas Iesu* auspicato adoleuit,eorundem cum liliis comparatio.ibid. Sorbona quantum illi debet. n. 7.
Cardinales officio sunt Abb. Cluniacenses. n. 10.
Caroli Magni Imp. erga ss.reliquias pietas.n.5. cultus vt Sanctus. ibid.
Catholici cur aureum genus.n.6.
Childeberti erga ss. reliquias pietas. n. 5.
Claues confessionis ss. Apostolorum Petri, & Pauli ad Carolum magnum missæ.n. 5.
Clodoueus quot titulis Sanctus, seu Diuus. n. 4. nouus Constantinus. ibid. Parisiis eius festum duplex.ibid. eius virtutes, & encomia.ibid. baptisatus eodē die, quo Christus natus. ibid.ss.Hilarium,& Martinum impensè coluit. n. 5. ei cerua vadum Viennæ ostendit, eidemque prodigio prænuntiata victoria.ibid. ab illa adepta ad ss. Martini misit donaria. ibid.
Cluniacum.vid. *Borbonium genus* quantum Borboniis debet.n. 8. Aniciensis exemplo illi in quo præiuit.ibid. vid. tit. *Aniciensis Ecclesia*. Eius Abbates sunt officio Cardinales.n. 10. aliud insigne eiusdem priuilegium ibid.elogia Cluniacensium.ibid.Cluniacum,nobilius regni Gallici membrum à quo vocatum. n.12. alia eius elogia plura. ibid.
Corona spinea ex parte à Iustiniano Imp. Francis data. n. 1.
S. Dionysius quanto in honore apud Gallos Reges, & eiusdem in hanc rem elogia.n. 5.ad eius reliquias ante bellum olim aditum, & ob id victoriæ. ibid.
Diui appellatio, debeátne Christianis Imperatoribus tribui. n.4. dicti,*viuæ memoriæ*.ibid. an sanctis Diui nomen adscribere sit fas? ibid. Fideles vocati *Dij*. ibid.
Docti aureum genus. n. 6.
Donaria ob victoriam reportatam ad ss. reliquias missa. n.5.
Episcopi Galli ss. Reliquiarum studiosi.n.1.
Exercitus à prædis coercendi.n.5.
Fides, aurum. n. 6.
S. Ferrandi parænesis vtilissima tam Regibus, quàm exercituum ducibus,& Proregibus.n.9.
Fortes, aureum genus.n.6.è gente Borboniâ fortissimi Duces in bellis.ibid.
Gallia monstris hæreseon carens, ferax virorum fortissimorum, eloquentissimorum.n.1. reliquiarum ss. studiosissima.ibid. per ss. reliquias seruata. hostibus fugatis. Not.2. & 3. Regis Galliarum præcellentia.vid. tit. *Sol*.
S. Germani reliquiæ Galliæ tutela, item s. Benedicti.n.1.2.3.
Gratitudo Regum Christianissimorum erga ss. reliquias.n.5.
Hæresi primùm infectæ Galliæ à Vigilantio Hispano. Not.1.
Imperio nati, aureum genus.n.6.
S. Ioan.Bapt. reliquias quanti Pipinus æstimauit. N. 5.
Ioannes Borbonius Episcopus Aniciensis, & Abbas Cluniacensis, quantus

tus vir, eiusque virtutes. Not. 8. & 9. præclara ipsius in Cluniacenses merita. ibid. & in Ecclesiam Aniciensem. ibid.
S. Ludouici pietas erga SS. reliquias n. 5. ad includendas eius reliquias data est ab Henrico IV. theca argentea. ibid. Liberalitas S. Ludouici in reliquiis ss. communicandis.ibid.
S. Martini reliquiæ Turonenses à Danis tuentur.n.3. signipotens, & bellipotens triumphator.ibid.
Matronæ Gallicæ ss. reliquiarum studiosissimæ. Not. 1.
Metalla in cuiusque conceptione indita quid significent.Not.6.iisdem respubl.expressæ. ibid.
Monstra in orbe multa, nulla olim in Gallia.n.1.
Natiuitas Christi, Clodouæi baptismo inclyta.Not.4.
Nomina Regum astris imposita.vid.tit. *Astra.*
Nudipes Pipinus Francorum Rex S. Suuiberti sepulchrum inuisit. N.5. S. Ludouici reliquias recipit. N. 5.
Pipini pietas erga ss. reliquias. N. 5.
Phyllines quid? N. 7.
Religiosis familiis addicti Reges Francorum. N. 12. illis multa Cluniacensium elogia accommodari possunt. ibid.
SS. Reliquiæ turres, & propugnacula sunt. Not. 1. præ illis dona pretiosa repudiata.ibid. Veneti suis timent à Gallis, ideóque occultatæ.ibid. per illas Dani fugati, & mortui. N. 2.3.4. in acie à Gallis circumlatæ.ibid. & N. 5. maxima in veneratione apud Reges Francorum.N.3.4.5.
Reges Francorum ss.Religiosissimi veneratores.ibid. maximè ss.Hilarij,Dionysij,Martini,Germani.vid.tit. singulos. Religiosis fauentes.N.12.astris ipsorum nomina imposita. vid.tit. *Astra.*
Reges omnes, aureum genus. Not.6.
Respublicæ aureæ, argenteæ, & ferreæ, quæ? N. 6.
Robertus Rex Francorum addictus ss. reliquiis, eius donaria,& ob id eiusd. summa quies. Not.5.
Sancti, aureum genus. N. 6. sunt hominum custodes, &c. & an possint vocari *Diui*. N. 4.
Sanitas recuperata per ss. Reliquias à Regibus Francorum. N.5.
Societas IESV in liliis, & sub liliis Francicis nata in omen florentis Multiplicationis. N. 11. sub astris Borboniis adoleuit.ibid.tantillum est Gallici regni membrum. N. 12.
Soli an insint maculæ. N.11. quid illæ sint? ibid.Rex Francorum est Sol inter Reges.ibid.
Sorbona Regum primogenita, quantum Borboniæ genti debeat, N. 7. cur *Stephanites*, dici possit.ibid.
Stephanites quid? N. 7.
Superiores prosint potiùs, quàm præsint. N. 6. prospiciant subditis vt membris suis, eos ament, vt seipsos.N.12.
Vigilantius.vid.tit. hæresis.
Victoriæ mirabiliter prænunciatæ,& à Gallis reportatæ. Not.2.3.4.5.
INDEX

INDEX AVCTORVM,

Quorum opera vſi ſumus, vel ad aliquid confirmandum, vel illuſtrandum, vel euertendum.

E CATHOLICIS.

A

ABBO.
Accurſius.
Acta { Paſſion. ss. decem millium Mart. ss. Ricarij & ſoc. Alia aliorum.
Adelerius.
S. Ado Viennenſis.
Adreualdus.
Adrianus.
Adrichomius.
Æneas Gazæus.
Æneas Syluius.
Agapetus.
Aimoinus.
Alexander ab Alexandro.
Allatius.
Almainus.
S. Ambroſius.
Anaſtaſius Bibliothecarius.
Andreas Cretenſis.
Andreas Hieroſolymitanus.
Anfoſſius.
Ab Angelo.
Angradus.
Annales Francici.
Annales Spirenſes.
Anonymi { Engoliſmenſis. Floriacenſis. Vitt. ss. Cypriani, Genulphi, Theodori, Caroli Magni, Ludouici Pij &c.
S. Anſelmus.
Anſino.
S. Antoninus.
Appendices { Ad S. Gregorium Turonenſem, ad Glabrum, ad Euſebium, &c.
Arator.
Arboreus.
Archidiaconus.
D'Arguilliers?
Arias Soc. IESV.
Arnobius.
S. Athanaſius.
Attilius.
S. Auguſtinus.
Auguſtinus Eugubinus.
S. Auitus Viennenſis.
Azor Soc. IESV.

B

BAldellus Soc. IESV.
Baldus.

Balsamon.
Bardomina.
Batbosa.
Bardi.
Baronius Cardinalis.
Barradas Soc. IESV.
S. Basilius.
Becanus Soc. IESV.
Beda.
Beek.
Bellarminus Cardinalis. Soc. IESV.
Belleforest.
Bergomas.
S. Bernardus.
SS. Biblia.
Biel.
Biuarius.
Bochellus.
Bonacina.
S. Bonauentura Cardinalis.
Bonfinius.
S. Borromæus Cardinalis.
à Bosco.
Bosius.
Bouchet.
Bouillier.
Bo uerius Soc. IESV.
Bourghesius Soc. IESV.
Bozius.
S. Brigitta.
Brissonius.
Britto.
du Breüil.
Brugmannus.
Bulengerus Soc. IESV.
Bullæ { Clementis VIII. Pauli V. Vrbani VIII. & alior.
Bunderius.
Burchardus.
Burgensis.
Busti.
Bzouius.

C

Caietanus Cardinalis.
Canisius Soc. IESV.
Canonicum ius.
S. Carolus Magnus.
Catena PP. Græcorum in Lucam.
S. Catherina Senensis.
Cassianus.
Cassiodorus.
Alph. à Castro.
Castropalao Soc. IESV.
Cedrenus.
Celada Soc. IESV.
La Cerda Soc. IESV.
Chiffletius.
Chronica { Alexandrinum. Cluniacense. Sauaronis, & alia.
du Chesne.
S. Chrysologus.
S. Chrysostomus.
Ciacconius.
Clementis. 1.4.6. epistolæ.
Clem. Alexandrinus.
Clictouæus.
Climacus.
Coccius.
Codex Theodosianus.
Codex Manuscript.
Coeffeteau.
Cœnalis.
Collius.
Comestor.
Concilia { Aurelianense. Africanum. Bononiense. Cabillonense. Carthaginense. Chalcedonense. Gallicana. Tolosanum &c. Lateranense. Mediolanense. Moguntinum.

Conci

INDEX AVCTORVM.

Concilium Tridentinum. vide Synodi.
Constantinus Papa.
Oct. Constantinus.
Cottonus Soc. IESV.
Cratepolius.
Cromerus.
Cyprianus.
SS. Cyrilli { Alexandrinus. Hierosolymitanus, Eremita.

D

DAmasus Papa.
Damascenus.
Damhouderus.
Damiani Cardinalis.
Del-rio Soc. IESV.
Dexter.
Diana.
SS. Dionysij. { Areopagita. Carthusianus.
Diedericius.
Dorlandus.
Dublæus.
Dubrauius.
Du Pleix.
Durandus.
Durantus.

E

ECkius.
Edirenus.
Eignardus.
Eiginhardus.
Elias Cretensis.
Ennodius.
Epiphanius.
Etherianus.
Euagrius.
S. Eucherius.
Euchologus Græcorum.
Eugippus.
Euodius.
Eulogius.
Eustathius
Euthymius.
Euthymius Monachus Zigabenus.

F

FAlco.
Fagundez Soc. IESV.
Faselus.
Faustus.
Fauinus.
Felinus.
Ferandus.
S. Ferrandus Diac. Carth.
S. V. Ferrerius.
Filesac.
Filiuccius Soc. IESV.
Florentius.
Fœlix I. Papa.
Folcardus.
Forcatulus.
Fornerus.
Fortunatus { Episcopus. Presbyter.
Franciotti.
Frizon.
Fulco.
Fulcherius Carnotensis.

G

GAmaschæus.
Garinus.
Gassendus.
S. Gaudentius Brixiensis.
Gautherius Soc. IESV.
Gaufridus de bello-loco.
Gemma animæ.
Genealogia S. Arnulphi. &c.
Genebrardus.
Georgij { Alexandrinus. Corcyranus.
Gennadius.
Germanus Patriarcha Constantinopolitanus.
Germonius.
Gerson.

Gilles

Gilles.
Gislebertus.
Gissey Soc. IESV.
Glaber.
Glycas.
Gononus.
Gordonus Soc. IESV.
Gorlæus.
SS. Gregorij { Magnus Papa. / Nazianzenus. / Nyssenus. / Thaumaturgus. / Turonensis.
Pet. Gregorius.
Gregoras.
Grutherus.
Guaguinus.
Guerricus.
Guesnæus Soc. IESV.
Bern. Guidonis.
Guilielmus Tyrius.
Gutherius.

H

HAlloix Soc. IESV.
Haymo.
Helgaldus.
Heraldus.
Henricus de Hurtmaria.
Heruetus.
Hesychius.
S. Hieronymus.
S. Hilarius.
Hincmarus.
Historiæ { Melitensis. / Miscella, / & aliæ.
Houël.
Hugo à S. Victore.
Hugo Monachus Cluniacensis.
S. Hippolytus Martyr.

I

IAcobatius Cardinalis.
Iansenius.
Iarric. Soc. IESV.
Iason.
SS. Ignatij { Martyr. / de Loyola, Soc. IESV. / Patriarcha.
Illescas.
Ingulphus.
Innocentius III. Papa.
Ioannes { Patriarcha Hierosolymitanus. / Diaconus. / Malmesburgensis. / Parisiensis.
Iordanus de Saxonia.
S. Isidorus Pelusiota.
Iuliacus.
S. Iustinus.

L

LAndspergius.
à Lapide Soc. IESV.
Laurus.
Layman. Soc. IESV.
Leones { I. & IX. Pontifices Maximi. / Ostiensis.
Leontius.
Lessius Soc. IESV.
Lieure.
Ligniano.
Lindanus.
Lipomanus.
Lipsius.
Liturgiæ { Æthiopum / S. Chrysostomi &c.
Lorinus Soc. IESV.
Locrius.
Longinus.
Io. Lucius.
Ludouicus Pius, Imp.
Ludolphus.
S. Lugderus.
Lugo, Cardinalis Soc. IESV.
Lurbæus.
Lyranus.

INDEX AVCTORVM.

M

MAburnus.
Maffeius Soc. IESV.
Magnes.
S. Maiolus.
Maior.
Maldonatus Soc. IESV.
Mallonius.
Mantuanus.
Manrique.
Marcellinus Comes.
Mariana Soc. IESV.
Marianus Siculus.
Marinæus.
Marſilius Columna.
S. Martialis.
Martinez Soc. IESV.
Martinus Soc. IESV.
Martyrologia { Anicienſe, S. Genouefæ Pariſienſis. Romanum, &c.
S. Maximus ſchol. S. Dionyſ.
Maſcardus.
Maſſonus.
Maſſutius Soc. IESV.
Pet. Matthæus.
Leon. Matthæi.
Matth. Vveſtmonaſterienſis.
Matthiolus.
Mercurialis.
Mercurius Gallicus.
Mendoza Soc. IESV.
Menæum, & Menologium Græcorum.
Medina.
Metaphraſtes.
Michael Seruita.
Micquellus.
Minutius Fœlix.
Middendorpius.
Molanus.
Molina Soc. IESV.
Ar. Montanus.
Monachus Eugoliſmenſis.
Monteil Soc. IESV.
à Monte.
Morigius.
Moſes Barcephas.
Moſchus.

N

NAngis.
à Natalibus.
Nauarrus.
Neubringenſis.
Nicetas Choniates.
Nicephorus.
Nicetius.
Nithardus.
Nodgerus.
Nonnus.
Nouarinus.

O

S. ODo Cluniacenſis.
Olympiodorus.
Onuphrius.
Optatus Mileuitanus.
Ordo Romanus.
Orlandinus Soc. IESV.
Otho Friſingenſis.

P

S. PAchomius.
Pachymeres.
Palæottus Cardinalis.
Palladius.
Paludanus.
Pamelius.
Pamphili.
Pancirolus.
Pantaleon.
Panormitanus.
Paris.

ss.Pauli Nolanus.
ss.Pauli Mediolanensis.
Paulus Diaconus.
Pelagius Papa.
Pelbartus.
Asc.Persius.
Perronius Card.
Petra-sancta Soc. IESV.
Petri Blesensis.
Petri Venerabilis.
Petri Stephanus.
Petri Cellensis.
Picardus.
Picus.
Pineda Soc. IESV.
Pingonus.
Pintus.
Pithoeus.
Pius 1. & 2. Papæ.
Platina.
Ponce.
Pontius Diaconus.
Pontanus Soc. Iesu.
Poyræus Soc. Iesu.
Poza Soc. Iesu.
Primus.
Procopius.
Prochorus.
Prouincia Flandro-belgica. Societ. IESV.
Ptolomæus Lucensis.
Prudentius.
Puteus.
Puteanus.

Q

Q. Vercetanus.

R

Rabanus.
Ragusa. Soc. Iesu.
Raderus Soc. Iesu.
Raynaudus Soc. Iesu.
Redoanus.
Reginaldus Soc. Iesu.
Regius Soc. Iesu.
Remigius.
Resta.
Ribadeneira Soc. Iesu.
Ribera Soc. Iesu.
Richardus.
Rigordus.
Roa Soc. Iesu.
Robles.
Rodulphus Abbas.
Rogerius.
Roffensis.
H. Romanus.
Rosminthal.
Rossi Soc. Iesu.
Rosuueydus Soc. Iesu.
Rouillard.
Rota Romana.
Rousselet Soc. Iesu.
Rouuerius. Soc. Iesu.
Ruffinus.
Rupertus.

S

Saconay.
Sainctes.
Salazar soc. Iesu.
Salianus soc. Iesu.
Salmeron soc. Iesu.
Saluianus.
Sanchez soc. Iesu.
San-marthani fratres.
Saussayus.
Sauaro.
Saxius.
Scardius.
Scortia soc. Iesu.
Sedulius.
Serranus.
Serrarius soc. Iesu.

INDEX AVCTORVM.

Seueri { Sulpitius. / Minoricensis.
Seuertius.
Sidonius Apollinaris.
Siffredus.
Sigebertus.
Signius.
Sigonius.
Simocatta.
Sirmondus soc. Iesu.
Sixtus Senensis.
Spinellus soc. Iesu.
Sophronius.
Spondanus.
Sprengerus.
Stephanus III. Papa.
Statuta { Cluniacensia. / Bibliotheca.
Suarez soc. Iesu.
Sugerius.
Surius.
à Sylua.
Syluester.
Symmachus Papa.
Synesius.
Synodi { Nicæna. / Septima &c.

T

Tabienna.
Thadei.
Tardé.
Texera.
Theatrum Antiq. Parisiensium.
Theganus.
Theodorus Studita.
Theodorus Lector.
Theodoretus.
Theofridus Abbas.
Theophanes Cerameus.
Theophylactus.
à S. Theodorico.
Theobaldus.
S. Thomas Aquinas.
Du Thou Episc. Camotensis.
Thuscus Cardinalis.
Thyræus soc. Iesu.
Tillet.
Tiraquellus.
Tirinus soc. Iesu.
Titus Bostrensis.
Toletus Cardinalis soc. Iesu.
Tostatus.
Treuinnius soc. Iesu.
Trigautius soc. Iesu.
Trithemius.
Triumphus.
Turnebus.
Turrecremata Cardinalis.
Turrianus Soc. Iesu.
Tursellinus Soc. Iesu.

V

Valdensis.
Valladerius.
Valentia soc. Iesu.
Valesius.
Vasquez soc. Iesu.
Velserus.
Vffingus.
Victores { Antiochenus. / Vticensis.
H. à s. Victore.
Villegas.
Viringus soc. Iesu.
P. Virgilius à Vitriaco.
Vitalianus Papa.
Volaterranus.
Vvilielmus à s. Theod.
Vvitichindus.

Z

Zampini.
Zeno Veronensis.
Zerda.
Zerola.
Zonaras.


INDEX AVCTORVM.

EX HETERODOXIS ET GENTILIBVS.

Achmez. Agrippa.
Apiarij auctor.
Apollonius Thyanæus.
Apuleius. Aristoteles.
Petron. Arbiter.
Arrianus. Artemidorus.
Athenæus. Auentinus.
Ausonius.
Bauanus. Beza.
Henr. Bullengerus.
Calpurnius. Caluinus.
Casaubonus.
Centuriatores Magdeburgenses
Cicero. Claudianus,
Dionysius Cassius.
Dionysius Halicarnasseus.
Dioscorides. Drusius.
Erasmus. Eustathius.
Eusebius Cæsariensis.
Festus. Florus.
Gellius.
Herodotus Hesiodus.
Horatius. Hospinianus.
Iacobus Britanniæ Rex.
Illyricus. Iosephus.
Iunius. Iustinus.
Iuuenalis.
Lampridius. Liuius.
Lucianus. Luctatius Placidus.
Lutherus.
Martialis. Molinæus.
Obsequens. Origenes.
Osiander. Ouidius.
Persius. Philo. Photius.
Philostratus. Plato.
Plinius vterque.
Plautus. Pollux.
Plutarchus.
Quintilianus.
Rhenanus.
Sadeel. Salmasius.
Scaliger vterque.
Seneca vterque.
Seruius.
Silius Italicus. Sleidanus.
Socrates. Sozomenus.
Spartianus. Statius.
Suetonius.
Tacitus. Tertullianus.
Thamuldici.
Temporarius. Trebellius.
Valerius Maximus.
Varro. Vegetius.
Virgilius. Vitruuius.
Vuiclefus. Vvouerius.
Xenophon.

FINIS.

596




Angelo Pandimiglio
restauratore
825650
8274800